











MATRITI EX TYPOGRAPHIA REGIA AN. MDCXLIX.

PHILIPPO IV.
REGI CATHOLICO,
AVSTRIACA PIETATE ERGA IMMACVLATAM DEI GENITRICIS CONCEPTIONEM, MAIORVM GLORIÆ, POSTERORVM EXEMPLO.

Vide Epist. Gregor. XV. colum. 187. Regesti.





N Excelso humanarum rerum fastigio constitutam, & auita, propriaquè Religione multò illustriorem Vestram Catholic. Maiest. venerabundus adeo (Augustissime Monarcha,) donario cupientem, & auidè expectantem prosequuturus. Facit eximia illa V. C. M. ergà IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS mysterium pietas, vt aliquid à paupercula Minorum Familia accipere possit, & cùm omnia citra desiderium, nihil tamen præter dignitatem. De IMMACVLATA CONCEPTIONE apud T. C. M. sileri fortè graueris; quouis modo agi, honori ducis. Hunc verè Regium animum nuper toti Regno in Conuentibus Generalibus congregato publicè testatus es, cùm consultationi de reuocando nouo Decreto, quo vsus tituli IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS per vehementissimis indicijs suspectam subreptionem interdicitur, sic propria ipse manu rescripsisti. *Nullum obsequium ex omnibus, quæ Regnum in me contulit, poterat mihi esse gratius, quàm in hac consultatione præstitum, propter affectum, quem mysterio Purissimæ Conceptionis vnicè deuotum gero: cuius interuentu, laborum, quos hæc Monarchia patitur, leuamen nos impetraturos confido. Cumquè*

Anno 1647. die 23. Ian. Regest. col. 414. Artic. 4. col. 217.

ad peculiare Regni debitum spectet, huic fini assequendo expedientissima quæquè inquirere, primum absquè dubio, & vnicum illud est, de quo hìc ad me refert; cui idcircò libens assentio, & vt Romam in eandem sententiam litteræ destinentur, iussi. Siquidem, licèt per Consilia Status, & Cubiculi idem negotium expediendum curaueram, vt Decretum, de quo hic sermo est, reuocetur; de integro ei modò incumbam. Et si causæ huius definitio in mei ipsius Romam profecti, & solicitatoris officio fungentis industria volueretur; confestim summa alacritate iter ingrederer, mequè fœlicissimum iudicarem, si hac ratione tale Dominæ nostræ obsequium exhiberetur. Hactenus Tuæ Catholicæ Maiestatis autographum oraculum; quod quantumuis causæ merito, & tua humanitate inuitante, non committam, vt meis laudibus obstrepens obscurem. Audi, Religiosissime Monarcha, summum Ecclesiæ Præsulem tecum loquentem. *Sanè, & populorum fidem, & hostium oppressionem polliceri haud temerè possumus, cum eius tibi Virginis patrocinium conciliare studes, quam terribilem esse, vt castrorum aciem ordinatam, diuina oracula testantur.* Hoc te elogio ornabat Petri Successor inter initia Principatus, quod matura iam, & confirmata Pietate cumulatiùs meruisti, ac pro præsentissimo solatio in spem optimam erectus retines, dum Deum paternè visitantem, & quà bellis, quá calamitatibus regna tua in virga virorum, & in plagis filiorum hominum arguentem agnoscis. Assumit sibi V. C. M. virgam Iesse Numini placando, virgam, per quam Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt: floris Matrem, super quem requiescit spiritus Domini, spiritus consilij, & fortitudinis. Macte nouantiquo erga IMMACVLATAM CONCEPTIONEM studio, Catholice Rex! quam gloriosæ memoriæ Philippo III. te Filio dignissimo Parenti, Maximoquè, & Fortissimo Cæsarum Carolo V. proauo tuo, ac Catholicis Regibus Ferdinando, & Elisabethæ, quos sexto gradu inter clarissimos progenitores numeras, (amabile pignus antiquæ, & præscriptæ hæreditatis!) Sedes Apostolica signatissimis rescriptis colendam tradidit: Tibi verò ipsi, charissimæ quondam coniugi Elisabethæ, Ferdinando fratri, & amitæ Margaritæ cultu auctiorem summa dignatione cõcessit. Eandem insuper Ioannes I. Martinus I. Serenissima Maria, Aragonum Reges, Ioannes item I. Rex Nauarræ prædecessores tui prudentissimis, & om

Gregor. 15. in epist. cit.

2. Reg. 7.

Prou. 8.

Isai. 8.

Regest. sup. item col. 306. cum seq. & 373.

Regest. col. 285.

nium

nium posterorum iudicio commendatis legibus ab impugnatoribus tutati sunt. Illud scilicet præcipuum Principum munus egregiè expleuerunt, quod noster Hispalensis Antistes S. Isidorus, non solùm Hispanæ, sed & alijs nationibus suspiciēdus magister pręscripsit. *Principes* (inquit) *sæculi nonnunquam intra Ecclesiam potestatis adeptæ culmina tenent, vt per eandem potestatem, disciplinam Ecclesiasticam muniant.* Et post alia. *Cognoscant Principes sæculi Deo debere se rationem reddere propter Ecclesiam, quam à Christo tuendam suscipiunt. Nam siue augeatur pax, & disciplina Ecclesiæ per fideles Principes, siue soluatur; ille ab eis rationem exiget, qui eorum potestati suam Ecclesiam credidit.* His saluberrimis documentis admoniti, tuam, Catholice Princeps, protectionem Pij omnes votis conclamant, quæ ipse operibus anteuertis; oculis designaris, vocibus posceris, vt causam, quam studiosissimè agere cæpisti, gloriosissimè peragas. Ita Domino benè prosperante, fęliciter eueniat, fiat, fiat: & IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS cultus T. C. M. instante, & Sede Apostolica fauente in dies augeatur: Tibi vt commissus populus, veræ cęli Reginæ, cui famularis, patrocinium beneficijs sentiat, & nunquam intermittenda gratiarum actione perpetuò concelebret. Ex cœnobio S. P. N. Francisci Matrit. Idib. Ian. anni ineuntis ab eiusdem Beatiss. Virginis partu M. DC. XLIX.

Isidor. lib. 3. sen. cap. 53. Synod. Parisiens. ann. 829 lib. 2. c. 2. tom. 3. Concilior.

Vestræ Catholicæ Maiestati addictissimus in Christo seruus.

Fr. Iosephus Maldonatus Cismontanæ Familiæ, & Indiarum Commiss. Generalis.

THE-

THESAVRIS OMNIGENAE sapientiæ Illustrissimis Vniuersitatibus, Cunctisque Theologicæ Doctrinæ consultis.

Cismontana Minorum Familia plurimam in Domino salutem.

PAVCIS Vos in operis limine conueniemus, Viri Doctissimi, *nam & vera* (vt Tertullianus ait,) *semper in paucis*, & scribendi occasionem, simulquè causæ statum, iam vel ex fama vbique sparsa percepistis, vel ex præmittendo argumento exactè nullo negotio haurire potestis. Propositum verò nostrum tribus verbis apud tantos Magistros indicasse satis erit.

In defendenda ergò legitima possessione tituli IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS, hunc nobis vnicum scopum præfiximus, vt vobis Ducibus arma, & copias ministraremus. Nam cùm ex mandato Catholici Regis nostri PHILIPPI IV. de his, quæ in hac causa Sedis Apostolicæ conspectu digna viderentur, ad doctissimos quosque referendum esset, curauimus, vt scriptores labore aliquo leuarentur, & paratam materiam haberent. Itaque *Armamentarium* ex Theologiæ, & Iuris principijs rationes eruit, & expendit; *Regestum* omnis generis instrumenta, quæ, si opus fuerit, authentica repræsentabimus, copiosè offert: simulque ex grauissimorum auctorũ monumentis, quæ ad Tituli defensionem plurimum conducere posse iudicauimus. Vestrarum partium erit, eruditissimi Magistri, maturo iudicio, quæ damus, recensere; quæ desunt supplere, & omnibus auctoritatis, qua polletis, pondus addere. In hac tenui nostra lucubratione vos ipsos agnoscetis, vestram causam agitis, quæ docuistis, scripsistis, iurastis, in dubium vertũtur; arma, & scutum apprehendite, *parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est, spe.* (1. Pet. 3) Eam ipsam spem, quæ Dominicis promissionibus firmatur, inuocatione IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS aluistis; hoc mysterium non singulares, sed tributim venerati estis, nec de eo defendendo, sed extollendo cogitabatis; cui enim tales disputationes in mentem venirent? cùm Theologiæ Parens, & omnium Vniuersitatum vniuersalissimus Magister Augustinus, nec *de his, quæ tota per Orbem frequentat Ecclesia*, nec *de B. Virgine, cùm de peccatis agitur*, vllam prorsus disputationem, aut quæstionem permittat: sed (August. Epist. 118 to. 2. & lib. de Nat. & grat. cap. 36.)

cùm

cum habitibus, vt Philosophus docet, perficiamur, atque ab illis nomen ducamus, propugnatores fortissimi estis etiam, qui diu arma non tractatis, & occasione oblata, quæ iustior occurrere non potest, peritiam vestram ex aduerso stantes, aut omnino fugient, aut experientur.

MODESTIAM in scribendo, qualem dignitas causæ, & vestra exposcit, siquid aliud, præ oculis habuimus; quomodò enim aliter quæ scribimus, vobis probanda, vel saltem legenda speraremus? Noluimus tamen in ipsa modestia sectanda modum non tenere, aut veritatis patrocinium demissè, seruiliter, vel minùs exertè, & liberè agere, quod planè esset causam, quam defendimus, prodere. A conuitijs, calumnijs, contentione, toto animo abstinuimus; veritatem manifestè lædi passi non sumus, quam ita amamus, vt cum Augustino protestemur: *In omnibus litteris meis non solùm pium Lectorem, sed etiam liberum correctorem desidero. Veruntamen sicut Lectorem meum nolo mihi esse deditum, ita correctorem nolo sibi. Ille me non amet ampliùs, quàm Catholicam Fidem; iste se non ampliùs amet, quàm Catholicam veritatem.* Familiam aliquam, aut Congregationem longissimè absumus, vt insectemur; quin potiùs cùm omnes fauentes habeamus, priuatos quosdam suo nomine tantùm audere, vt vsque ad totius pene Orbis contemptum procedant, planè stupescimus. Qui sicut multitudine fidelium obruuntur, cui multum deferendum esse Sanctissimi Patres, Basilius, Athanasius, Hilarius, & Patrum Pater Augustinus censuère; sic eruditione, & auctoritate vestra, viri Doctissimi, repellendi sunt, & confutandi.

August. proœm. lib. 3. de Trinit.

Basil. l. 1. adu. Eunom. Athan. & Hilar. lib. de Synod. August. cont. Epist. fundam. c. 4

POSTREMO de operis prolixitate siquis sibi satisfieri desiderat, accipiat nostri consilij rationem. Nullibi certe exactiùs seruatur scriptoris, seu tractatoris præceptum:

Deniquè sit quod vis, simplex dumtaxat, & vnum.

Vnicā hāc veritatē probare, cōfirmare, suadere volumus: NOMINE CONCEPTIONIS, SANCTITATEM B. VIRGINIS IN PRIMO ANIMATIONIS INSTANTI, FIDELIBVS COLENDAM PROPONI: hoc Pōtificiæ Constitutiones statuunt, Ecclesiæ suscipiunt, Vniuersitates docent, Reges, & Prouinciæ sanciunt, populus amplectitur, magni cū paruis vouent, & iurant: qui quolibet ex tot argumentis Sedis Apostolicæ mentem ab ipsa declaratam firmiter, & securè tenuerit, nec aliud prætereà in hac causa duxerit ad se pertinere, breuissimum sibi volumen absque veritatis iactura reddere potest:

test. At uerò doctrinam quantumuis certam defensurus nihil omninò efficiet, nisi testimonia singula examinet, clausulas excutiat, aditus omnes obseruet, difficultates, quæ etiam iustissimæ causæ in controuersiam adductæ, annectuntur, in promptu habeat, tempora digerat, instrumenta consulat: quam Beatissimæ Virgini gratissimam curam suscipere volentibus nostra omnis industria desudat. Quæ nobilior materia aliquam scribendi facultatem à Deo consequutis vnquam offeretur, quàm honor Dei Matris? Nemo diuino zelo feruens talentum sibi creditum abscondat, aut inutiliter repositum cum vsura vtique exigendum contineat: nam *si pro otioso verbo* (vt Ambrosius admonet,) *reddituri sumus rationem, videamus, ne reddamus & pro otioso silentio.* Vt verò quæ vobis ministramus arma, ad manum, & velut in numerato habere, & cernere possitis, œconomiam, & præcipua totius operis capita per ordinem subijcimus.

S. Ambros. lib. 1. Officior. c. 3.

Conspectus, & summa distributio ARMAMENTARII.

PRÆMITTITVR *Argumentum*, in quo Piæ opinionis de Præseruatione Beatiss. Virginis à peccato originali progressus, & præsens status breuiter proponuntur, & nouæ controuersiæ excitatio ex asserto decreto, & duobus libellis supplicibus in eius defensionem, cum totius causæ scopo: Et ipsius Purissimæ Virginis patrocinio inuocato, tractatio præcipua quinque Articulis absoluitur.

ARTICVLO Primò, *colum.* 28. significatio Tituli IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS perspicuè aperitur. Et quāuis nihil compertius sit, quàm his nominibus significatam semper fuisse gratiam collatam B. Virgini in primo instanti infusionis animæ; tamen hanc significationem serio omnium Doctorum testimonijs stabiliendam duximus: tùm vt veritatis, quam propugnamus, euidentia liquidiùs appareat: tùm vt scriptorum, qui mysterium *Conceptionis* elucidarunt, memoria conseruetur.

ARTIC. Secundò, *colum.* 55. totius causæ cardo, & robur continetur. Eius principalis conclusio est, cultum, quem Ecclesia solemniter defert *Conceptioni* B. Virginis, modò, & semper dicatum esse gratiæ, & sanctitati præseruatiuæ a peccato originali, ipsius animæ infusæ in primo instanti creationis, & vnionis ad corpus. Ante omnia verò statuimus hanc esse in terminis decisio-

ſionem Sedis Apoſtolicæ,*colum.* 57. Deinde, prædictum ſenſum Feſti *Conceptionis*, & cultus Eccleſiaſtici latiſsimè probamus, & ſtabilimus.

Primò,& plurimis Conſtitutionibus Apoſtolicis *à colum* 63.*& deinceps*. Cui fundamento adiungimus Doctorum veterum,& rècentiorum teſtimonia pro eodem Feſti ſenſu,*colum.* 90.& ex profeſſo validè(vt nobis videtur,)confirmamus in cultu diuino eandem prorſus vim obtinere hoc nomen *Conceptio*, & hunc titulum, Conceptio *Immaculata*, *colum.* 99.

Secundò,ex officijs diuinis:primitiuo, tempore venerab. Abbat. Helſini, & S. Anſelmi, *colum.* 110. Præmonſtratenſi, *colum.* 113.variarum Eccleſiarum,*colum.* 115. Romano,*colum.* 117.proprio Fratrum Minorum à Sixto IV. emanato,*colum.* 121.

Tertiò, ex erectione, & approbatione trium Religionum *Conceptionis*, *colum.* 127.Canonicorum,*colum.* 131. Monialium, *colum.* 132. Equitum,*colum.* 138.ſimul oſtendentes, idem myſterium exprimi his duobus titulis,*Immaculata* Conceptio B. Virginis, & *Conceptio Virginis Immaculatæ*,*colum.* 147.

Quartò, ex Indulgentiarum largitione, *colum.* 157. quatenùs ſunt fauores à Sede Apoſtolica Piæ opinioni conceſsi, *colum.* 158.& propter aliquid maius,& ſpecialius,quod habent ex propria ratione indulgentiarum,*colum.* 160.

Quintò,ex authenticis Reuelationibus, non ſolùm probantibus veritatem Præſeruationis,ſed etiam prędictum ſenſum Eccleſiaſtici cultus,*colum.* 164.

Sextò,ex Miraculorum virtute, quibus ſimiliter, & Pia opinio,& vera cultus intelligentia ſtabilitur,*colum.* 169.

Septimò,ex vniuerſaliſsimo,& admirabili Fidelium conſenſu tam in opinionem Piam,quàm in obiectum cultus,vnde in toto rigore Theologico argumentum ſumimus, *colum.* 174. fauentibus, aut non repugnantibus antiquis Patribus, & Doctoribus, *colum.* 181.

Octauò,ex inſtantijs apud Sedem Apoſtolicam de huius myſterij definitione,*colum.* 189. vbi, quid eruditiſsimi Theologi de ſtatu Piæ opinionis ſentiant,proponimus,*colum.* 194. quorum iudicio eò iam deueniſſe,vt proximè ſit de Fide definibilis, referimus,*colum.* 198.

ARTIC. Tertiò,ex omnibus præiactis fundamentis ſtabilitur vera,& legitima poſſeſsio tituli *Immaculatæ Conceptionis*,tam iure,quàm facto,*colum.* 203.

ARTIC. Quartò,grauiſsimis,& vrgentiſsimis indicijs compro-

probatur vehemens suspicio subreptionis asserti decreti, *colum.* 217.

ARTIC. Quintò, pro Pijssimæ causæ pacifica prosequutione, & Christianæ Reip. tranquillitate, adstruitur æquissima secundùm omnia iura postulatio, vt partes litigantes, nec iudicum, nec testium munus exerceant, *colum.* 231.

SVCCEDIT Articulis copiosus *Tractatus Apologeticus*: in quo quidquid in duobus libellis supplicibus pro asserto decreto allegatum est, per singulas clausulas discutitur, *colum.* 250.

Contenta in Regesto.

LITTERÆ PATENTES
REVERENDISSIMI P. COMMISSARII
GENERALIS.

RATER Iosephus Maldonatus, Huius Familiæ Cismontanæ, Seraphici P. N. Francisci, & Indiarum, Cōmissarius Generalis, & Seruus, &c. Reuerēdis in Christo Patribus, Fratri Gaspari de la Fuente Lectori Iubilato, Consilij Supræmi Sanctæ Generalis Inquisitionis Hispaniæ Qualificatori. Nostræ Prouinciæ Castellæ olim Ministro, & Ordinis Generali Diffinitori: Patri Fr. Petro de Valuas Lectori Iubilato eiusdem Supræmi Consilij Censori, & nostræ Prouiciæ Conceptionis actuali Diffinitori Patri Fr. Petro de Alba, & Astorga Lectori Iubilato, eiusdem Supræmi Consilij Qualificatori, & nostræ Prouinciæ duo decim Apostolorum de Lima Patri, & Patri Fr. Ioanni Gutierrez Lectori Iubilato, Sanctæ Inquisitionis Censori, & Nostri Conuentus S. Francisci Segouiensis Guardiano: Salutem in Domino sempiternam. Quoniam Reuerendissimus P. N. Fr. Ioannes à Neapoli totius Seraphicæ nostræ Religionis Generalis Minister, per litteras Romæ expeditas die 6. Ianuarij, anni præteriti 1647. Significauit omnibus his Prouincijs, & Reuerendissimo Patri Fr. Ioanni de Palma earum Commissario Generali prædecessori nostro, & Serenissimæ Principissæ Hispaniarum Mariæ Confessario; Romæ euulgatum esse (non authenticè) quodam decretum, Sanctæ Romanæ, & Generalis Inquisitionis: *Quòd titulus Immaculatæ non tribuatur Conceptioni Deiparæ, umtaxat Virgini.* Cum iam Conceptio ipsa in antiquissima, immemorabili, atque legitima sit possessione, eiusdem tituli, per Bullas Apostolicas, Pontificia Decreta, Concilia, Officia Diuina, & communem, imò fere vniuersalem plausum omnium fidelium; ob idque magni interesse, in his Prouincijs, & Hispaniæ Vniuersitatibus, pro huius tituli deffensione iuratis, instrumenta, & rationes legitimę possessionis eruere, & libellis pro asserto decreto editis apologeticè (debita tantę rei grauitate, & modestia) respondere. Pro cuius feliciori, & faciliori expeditione Reuerendissimus ipse, etiā Philippo IV. D. N. Hispaniarū Regi, Seraphicę Religionis pio Patrono, specialissimo, & pijssmo Mysterij Immaculatæ Conceptionis deffensori, rescripsit, Catholicus autem Rex statim hæreditaria Austriaca pietate, erga Immaculatā Conceptionem, Illustrissimo D. D. Ioanni Chumacero suo, Re-

galis

galis Castellæ Consilij Præsidi, & Rereuendissimo Patri Fr. Ioanni de Palma Nostræ Seraphicæ Familiæ Commissario Generali, præcepit, vt designarent aliquos ex eadem Familia, Scientia eruditione, & omni disciplina præditos viros, qui huic tanti ponderis operi incessanter incumberent, donec perficerent. Designati fuere V. R. P. quos in labore reperi; & cum (Deo optimo ita disponente) Reuerendissimi Generalis, & Commissarius Generalis è vita discessissent, & nobis incumbat, ab eis laudabiliter, & præcepto Regio incepta, ad finem vsque dirigere: ob id tenore præsentium rogamus, & ad meritum salutaris obedientiæ vestris Paternitatibus præcipimus, & ordinamus, vt eodem studio modestia, & grauitate, à nostris prædecessoribus commendata, deffensionem Immaculatæ Conceptionis inceptam prosequantur, vtpote quæ Illustrissimis Vniuersitatibus, Maiestati Regis Catholici, & Vniuersalis Ecclesiæ Pastoris, Beatitudini, possit offerri: & de laboris terminatione nobis constabit, vt oportunius consulatur cæteris quæ desunt ad maiorem honorem, & gloriam Dei, & Immaculatæ Conceptionis suę Sanctissimę Matris, & vt humiliter gratulemur Catholicæ Maiestati, qui ob hanc protectionem gloriam sibi pariat sempiternam. Dat. Matriti in nostro S. Francisci Conuentu die 1. Octobris 1648.

Frater Iosephus Maldonatus
Commissarius Generalis.

De mandato Reuerendissimi P. N. Commissari Generalis.

Frater Philippus de la Torre
Secretarius Generalis.

ARMAMENTARIVM SERAPHICVM, TITVLO IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS PROPVGNANDO, EVMQVE IN ANTIQVA, ET IVSTA POSSESSIONE MANVTENENDO DEFENSIVIS IVRIS, ET PIETATIS ARMIS INSTRVCTVM.



ARGVMENTVM OPERIS.

Opinionis B. Virginē à peccato originali eximētis progressus à tempore Scoti.

QVARTVM iam euoluitur seculū, ex quo Beatissimæ Virginis MARIÆ Matris Dei IMMACVLATA CONCEPTIO in Scholas Theologorum à Ioanne Dunsio Scoto Doctore Subtili, & primo piæ opinionis publico defensore inducta, & auidissimis animis excepta regnare cœpit, & magis in dies rationum momētis, doctrinæ grauitate, & splendore, auctoritate maiorum, incredibili fidelium plausu, ipsius denique fauentis numinis apertissimis signis subleuari. Vt primum enim ille Theologorum Princeps, nec minus vitæ sanctitate, quàm ingenij præstantia, & omnigena eruditione mirabilis, cælitus accepta luce veritatis orbem repleuit, & Beatissimæ Virginis præseruationem ab originali peccato cū eius perfectissima redemptione cōiungere docuit, qui nodus doctiorū assensum sustentare videbatur: pia opinio ex minus celebri, & recepta, cōmunis facta est, vt omnes fatentur, & aduersariæ iniusto imperio profligato, in eius locū legitima Regina iure postliminij successit. Celebriores Academię incūctanter sub tāto duce nomina dedère, & IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS militiæ certatim adscribi curarunt. Exædificatæ sacræ ædes VIRGINI SINE PECCATO CONCEPTÆ, erectæ aræ, dicatæ Religiosæ familię, dies solemnis in fastis Catholicę Ecclesię designatus lege in omne tēpus lata cum amplissimis priuilegijs. Subsequuta sunt varia Summorum Pontificum diplomata, alia alijs fauorabiliora, vsq; ad impositū publicè silentium repugnantibus: vt iam non vltra IMMACVLATA CONCEPTIO promoueri posset aliter, quā per expressam definitionem, & fidei decretum omnium verè piorum votis expetitum, & certissima spe ex tot Sedis Apostolicæ fauoribus orta animis conceptum.

Opinio pia definitioni proxima.

Cùm ergo Theologorum arma, bello egregiè confecto, victoria longè, lateque parta, abundantia pacis vbiquè dominānte, aliquādo conquiescerent; imò in vomeres, & falces cōflata iaciendis seminibus, & suauissimis fructibus vltimæ definitionis decerpendis, sedulò incūberent; iterum ad antiqua certamina reuocātur, & nouo quidē titulo, sed non noua causa redintegrato prælio, ad IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS propugnationem in apertum prodire cogūtur. Insurgunt viribus resumptis, & conatus toties irritos experturi piæ opinionis aduersarij, & aperto campo non audētes, ex insidijs securos adoriuntur, contēduntque, nec à fidelium cœtu colēdam, nec in officijs Ecclesiasticis, vt hactenus fuit, retinēdā IMMACVLATAM VIRGINIS CONCEPTIONEM; sed substituendam CONCEPTIONEM IMMACVLATÆ VIRGINIS quæ vna machina, nisi validissimè propulsetur, piæ opinionis arcē disijcere, ac solo æquare; aut certè cōcutere, & impellere moliuntur. Hęc ipsi, vel cōsultò cogitāt, vel affectu in transuersum abrepti etiam incogitan-

Aduersarij piæ opinionis certamen redintegrant.



Immaculata Conceptio ab impugnationibus gloriosior.

tantes tentare videntur. Sed diuinæ prouidentiæ arcana consilia nouos triumphos IMMACVLATÆ CONCEPTIONI præparare dubium non est: semper enim huius mysterij veneratio contradictionibus creuit, & palmæ adinstar, quo violentiùs opprimeretur, vehementiùs assurrexit, vt multi nobilibus exemplis testatum reliquère: & nominatim duo Illustrif. ex Prædicatorum familia Ambros. *Catharin. Opusc. de Immaculata Concept. Virg. Mar. lib. 1. cap. 2. & Vincent. Iustinian. tract. eiusdem tituli Hispanicè edito*, §. 8. *fol.* 11. Ita Virginis puritas *radicata in populo honorificato*, non solum ab altis, quibus innititur, radicibus; sed *duris vt illex tonsa bipennibus, ab ipso ducit opes, animumque ferro.*

Impugnatorũ Immaculatæ Cõceptionis inanes impetus.

Quæ verò sunt tandem oppugnatorum IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS molimina? quę fiducia? quod robur? quæ artes? quæ porrò spes aliquid eisdẽ artibus cõtra orbis cõsensum perficiẽdi? Nã ad ea, de quibus quis prorsus desperat, ne conatur quidem. Profectò difficile nõ esset, tam inanis confidentiæ fontes aperire, & velut in tabula describere; expediret maximè ad disputationis lucẽ, nec minus ad victoriam; fraudulẽta enim consilia ad originẽ reuocare, vincere est. Sed nullus in sanctissima causa cuiusquã offensioni, etiam merentis patebit locus, nihil priuato affectui, aut iusto quãuis dolori indulgebitur. Itaque initiũ sumimus à publicis actis, nec fluctuantem quærimus, sed religiosam sub testibus fidem.

Narratio facti.

Anno igitur superiori millesimo sexcentesimo quadragesimo septimo incunte, audiri primum in Hispania cœpit, titulum IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS è libris sacris expungendũ esse, idque de mandato sanctissimi D. N. Vrbani fœl. record. Papę VIII. quod sanctiss. D. N. Innocẽtius, diuina prouidẽtia Papa X. (qui nunc Petri Cathedrã tenet, teneatque fœlicissimos, & ipsis Petri dies bus proximos annos) vt ab illo relictũ fuerat, publicare destinasset. Cõmoti sunt ea fama piorũ animi, aut insignem aliquam fraudẽ, & subreptionẽ suspicati, aut grauissimum scandalum populo Christiano timentes, si IMMACVLATA CONCEPTIO adeò altè cordibus infixa; imò verò cordibus ipsis charior; manu Summi Patris familias, qui eam priùs seminauerat, quasi zizaniũ euelleretur. Hęc vltro, citroq; in priuatis, & publicis colloquijs, cùm agitarentur, allata sunt plura asserti Decreti exemplaria, nullibi solemni more publicata, nullis subscriptionibus, aut sigillis in modũ instrumenti fidẽ facientis munita, sed simplici, & auctoritate carenti scriptura, vt iam pro Petri oraculo, Petri vmbra, eaque incerta cõspiceretur. Sed honos sit apud veros fideles vmbræ Petri, quã Dominus adeò voluit esse salutarẽ, & quãuis integrũ nobis esset Decretum non authenticũ pro non Decreto ducere, ac reputare, illud verbo tenus exhibemus. Est autem huiusmodi.

ASSER-

ASSERTVM DECRETVM S. Romanæ, & Generalis Inquiſitionis ſuper titulo Immaculatæ Conceptionis.

Feria 4. *die* 10. *Ianuar.* 1644.

IN Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & vniuerſalis Inquiſitionis, habita in cõuẽtu Sanctæ MARIÆ ſuper Mineruã, coram Eminẽtiſsimis, & Reuerendiſsimis Dominis Cardinalibus contra hæreticam prauitatem Inquiſitoribus Generalibus, à Sancta Sede Apoſtolica deputatis: Eminẽtiſsimi, & Reuerẽdiſsimi DD. Cardinales Inquiſitionis Generalis prædictæ decreuerunt, quòd quando agitur de tribuendo titulo Immaculatæ Conceptioni Beatæ Virginis, nullo modo permittatur, ſed ſolum dicatur, Conceptio Immaculatæ Virginis, & ita obſeruari mandauerunt. Loco Sigilli. Ioannes Antonius Thomaſsinus Sanctæ Romanæ Inquiſitionis Notarius.

Piorũ pro Immaculata Conceptione zelus.

Hoc decreto per almam vrbem euulgato, non quidem legitimè, ac iuridicè, ſed eorum priuata induſtria, quorum intererat, aut cæptum negotium vrgere, aut illud, priuſquam mora roboraretur, opprimere, ingens conſuquuta eſt animorum perturbatio. Nec tamen, quod inexpertis, vel malè inſtitutis militibus euenire ſolet, ſubita incurſio pauorem iniecit; quin potiùs ordinibus ſeruatis, ſub vexillis apparuit MARIÆ militia terribilis, vt caſtrorum acies ordinata. Omnes Religioſorum cœtus cuiuſvis inſtituti, ac regulæ, quaſi benè inſtructæ legiones ad ſanguinem vſque pro communi cauſa decertare parati erant: nec immeritò, cùm nulla ſit Religio in Eccleſia Dei, quæ fortiſsimos bellatores pro IMMACVLATA CONCEPTIONE, imò peritiſsimos duces non ediderit, vt ex toto hoc noſtro opere abundè pateſcet. Ergo in procinctu omnibus, velut claſsicum expectantibus: R. P. F. Antonius Ribera, Ordinis Minorum, in Romana Curia Commiſſarius Generalis, conſiderans, Eminentiſ. Cardinaliũ auctoritatem obtendi, de eorum mente certior fieri in primis ſtuduit, vt ſi ea eſſet, quæ ferebatur, arma deponerentur, & fortitudini obedientia ſuccederet. Hinc nullis vigilijs, & laboribus parcens, obteſtationibus, precibus, libellis ſupplicibus intentus, ipſum Sanctiſ. D. N. Innoc. X. coram alloquitur, & ad ſacros pedes cauſam piam agens, id ex eius ore accepit oraculum, ſe nihil ad eam diem de huiuſmodi decreto reſciuiſſe. Tunc aduerſarij manifeſtè ſeſe prodentes, & pro actoribus declarantes; (quid enim decretum ex officio emanatum procuratoribus indigeret?) libellum & ipſi ſupplicem Eminentiſ. Cardinal. Congreg. S. Gener. Inquiſit. porrexerunt, quem integrum ſubijcimus.

Prior

Prior supplex libellus aduersariorum pro tuendo asserto Decreto, Congregationi S. & Generalis Romanæ Inquisitionis, vt apparet, oblatus.

Eminentissime, & Reuerendissime Domine.

1 AD agnoscendum, quàm prouidè S. Rom. & vniuersalis Inquisitio decreuit titulum IMMACVLATÆ non esse addendum CONCEPTIONI, sed Virgini; annotanda maximè est diuersa acceptio huius nominis CONCEPTIO ante Gregorium XV. & post illum. Licèt enim nomen CONCEPTIO in suo proprio significatu solùm importet formationem fœtus in vtero; ante Gregorium tamen apud multos idem valuit vsus huius nominis CONCEPTIO, quod CONCEPTIO IMMACVLATA: vnde Fratres Prædicatores ad fugiendam omnem æquiuocationem, & melius propriam sententiam explicandam, vtebantur voce sanctificationis, & cauebant à nomine CONCEPTIONIS, quasi idem importaret CONCEPTIO, & IMMACVLATA CONCEPTIO, & ideò contenderunt fautores IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS apud eundem Gregorium, vt præciperet omnibus, quòd in celebratione solemnitatis non alio, quàm CONCEPTIONIS nomine vterentur: quod Pontifex, vt cultus esset magis vniformis, concessit innuens, nomen CONCEPTIONIS esse de se indifferens ad vtranque sententiam: quod vt magis etiam insinuaret, declarauit expressis verbis, per hoc nullum præiudicium inferri alterutri parti; sed relinqui in eodem statu, ac terminis, quibus erat ante emanatum decretum, & ad hoc rursus curarunt ijdem apud Vrbanum VIII. vt declararet, festum celebrari non pro CONCEPTIONE quomodolibet accepta, sed pro CONCEPTIONE IMMACVLATA, quod constantissimè renuit Vrbanus asserens, quòd neque recedere à vestigijs prædecessorum debebat, qui vtrãque opinionem in sua probabilitate reliquerant, neque affirmare poterat, Gregorium opposita, & inter se repugnantia protulisse. Quod si declarasset, nomine CONCEPTIONIS, IMMACVLATAM CONCEPTIONEM intellexisse, declarasset Gregorium sibimet fuisse contrarium, dum ex vna parte asserit, se nullum præiudicium inferre velle opinantibus B. Virginem in peccato conceptam, & ex alia parte plusquam notabile præiudicium ipsis inferret, iubendo, quòd Ecclesia vniuersalis CONCEPTIONEM IMMACVLATAM celebraret.

2 Quis ergo non videat diuersitatem status in acceptione huius nominis, CONCEPTIO, ante Gregorium XV. & post illum? Hæc igitur diuersitas in causa fuit, quòd adeò attentè post Gregoriũ curatum sit, quòd nullo modo adderetur titulus Immaculatæ Conceptioni, sed Virgini, ita vt nec etiam recitatiuè hic titulus ipsi Conceptioni annecteretur; cùm enim satis compertum esset, aduersariorum intentum esse, populis persuadere, Ecclesiam præseruationem definisse, dum voluit, quòd omnes sub nomine Conceptionis celebrent; quasi apud Ecclesiam idem esset

esset Conceptio, & Immaculata Conceptio (iuxta prædictam vulgarem huius nominis acceptionem) ne populi in hunc errorem inciderent, prudentissimè cautum est, quòd sub Gregorij prædecessoribus non adeò cauendum erat; quia tunc licitum vnicuique erat vti quo volebat, nec aderat præceptum, vt in vniuersa Ecclesia sub vnico nomine Conceptionis, hoc festum celebraretur.

3 *Vnde non mirum, quòd aliqui Pontifices ab aduersarijs citati aliquando recitatiuè addiderint titulum Immaculatæ ipsi Conceptioni. Cæterum non ita Vrbanus VIII. Gregorij successor, vt videre licet in Bulla, quæ incipit,* Imperscrutabilis, &c. *qua erigitur Religio Militaris sub inuocatione Conceptionis Deiparæ, vbi nunquam titulus Immaculatæ adiungitur Conceptioni, sed Virgini, & hoc ex speciali mandato ipsius Vrbani VIII. Præterea, cùm ex officio Summus Pontifex prouidere debeat, ne aliqua doctrina, seu assertum aliquod reputetur vniuersalis Ecclesiæ sensus, si de eius veritate dubitari possit, & oppositum ab ipso Pontifice tanquam verum, & ab eadem vniuersali Ecclesia tenendum possit definiri. Cùm igitur opinio præseruationis Deiparæ à peccato originali dubia sit, & oppositum possit ab Ecclesia definiri, & nihilominus Romani Pontifices iustis de causis iudicauerint, silentium imponere defendentibus Conceptionem in peccato originali, ita vt nec etiam in priuatis colloquijs cum secularibus liceat ipsis de hac materia disserere, insensibiliter eò deueniret negotium, vt vniuersa Ecclesia præter Ordinem Prædicatorum haberet veritatem præseruationis, tanquam certam, & ab Ecclesia definitam: cogitur ergo ipsa Ecclesia vti huiusmodi cautelis ad sustinendum opinionem adeò in sacra Scriptura fundatam, & omnium antiquorum Patrum, & Doctorum consensu firmatam.*

4 *Concluditur ergo, quòd non valet argumentum ex permissione ab Ecclesia facta ante Gregorium XV. & post illum; quia stabilitur per Gregorianum decretum, quòd omnes nomine Conceptionis vtantur: curandum magis est, quàm antea, vt hoc nomen maneat in sua indifferentia, & non vsurpetur, vt antea pro Conceptione Immaculata; ne intelligatur Ecclesiam velle, quòd omnes sub Immaculatæ Conceptionis nomine celebrent.*

5 *Dicunt auctores oppositæ sententiæ iure cautum esse, ne in Ecclesiastico officio, seu Pontificijs Constitutionibus addatur terminus Immaculatæ, cùm adhuc Ecclesia non diffinierit controuersiam. Cæterum cùm eadem Ecclesia liberè permittat illis, quòd publicè, & priuatim possint de ea loqui, illamquè defendere, quod tamẽ prohibet alteri parti; cur non poterunt etiam illam typis mandare, & diuulgare, non quasi rem diffinitam, & certam, sed piam, & probabilem? &c.*

6 *Ad quod dicimus, in præsenti non controuerti de impressione opinionis; sed inhærendo decretis Pontificijs rescripsit sacrũ Tribunal Inquisitionis, ne permittatur addi Conceptioni terminum Immaculatæ, ne videlicet per adiunctum epithetum distrahatur sensus huius nominis, Conceptio, quod de se indifferens est, à proprio significatu; idquè præsertim in impressione, quæ præsefert approbationem Ministrorum sanctæ Sedis, Inquisitorum scilicet, seu Magistri sacri Palatij, quod non contingit in locutionibus priuatis, nec etiam publicis.*

 Vel



7 *Vel ergo reuocanda est Gregorij XV. Bulla, vel omnia post ipsum acta, & præfatæ Bullæ inhærentia decreta, prout est illud, de quo controuertitur, sunt omnino sustinenda, &c.*

Hactenus supplex libellus.

Aduersariorũ instans solicitudo.

VIdes, optime Lector, expositas aduersariorum copias, non tamen omnes, nec maiorem copiarum partem; velitatio hactenus fuit, non iustum prȩliũ. En ti bi alium libellum priori longiorem: nec enim quibus ferrum in igne erat, momento cessare æquum videbatur, & cùm semel IMMACVLATA CONCEPTIO displicet, vehementer displiceat, necesse est; cælestis quippè MARIÆ pulchritudo mediocriter afficere non potest; oculos habet, qui avolare faciant. Tu & hunc libellũ patienter perlege, si totam causam plenè cognoscere desideras, hoc tantum admonitus, nihil synceri, nihil ad simplicem veritatis normam ex talibus scriptis expectandũ: cautionem magnam adhibe: (nam pijs à fraude timere prudentia præscribit;) *periculosæ plenum opus aleæ tractas, & incedis per ignes suppositos cineri doloso.*

Posterior libellus supplex pro Decreto Eminentiss. Cardinalibus S. Inquisitionis exhibitus.

Eminentissimi, & Reuerendissimi Domini.

8 *DE titulo Immaculatæ tribuendo Beatissimæ Virgini, non autẽ Conceptioni decretũ extat sanctæ Romanæ Inquisitionis, cuius arcana consilia obsequi fideles debent, non scrutari; hoc tamen nonnullos parum considerasse porrectæ scripturæ, ac libelli supplices satis, superquè manifestant: & licèt ea sit Eminentissimorum Patrum sapientia, & huius supremi Senatus auctoritas, vt quæ vniuersali lege decernunt, nec impugnatorem admittant, nec indigeant propugnatore; aliqua tamen fratres Ordin. Prædic. in eiusdem decreti, & solidæ veritatis obsequium expendenda humiliter proponunt, vt subinde colligatur, quàm valida sint, quæ pro eodem decreto infringendo congesta fuere.*

9 *Recolendum primò, quòd in re, de qua agitur, plura pro temporum circunstantijs à Summis Pontificibus statuta fuerunt, vt à diffinitione abstinentes, & vtranque sententiam in gradu probabilitatis relinquentes, excitatas fidelium turbas prouidè componerent.*

10 *Ante decretum fel. record. Gregor. XV. de officio recitando sub nomine Conceptionis, retenta à Dominicanis voce sanctificationis, ex nominum distinctione inferebatur opinionum distinctio, ita vt Conceptio præseruationem apud eius vocis assertores importaret; sanctificatio verò alteram sententiam exprimeret: itaquè tunc idem erat apud illos dicere, Conceptio, ac Immaculata Conceptio, & Fratres Prædicatores à nomine Conceptionis, & Immaculatæ Conceptionis æquè abstinebant: vnde Sixtus IV. Pontifex, vbi damnat impugnantes recitatores officij Leonardi de Nogarolis, nihil de titulo ab auctore imposito solicitus fuit: inten-*

intentum enim Pontificis fuit, vt illa sententia non damnaretur, nec officium illud recitantes mortaliter peccare putarentur; cui deinde cætera Summorum Pontificum decreta, ad vtriusque sententiæ probabilitatem seruandam peculiariter directa adhæserunt: sed cùm adhuc contentiones exardescerent, affirmatiuè opinantibus à Paulo V. silentium indictum est.

11 *Demum (quod Spiritus Sancti assistentiam Summo Pontifici in Ecclesiæ regimine mirè demonstrat) dum aduersarij sub Gregorio XV. summo conatu partis affirmantis præiudicium exquirunt, decretum prodijt vtramque sententiam in sua probabilitate confirmans, cuius vigore fratres Prædicatores nomine Conceptionis, sanctificationem intelligunt, aduersarij præseruationem.*

12 *Hoc igitur decreto syncerè, & vt iacet, inspecto, quo directè omnibus iniungitur, vt in officio non alio, quàm Conceptionis vtantur nomine; falluntur, qui putant, Dominicanos tantùm ligari, vt à nomine sanctificationis abstineant. Decretum vniuersalis Ecclesiæ Pastoris est, omnes instruit, omnibus præcipit, & voces omnes præter Conceptionem excludit.*

13 *En ergo temporum distinctio necessariò attendẽda; siquidẽ aliquando idẽ erat dicere apud plures, Conceptio, & Immaculata Conceptio, & post Gregorium non idem sonat; ac proinde, quæ de Sixto IV. alijsquè Pontificibus ante Gregorium XV. afferuntur, quoad titulũ Immaculatæ Conceptionis anachronismi fallaciam continent.*

14 *Ex quo patet, quòd præcipuum aduersariorum argumentum desumptum à concessione officij Nogarolis, facta à Sixto IV. tantùm abest, quòd vrgeat post Gregorium XV. quòd imò hisce temporibus officium illud videtur non esse ampliùs recitandum, quia expressè alio vtitur, quàm Conceptionis nomine, hoc est, præseruationis, & Immaculatæ Conceptionis: cùm enim actus priores corrigantur per posteriores, Gregorij XV. decreto abrogata huiusmodi concessio videtur, & per consequens pœna aliàs pro temporis exigentia vsum dicti officij improbantibus imposita. Sit argumentum rem ita euincens.*

15 *Nomen Conceptionis, quo ex decreto Gregorij vti debemus, compatitur in vtente sententia negante Immaculatam; ergo non est nomen, cui apponendum sit adiectiuum Immaculatæ; ergo si dixerim Conceptio Immaculata, vtor alio nomine, quàm Conceptionis; ergo si recitem officium Nogarolis, decretum Gregorianum frango.*

16 *Nec valet, quod dicitur, alios Summos Pontifices post Sixtum IV. atque etiam sacrum Concilium Tridentinum Sixti IV. constitutiones confirmasse; scopus enim confirmationis est, vt neutra opinio censuræ subdatur, non autem vt officium Nogarolis confirmetur; & quod præcipuè attendendum est, implicat confirmationem Gregorij cadere sub his, de quibus ipse aliter expressè disponit.*

17 *Semper Tridentinum Concilium nihil aliud intendit, quàm vtramque partem controuersiæ indefinitam relinquere, & contentionum occasiones resecare sub pœnis à Sixto IV. taxatis; non autem approbare voluit officium Nogarolis.*

18 *Hoc patet euidenter; nam san. mem. Pius V. dum officium Nogarolis in refor-*

reform. Breuiarij in officium Natiuitatis commutauit, profitetur expressè in constitutione; Quod à nobis, &c. se Concil. Tridentino inhærere; itaquè recessisset potius à Concil in huiusmodi reformatione, si Concilium præfatum officium confirmare voluisset.

19 Additur, quòd expuncto à Romano Breuiario officio prædicto gratis euulgatum est, idem officium à Pio V. viuæ vocis oraculo Fratribus Minoribus fuisse concessum; nunquam enim huiusmodi oraculi legitimum protulerunt, aut proferre possunt documentum; imò ex oraculi propriorum officiorum illius Ordinis inspectione euidenter concluditur, concessionem Pij V. non includere Nogarolis officium, sed aliquot annis à morte Pij V. transactis prodijt priuata quædam impressio dicti officij oraculo prædicto insignita. Ex quo colligi potest, quàm facilè pietatis prætextus imposturas pariat. Nec enim à defuncto Pontifice oraculum prodire poterat, qui dum viueret, noluit officium illud tanquam ex Apostolicæ Sedis auctoritate recitari.

20 Reliquæ verò assertæ Summorum Pontificum concessiones, cùm oraculum Pij V. supponant, iuxta petentium suppositionem huius defectus obreptionis vitio laborare videntur, quæ quanti ponderis sint, Eminentiæ vestræ dignentur expendere: hoc vnum, quod ad rem attinet, religiosissimè obseruandum videtur, ne expressè ab Apostolica Sede officium Immaculatæ Conceptionis approbetur, eiusquè titulus excudendus concedatur; nisi & Gregoriano decreto, & alteri controuersiæ parti præiudicium illatum velint.

21 Sub initium Pontificatus recol. mem. Vrbani VIII. id validissimè conquisitum fuit magnorum Principum coaceruatis instantijs, vt & festum, & officium Immaculatæ Conceptionis concederetur; quæcumque tunc de Sixto IV. alijsque allata sunt, nunc ipsissimis pœnè verbis refricantur; vt facilè inferri possit petitionis variari prætextum, non sensum. Post adhibitas consultationes summa decreti fuit, nihil agendum in alterius sententiæ præiudicium, & ideò nihil omnino fuit concessum.

22 Annotanda secundò est insignis, quæ fit æquiuocatio, quod enim aliquando fidelium pietati, quoad officium Immaculatæ Conceptionis permissum est; imò concessum (nec enim Conceptionis vocabulum reformidamus pro ijs temporibus, quibus etiam officium sanctificationis à Summis Pontificibus, & signanter à Iulio Tertio concessum, & approbatum fuit) pro sensu Ecclesiæ Catholicæ firmatur, Ecclesiæ consuetudinis titulo confidentissimè decoratur, & quàm strictè, & rigorosè sumatur ab ipsis, patet, dum Sanctorum Patrum auctoritati disertè præfertur, quæ, si attentiùs inspiciantur, ita rem describunt, vt Immaculatam Virginis Conceptionem iam Ecclesiæ auctoritate definitam supponant.

Epist. ad Lugd. de virgin. virginit. Virgin. 3. par. q. 27. art. 1

23 Sed Ecclesiæ sanctæ fixa est, & perpetua consuetudo colendi non nisi certam, & indubitatam sanctitatem; quod pro comperto habent sanctus Bernardus, sanctus Ildephonsus, & sanctus Thom. qui hac vnica ratione Natiuitatem Virginis sanctam fuisse tradunt, quia Ecclesia ab antiquo eam celebrat; nunquam ergo dici potest ex Ecclesiæ sensu celebrari Conceptionem in primo instanti Imma-

macu-

maculatam; hoc enim adhuc est indefinitum: atque ideò dubitationi subiectum: qui aliter dixerint, videant, quomodo hæreticorum os obstruere valeant, qui aduersus infallibile Ecclesiæ iudicium calumnias ingeminant.

24 *Rectè Bellarminus Chemnitio respondens argumenti, nos celebrare, quod nescimus, dum fatemur controuersiam de Conceptione adhuc indecisam; obiectum, ait, primarium cultus in hac celebritate esse primam gratiam Virgini collatam abstrahendo à tempore, vel instanti, quo collata fuerit: quod hausit ex Diuo Thoma docente celebrari officium Conceptionis in ratione sanctificationis eius factæ in vtero matris; quia enim incertum est, quo die, quo vè temporis momento eius sanctificatio facta sit, rectè Ecclesia memoriam eius agit die anniuersario Conceptionis; non instituuntur ab Ecclesia festiuitates iuxta has, vel illas, quæ falli possunt, opiniones. Sanctitas ergo dubia, & in opinione posita non proponitur colenda; primò enim, & per se respicitur obiectum cultus; secundariò verò populorum pietas.* Tomo 2. lib. 3 cap. 16. de cultu sanctorum. 3. p. q. 27. art. 2. ad 3.

25 *Quare necessariò dicendū est, sanctitatem Cōceptionis B. Virginis, quæ colitur in Ecclesia Catholica, & iuxta sensum Ecclesiæ Catholicæ, non esse illam, quam aliqui in primo instanti ponunt, nec illam, quæ ab alijs ponitur in secundo instanti; quia vtrumque dubium, & opinabile est, & à parte rei aliter se habere potest, sed est illa sanctitas pro instanti illo, quo verè fuit sancta.*

26 *Ex his corruit argumentum à verbis responsorij desumptum,* quicunque celebrant tuam sanctam Conceptionem, *facta vi, quòd idē sit sanctum, & Immaculatum, vt inferatur, Ecclesiam celebrare Conceptionem Immaculatam, quia celebrat eam sanctā. Vox sancta in sensu ab Ecclesia intento, tam primum, quàm secundum instans complectitur, siue vt abstrahit à primo, vel à secūdo, & cùm sit terminus positiuus, sufficit vt in altero instāti verificetur; vox autem Immaculata exprimit sanctitatem per negatiua, hoc est per negationem cuiuscūque maculæ; ideò videtur excludere maculam pro quocunque instanti, & per consequens minus aptè, & minus propriè ad vtrumque instans referri potest.*

27 *Sed etiā si idem esset sanctum, & Immaculatū, non sequitur per hoc instans Conceptio dicitur sancta; ergo dici potest Immaculata; ratio est, quia vox sancta neutri opinioni est alligata, & verè conueuit Conceptioni Virginis pro eo instanti, quo fuit sancta. Vox autem Immaculata est alterius opinionis protestatiua; quod probatur ad satietatem ex ipsa aduersariorum scriptura, & ex eorum supplici libello, vbi clarissimè per Immaculatam Conceptionem sententiam, quam ipsi tuentur, intelligunt, & cuius definitionem hisce artibus saltem indirectè extorquere contendunt; itaquè vox Immaculata, cuius vsum petunt, non se habet indifferenter ad vtrūque instans; sicut vox sancta: ideò ante controuersiæ definitionem ab illa voce abstinendum, vel certè non est positiua Ecclesiæ probatione promenda.*

28 *Indulgentiarum concessiones obijciunt, non secus, ac si illæ controuersiam dirimerent; argumentum decātatum, cui occurrit Gullielmus Estius Doctor Duacensis, dicens indulgentias non esse concessas opinioni, sed pietati.*

29 *Nouimus equidem in huiusmodi concessionibus titulos Ecclesiarum,*

confraternitatum,&c. supponi,non diligenter exquiri, siquis colligeret, & in argumentum redigeret indulgentias obtentas titulo epistolæ à Messanēsibus B.Virginis MARIÆ assumptæ,iam non esset inter Apocrypha reijcienda, si hæc auctoritas vrgeret.

30 *Imò,quod propiùs ad rem nostrā accedit,dum actu aduersus titulū stellarij Immaculatæ Conceptionis Apostolica Sedes dignis de causis insurgit,confraternitates delet,& publicum eius exercitium pœnaliter prohibet, innumeræ extorquentur indulgentiæ,ergo stellarij confraternitates auctoritate Ecclesiæ firmantur simul,& abrogantur? hæc magis vrgent,vbi de expressè vetitis agitur.In controuersia de Conceptione,Ecclesia Mater piam fouet intentionem vtriusque partis opinantium sine præiudicio veritatis,& non intellectuum assensus, sed voluntatis pios motus spiritualibus fauoribus prosequitur.*

31 *Subditur approbatio voti quarundam Monialium sub titulo Immaculatæ Conceptionis; sed idem respondemus, approbationem scilicet ad vouentium pietatem referri, non ad titulum, quem Pontificum diplomata continent recitatiuè tantum, non verò dispositiuè; nec inconuenit approbari Religionem particularem, quæ erga piam,& probabilem opinionem deuotionem gerat; non enim aliquod falsum approbatur,dum pius modus viuendi,non modus opinandi, comprobatur.*

32 *Magna vis fit in eo,quòd Summi Pontifices quomodocumque aliorum, vel pietati, vel opinioni obsecundantes, titulo Immaculatæ Conceptionis in suis Bullis admiserunt,quamuis recitatiuè; non tamen illi definitiuè adhærendo; quare ergo titulum eundem non admittet Summus Pontifex Innocentius X. nihil tamen definiendo,& ita opinantium pietatem tantummodo piè fouendo? quæ totius obiectionis summa videtur.*

33 *Sed & nos interrogando obiectiones soluemus.Antiquiora repetentes nouem enumeramus Romanos Pontifices, qui nec recitatiuè, nec dubitanter, sed assertiuè,& clarè docent, Beatissimam Virginem in originali peccato fuisse conceptam. Damus pro nunc Innocentij Secundi verba: Eua siquidem sine culpa producta, sed filios produxit in culpa: Virgo autem gloriosa, fuit quidem in culpa producta, sed Filium sine culpa produxit. Innocentij III. Spiritus Sanctus prius in Virgine venerat,quando in vtero matris animam eius ab originali peccato mundauit. Innocentij V. Beata Virgo fuit in vtero matris sanctificata,non ante animationem; quia tunc gratiæ capax non erat, nec etiam in ipsa animatione, quia tunc originale peccatum non contraxisset,& sic non eguisset vniuersali Christi redemptione,quod non est dicendum; sed piè considerandum est, quòd citò post animationem,vel ipsa die, vel hora, non tamen ipso momento à peccato fuit per gratiam mundata,& sanctificata; aliter fuisset æqualis puritatis cum Christo, hoc non est dicendum.*

34 *Quare ergo sanctissimus D.N. Innocentius X. Innocentios prædecessores (quomodocumque locuti fuerint) laudabiliter non sequetur? Quidquid pro responso afferatur, & nostram,& ipsorum obiectionem soluet. Status quæstionis,temporum*

porum diſcretio, contentio inter fideles, poſteriora Pontificum decreta attendenda ſunt. Hæc loquendi formulas prudenter, ac prouidè moderantur, atquè præſcribunt.

35 *Habemus euidens experimentum nullatenus prætereundum. Erigitur à fœl. record Vrbano VIII. Religio militaris ſub inuocatione Conceptionis Deiparæ inſtantibus Ducibus Mantuæ, & Niuernienſ. quoties titulus exprimitur in Bulla incipien.* Imperſcrutab*, diligentiſsimè cauetur, vt verbum Immaculatæ iungatur Virgini, non autem Conceptioni, & cùm in aliqua impreſsione domi tunc facta titulus Immaculatæ Conceptionis, vel per errorem, vel fraudem irrepſiſſet, ſedulò mandante Papa, emendatus fuit, & recollecta, vt probè intelligamus, Vrbanum noluiſſe in præſenti ſtatu quæſtionis vti Immaculatæ Conceptionis titulo, non tantùm diſpoſitiuè, ſed nec etiam recitatiuè, nec prædictorum Ducum pietatem referendo; cùm tamen Iulij II. Leonis X. Sixti IV. non ignoraſſet exempla.*

36 *Hinc patet decretum, imò decreta à Sac. Cong. ſub eodem Summo Pontifice Vrbano VIII. emanata circa titulum hunc, non eſſe aliquorum priuatum inuentum, quod nonnulli auſi ſunt ſuſpicari; ſed ipſius Summi Pontificis rem Apoſtolico zelo expendentis mandatum.*

37 *Recentiora ergo ex vtraque parte ſequenda ſunt; nam ſi vetuſta reueluantur, plura multò pro Fratrum Prædicatorum hoc eſt S. Thomæ ſententia, quàm pro oppoſita extabunt, quæ modo reticentur, cum de principali quæſtione non agatur; nec nos ad apocryphas Apoſtolorum definitiones, ad confictas reuelationes, ad ſomniata miracula, ad Bullas adulteratas recurrimus.*

38 *Baſileenſem Conuentum in hac parte meritò reſpuimus, nec decet Romanam Sedem accipere formulam ab acephalis, qui illud ipſum decretum in odium defenſorum Rom. Eccleſiæ tulerunt, vt proteſtatur Cardinalis Turrecremata in ſumma de veritate Conceptionis ad calcem.*

39 *Cum Patribus Græcis ſentimus omnino Immaculatam Conceptionē Virginis, ſed iuxta relatum Menologium editū à Genebrardo; quòd ſi videatur, æquiuocationem oſtendit; Conceptio Virginis ponitur 25. die Martij; nono verò Decembris ponitur Conceptio B. Annæ. Conceptionem ergo actiuam, qua Chriſtum virgo concepit, quis neget Immaculatam? Sed vbi agitur de Conceptione paſsiua, qua in vtero ſanctæ Annæ virgo fuit concepta, Menologij auctoritas, vel inutilis eſt, vel deprauata.*

40 *Imperiti concionatores diſcant hæc populis licenter obtrudere, ſed frequenter in ſancto officio temeritatis pœnas iuent; de viris doctis iudicium ferant alij, non ideò eorum conciones approbantur, quia non expreſsè damnantur.*

41 *Vniuerſitatum, Doctorum, aliorumquè opinantium obijcitur multitudo, ſed vota ponderanda ſunt, non numeranda, nec populorum conſenſus diffinitiones fidei facit, vel cogere poteſt, vt fiant. Ariana hæreſis ferè in omnes inualuit, & teſte ſancto Hieronymo, ingemiſcens totus orbis Arianum ſe eſſe miratus eſt. Sub Pontifice B. Stephano tota ferè Eccleſia, duobus tantùm, vel tribus* *Baron. ad an. 359. n. 42. & 49.*

Epiſ-

Episcopis resistentibus, in anabaptismum abijt; quia tamen non adfuit Summi Pontificis consensus, in quo infallibilitatis priuilegium residet, Ecclesia non errauit; nihilominus mirum est, quò in huius quæstionis ardorem ducti fuerint Patres Salazar, & Valentia aliàs expendendi, vna cum ijs, quæ de maiore, vel minore opinionum probabilitate tanguntur; præsentis enim inspectionis non sunt.

42 *Agitur præcisè de titulo Immaculatæ, non Conceptioni, sed Virgini annectendo, ex decreto Sac. Congregationis ad mentem Gregorij XV. & Vrbani VIII. quod tamen hoc argumento adhuc impugnatur; si licet scribere, & typis mandare propositionem hanc,* Beata Virgo fuit immunis à culpa originali, *quare non licet scribere hæc verba,* Conceptio Immaculata? *Vel sensus est idem, vel non; assignetur ergo, in quo differunt; sin minus, decretum reuocetur.*

43 *Sed respondemus hæc duo differre in modo significandi. Propositio enim, quæ affirmat, vel negat, indicat sensum, vel opinionem priuatam proferentis; terminus verò complexus, præsertim verò epithetum, seu attributum, importat Principis, vel Vniuersitatis approbatiuum consensum; vt cum dicimus Magnus dux, aliud concipitur, quàm si dicatur hic dux est magnus, vel Suarez est magnus Doctor, aliud sonat vox, magnus, quàm vbi dicitur Albertus Magnus; enuntiatio indicat sensum enuntiantis; simplex prolatio illius termini, magnus, indicat communem, & approbatum consensum: habet ratione modi significandi energiam quandam, & est antonomaticè dictum. Ita si liberè scribatur Conceptio Immaculata, facilè censeri potest ex communi, imò ex Ecclesiastico consensu statui veritatem illius partis controuersiæ; quod ante definitionem omnino fugiendum est; hoc autem in propositione non contingit, vt dictum est; quia refertur ad priuatam scribentis sententiam; ideò rationabiliter vnum admittitur, & aliud prohibetur.*

44 *Discrimen hoc ratione suadetur; nam termini sunt principia sermonum; in principijs autem omnes conueniunt, quæ ergo proferuntur per modum termini, videntur omnem controuersiam excludere. Itaque absolutè Conceptio Immaculata vniuersalem acceptionem significaret, vel supponeret Conceptionis in primo instanti Immaculatæ; ita autem omnes sentire nedum falsum est, sed ex singulis Pontificum decretis liberum aliter opinari.*

45 *Imò dato, & non concesso, quòd non differant propositio, & titulus quoad sensum; adhuc tamen locus est illam permittendi, hunc verò prohibendi: quod euidenter probamus: differunt idiomate tantùm, non sensu hæ duæ propositiones:* Beata Virgo non contraxit maculam originalem: La B. Virgine non ha contratta la macchia originale; *ex decreto tamen Pij V. prima propositio scribi potest, non autem secunda. Verba Pij sunt hæc:* Nemo de hac ipsa quæstione cuiusvis pietatis, aut necessitatis prætextu, vulgari sermone scribere, vel dictare præsumat. *Sola ergo idiomatis differentia sufficit, vt Pontifex ex duabus idem omnino sonantibus propositionibus alteram permittat, alteram vetet ad vitandas rudium, & simplicium contentiones: ita ad eundem finem permittuntur quidem impressiones propositionis negatiuæ, sed titulus*

tulus

tulus Immaculatæ Conceptionis prohibetur; nam licet esset idem vtriusque sensus, alia tamen est ratio tituli, quem & rudes omnes intelligunt, præsertim in librorum titulis oculis omnium peruijs, qui facilè ex eorum approbatione, & impressione controuersiam decisam putabunt, & verè deciperentur.

46 *Animaduertendum etiam obiter, quòd quæ imprimuntur, requirunt superiorum approbationem; itaquè res impressa non nihil ponderis, & auctoritatis ex imprimendi facultate sibi comparat, præsertim in Vrbe, vbi Magister sacri Palatij est immediatus minister Summi Pontificis; extra Vrbem Inquisitores sunt Apostolicæ Sedis delegati. Quæ ergo imprimenda concedunt, non definiunt quidem de fide, sed ita roborant, vt ex Apostolicæ Sedis auctoritate publici iuris facta censeantur, nec ignari tantùm, sed etiam viri docti in hac materia paulò feruentiores, quid argumenti non sumerent ex Romana impressione, si ex his quæ concionatores in sacello Pontificio loquuntur, sibi ipsis non leuiter blandiuntur?*

47 *Si in hac materia decretum sacræ Congregationis ad magni Principis instantiam reuocetur, vel infirmetur; obedientia, quam in reliquis consimilibus decretis exigit eadem sacra Congregatio, fortassè minuetur; hoc enim exemplo improbus quisque de eorum firmitate, vel reuocabilitate poterit dubitare.*

48 *Etsi titulus vniuersaliter interdictus postmodum in iudicio contradictorio concederetur, iam tubis inflatis victoriam principalem canerent ij, qui vel inuito Summo Ecclesiæ Præside victores esse contendunt.*

49 *Demum hoc humillimè subijcimus, in re tam graui sola dubitatio sufficere potest, vt nihil vlteriùs innouetur; maximè cùm nihil præter decisionem agendum supersit.*

Hactenus posterior aduersariorum libellus.

RATIO TRACTANDI, & scopus totius disputationis.

Immaculatæ Conceptionis titulus callidè impugnatus.

IAM tandem contra piam opinionem conatus omnes patefacti, vires continenti impetu effusæ, astus etiam, & callidiora consilia magna ex parte nudata, & oculis exhibita cernuntur. Sic enim titulus IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS oppugnatur, vt aliud aduersarij agere videantur, aliud agant, & veteres contentiones, quibus pia Mater Ecclesia silentium indixit, magna vi denuo suscitare, & in scholas reducere nitantur. Quin etiam ipsam piam opinionem scommatibus, & aculeatis sententijs apertissimè perstringunt, & exagitant.

Modestè, & sine fuco defendendus.

NOS verò, qui bella Dominę præliamur, & Ecclesia præeunte ad certamen descendimus, quod pios propugnatores decet, tantum præstamus; *siquis autem videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, nec Ecclesia Dei*: & Apostolicæ admonitionis memores, *Si inuicem mordetis, & comeditis, videte, ne ab inuicem consumamini*: modestia, & veritate vincere studemus. Itaquè quæcunquè extra rem dicuntur ab aduersarijs, siue ad priuatos errores pertineant, quibus nihil cum opinione pia commune est, siue ad meras calumnias, aut silentio contemnere, aut obiter quatenus ad iustam defensionem opus fuerit indicare, satis ducemus.

Galat. 5. *1. Cor. 11.*

Quid propriè ad susceptā defensionem non spectet.

EST insuper præ oculis habendum non suscipi à nobis ex instituto enodationem difficultatum circa gratias à Sede Apostolica piæ opinioni concessas emergentium, quomodo scilicet consistere possint, opposita sentētia in eodem statu, & terminis manente; quod genus propriè ad titulum IMMAC. CON-

CEPT. non spectat, sed illi cum festi institutione, indulgentiarum largitione, & alijs gratijs commune est: immiscetur autem ab aduersarijs, vt multum caliginis tribunalibus offundatur, cùm potiùs prophetica vox attendenda esset, *Nisi credideritis, non intelligetis.* Hoc solum planum facere conabimur, IMMACVLATÆ titulū additum CONCEPTIONI originem ducere ab Ecclesiæ auctoritate, in eius vsu, sicut in multis alijs, piam opinionem pio fauore, & benigno affectu prosequentis.

Isai. 7. iuxta 70.

VERVS igitur, & vnicus disputationis nostræ scopus est, *Titulum IMMACVLATÆ tribuendum CONCEPTIONI Beatissimæ Virginis MARIÆ in officijs Ecclesiasticis, & vbiquè, eo quòd in legitima, ac iustissima possessione sit ex Doctorum, & Academiarum consensu, Pontificijs diplomatibus, Missalibus, & Breuiarijs approbatis, cæterisquè instrumentis, scriptis, & actionibus iuridicis: in qua possessione, vt quod optimo iure, manu teneri debet, & conseruari:* omnes autem huius iustæ possessionis titulos in articulis adducemus, & adamussim examinabimus. Ad hanc æquitatis, & pietatis plenam defensionē accingimur, & pijs omnibus ad bella doctis arma ministramus, adita priùs Vrbe fortitudinis nostrę, *in qua, narrante Domino,* & militię maternæ *adscribente, populi, & populorum principes,* aut strenuè pręliantur, aut *sicut lætantium omnium* chori triumphum agētes pacificè *habitant.*

Scopus disputationi præfigitur.

Psal. 86.

AD BEATISS. VIRG. MARIAM sine peccato originali conceptam DEPRECATIO.

SVB tuam, ò VIRGO prudentissima, ac fortissima, tutelam, & præsidium confugimus imbecillitatis nostræ cōscij, & in cassum, nisi à te confortemur, laboraturi. IMMACVLATAM CONCEPTIONEM tuā elucidantibus semper ades, eos vitæ æternæ candidatos pronuntias, tantaquè spe alacres reddis, & inuictos. Ducem illum nostrum Ioannem Scotum Doctorem tuo beneficio subtilem, seruum verò tibi addictissimum, & summopere gratiosum, tuæ puritatis vindicem, vsque ad capitis (quæ tua est dignatio!) inclinationem honorasti. Plusquā satis omnes in vno illo honoris accepimus, & de tuo inuicem soliciti id ardentibus desiderijs exposcimus, vt *tuum iuuamen sentiant, quicunque tuam SANCTAM CONCEPTIONEM* propugnant. *Cessauerunt olim fortes Israel, & quieuerunt, donec surgeret Debora, surgeret mater in Israel. Exurge,* ergo, Domina, Mater Dei, & nostra, *iudica causam tuam:* decertantibus robur, scribentibus sapientiam, pijs constantiam, seruis tuis veritatis amorem affluenter tribue, vt sicut beata ab omnibus generationibus diceris, ita cunctorum ore fidelium, quàm latè Christiana patet Ecclesia, CONCEPTIO tua IMMACVLATA prædicetur.

B. Virgo in sui ipsius defensionem imploratur.

Prou. 8.

Iudic. 5.

Psal. 73.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid per Immaculatam Conceptionem B. Virginis MARIÆ intelligi debeat ex mēte omnium Doctorū, ab initio exortæ, & agitatæ in scholis controuersiæ de eiusdem B. Virginis à peccato originali præseruatione?

Possessionis tituli Immaculatæ ab antiquissimis temporibus repetitio, vt non necessaria, omittitur.

1 VT tota nostra disputatio firmis principijs, tanquam fundamentis iactis nitatur, & tituli, quem defendimus, significatione intellecta, apertissima methodo procedat: accuratè examinandum, & stabiliēdum est, quid his vocibus, IMMACVLATA CONCEPTIO, Doctores omnes, cuicunque scholæ, aut opinioni nomen dederint, semper intellexerint, & ab alijs intelligi voluerint.

Significatio Immaculatæ Cōceptionis primū stabilienda.

2 QVIA verò non quodcunque ius, nec quācunque possessionem titulo IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS vendicare profitemur; sed illius iuris, & possessionis manutenentiā, in quibus à legitimo iudice, lite quasi cōtestata, &

& vtraque parte audita, collocatus fuit: non recurremus ad immemoriales præscriptiones; tametsi sciamus à doctissimis viris immunitatē B. Virginis à peccato originali haberi pro traditione Apostolica, imò & Ecclesiæ veteris testamēti. Sic *P. Ojeda Soc. Iesu lib. Hispanicè edito*, cui titulus est, *Informatio Ecclesiastica pro Immac. Concept. P. Salazarus eiusdem Soc. suæ defensionis cap. 35. & 42.* Item *P. Granad. tract. de Concept. à cap. 18. P. Ægid. de Præsentat. Augustinian. lib. 3. de Concept. q. 4. art. 3. n. 8. Francisc. Bivar. in Historijs mirabilibus, &c. in vita D. Beatricis de Silua, 2. p. §. 12. fol. 59. Hieronym. Aznar lib. conceptuum in honorem purissimæ Conceptionis cap. 21. fol. 109. Franciscus de Torres cap. 11. fol. 45. Miranda in tract. Lat. q. 20. fol. 550.* & nouissimè *Ioannes Tamayus Salazarus Illustriss. Inq. Gen. Secretarius, ad vitam S. Epitatij*, vbi ab ipso momēto, quo B. Virgo cōcepta fuit, per singulos annos testimonia pro eius Immaculata Conceptione, & festi antiquitate, ordine recēset, à *pag. 230.* Nos de huiusmodi traditione nihil in præsenti statuētes, ad ea solū tempora prouocamus, quibus publicè, & solemniter disputata est in scholis hæc quæstio: *Vtrū B. Virgo peccatū originale contraxit?* Alijs Doctoribus affirmatiuā partem, alijs negatiuam, quæ Piæ opinionis nomen obtinuit, sequentibus: cuius disputationis semina ætate *D. Bernardi, & Magistri sententiarum* iacta vidētur, idest, circa annum Domini millesimum centesimum quadragesimumquintum; nata autem, & propagata sæculo sequenti.

Tempus exortæ cōtrouersiæ de Immaculata Cōceptione.

3 AD HÆC, non omnium auctorū, qui quomodolibet de hac controuersia egerunt, ratio habenda est; sed eorum tātùm, qui Catholicè, & doctè, absque vlla erroris nota, in ea versati alterutri parti contradictionis adhæserunt. Nam qui B. Virginis Conceptionē ideò dicebant sanctā, quia in Virgine ante animationem verā aliquā sanctitatē reperiri posse existimabant, procul repellendi: eorūque error in *epist. ad Canonic. Lugdun. D. Bernardo* adscripta, quæ est inter eius epistolas ordine 174. dissertè his verbis impugnatur. *Vnde ergo Conceptionis sanctitas? An dicitur sanctificatione præuenta, quatenus iam sancta conciperetur, ac per hoc sanctius fuerit, & conceptus? Sed non valuit ante sancta esse, quàm esset.* Quod si corpori Beatiss. Virginis ante animæ infusionem aliqua tribuatur puritas, vel munditiès, & liberatio à contagione peccati, alio omnino sensu, quàm error prædictus adstruebat; ne hoc quidem ad rem nostram pertinet, aut illa puritas, quæcumque sit, nomine Immaculatæ Conceptionis exprimitur. Quamuis enim fateamur Conceptionis vocem pro formatione fœtus in vtero ante animæ infusionem non infrequenter accipi; apud Doctores tamen de Cōceptione Virginis disputantes præcipua, & fere vnica dissensio erat de primo instanti, seu momento animationis, in quo absolutè verificatur, B. Virginem habere esse: id quod infra ex eorum verbis luce clarius patebit.

Quæ puritas ad significationē Immaculatæ Conceptionis non pertineat.

4 EST ergo *Conclusio* huius articuli: *Nomine Immaculatæ Conceptionis ex mente omnium Doctorum ab initio exortæ in scholis controuersiæ intelligi debere carentiam maculæ peccati originalis in B. Virgine, in illo primo instanti, quo eius anima corpori vnita fuit, & verè affirmari potuit, concepta est MARIA:* ita vt hæ omnes propositiones sint æquiualentes, & eandem prorsus vim habeant: *Conceptio B. Virginis est Immaculata: B. Virgo in primo instanti suæ animationis fuit munda, & immunis ab originali peccato: B. Virgo præueniente, & operante diuina gratia, nunquam actualiter subiacuit peccato originali: B. Virgo peccatum originale non cōtraxit: B. Virgo in primo instanti sui esse habuit gratiam iustificantem: B. Virgo in primo instanti Conceptionis fuit sanctificata: Conceptio B. Virginis fuit pura, sancta, incontaminata, sine peccato originali: B. Virgo à peccato originali fuit præseruata:* Et plures aliæ, quæ indiscriminatim à Doctoribus, verbis tātùm variatis, re eadem permanente, ad explicationem piæ opinionis adhibebantur, adeò, vt qui quamlibet illarum proferret, ita apertè, & simpliciter IMMACVLATAM CONCEPTIONEM enuntiaret, ac si prædictis omnibus propositionibus, & loquendi modis simul vteretur: vt benè vidit *Gabriel*, qui hac controuersia maximè vigēte, scil. tem-

Conclusio. Immaculata Conceptio ex consensu Doctorū significat carentiam maculæ originalis in primo instanti animationis.

Propositiones æquiualētes in hac materia.

tempore Sixti IV. floruit, & *in 3. dist. 3. q. 1. § His præmissis*, istas consequentias, vt inuicem connexas infert: *Ecclesia statuit festum Conceptionis: ergo eius* (idest, Virginis) *Conceptio est sancta, & per consequens Immaculata, ergo sine originali.*

Ratio æquiualentiæ.

5 RATIO autem æquiualentię inter propositiones prædictas, & titulum Immaculatæ Conceptionis in promptu est, quia licet vox *Immaculata* latiùs pateat, quàm puritas ab originali peccato; tamen si addatur Conceptioni, restringitur ad solam culpæ originalis carentiam significandam; nam in instanti Conceptionis, nec alia macula contrahi potest, nec formaliter impediri per gratiam pręseruantem.

Diuisio Doctorum in tres classes, iuxta totidē tēporis differentias.

6 CVM verò nulla alia probatione conclusio, quàm Doctorum testimonijs indigeat, & maximè ad nostram causam conducat continuatus, & vniformis vsus tituli Immaculatæ Conceptionis, & propositionum æquiualentium inter varios controuersiæ status propter decreta Sedis Apostolicæ, tria tempora distinguētes, in totidem classes Doctores diuidimus. Primum à controuersia exorta ad Sixti IV. Pontificatum, qui sedere cæpit an. D. 1471. & anno 1476. festū Conceptionis, quod priuatim antea celebrabatur, ad vniuersalem Ecclesiam extendit, vt habetur in *Regesto, colum. 46*. Secūdum, à Sixto IV. ad Gregor. XV. qui anno D. 1622. idem festum, non alio, quàm Conceptionis nomine celebrari præcepit, *ibid. colum. 185*. Tertium, à Gregor. XV. ad hunc vsquè diem. Et cū omnes in prædicta conclusione conuenire debeamus, mixtim auctores piæ opinionis, & oppositæ producemus; nec enim id nunc agimus, vt pro opinione pia testimonia colligamus; sed vt germanum significatum Immaculatæ Conceptionis, & loquutionum æquiualentium, tam apud defendentes, quàm impugnantes liquidò, & manifestè aperiamus.

PRIMA CLASSIS DOctorum, qui ante Sixti IV. Pontificatum scripserunt.

PetrusComestor.

7 IGITVR à Doctoribus ante Sixt. IV. incipientibus, primus occurrit PETRVS COMESTOR Historiæ Scholasticæ Magister, qui in *libello* doctissimo *de pura Virginis Conceptione* Antuerpiæ, & alibi excusso, explicans de B. Virgine illa verba Psal. 86. *Ipse fundauit eam altissimus*, ita scribit. *Intellige quod ait, ipse fundauit eam: ipse, non alius, non vetus Adam, sed nouus nouum iecit fundamentum, super quod tam præclarum, tam insigne surgere ædificium; alioquin si veteris ruinæ mansere vestigia, si veteri superædificatum est: vetus Adam, non ipse ædificauit eam altissimus*. Agnoscitur hic libellus *Petri Comestoris à Tritemio, Possevino, Salazar lib. de Concept. cap. 38. num. 25. & cap. 42. sæculo 12. pag. 421. Miranda q. 18. fol. 480.* Ex eodem *Petro Comestore in sermone quodam super Isaiam*, citat *Bandelus* hæc verba: *Fuit B. Virgo cum culpa, & pœna concepta; sed quia fuit in vtero sanctificata, &c.* cuius testimonij fides sit penes auctorem. Nobis ad scopum huius articuli vtraque auctoritas fauet: scimus enim puram, & Immaculatam Virginis Conceptionem intellectam ab eo tempore de primo instanti eius esse, siue assereretur, siue negaretur.

Alexāder Hallensis.

8 ALEXANDER HALLENSIS, 3. *p. q. 9. memb. 2.* agit de sanctificatione B. Virginis per quatuor articulos. In primo inquirit, *An B. Virgo ante suam Conceptionem sanctificata fuerit?* In secundo, *An in ipsa conceptione sanctificari potuerit?* In tertio, *An & post conceptionem ante animæ infusionem?* In quarto, *An post infusionem animæ in vtero matris?* Eius resolutio in hoc quarto articulo est: *Gloriosa Virgo ante suam natiuitatem post infusionem animæ in suo corpore, fuit sanctificata in vtero matris*: Quæ non eodem modo ab omnibus intelligitur: alij enim verba illa, *post infusionem animæ*, interpretantur de ordine temporis, alij de ordine naturæ,

ræ, iuxta signa posita à *Mayrone* infra referendo: nemo autem inficiatur, si Alexander solam naturæ prioritatem inter infusionem animæ, & sanctificationem B. Virginis agnouerit, ita vt hæc propositio sit vera in eius sentẽtia, *Gloriosa Virgo post infusionem animæ in suo corpore*, ordine naturæ, sed in eodem instanti temporis, *fuit sanctificata in vtero matris*, idem expresſiſſe, quod alij per Immaculatam Conceptionem, nec amplius in præſenti ſtatuimus, aut probare conamur.

Albertus Magnus.

9 ALBERTVS MAGNVS *in Mariali de Mariæ laudibus super Missus est*, apud *Bibliothecam Virgineam P. F. Petri de Alva Franciscani*, fol. 296. cap. 166. *B. Virgo debuit quidem in peccato originali concipi, sed statim ab ipso penitus mundari.* Idem Albertus lib. de Mariæ laudibus apud *Canisium lib. 5. de Maria Deipara cap. 27. pag. 598. col. 2. & Salazar cap. 32. pag 432. col. 2. Hæc enim Virgo sola à communi illa regula excipitur: Omnes in Adam peccauerunt.* Hæc diuerſitas ſententiarum paſsim occurrit apud veteres de hoc myſterio loquẽtes. Conſtat verò ex illis cõtrouerſiã fuiſſe de inſtanti illo, quo homo concipitur & originale peccatũ cõtrahitur, ſcilicet primo animationis momẽto, & pro illo affirmaſſe B. Virginis ſanctitatem, qui eius Immaculatam Conceptionem defendebant.

S. Thomas.

10 S. THOMAS 3. p. q. 27. art. 1. ad 4. *Peccatum originale trahitur ex origine, in quantũ per eam cõmunicatur humana natura, quã propriè reſpicit peccatũ originale: quod quidẽ fit, quando proles concepta animatur.* Ecce inſtans, in quo volvitur cõtrouerſiæ ſtatus. Et art. 2. in fine corp. *Vnde relinquitur, quòd ſanctificatio B. Virginis fuerit poſt eius animationem.* Ecce concluſio ſimilis reſolutioni Hallenſis, ex qua conſtat piam opinionem explicari per ſanctificationem in inſtanti animationis, ſicut oppoſitam per ſanctificationem in tempore ſequenti. De mẽte autẽ S. Thomæ latè in *Regeſto*.

S. Bonauẽtura.

11 S. BONAVENTVRA *in 3. d. 3. q. 2. Notandũ, quòd quidam dicere volunt in anima glorioſæ Virginis MARIÆ gratiam ſanctificationis præueniſſe maculã peccati originalis.* Et infra. *Ideò in inſtanti ſuæ creationis fuit ſibi gratia infuſa, & in eodẽ inſtanti anima infuſa eſt carni.* Et infra. *Aliorum poſitio eſt, quòd ſanctificatio Virginis ſubſequuta eſt originalis peccati contractionem.* Poſtea reſoluit, B. Virginem originale peccatum contraxiſſe.

Scotus.

12 SCOTVS *ead. d. q. 1.* per huiuſmodi propoſitiones Immaculatam Conceptionem exprimit: *Potuit Deus in primo inſtanti illius animæ infundere ſibi gratiam: MARIA in primo inſtanti habuit iuſtitiam, innocentiam: Fuit iuſta, innocens: Non contraxit peccatum originale: A peccato originali fuit præſeruata:* & ſimilibus.

Bacconus.

13 IOANNES BACCONVS *in 4. d. 2. q. 3. art. 3.* multa ex *lib. S. Anſelmi*, quẽ in *Regeſto* damus, *col.* 11. ferè ad verbũ deſumens, expreſsè loquitur de inſtãti, in quo *B. Virgo facta fuit*: & in hoc ſenſu vocat *carnalem MARIÆ Conceptionem ſanctam, & Deo acceptam.*

Aluarus Pelagius.

14 ALVARVS PELAGIVS Ord. Min. *lib. 2. de planctu Eccleſiæ cap. 52. Si enim in peccato originali, quod contrahitur in animæ infuſione, non fuiſſet concepta B. Virgo, ſanctificatio neceſſaria non fuiſſet.*

Frãciſcus de Mayronijs.

15 FRANCISCVS de MAYRONIIS Doctor Illuminatus *in ſermonibus*, Venetijs excuſsis an. 1493. *ſer. 2. in feſto Conceptionis Virginis MARIÆ. Septima cõſideratio eſt, quando illud peccatũ originale cõtrahitur? Dicitur autẽ, quòd in primo inſtãti cõceptionis humanæ: vnde dicitur Iob 13. Quis poteſt facere mundũ de immundo conceptũ ſemine? Intelligendũ eſt tamen, quòd illud inſtans diuiditur in quatuor ſigna ordinis naturæ, vel originis: in quorũ primo corpus organizatũ generatur, cũ eſſe formæ ſubſtãtialis in inſtanti fiat: in ſecũdo anima rationalis à Deo creatur, quia ordine naturæ materia præcedit ſuã formã, &c. In tertio anima rationalis tali corpori vnitur, & infunditur poſt creationem, quia cuiuslibet formæ eſſe præcedit natura ſuo ineſſe: in quarto anima contrahit peccatũ originale, &c. Iſta tamen intelliguntur de communi lege, quia vbi priuilegium datur, ius cõmune non habet locum.* Et infra, eod. ſerm. *Vndecima cõſideratio eſt, qualiter Mater Domini fuit præſeruata, ne contraheret peccatum originale*: quod latè proſequitur.

Ioannes Arag. R. 16 IOANNES I. Aragonũ Rex, *in Priuileg. de Concept. V. MARIÆ* expedito an. 1394. quod in *Registo* scripsimus *colum.* 285. *Disputatores stolidi erubescant de tam praeclara, Immaculata, & pura Conceptione Virginis violenta producere argumenta. Decuit enim, vt ea puritate niteret, qua sub Deo nequit maior intelligi. Decuit & profectò perfectam, & perfectissimã, purissimam, & decoram semper extitisse.* Aduerbium *semper*, quod etiam includit imò præcipuè respicit primum animationis instans, subijcitur tanquam declaratio, & repetita expressio tituli *Immaculatæ Conceptionis*. Quod autem sæcularem principem inter Doctores recenseamus, ipsius Priuilegij dignitas facit solidæ eruditionis pleni, quæ vel ipsi principi suppetebat, vel præstantioribus regni Theologis tribuenda est, quos ad rem tantam in cõsilium adhibitos dubitari non potest, vt obseruat *Ioann. de Pineda Soc. Iesu, animaduersione 2. ad idem Priuileg. num. 2.* Vnde non solam Regiam auctoritatem hic habemus, sed iudicium Theologorum regni Aragoniæ, & eius Academiarum.

Dialogus nomine Raymũdi Lulli. 17 OCCASIONE huius edicti regij, & eodem ipso anno prodijt *Dialogus* Auennione habitus inter Canonicum, Iacobitam, & Canonistam, doctus sanè, & acutus: quẽ sub nomine RAYMVNDI LVLLI vidimus, eiusdem editionis, quam Pineda ibid. num. 5. citat ex Christophori Columbi Bibliotheca, anno 1491. Hispali. Sed quia Lullus ad tẽpus Ioannis regis non peruenit, iuxta certiorem chronologiam, & initio dialogi adeò signata mentio fit prædicti priuilegij, vt non appareat de quo alio intelligi posset, difficultate de auctore omissa, operis inscriptio est: *Liber de Intemeratæ Virginis MARIÆ Conceptu ab omni labe originali immuni.* In tertia verò parte libri, §. *De tertia metaphora*, sic loquitur Auctor. *Vnde si in subiecto Conceptionis Virginis peccatum originale foret contractum in infusione animæ in corpore, sequeretur Filiũ Dei, qui est causa finalis, contrahere ipsum peccatum, &c.* & per totum librum has duas propositiones sæpè repetit: *B. Virgo non fuit concepta in peccato originali*: &, *B. Virgo sine originali peccato fuit concepta*: vnde colliges, quàm indifferenter Doctores vsi fuerint nomine *Immaculatæ Conceptionis*, quod habetur in priuilegio Regis, & loquutionum æquiualentium, quibus absque discrimine vtitur eiusdem priuilegij defensor.

18 IOANNES CAPREOLVS *in 3. d. 3. q. 1. art. 3.* respondens ad argumentum piæ opinionis, quo probatur B. Virginem præseruandam fuisse à peccato originali, vt Christus D. exerceret erga ipsam perfectissimum actum mediandi, sic ait. *Circa tertiam probationem. Primo probaretur, quòd B. Virgo in primo instanti suæ Conceptionis fuit beata, quoniam tale bonum potuit habere per Christum mediatorem: & similiter, quòd fuerit in corpore glorificata: quæ omnia falsa sunt.* Ex qua responsione apertè constat assertores Immaculatæ Cõceptionis nihil aliud hoc nomine intellexisse, quàm gratiam B. Virgini collatam in primo instanti sui esse. *Ioannes Capreolus.*

19 IOANNES TAVLERVS illuminatus Theologus Ord. Præd. *in ser. vnico de Purific. Virginis* inter eius opera edit. Colon. anno 1615. pag. 547. *Hinc illi (Virgini) accessit decor, quod culpæ originalis perpetuò expers fuit, à qua præseruarat illam Filius eius, ita vt ne momento quidem temporis, vel iræ filia, vel vas immundum, vel diabolico subiecta dominio fuerit.* *Ioannes Taulerus.*

20 EX scriptis PETRI de CANDIA eadem significatio Immaculatæ Conceptionis luculenter colligitur: quæ quia nobis videre non contigit, P. Bernardinum de Bustis testem producimus, qui cum his verbis citat serm. 4. de Concept. *Petrus de Candia ex Ordine Minorum ad Pontificatum Summum euectus, & Alexander V. denominatus, Immaculatam Virginis Conceptionem approbauit in 3. d. 3. & existens in Pontificatu hanc opinionem dicitur terminasse in ciuitate Pisarum an. Dom. 1411. Atque statuisse, vt ab omnibus teneri deberet: vnde magister Ioannes Varzo in 3. d. 3. inquit. Sanctissimus Dom. Papa Alexãd. V. approbauit opinionem Minorum, quod ad Immaculatam Virginis Conceptionem attinet.* Quæ ista approbatio fuerit, non est mo- *Petrus de Candia, postea Alexãd. V.*

modò discutiendum; sed accipienda tantùm expressio opinionis Minorum per nomen Immaculatæ Conceptionis: nemo enim ignorat Minorum opinionem in hac re eandem esse cum opinione pii, & asserere sanctitatem B. Virginis in primo Conceptionis instanti.

S. Vinc. Ferrer. 21 S. VINCENTIVS FERRERIVS *serm. 2. de Natiuit. B. Virg.* exponens de ipsa illa verba *Gen. 1. fiat lux. Nō credatur, quia fuerit sicut in nobis, qui in peccatis concipimur, sed statim atque anima fuit creata, fuit sanctificata: & statim Angeli in cælo fecerunt festum Conceptionis.* Et infra. *Lux dicitur illa benedicta generatio Virginis MARIÆ, quia sine tenebra culpæ facta est.* Nota loquutiones æquiualentes, *Anima sanctificata statim, ac fuit creata: Generatio MARIÆ sine tenebra culpa,* quod ipsum intelligimus per Conceptionem Immaculatam.

Gerson. 22 IOANNES GERSON 2. *parte, serm. de Concept. Prima mulier fuit creata libera, & non serua: sed dignior, & nobilior fuit secunda mulier, quàm prima; ergo ipsa fuit creata libera, & non serua.*

Petr. Aliacensis. 23 PETRVS ALIACENSIS Cardinalis *in 3. d. 3. q. 1.* eodem omnino sensu appellat *puram* Virginis Conceptionem.

S. Bernardinus. S. Ioannes Capistran. 24 S. BERNARDINVS SENENSIS, & S. IOANNES de CAPISTRANO eiusdem argumenti, & tituli libros scripserunt, scilicet, *De pura Virginis Conceptione*, latè eius præseruationem à peccato originali probantes.

Abulēsis. 25 ABVLENSIS *Paradoxo 5. cap. 161. fol. 105. colum. 3.* in edit. Veneta, an. 1615. *Illi autem, qui Dominam nostram in originali conceptam dicunt, sed non natam, cùm priùs eam purgatam asserant, fateri cōpelluntur eam per aliquod modicum mansisse in originali macula, siue illud paucum, siue maius sit, &c.* Et infra eod. cap. *Si verò B. Dominam nostram Virginem sine originali conceptam, & natam asseramus, & consequenter, nec purgatam in vtero, cùm purgari nequeat, qui nullam maculam incurrit, iuxta positionem communem Fratrum Minorum, quæ pietatem magis tangit, atque rationabilius est eam teneri, quousque quippiam in hac re maiorum definierit auctoritas, &c.*

Cōcilium Basil. 26 SED quomodo pia opinio ante Six. IV. explicata, & intellecta sit, neminem repugnaturum existimamus, quin optimè petatur ex decreto Concilij Basileensis, quod integrum in *Regesto* leges *colum. 20.* Sic ergo Basileenses. *Hactenus difficilis quæstio in diuersis partibus, & coram hac sancta Synodo super Conceptione ipsius gloriosæ Virginis MARIÆ Matris, & exordio sanctificationis eius facta est, quibusdam dicentibus ipsam Virginem, & eius animam per aliquod tempus, aut instans temporis subiacuisse actualiter originali culpæ: ab ijs autem è conuerso dicentibus, à principio creationis suæ Deum, ipsam diligendo, gratiam eidem contulisse, per quam à macula originali illam beatissimam personam liberans, & præseruans, sublimiori sanctificationis genere redemit.* Et infra. *Doctrinam illam differentem gloriosam Virginem Dei Genitricem MARIAM, præueniente, & operante diuini numinis gratia singulari, nunquam actualiter subiacuisse originali peccato; sed immunem semper fuisse ab omni originali, & actuali culpa, sanctamque, & immaculatam, &c.*

Ioannes Bassolis. 27 CLAVDEMVS hanc primam Doctorum classem testimonio IOANNIS BASSOLIS, *in 3. d. 3. q. 1. § Quātum ad primum. Dico, quòd conceptio alicuius hominis, vel mulieris naturaliter propagatæ diuersimodè accipitur. Vno modo pro commixtione seminum viri, & mulieris, quando incipiunt agere mutuo, & pati adinuicem. Alio modo accipitur pro totali formatione, & processu organizationis corporis vsque ad animationem, vel animæ infusionem. Tertio modo accipitur, & magis propriè, pro animatione ipsa, & instanti illo infusionis animæ.* Et infra. *Ad propositum dico, quòd intentio est loqui de Conceptione Virginis tertio modo.* Et §. Quātum ad tertium. *Videtur dicendū, quòd Deus potuit, & decuit hoc fieri, quòd ipse præseruaret Virginem Matrem suam dulcissimam, ne peccatum originale contraheret in sua conceptione tertio modo dicta, ita quod de facto B. Virgo originale non contraxit.*

Epilogus classis primæ Doctorum. 28 EX tanta igitur auctorum consensione indubitatum relinquitur Sixtum IV. cum celeberrimas illas Extrauagantes

tes de Conceptione Virginis edidit, piam opinionem sub prædictis terminis à suis assertoribus, & eorum aduersarijs declaratam reperisse, & Immaculatam Conceptionem pro sanctitate in primo instanti animationis B. Virginis communi vsu receptam.

DOCTORES ÆTATIS, seu classis secunda à Six. IV. ad Gregor. XV.

29 SEGVNDI temporis Doctores, scilicet à Sixto IV. ad Gregor. XV tam piæ opinionis, quàm oppositæ, antequam à Paulo V. eis silentium indiceretur, idem prorsus, nec minimum ab antiquis discrepantes, nomine Immaculatæ Conceptionis intellexerunt.

Bernardinus de Bustis. 30 BERNARDINVS de Bustis primam partem *Rosarij B. Virginis* inscripsit de *Immaculata* eius *Conceptione*: deinde sermonum initio. *Sermo primus in festo Immaculatæ Conceptionis Beatis. Virginis MARIÆ, in quo disputatur, ac defenditur, sanctissimam Virginem absque peccato originali conceptam esse.* Officium eiusdem de hoc mysterio habes in *Regesto* columna 71.

Bādelus. 31 VINCENTIVS BANDELVS de Castronouo *in sua solemni disput.* edita an. 1502. *cap. 1. B. Virgo fuit sicut cæteri homines in originali peccato concepta: quam conclusionem sic intelligo: B. Virgo in primo instanti, quo anima sibi fuit infusa, caruit iustitia originali, quæ sibi debebatur, & quam vtiquè habuisset, si Adam non peccasset.* Hæc est assertio piæ opinioni directè opposita, ex qua optimè colligitur Immaculatæ Conceptionis defensores tribuisse B. Virgini gratiam iustificantem in primo instanti, quo anima sibi fuit infusa.

Iodocus Clichtoueus. 32 IODOCVS CLICHTOVEVS lib. 1 de puritate Conceptionis B. MARIÆ Virginis, cap. 6. argumentum ducēs ex loco Cant. 4. *Tota pulchra es, amica mea. Si solum post sanctificationem fuit pulcra, & maculæ immunis, non etiam in ipso Conceptionis momento; non igitur tota fuit pulchra quātum ad vniuersam suæ durationis moram; sed partim quidem speciosa post abrasam peccati scoriam, & partim fœda, atquè labefacta forde, antequam scilicet expurgaretur, & tunc fuisset inuisa, & odiosa Deo, addictaquè damnationi. Quo igitur pacto tota fuisset pulcra, quomodo semper dulcis amica Dei, aut quomodo in ea nunquam fuisset macula? &c.*

33 IOANNES MAIOR *in 3. d. 3. q. 1.* cuius titulus est, *An Christifera Virgo fuerit in peccato originali concepta? Duplex* (inquit) *est conceptio: quædam carnis, quæ fit in seminum commixtione, quæ dicitur conceptio seminis, quæ animationem præcedit tempore. Alia est conceptio in fœtus animatione, quæ est conceptio hominis, vel natiuitas in rerum natura, secundum illud Matth. 1 Quod natum est in ea, de Spiritu Sancto est.* Et infra. *Decuit Deum præseruare Christiferam Virginem, ne vnquam fuisset per vnum instans in originali peccato concepta.* Subiungit: *Ita factum est.* Item: *Diua Virgo non est in originali peccato concepta, sed ipsa est concepta sancta.* *Maior.*

34 ANTONIVS CVCARVS Bonitus Episcop. Acernens. Ordin. Minor. *lib* inscripto, *Elucidarius Virginis, de Conceptione Incontaminata Virginis gloriosæ*, Neapoli 1507. fol. 52. *Incipit secunda pars huius libri, in qua declaratur, & ostenditur Virginem conceptam fuisse sine originali peccato, & semper fuisse puram, sanctam, mundam, & liberam ab omni peccati macula:* quod latissimè prosequitur. *Ant. Cucarus.*

35 PETRVS de Aquila Ordin. Min. *in 3. d. 3. q. 1. §. Alia opinio. Peccatum originale ponitur in conceptione naturarum, quia cum anima infunditur corpori infecto, inficitur & ipsa: & isto modo probatur, quòd Virgo non fuit concepta in originali peccato.* *Petrus de Aquila.*

36 CAIETANVS 3. p q. 27. art. 2. *Neutra pars fidei documentis aduersatur. Nam si teneatur, B. Virginem contraxisse originale peccatum, stat, omnia consona inueniri. Si autem teneatur, V. Virginem, non ex vi conceptionis, sed ex gratia singularissima in ipso instanti infusionis animæ infusa illi animæ, præseruatam ab originali peccato, nihil contra fidem tenetur, &c.* *Caietanus.*

37 FRAN-

Leuchetus. 37 FRANCISCVS LEVCHETVS in 3.d.3.q.1.cui titulus est. *Vtrùm B. Virgo fuerit concepta in peccato originali?* Circa medium: *Præterea, in primo instanti potuit Deus creasse gratiam in anima B. Virginis, ergo, &c.*

Ovandus. 38 OVANDVS *ead. d. q. 3. art. 2.* qui titulũ habet, *Vtrũ B. Virgo per aliquod instans fuerit sub originali? Dub. 6.* cui hic titulus præponitur: *Num B. Virgo in primo instanti animationis sanctificata fuerit?* Initio. *Quæstio ista inter auctores celeberrima, huius articuli est præcipua.*

Bellarminus. 39 BELLARMINVS *lib. 4. de amiss. grat. & statu pec. cap. 16. Sine peccati originalis macula fuisse existimamus animam B. Virginis in ipso etiam primo instanti suæ creationis, & infusionis in corpus, ita vt nũquam persona illa actu existens peccatum habuerit.*

Azorius. 40 IOANNES AZORIVS *lib. 4. Instit. Moral. cap. 34. q. 3. pag. 354. Vera sententia est B. Virginem esse seruatam à peccato originis, quia in ipso primo temporis momento, quod est concepta, fuit vna cum gratia, & sanctitate.*

Canisius. 41 PETRVS CANISIVS *lib. 1. de Maria Deipara Virgine, cap. 6. Tit. Disputatio cõtra eos, qui salua Ecclesiæ fide, Immaculatã Virginis MARIÆ Conceptionẽ oppugnant:* vbi eorũ opinionẽ referens, ait: *Mirabiliter speculantes eodẽ quasi tẽporis pũcto animã Virginis, cũ in corpus infunderetur, cõtraxisse peccatũ, & statim ab eo singulari Dei gratia expurgatam fuisse.* Deinde contra hoc assertum copiose agit pro B. Virginis præseruatione.

Valentia. 42 GREGORIVS de VALENTIA to. 4. disp. 2. q. 1. punc. 2. cuius titulus est, *An B. Virgo fuerit sanctificata in ipso conceptionis momento, ita vt semper fuerit ab originali peccato immunis?* Resp. affirmatiuè.

Ludouicus Caruaialus. 43 LVDOVICVS CARVAIALVS in *Declamatione Expostulatoria pro Immaculata Cõceptione Genitricis Dei MARIÆ. pag. 19. Antequam ego formata essem in vtero, fui destinata, vt essem Mater Dei: & cum in visceribus matris formarer, tunc domus mea tanquam domus Dei fabricabatur, non tanquam spelunca Satanæ.* Similia leguntur in tota Declaratione.

Pelbartus Themesuar. 44 PELBARTVS THEMESVAR in *Stellario coronæ benedictæ Mariæ Virginis, lib. 4.* cui titulus est, *de Immaculata Conceptione Mariæ*: eius præseruationem, & gratiam in primo instanti latè confirmat.

Franciscus de Pitigianis. 45 FRANCISCVS de PITIGIANIS Arretinus *in 3. d. 3. q. 1.* initio. *Tertio modo conceptio est ipsamet vnio animæ ad corpus, ita quod in illo instanti, in quo corpus est organizatum, Deus creat animam, & corpori infundit, & ipsa vnio animæ ad corpus est conceptio tertio modo.* Et infra. *Intelligitur quæstio de conceptione in tertia significatione.* Et art. 5. *Tertia sententia affirmat B. Virginem præseruatam fuisse à peccato originali, quæ tanquam vera, & probabilior tenenda est, publicèquè prædicanda.*

Mirãda. 46 LVDOVICVS MIRANDA Franciscanus, præter Tractatum Latinum, quem post Decretum Gregor. XV. edidit, de quo infra, priùs Hispano idiomate librum emiserat *de purissima, & Immaculata Conceptione sacratissimæ Angelorum Reginæ, &c.* Salmanticæ, 1621.

Suarez. 47 FARNCISCVS SVAREZ *tomo 2. in 3. parte disputat. 3. sect. 5.* cuius titulus est: *An Beata Virgo fuerit ab originali peccato præseruata, & in primo suæ Conceptionis instanti sanctificata?* Resp. affirmatiuè.

Vazquez. 48 GABRIEL VAZQVEZ *ibid. disput. 117.* cui titulum apposuit, *Vtrùm B. Virgo in momento conceptionis per sanctificationem fuerit ab originali peccato præseruata?* Resp. affirmatiuè.

Faber. 49 PHILIPPVS FABER *in 3. d. 3. q. 1.* in qua disputat, *Vtrùm B. Virgo concepta fuerit sine peccato originali?* Titulũ explicans: *Quæritur* (inquit) *an de facto ex gratia fuerit immunis, ita quod in illo instanti, quando debebat contrahere peccatum originale, præuenta fuerit à gratia Spiritus Sancti?* Resp. affirmatiuè.

Ægid. de Præsent. 50 ÆGIDIVS de Præsentatione, *Tract. de Immaculata B. Virginis Cõceptione ab omni originali peccato immuni, lib. 3.* qui inscribitur *de Præseruatione Virginis à macula originali*, ita hanc explicat inscriptionem: *An de facto maculam originalem*

contraxerit, dum in utero matris primũ concepta est? Et addit: *Quæstio apud veteres Theologos olim non modo celebris, sed etiam controuersa.* Toto autem libro defendit præseruationem.

Nazarius 51 NAZARIVS nostri æui scriptor, qui suos Cõmentarios viuente Gregor. XV. elaborasse videtur, 3. *p. q.* 27. *art.* 2. *Quintum principium est: Possibile fuisse B. Virginem in ipso Conceptionis momẽto sanctificari. In hoc principio necesse est omnes Theologos conuenire, propter decreta Sixti IV. Pij V. & aliorum Summorum Pontificum nostri temporis, & sacri Concilij Tridentini: & ita sentiunt omnes discipuli S. Thomæ; & multò magis alij, qui docent, B. Virginem per Dei gratiam à peccato originali fuisse præseruatam.*

Varij Doctores summatim relati. 52 QVIA tamen, nec singulorum verba adduci possunt, nec series, & successio non interrupta Doctorum omitti debet, cùm validissima sit ad stabiliendum, quid probauerit, & fauoribus prosequuta sit Apostolica Sedes, & modò etiam prosequatur: subijcimus scriptorum indicem, qui non obiter, aut perfunctoriè, sed integris voluminibus huic vni argumento destinatis, IMMACVLATAM CONCEPTIONEM in significatione præseruationis, & gratiæ collatæ B. Virgini in primo animationis instanti, hoc tempore inter Sixti IV. & Gregor. XV. Pontificatum interiecto defenderint, & illustrauerint.

Ferrandus Diaz. 53 FERRANDVS DIAZ presbyter Valentinus librum materno Idiomate Valentiæ emisit an. 1486. cum hoc titulo. *Incipit opus de sacratissima Conceptione Intemeratæ Matris Dei, examinatum, & dignè approbatum à multis sacræ Theologiæ magistris, publicatum in insigni ciuitate Valentina apud domum laudabilis confraternitatis gloriosæ Dominæ nostræ.*

Ambrosius Catharinus. 54 AMBROSIVS CATHARINVS Ord. Prædicat. duplex opusculum edidit: alterum inscriptum, *Disputatio pro veritate Immaculatæ Conceptionis Virginis, & eius celebranda à cunctis fidelibus festiuitate, ad S. Concil. Trident. Romæ an.* 1551. Alterum, *F. Ambrosij Catharini Politi Senensis in disputationem pro Immmaculata Dei Genitricis Conceptione, &c.* 1582.

55 ANTONIVS CORDVBENSIS eruditionis columen lib. 1. Quæstionarij integram quæstionem, quæ ordine est 44. huic controuersiæ dicauit, huiusmodi titulo: *Vtrũ B. Virgo vllo tẽpore habuit peccatum originale, vel actuale?* Quàm pro mere solidissimè discutit, & resoluit pro parte negatiua. *Antonius Cordubẽsis.*

56 PETRI de MORALES Soc. Iesu opus *de Christo D. sanctissima Virgine Deipara MARIA, vtròque eius dulcissimo, & virginali sponso Ioseph* tract. 1. lib. 3. *De Immaculata Deiparæ Conceptione, & de eius à peccato originali præseruatione.* *Petrus de Morales.*

57 GONZALI SANTII LOCERI Canonici Granatensis *duo Discursus Theologici pro Immaculata Conceptione Virginis sanctissimæ Matris Dei, & Domina nostra.* Matriti 1614. *Gonzalus Sanchez Lucerus.*

58 ALVARI PIZANI de Palatios Canonici Cordubensis alij duo *Discursus pro purissima, & Immaculata Conceptione B. Virginis MARIÆ*; prior editus an. 1615. posterior 1616. *Alvarus Pizanus.*

59 ALPHONSI SOBRINI Carmelitani, S. Theologiæ Magistri *tractatus de Immaculata Conceptione B. Virginis* 1615. *Alphõsus Sobrinus.*

60 IOANNIS de PINEDA Soc. Iesu *Animaduersiones ad Priuilegium Ioan. I. Reg. Arag. de Conceptione B. Virginis.* Hispali, anno 1615. Item: *Memoriale responsionum ad ea, quæ tam circa ipsum Priuilegium, quàm Animaduersiones, & festi Immaculatæ Conceptionis antiquitatem obijciebantur.* ibid. eodem anno. *Ioannes de Pineda.*

61 VINCENTII IVSTINIANI Episcopi ex Dominicana familia *Tractatus*, siue *opusculum de Immaculata Conceptione Dominæ nostræ* excerptum ex additionibus ad vitam B. Ludouici Beltrani, (qui piam sententiam insigni pietate amplexus est,) & seorsim excussum an. 1593. 1615. & sæpè aliàs. *Vincẽtius Iustinianus.*

62 IACOBI GRANADI Soc. Iesu liber *de Immaculata B. Virginis Conceptione, siue de singulari eius immunitate ab originali peccato per Iesu Christi Filij eius cumulatissimam redemptionem, &c.* Hispali 1617. *Iac. Granadus.*

63 SYL-

Sylvester de Saavedra.

63 SYLVESTRI de SAAVEDRA Ord. B. Mariæ de Mercede liber inſcriptus, *Ratio, & ſtatus peccati originalis, & præſeruationis, Immaculatæquè, & puriſſimæ Conceptionis Reginæ Angelorum MARIÆ Matris Dei, & Dominæ noſtræ*, an. 1615. Alium eiuſdem auctoris tractatum in tertia claſſe dabimus.

Salazar.

64 FERDINANDI QVIRINI de SALAZAR Soc. Ieſu copioſum, & notiſsimum volumen, quod inſcribitur, *pro Immaculata Deiparæ Virginis Conceptione defenſio* Compluti 1618.

Frãciſcus de Torres.

65 FRANCISCI de TORRES Franciſcani liber inſcriptus, *Solatium deuotorum Immaculatæ Conceptionis Virginis ſanctiſsimæ*. Et infra: *Dicatus Immaculatæ Conceptioni Imperatricis cælorum MARIÆ ſanctiſsimæ columnæ Cæſarauguſtianæ*. Cæſarauguſtæ 1620.

Lezana.

66 IOANNIS BAPTISTÆ de Lezana Carmelitani *Liber Apologeticus pro Immaculata Deiparæ Virginis MARIÆ Conceptione*, an. 1616.

Petrus Diaz.

67 PETRI DIAZ de AGVERO Equitis S. Ioannis liber inſcriptus, *Demonſtratio clariſsima ad breuem diſcurſum redacta de Immaculata, & puriſsima Conceptione Virginis ſanctiſsimæ MARIÆ Matris Dei, &c* an. 1618.

Didacus Canus.

68 DIDACI CANI CVTIERREZ Baccalaurei in ſacra Theologia *Relatio triumphalium feſtorum ab inſigni Vniuerſitate Limenſi dicatorum Immaculatæ Conceptioni Dominæ noſtræ* Limæ. 1619.

Antonius de Leon.

69 ANTONII de LEON profeſſoris Decretorũ, & Relatoris in ſupremo Senatu Indiarum, *Relatio feſtorum ciuitatis Limenſis in Prouincia Peruana in honorem Immaculatæ Conceptionis Virginis Dominæ noſtræ, & præcipuè illorum, quæ Congregatio expectationis partus celebrauit in Collegio Soc. Ieſu*. Liſmæ, an. 1617. Eiuſdem *Poema de Immaculata Cõceptione* ibid. impreſſum an. 1618.

Mexia de la Cerda.

70 DOCTORIS MEXIÆ de la Cerda Oratio pro Immaculata Virginis MARIÆ Conceptione habita Valliſoleti, & ibid. excuſſa an. 1616. cũ doctiſſima *Epiſtola Apologetica* Illuſt. D. FRANCISCI de SOSA, in qua pleniſsimè ſatisfacit obiectionibus cõtra eandem orationem, & præſeruationis myſterium.

D. Soſa.

Antonius Calderonius.

71 ANTONII CALDERONII Artium Lectoris, *Relatio feſti celebrati ab inſigni vrbe Biatienſi in honorem Immaculatæ Conceptionis B. Virginis*, an. 1618.

Balthaſ. Eliſius.

72 BALTHASARIS ELISII de Medinilla *Poema heroicũ de Immaculata Conceptione B. Virginis MARIÆ*, anno 1617.

Alphõſus Ramon.

73 ALPHONSI RAMON Ord. B. Mariæ de Mercede *Otio Diſcurſus de Conceptione puriſsima B. Virginis*, anno 1616.

Franc. Biuarius.

74 FRANCISCI BIVARII Ciſtercienſis *Hiſtoriæ mirabiles illuſtriorum ſanctarum inter minus notas Curiæ cæleſtis: Teſtimonia grauia, & antiqua pro Immaculata B. Virginis Cõceptione*, an. 1618. Aliud opus eiuſdem auctoris ad tertiam claſſem ſpectans ibi referemus.

Ciuitas Cæſarauguſtana.

75 LIBER Cæſarauguſtæ impreſſus an. 1619. cũ hoc titulo, *Forma voti, & iuramenti emiſsi ab auguſta, & imperiali ciuitate Cæſarauguſtana ad pedes ſanctiſsimæ Virginis, in eius Apoſtolico, & Euangelico ſacello del Pilar die 12. Maij, an. 1619. de ſancta & laudabili confeſsione Immaculatæ Conceptionis eiuſdem B. Virginis MARIÆ Matris Dei.*

Oppidum Marchenenſe.

76 LIBELLVS Hiſpali editus an. 1616. qui inſcribitur: *Exemplar Epiſtolæ ad quẽdam huius regni Dynaſtam, de feſtis inſignis oppidi Marchenenſis in emiſsione iuramenti Excellentiſ. D. Ducis de Arcos, Marchenæ domini, cleri, & equitum eiuſdem oppidi de defendenda puriſsima Conceptione B. Virginis MARIÆ ſine peccato originali.*

Thomas de Vega.

77 THOMÆ de VEGA *Diſcurſus in laudem Immaculatæ Conceptionis Matris Dei Dominæ noſtræ*. Hiſpali, 1616.

Hiſtoria miraculi Immaculatæ Conceptionis.

78 LIBELLVS Cæſarauguſtæ excuſſus an. 1621. cum hoc titulo: *Relatio miraculi à Deo facti per imaginem Immaculatæ Conceptionis in confirmationem huius myſterij, & approbationem votorum, & iuramentorum, quæ emiſſa ſunt in oppido de Zuera die 17. Martij, 1621. qualificatum, & authenticatum iuſſu Reuerendiſ. & Illuſtriſ. D. D. F. Petri Gonza-*

lez

lez de Mendoza Archiepiscopi Cæsaraugustani Regij consiliarij.

Alphōsus Saez. 79 ALPHONSI SAEZ *Relatio festi celebrati à Collegio Maiori sanctæ Mariæ de Iesu Vniuersitatis Hispalensis in publicatione statuti, quo iuramentum emissum est de purissima Conceptione Beatis. Virginis sine macula peccati originalis.*

Vniuersitas Salmāticensis. 80 LIBER an. 1618. emissus cum hoc titulo. *Relatio festorum, quæ Vniuersitas Salmanticensis celebrauit à die 27. ad 31. Octobris, anni 1618. in iuramento noui statuti facti die 2. Maij prædicti anni, quo decernitur omnes ad gradus assumendos defensuros puram, & mundam Conceptionem Virginis Dominæ nostræ conceptæ sine macula peccati originalis.*

Balthasar Porrenus. 81 BALTHASARIS PORRENNI *Liber de pura Conceptione Virginis MARIÆ Matris Dei, & Dominæ nostræ collectus ex scriptis de hoc mysterio, in Cōcilijs, Summis Pontificibus, Reuelationibus, Miraculis, Ecclesijs, Parrochijs, Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis, Doctoribus Ecclesiæ, Imperatoribus, Regibus, Religionibus, Vniuersitatibus, & sanctis fœminis*, anno 1620.

Hier. Aznar. 82 HIERONYMI, ab AZNAR, Embid, & Cardona Augustiniani prædicatoris iubilati, *Cōceptus in honorem purissimæ Conceptionis Matris Dei: & de licita emissione votorum, & iuramentorum circa eius venerationem, legibusque regijs in fauorem Ecclesiæ*, an. 1620.

Christophor. Morenus. 83 CHRISTOPHORI MORENI Franciscani liber inscriptus, *Puritas Virginis Matris Dei*: hunc titulum primi capitis habet; *Caput primum, in quo multis S. Scripturæ auctoritatibus tractatur de purissima Conceptione Matris Dei, &c.* Editus est an. 1582.

Rosendius 84 ANTONII GONZALEZ de Rosende Clerici Minoris, S. Theol. Lectoris Complutensis, & Qualificatoris, *Memoriale pro Conceptione sine macula MARIÆ sanctissimæ Reginæ Angelorum, & hominum: Causa communis ardentis deuotionis fidelium.*

Philip. de Ayala. 85 PHILIPPVS de Ayala Franciscanus S. Theologiæ Lector librum emisit an. 1616. hac inscriptione. *Casus maior, & conscientiæ punctum de modo prædicandi, tractandi, & loquendi publicè his nostris temporibus de purissima Conceptione Virginis MARIÆ Dominæ nostræ.*

86 ANTONIVS DAZA Ord. Min. quondam in Romana Curia Procurator Generalis, & Prouinciæ Cōceptionis Minister, ardentissimi affectus erga hoc mysterium, viuum nostro sæculo exemplar inter plurima pietatis, & eruditionis plena scripta, publicavit Matriti an. 1621. *Opus de purissima Conceptione Matris Dei, in quo historicè, & Theologicè tractantur præcipua, quæ circa hoc mysterium in Orbe contigerunt, à die, qua sanctissima Virgo concepta fuit, vsque ad nostra tempora.* Antonius Daza.

87 PETRI de OjEDA Soc. Iesu *Informatio Ecclesiastica in defensionem puræ Conceptionis Matris Dei*, an. 1616. Petrus de Ojeda.

88 IOANNIS GVERRERI de Spinar advocati Hispalensis *Informatio concordantiarum, & discursuum iuridicorum, cum locis Theologicis, & S. Sripturæ in fauorem mysterij puræ Conceptionis sanctissimæ Virginis Matris Dei, & Dominæ nostræ sine peccato originali conceptæ*, an. 1620. Ioan. Guerrerus.

89 BARTHOLOMÆI LOAISÆ Carmelitani *Triumphi Reginæ Angelorum, vbi per discursus concionatorios probatur eius purissima Conceptio absque omni contagione peccati*, an. 1616. Barthol. Loaisa.

90 EMMANVELIS REINOSI Ord. Sanctis. Trinit. definitoris generalis liber inscriptus, *Probatio purissimæ Conceptionis B. Virginis*, an. 1616. Reinosus.

91 IOANNIS de CARTHAGENA Ord. Min. liber *de sacris arcanis æternæ prædicationis, ac Immaculatæ Conceptionis Deiparæ Virginis MARIÆ*. Lutetiæ, 1618. Carthagena.

92 LIBELLVS Barcinone excussus an. 1618. cū hoc titulo: *Relatio summaria de renouatione facta à ciuitate Barcinonensi iuramenti antiquitus in ea statuti circa Immaculatam Conceptionem Virginis Matris Dei, & Dominæ nostræ.* Ciuitat. Barcin.

93 FERDINANDI de OjEDA, insignis Maioris Collegij Vrsonēsis Immaculatæ Virginis Conceptioni sacri, antiqui collegæ, & in eadem Academia sacri Ferdinandus de Ojeda.

sacri Decreti Cathedræ antecessoris, *Relectio ad tit. celebrem cap. Firmissime de Consecrat. d. 4. & bimembris de peccato originali Theologica, & Canonica disputatio, &c.* anno 1615.

Tertia Doctorum Classis à Gregorio XV. vsque ad hodiernum diem.

Ratio dicendorum. 94 PRIMVM adducemus aliquorum Doctorum auctoritates ad verbū, vt in superioribus fecimus, quo apertius constet in eodem omnino sensu cum antiquis de Immaculata Conceptione loquutos: deinde reliquorum indicem texemus, vt à studiosis consulantur.

Miranda. 95 LVDOVICVS MIRANDA *Tract. de Concept. q. 38. concl. 16. Fuit Virgo Maria à peccati originalis actuali contractione diuinitus præseruata ex speciali priuilegio, per gratiam in primo suæ Conceptionis instanti sibi collatam: quæ præuenit causam, & impediuit originalis maculæ resultantiam.*

Cornel. à Lapide. 96 CORNELIVS à LAPIDE *ad 8. Prouerb. in 3. p. capit. v. 22. B. Virgo in ipso initio viarum, ipsoquè momento Conceptionis, & vitæ, à Deo solo possessa fuit, tanquam hæreditas amplissima, Mater vtique Dei dilectissima futura.*

Perlinus. 97 IOANNES PERLINVS *in Apolog. Scholastica pro Immaculata Concept. dist. 1. cap. 1. Quando in illam permulti sententiam conspirauerunt, vt tetram à communibus parentibus in omnes filios deriuatam originis labem, ipso primæ vitæ initio, reliquorum more MARIAM contraxisse arbitrarētur: quantas hi Ecclesiæ turbas dederint, commemorare præsentis loci non est. Sedauit illas Sixt. IV. atque deinceps liberum in suo sensu abundare cuique fuit. Ille iam omnibus fere arrisit, qui Virginem Immaculatam semper censuit.*

Ormachea 98 HIERONYMVS de ORMACHEA Guerrerus *in Acclamat. ante Comment. in Cant. Cantic. Fælix, faustumquè sit piissimæ nostræ sententiæ, quæ purissimam Beat. Virginis, & Dei Genitricis MARIÆ Conceptionem sine macula peccati originalis affirmat: Fælix, inquam, faustumquè sit, quòd nouos quotidie in Ecclesia Dei progressus assumit, & nouis in dies proficit incrementis. Et Proleg. 2. in Artic. Theologico D. Thomæ,* pag. 92. num. 138. *Sed contra est, quòd Ecclesia celebrat festum Conceptionis Beatæ Virginis pro eo primo instanti temporis, quo verè concepta fuit.*

99 IOANNES SERRANVS Episcop. Acernensis *de Immaculata, prorsusquè pura sanctissimæ, semperquè Virginis Genitricis Dei MARIÆ Conceptione lib. 2. cap 1. Asserimus, & dicimus Immaculatam Dominam nostram Angelorum Reginam, ac Dei Genitricem MARIAM, de facto ab instanti suæ purissimæ Conceptionis, ex meritis Filij sui præuisis, ita fuisse ab omni labe, ab omniquè cuiuslibet peccati affinitate præseruatam, immunem, & liberam, vt nunquam adhuc per minimum imaginarium instans gratia caruerit, &c.* *Serranus.*

100 IOAN. BAPT. NOVATVS *de Eminentia Deiparæ Virginis MARIÆ, to. 1.* dicato VRBANO VIII. *cap. 3. q. 3. concl. 2. fol. 47. Dico secundo B. Virginem in primo Conceptionis instanti à peccato originali fuisse præseruatam.* *Nouatus.*

101 PETRVS de BIVERO Soc. Iesu *de sacris priuilegijs, ac festis magnæ Filiæ, Sponsæ, & Matris Dei, Dissertat. 5. num. 20. tit. Conditio possessionis Dei in MARIA. Non est opus* (inquit) *alia comprobatione, vel alia definitione, cum Beat. MARIA, stante adhuc dubio, dirimat litem, antiquam sui possessionem allegando: Dominus, inquit, possedit me in initio viarum suarum. Vobis dico, qui adhuc de mea iustitia originali dubitatis: Vobis dico, qui de pura mea CONCEPTIONE adhuc ambigitis: Vobis dico, qui filiam Adæ, & non Dei in prima mea formatione suspicamini, Dominus possedit me in initio viarum suarum.* Dissertatio verò secunda ita inscribitur: *Gloriosa MARIA Filia Dei in festo, & priuilegijs IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS.* Et num. 1. *Festum triumphale IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS, &c.* *Biuerus.*

Andhelmus à Valle. 102 ANDHELMVS à VALLE lib. inscripto, *Conceptio Immaculata Virginis Mariæ Dominæ nostræ*, cap. 3. cuius titulus est, *Declaratur, quomodo B. Virgo fuit concepta Immaculata, & sine culpa originali*: ibi fol. 23. explicat piam opinionem, & præseruationem de instanti creationis animæ.

Palaus. 103 DOCTOR MARCVS Antonius Palaus an. 1628. librum vulgauit, cuius, & titulus, & argumentum est, *Defensio Dominicana pro pura Cõceptione MARIÆ sine peccato originali*.

Guevara. 104 HIERONYMI de GVEVARA Soc. Iesu, *Commentariorum in Matthæum to. 1. par. 2. de Augustissimo Immaculatæ MARIÆ Conceptionis mysterio*. Matriti 1640.

Siglerius. 105 PETRI SIGLERII liber *de attributis illustrioribus MARIÆ sanctissimæ Dominæ nostræ in sua Immaculata Conceptione*, an. 1632.

Ant. Balingen. 106 ANTONIVS de BALINGEN Soc. Iesu *in Parnasso Mariano* excuso Duaci an. 1624. fol. 33. & seqq. hymnos, & officia de Immaculata Conceptione inseruit.

D. Franciscus de la Cueva. 107 Don FRANCISCVS de la CVEVA, & SILVA, insignis nostri tẽporis Iurisconsultus, *Informatio in iure diuino, & humano, pro purissima Conceptione, &c.* Matriti an. 1625.

Portel. 108 LAVRENTII de PORTEL Franciscani Prouinciæ Algarbiorũ, *Responsiones contra certas propositiones Doctoris cuiusdam circa Conceptionem Matris Deiparæ*, excusæ inter Responsiones aliquorum casuum moralium, casu 32. Vlyssipone. 1630 & sæpè alibi. Vbi casum proponens sic incipit: *Quidam Doctor Gaspar Ram in vrbe Cæsaraugustana regni Aragoniæ, parum deuotus erga Deiparæ Matris Immaculatam Conceptionem, sequentes propositiones euomuit, non sine scandalo, & piarum aurium offensione, &c.* Deinde propositionibus numero vndeviginti recitatis: & hac quæstione, *Vtrùm defendere, quòd Deipara Maria caruerit peccato originali possit cadere sub voto, & iuramento*? Perdoctè in affirmativã partem decisa; singulis propositionibus plenissimè satisfacit.

Bernal. 109 PHILIPPI BERNAL Ordin. Prẽmõstrat. Magistri generalis liber *de sententia S. Thomæ in fauorem Immaculatæ Conceptionis Virginis Matris Dei*, anno 1623.

Ciuit. Panormit. 110 LIBELLVS Panormi excusus an. 1624. cuius titulus est: *Formula iuramenti, quod emissum est Panormi, de tuenda Immaculata Deiparæ Virginis Conceptione*.

Goana ciuitas IndiæOriẽt. metropolis. 111 LIBELLVS Goæ in India Orientali editus an. 1629. cum hac epigraphe. *Benedictum sit Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, & Immaculata Conceptio S. Virginis Mariæ Dominæ nostræ. Relatio festorum, quæ in hac Goana ciuitate celebrata sunt, in Cœnobio Seraphici P. N. Frãcisci Regul. Obseru. ad honorem Immaculatæ Conceptionis Virginis Dominæ nostræ, die 6. Decembr. &c.*

Bart. de los Rios. 112 BARTHOLOMÆI de los RIOS Augustiniani, libri editi Antuerp. an. 1647. *Tractatus primus de Immaculata Conceptione B. Virginis Mariæ*: vbi fere per singula capita repetitur titulus Immaculatæ Conceptionis.

Hier. de Huerta. 113 HIERONYMI de HVERTA Medici Regij *Panegyricus de Immaculata Conceptione B. Virginis Mariæ*, anno 1630.

Vuadingus. 114 LVCÆ VVADINGI Frãciscani *Historia legationis Philippi III. & IV. Catholicorum Regum ad SS. DD. NN. Paulum V. & Gregor. XV. de definienda controuersia Immaculatæ Conceptionis Virginis Mariæ*. Louanij, 1624.

Bivarius. 115 FRANCISCI BIVARII Cisterciens. *Sancti Patres vindicati à vulgari sententia, quæ illis in controuersia de Immaculata Virginis Conceptione imputari solet*. Lugduni 1624.

Mergelina. 116 ILDEPHONSI de MERGELINA à MONTEJO *Discursus iuridicus pro Immaculata Conceptione Mariæ sanctissimæ conceptæ sine peccato originali*, an. 1628.

Saauedra. 117 SYLVESTRI de SAAVEDRA *Discursus pro solemnissima festiuitate purissimæ Conceptionis Dominæ nostræ semper obseruata in Ecclesia, & nũquã propter formale præceptũ Sedis Apostolicæ*, an. 1643.

PE-

Petrus de Simancas. 118 PETRI de SIMANCAS Augustiniani, Prioris, & Lectoris Granatensis, *Epistola ad Sanctiss. D. N. Innocent. X. super definitione de Fide articuli de Immaculata Conceptione Virginis Mariæ Dominæ nostræ*, typis excusa.

Pintus. 119 ANDRÆAS PINTVS Ramirez Soc. Iesu librum edidit de B. Virginis Conceptione an. 1644. in cuius Appendice, num. 1620. sub titulo, *Maria non solum in gratia, sed etiam in gloria concipitur*, sic ait: *Ergo Maria, non paulò post, sed in ipso instanti, in quo concipitur in gratia, beatur gloria.*

Bernardus de Leõ. 120 PRIMA, & secunda pars opusculorum de purissima Conceptione Dominæ nostræ Matris Dei, editæ à P. Magist. BERNARDO de LEON Ord. S. Norberti Præmonstrat. duobus tomis, an. 1626.

Bartholo. Guerrer. 121 BARTHOLOMÆI GVERRERI Ord. Min. *Expositio* in controuersiam de Immaculata Conceptione, breuiter, & copiosè ambiens omnia, quæ Sancti Patres, & alij Doctores hucusque scripsere, an. 1623.

Frãc. Hurtad. 122 FRANCISCI HVRTADI Minoritę *Lamina aurea attributorum Virginalium purissimæ Conceptionis Virginis Mariæ Dominæ nostræ*, an. 1628.

D. Franc. de Leon. 123 DON FRANCISCI de LEON in sacris Canonibus Licenciati *Informatio iuridica pro purissima, & mundissima Conceptione semper Virginis Mariæ Matris Dei conceptæ sine macula, & sine debito peccati originalis*, anno 1625. ibi, in Summario: *Argumenta ex vtriusque Iuris regulis desumpta non leuem vim habere ad coadiuvandum dicta circa mysterium Immaculatæ Conceptionis.*

Vniuersitates, & alia Cõgregationes. 124 ADDERE possemus ad significationem, & vsum tituli Immaculatæ Conceptionis confirmandum, vota, & iuramenta Ecclesiarum, Vniuersitatum, & aliarum tum grauissimarum, tum sanctissimarum Congregationum, vno ore Immaculatam Conceptionem, vel præseruationem, vel immunitatem B. Virginis à peccato originali proclamantium, aut similibus loquutionibus piam opinionem exprimentium; quæ, ne eadem sæpius repetamus, ex *Regesto* petenda sunt à *columna* 322. Admonemus tamen hoc loco in huiusmodi instrumentis non solam spectandam esse pietatem, sed scientiam, & vt ita dicamus, doctrinalem, & magistralem resolutionem: cùm, exempli gratia, Doctores Complutẽses sanctè affirment, se iuramentum, quod habetur *colum.* 337. emittere, *Patrum monumentis diligenter inspectis, perspectisquè matura consideratione Theologiæ monumentis*: neque id solum grauissimorum virorum testimonio credi debet, sed ita necesse est factum fuisse, tam in illa, quàm in alijs Vniuersitatibus, & Congregationibus, vt quælibet similis determinatio multorum Doctorum instar habeat, quin & auctoritatem in Ecclesia Dei, sola conciliari inferiorem.

Anacephalæosis.

Vsus vocis Immaculatæ in hoc mysterio explicando necessarius. 125 OSTENDIMVS satis copiosè, & si velis optimè Lector, prolixè, dummodo verè, imo euidenter, eandem, & inuariatam significationem tituli Immaculatæ Conceptionis quoad rem ipsam attinet, per quinque integra sæcula; quoad verba autem ferè per idem temporis spatium: nec potuisse vim, energiam, & vsum vocis IMMACVLATÆ in controuersia de præseruatione Virginis prætermitti, cum tota versaretur in peccati originalis contractione, à cuius macula in primo animationis instanti Opinio PIA Sanctissimam Virginem Matrem Dei liberat, prędicans eius CONCEPTIONEM IMMACVLATAM.

AR-

ARTICVLVS SECVNDVS.

In eodem sensu, quo Doctores omnes, nemine dissentiẽte, intellexerunt Immaculatam Beatissimæ Virginis Conceptionem, Ecclesia Catholica illam solemni festo celebrat, Indulgentijs, & omni gratiarum genere prosequitur, vbique colens, & prædicans præseruationem eiusdem B. Virginis à peccato originali, & sanctitatem in primo instanti animationis.

Connexio, & summa Articuli.

1 Controuersiam de Conceptione Beatissimæ Virginis ad primum animationis instans semper redactam fuisse, & nihil aliud nomine Immaculatæ Conceptionis vnquam intellectum, quàm gratiam eidem Virgini collatam in primo instanti creationis animæ, & infusionis eius in corpus, superiori articulo ostendimus. Nunc eandem illã Conceptionem, & primum animationis instans celebrari ab Ecclesia, nec vllo modo esse eius mentem colere sanctitatem B. Virginis pro instanti, vel tempore aliquo indeterminato, quo sanctificata fuit in vtero matris; sed gratiam, & sanctitatem, in qua concepta, vel creata est, manifestum faciemus: nec solùm eam sanctitatem in primo instanti esse, quam vniuersalis Ecclesia celebrat, sed etiam quã se celebrare expressè declarat.

Conclusio nostra decisio Apostolica.

2 Itaque resolutio nostra in præsenti articulo Sedis Apostolicæ decisio est: quam proinde, vt fundamentum, alijs omnibus, quæ dicenda sunt, præmittemus.

Circa piã opinionem tumultus.

3 Sed vt apertiùs, & exactiùs procedamus, obseruandum est, piam opinionẽ magis in dies post ætatem SCOTI nobilitatam, adeò contentiosè ab aduersarijs impetitam, tot vbique tumultus de ea excitatos, tot scandala orta. (quæ ex pluribus auctoribus *Illustris. noster Sosa in epist. pro orat. de Concept. & Procuratores Hispani in sua itidem ad Reg. Cathol. epist.* collegerunt;) vt necesse fuerit Sedem Apostolicam, post diutinum silentium, & tolerantiam, seriò de tam grauibus turbis sedandis cogitare. Igitur gloriosæ memoriæ Sixtus IV. Pontif. Max. doctissimis ex quovis Regularium ordine, & Clericis sæcularibus Romam accitis, anno millesimo quadringentesimo septuagesimo quinto, celeberrimam disputationem indixit, quam per plures dies protractam sæpè ipse sua Pontificali præsentia, & auctoritate cohonestabat. In ea excelluit inter omnes R. P. F. Franciscus Insuber Brixianus ex familia Minorum, cuius etiam generalem præfecturam gessit: quem validissimè pro Virginis Præseruatione decertantem, & planè victorem honorificè Pontifex appellans, *Tu es*, inquit, *verus Samson*: quod illi deinceps cognomen adhæsit nunquam abolendum; nec aliter ore, & scriptis hominum, quã Franciscus Samson vocatur. *Chron. Minor. edit. P. Ioannetim to. 2. lib. 22. cap. 57. pag.* 361. antiquioris verò Marci Olysiponensis 3. *p. lib. 6. cap. 66. Sosa, & Procuratores suprà. Torres lib. 4. de Concept. cap. 7. pag.* 327.

Disputatio Romana anno 1475.

F. Franc. Samson.

4 Tantæ disputationis exitus, vt ijdem testantur, fuit expeditio Extrauagantis, *Cum præexcelsa*, quam habes in *Regesto colum.* 46. & insertam Iuri Canonico inter *Communes de Reliq. & vener. Sanct. ctor.* In ea Summus Pontifex, *post tot velitationes vltro, citroque factas, officium Immaculatæ Conceptionis à Nogarolio editum*, (verba sunt *R. P. Ludouici Carvaiali in*

Expeditur à Six. IV. Extrauagãs, cũ præexcelsa.

resp.

resp. ad 1. obiect. contra suam Declamat.) omnibus Ecclesijs tradidit recitandum, copiosissimas illas indulgentias, tam recitantibus, quàm audientibus concedens, quæ in solemnitate Corporis Christi spiritualibus lucris apponebantur.

Errores circa festũ Conceptionis.

5 Huic æquissimo, & benignissimo Ecclesiæ iudicio Immaculatæ Conceptionis aduersarij adeò non acquieuerunt, vt publicè asserere, & scripto vulgare non dubitauerint, præseruationẽ B. Virginis defendentes hæreticos esse, & Ecclesiam solam spiritualem eius Conceptionẽ, seu sanctificationem celebrare. *Quod quamuis merum delirium esset*, (ait *Illustris. Sosa fol. 28. pag. 2.*) *siquidẽ, nec ea res in controuersiã vocata erat, nec ab aliquo contradici poterat, nec quidquid pro vtraque opinione scriptũ extabat, aliquo modo conducebat; ne tamen indocti fraude illa mescarentur, expediuit Pontifex aduersus Lombardos* priorem *Extrauagantẽ* ex duabus, quæ incipiunt *Graue nimis.* et est in nostro *Regesto, col.* 106. Et licèt cõtrouersiam præcipuã de B. Virginis præseruatione iustis de causis indecisam reliquerit; errores tamen circa censurã opinionis piæ, & festi celebrationem expressè damnauit: & hęc Apostolica damnatio, ipsa nostri articuli resolutio est.

Determinatio expressa Sedis Apostolicæ circa id, quod celebrat Ecclesia in festo Conceptionis Beat. Virginis MARIÆ, ex Sixti IV. Extrauagantibus.

Prior Extrauagans Six. IV. Graue nimis.

6 SIc ergo Sixtus IV. in dicta priori Extrauagante. *Nonnulli diuersorum Ordinum professores, ad prædicandum verbũ Dei in diuersis ciuitatibus, & locis, partibus Lombardiæ deputati, publicè affirmare hactenus non erubuerunt, & quotidie prædicare non cessant, Romanam Ecclesiam solam spiritualẽ Conceptionem, seu sanctificationem Virginis Mariæ celebrare.* Et infra. *Nos igitur huiusmodi temerarijs ausibus, & peruersis assertionibus obuiare volentes, motu proprio, & de nostra mera deliberatione, huiusmodi assertiones quorũlibet, qui affirmare præsumerẽt eandem Romanã Ecclesiam de spirituali dumtaxat Cõceptione, & sanctificatione eiusdẽ Virginis gloriosæ festũ celebrare, &c. vtpotè falsas, & erroneas, & à veritate alienas auctoritate Apostolica reprobamus, & damnamus.* Hactenus Pontificiũ decretũ: quod quãuis apertissimum sit, & nisi eo negato, negari nequeat Ecclesiam Conceptionẽ naturalẽ B. Virginis, siue primũ instans animationis celebrare; quia tamen omnibus scribimus, & minus in hac materia versatis, fastidiosis, aliud agentibus, proteruis quoque debitores sumus, eius tenorem, sensum, & vim breuiter expendemus.

7 Itaquè inprimis hæc est propositio à Sede Apostolica damnata: *Ecclesia celebrat solã spiritualẽ Conceptionẽ B. Virginis*: cui nullo modo necesse fuit, nec pro dignitate Sedis Apostolicæ, nec iuxta cõmunẽ loquendi proprietatẽ, aliam propositionẽ oppositã subnectere, qua de nouo declararetur quidnã Ecclesia celebraret: vbi enim nulla est ambiguitas, nihil est legibus, aut instrumẽtis publicis addẽdum, quãuis multæ prodeant extortæ, aut violentæ interpretationes. Quæ verò ambiguitas, nisi voluntaria, aut potiùs somniata esse posset circa Conceptionis significatum, cũ notissima disputatio præcessisset, officiũ præseruationem clamãs ordinatũ, & approbatum esset, omnesquè ad vnum Doctores Conceptionis nomine primũ instans animationis intelligerent? Sicut ergo, cũ Ecclesia celebrat Virginis Natiuitatẽ, Pręsentationẽ, Annunciationem, satis constat celebrare mysteriũ aliquod corporeæ actioni, vel passioni coniunctum, quia id verba in sua simplici, & recepta significatione denotant: & siquis illas festiuitates interpretaretur de sola Natiuitate, Præsentatione, & Annunciatione spiritualibus; non esset corrigendus additione, sed solius particulæ, quã erroneè addebat, ablatione, ea quippè ablata, remanerent voces in significatione omnibus perspicua: sic prudentissimè Pontifex damnat asserentes *solam spiritualem Conceptionẽ ab Ecclesia celebrari*, vt ablatis illis verbis, *solam spiritualem*, remaneat, vt antea in ore fidelium *Festum Conceptionis B. Mariæ Virginis*: quo

Expenditur. Primò.

omnes intelligunt significari infusionem animæ in corpus, cùm ea sit propriè, & in vsu communi humana Cõceptio: & hoc sensu Conceptionem B. Virginis, vtpotè in illo primo instanti Immaculatam coli solemniter ab Ecclesia.

Secundò. 8 Expendendum prætereà illud in audacibus his prædicatoribus reprehendere Pontificem, quòd suas propositiones spargerent in vulgus, *Non ignari, quòd Sancta Romana Ecclesia de Intemeratæ, semperquè Virginis MARIÆ Conceptione festum celebrat, & speciale, ac proprium officiũ ordinauit*; & non obstante hac notitia, piæ opinioni censuram hæreseos inurebant: ergo affirmat Pontifex à Romana Ecclesia celebrari, quod à prædictis prædicatoribus damnabatur: at illi prædicatores solùm damnabant assertionem de immunitate, & præseruatione B. Virginis à peccato originali, ergo Pontifex determinat, & statuit eandem præseruationem ab Ecclesia celebrari. Hanc rationem optimè explicat *Granad. 1. to. in 3. p. controu. 2 tract. 1. disput. 3. sect. 7. §. 3. num. 93. pag. 378.* & eam demonstrationem appellat.

Tertiò. 9 Item. Officium, de quo loquitur Sixtus IV non est aliud, quàm officium Nogarolij in Constitutione *Cum præexcelsa*, approbatum, quod vt primitus ab auctore prodijt, extat in *Regesto, à colum. 55.* & in eo dicitur de B. Virgine, *macula originalis non est in te*, & sæpius repetitur *Immaculata Conceptio*, in versu scil. Inuitatorio, & oratione: ergo declarat Pontifex Ecclesiam celebrare id ipsum, quod in illo officio continetur, nimirum præseruationem B. Virginis ab originali.

Quartò. 10 Adhuc vrgentius. Damnat Pontifex, vt falsam & erroneam dictam propositionem: *Ecclesia celebrat solam Conceptionem spiritualem, seu sanctificationem B. Virginis*: at qui si affirmes celebrari in festo Conceptionis sanctitatem Virginis non includendo expressè primum instans animationis, fateri cogeris solam spiritualem Conceptionem celebrari, cùm tẽpus, & instantia sequentia nõ pertineãt ad Cõceptionem naturalem; ergo determinationi expressæ Ecclesiæ contradicis.

Quintò. 11 Denique: quid absurdius, quàm Ecclesiam interpretari de sanctificatione pro tempore indeterminato, cùm Conceptionem Virginis celebrat, eamquè vocat Immaculatam; quasi nesciat distinguere inter emundationem à peccato cõtracto & præseruationem ab illo? Certè quamuis credat Ioannem Baptistam, & Ieremiam in vtero sanctificatos, eorum Conceptionem Immaculatam non vocat, nec eam celebrat, vt obseruauit *S. Bernard. in Epist. ad Lugdun.* ergo specialius aliquid in Virgine colit, & ab ea omnem peccati contractionem excludit. His rationibus, siue, vt magis propriè loquamur, textualibus põderationibus adeò euidenter conuincitur, Ecclesiam celebrare primum instans animationis Virginis, vt qui ad solam spiritualem Conceptionem confugiunt, ab erroris censura, quam ipsis Pontifex inurit, liberari nõ possint, nisi per ignorantiam dictæ Constitutionis: vt optimè resoluunt *Corduba in Quæstionar. q. 44. §. Sed cõtrà, pag. 360. colum. 1. Ægid. de Præsent. lib. 3. q. 6. art. 1. §. 6. nu. 36. pag. 297.* & *Salazar cap. 33. n. 4. pag. 291. Catharinus* verò in *Tract. de Concept. ad Concil. Trid. 2. p. initio, colum. 92.* ait Ecclesiam in celebranda Immaculata Conceptione *exertè, & plusquam manifestè, & irrefragabiliter* suam mentem aperuisse. Videantur etiam *Pelbart. in Stellar. lib. 4. p. 2. art. 3. Hugo Cauell. in Rosario, sec. 15. §. Caietanus*, & *Ioan. de Carthagena to. 2. Homiliar. de B. Virg. & Ioseph lib. 1. homil. 19. §. 3. col. 119.*

Posterior Extrauagans Six. IV. Graue nimis. 12 Considerans autem Six. IV. aduersarios Immaculatæ Conceptionis nõ in Insubria tãtum, sed in alijs etiam prouincijs easdem damnatas propositiones disseminasse, secundam Extrauagantem *Graue nimis* anno 1483. expediuit, quæ, quia generalis est, nec ad vnam nationem directa, in *Iure Canonico* extat, & in nostro *Reg. colum. 109.* Constat autem eodem tenore, quo prior, & fere eisdẽ verbis, nisi quòd illius propositionis *de celebratione Conceptionis spiritualis tantùm* expressè non meminit *propter materiæ euidẽtiam*, vt *Illustris. Sosa loco supra citato* dicit: quod adeò verum est, vt etiam absque illa

Æquè fauet præseruationi

illa clausula retineat quidquid Ecclesiæ cultum de præseruatione,& sanctitate B. Virginis in primo instanti conuincere,& demonstrare potest. Nam *officium speciale, & proprium de Immaculata Conceptione* ab Ecclesia Romana ordinatum, & in festo Conceptionis recitari solitum docet: quo fit, vt *Secunda*, *Tertia*, & *Quinta* ratio tenori Prioris Extrauagantis inhærentes, absque vllo discrimine etiam ex hac posteriore colligantur.

Et quodā modo amplius.

13 Imò in hac secunda *Graue nimis* expresè legitur titulus *Immaculatæ Conceptionis*,qui in priori non habebatur.

14 Quin etiam,cum vtraque Constitutio diligentissimè caueat ad contentiones extinguendas, ne opinio asserens B. Virginem contraxisse peccatum originale damnetur: illud in prima Extrauagante his verbis præcipitur. *Pari damnationi,& censuræ subijcientes illos,qui prædicare,docere, aut alias verbo, vel scriptura affirmare præsumerent,hæreticum fore credere, eandem Virginem gloriosam à peccati originalis macula præseruatam non fuisse.* In secunda autem sic. *Item,motu,scientia,& auctoritate similibus, simili pœnæ, ac censuræ subijcientes eos,qui ausi fuerint asserere contrariam opinionem tenentes,videlicet gloriosam Virginem MARIAM cum originali peccato fuisse conceptam, hæresis crimen, vel peccatum incurrere mortale, cùm id nondum sit à Romana Ecclesia, & Apostolica Sede decisum.* Ex qua prohibitione hanc præter prædictas rationem elicit Carthagena,*vbi suprà*. Docet Summus Pontifex asserentes opinionem contrariam illi, quam celebrat Ecclesia,nec hæreticos censendos, nec peccare mortaliter, ergo Ecclesia nō celebrat solam sanctificationem in vtero, sed præseruationem; sanctificatio enim,vt differt à præseruatione, & primum instans non includit absque mortali peccato negari non posset,cum semper in Ecclesia stabilitum fuerit B. Virginem ante Natiuitatem fuisse sanctam. Quod siquis contendat non vocare Pontificem opinionem, quæ Virgini peccatum tribuit, contrariam ei, quod Ecclesia celebrat,sed alteri opinioni negatiuæ; hoc ex ipso Constitutionis vtriusque textu patet falsum esse: cùm Pontifex reprehendat damnantes opinionem piam, quamuis sciant de Conceptione B. Virginis festū celebrari ab Ecclesia: quod in alia parte prohibitionis non dicit; sed tantùm controuersiam non esse definitam: ergo declarat festum celebrari secundùm piam opinionem, & non cum indifferentia ad vtramque; nec pro instanti indeterminato, sed pro primo signatissimè accepto.

15 Cùm ergo apertissimum sit ex Sixti IV. Constitutionibus, Ecclesiam colere Conceptionem B. Virginis in primo instanti Immaculatam, nihil vlterius desiderari debet, vt sicut omnes, eadem Ecclesia præcipiente in nomine Conceptionis conuenimus, ita in obiecto cultus expresè tradito vnanimiter sentire teneamur. Ecclesia enim in his, quæ fidelibus publicè proponit colenda, semper sibi similis est,& ex vno legitimo decreto, perpetua eius, & firma sententia,omni mutationis leuitate ablegata, à syncere addiscere paratis cognoscitur. Quia tamen aduersarij,vt peruicaciæ notam aduersus Ecclesiæ pium exemplum effugiant,*humanis sensibus*, quod de quibusdam grauissimè dixit Augustinus, *iniuriam faciunt*,& ea, quæ videmus,legimus,audimus,manutenemus,negare non verentur: omnia alia Decreta, & Constitutiones Apostolicas, totiusquè Ecclesiæ fidelium per Orbem diffusæ consensum, multò etiam ante Sixti Quarti tempora,in medium adducemus,vt constet eodem spiritu suggerente,eadem intelligentia, & pietate, mysterij huius venerationem initia, & progressus habuisse: & priùs dubitari posse festum Conceptionis Virginis esse in Ecclesia, quàm Immaculatam Conceptionem,& à peccato originali immunitatem in eo festo celebrari.

Ecclesiæ in cultu exhibendo constātia.

August. epist. 57. ad Dardan. post med. t. 2.



Sta-

Stabilitur primò veritas huius articuli de Immaculata Conceptione B. Virginis in primo instanti celebrata ab Ecclesia ex Apostolicis Decretis Sixti IV. Constitutiones confirmantibus.

Alexander VI.

Alexand. VI. 16 PRimus, qui Cōstitutionem *Graue nimis*. corpori Iuris insertam confirmauit, fuit Alexander VI. Bulla, quæ incipit, *Illius qui se*, *in Regesto colum.* 117. in qua multa grauissimi ponderis pro Immaculatæ Conceptionis titulo considerari debent. Primò in eius impugnatoribus seuerissimè reprehendit Pontifex *contagiosos feratus*, *nimiam curiositatē*, *superstitionem*, *errores*, *scandala*: sicut eosdē Ioannes Arag. R. in suo Priuileg. colum. 285. *curiosos*, *superstitiososquè homines* appellari posse ante annos plus centum insinuauerat. Forsan has Apostolicas obiurgationes in vtramque partem iactari, & piæ opinionis defensoribus æquè conuenire affirmabis? Resistet planus Alexandri contextus, qui solùm Sixti IV. Constitutionem malè obseruatam renouare studuit: in qua expresè dicitur causam legis ferendæ fuisse *temerarios au[?]us*, *peruersas*, *& scandalosas assertiones* contrà *Immaculatam Conceptionem* à quibusdam publicatas: quod etiam euidentius apparet in Decretis Pauli V. & Gregorij XV. infrà expendendis. Adde, quòd nullibi legimus ex pia opinione scandala vnquam orta in populo Christiano; quantumvis aduersarij repetere non cessarent per Virginis præseruationem vniuersali Christi Domini redemptioni, & singulari prærogatiuæ puritatis eius derogari. Secundò, inserit Alexander suis litteris ad verbum Extrauagantem secundam, *Graue nimis*. Tertiò, *animi* sui *molestiam* aperit de earum *ignoratione*, aut *temerario contemptu*. Vbi obserua aduersarios opinionis piæ esse Apostolicæ Sedi molestos: vnde & Sixtus negotium, quod ipsi facessebant, *Graue nimis*, *& molestum* appellauit: quid enim molestius, quàm patientia Summi Ecclesiæ Principis abuti, qui paternè admonet, cum iudicio sistere, imo, & punire posset?

17 Quartò, prædictam Extrauagātem his verbis confirmat: *Tenore præsentium decernimus*, *& declaramus prainsertas litteras*, *ac omnia*, *& singula in eis contenta*, *perpetuis futuris temporibus*, *donec per Sedē Apostolicam aliter decisum*, *& ordinatum fuerit*, *inuiolabiliter obseruari debere*. Expende illud, *omnia*, *& singula in eis contenta*. Certè in Sixtianis litteris continetur *Immaculata Conceptio*, eius *officium proprium*, *& speciale*, nec recitatiuè, imò, nec enunciatiuè tantùm, sed etiam approbatiuè continetur damnatio eorum, qui asserentes *Dei Genitricem sine macula conceptam*, *& ab originali in sua Conceptione præseruatam*, censuræ subijciebant, cum scirent festum Conceptionis à Romana Ecclesia celebrari, Omnia hæc Alexander confirmat, quia à *curiosis*, *superstitiosis*, *errantibus*, *scādalosis* non obseruabantur, & contrà cùm sciret piæ opinionis propugnatores Apostolica auctoritate se tueri, non illis falsi crimen obijcit, quod in materia cultus grauissimum esset, nec ab Ecclesia tolerandum in tanta facti notorietate, nec erroris arguit: excogitent aduersarij, quas voluerint euasiones; vera causa est piæ opinionis, & cultus Ecclesiastici idem obiectum esse, & Conceptionem B. Virginis in primo instanti Immaculatam, vt à pia opinione defenditur, à Romana Ecclesia celebrari.

Leo X.

18 Hic Pontifex in Bulla, quæ habetur *colum.* 138. *Regesti*, & incipit, *Suprà gregem Dominicum*, inhærens Extrauaganti Sixti IV. *Cum præexcelsa*. ordinationē officij Conceptionis Leonardi de Nogarolis vocat *piam*, *deuotam*, *& laudabilem*, & illud recitantes nonis fauoribus prosequitur. Item, prædictum officium vocat ibidem Leo X. *officium festi Conceptionis*. Sanè officium Nogarolij adeò apertè Conceptionem Immaculatam, præseruationem, puritatem Virginis ab originali decantat, vt siquis illud in alio sensu inter- *Leo X.*

terpretur, (quod Bandelus tentauit;) lucem ipsam tenebras appellare non dubitet. Hoc igitur officium Leo X. approbat, & laudat, vt expressivum mysterij, quod in festo Conceptionis Virginis celebratur, docens, & declarans iuxta Sixti IV. prædecessoris sui statutum ab omnibus illius recitatoribus, annuente Sede Apostolica festum fieri in honorem Beatiss. Virginis à peccato originali præseruatæ. Qui cultus adeò gratus Romano Pōtifici erat, vt officio Nogarolij vtentes apertis ianuis & pulsatis campanis, atque alta voce, tempore interdicti, per totam octauam solemne festum agere concedat. Et ne dubium esset id fieri in gratiam opinionis piæ, hanc suam concessionem declarat Pontifex expediri ad instantiam Ministri, & Vicariorū Generalium Ordinis Minorum.

Sacrosanctum œcumenicum Concilium Tridentinum.

Conc. Trident.

19 INtegrum Concilij Tridentini Decretum de peccato originali, quod confirmatione Constitutionū Sixti IV. concluditur, exscripsimus *colum.* 161. *Regesti*, vt ex parte Decreti dogmatica lucem accipiat pars confirmatiua, & quàm fauerit Immaculatæ Conceptioni Concilium, (fauit enim sine dubio, quantùm citra expressam definitionē potuit;) facilius explicari, & intelligi possit.

Quas Sixti IV. Cōstitutiones confirmauerit Concil. Trid. prima opinio.

20 Sed quas Sixti IV. Constitutiones Concilium Tridentinū cōfirmauit? Aliqui nomine Constitutionum, nō duas Extrauagantes, sed vnius Extrauagantis duas, aut plures partes intelligi asserunt, & confirmari à Concilio solam secundam *Graue nimis.* Hæc opinio est contra communem Doctorum, & infert textui manifestam violentiam: quia quotiescumque Cōcilium allegat, vel refert diploma aliquod Pōtificium plura capita, vel partes continens, semper illud vocat numero singulari *Constitutionem*, vt patet *sess.* 24. *de Reformat.* & *sess.* 25. *tam de Reform. quā de Regularib.* & in multis alijs sessionibus, vbi de Reformatione agit; quæ loca, quia obvia sunt, & res difficultate caret, indicasse sit satis: non ergo potest Concilium de vnica Sixti IV. Extrauaganti explicari, cùm in plurali nominet eius *Constitutiones*. Vide *Vuading. in legat. sect. 2. tract. 8. §. 5. num. 16.*

21 Alij, de quorum numero sunt. *Hugo Cauell. in Rosario B. Virginis*, quod addidit tertio sent. Scoti, *in testimonijs sæc. 15 Ægid. lib. 3. q. 6. art. 1. §. 6. n. 36. pag 297 & Salazar cap. 33. num 4. pag.* 291. Concilij confirmationem referunt ad duas Extrauagantes *Graue nimis*, ratione textuali valdè vrgenti, quia Cōcilium confirmat duas Constitutiones innouando pœnas in eis contentas; ergo singulæ Constitutiones, de quibus Conciliū agit, pœnas continent, quod tantùm de his duabus potest verificari. *Secunda.*

22 Alij Constitutionem, quæ incipit *Cum præexcelsa*, & posteriorem *Graue nimis* à Concilio confirmari docent, vt ex *Stephano Vueyms* refert *Barbosa in Collectan. ad sess. 5. num.* 10. idemquè supposuisse videntur *auctores editionum Tridentini*, in quibus Constitutiones Pontificiæ suis locis inseruntur; nam post *sessionem quintam*, statim subijciunt dictas duas Extrauagantes, *Cùm præexcelsa*, & *Graue nimis* secundam: quas nimirum in corpore Iuris inueniebant; nec ratione *num. præced.* posita retardati, aut ad amplius aliquid inquirendū moti sunt: quam tamen negari non potest, probabiliter solui, eò quòd *pœnæ in Constitutionibus contentæ* commodè intelliguntur contineri in altera Constitutionum: sicut *ipse Dominus Ioan. 6. & Paulus Apost. Actor.* 13. locum singularem certi Prophetæ citantes, dixerunt *scriptum esse in Prophetis*, scilicet, in vno Prophetarum, vt doctè obseruauit *Ribera ad capite 1. Habacuc, numero 5.* *Tertia.*

23 Ex quo fundamento alia opinio consurgit, quam insinuat noster *Vuading. loco cit. num. 17.* Concilium omnes tres Sixti IV. Extrauagantes suo Decreto cōfirmasse: & ratio efficacissima est, quod si semel admittamus Constitutionem, *Cum præexcelsa*, quamuis nullam pœnam contineat, Tridentini decreto innouari, & *Quarta.*

i hoc

hoc iudicetur necessarium, vt subsistat pluralis Constitutionum numerus; cur prior *Graue nimis*, quæ pœnas imponit, excludi debet? Aut cur verba Concilij ad numerum binarium debent coarctari? vel solum de his intelligi, quæ in corpore Iuris leguntur? Præsertim, cùm sacrosancta Synodus loqueretur in fauorem B. Virginis, quam sub generali decreto de peccato originali comprehendere noluit, sed fæl. record. Sixti IV. Constitutiones obseruari: fauores autem ampliãdos esse perpetuò docemur; nisi cui hæc ipsa à Concilio profecta confirmatio inter sibi odiosa numeretur.

Resolutio. 24 In hac ergo re videtur resolutoriè dicendum. Primò, probabilissimè affirmari posse tres Sixti IV. Constitutiones de Conceptione B. Virginis, Concilij Tridentini confirmatione comprehẽsas; cùm id verba Decreti simplicissimè intellecta præseferant, nec congruens vlla ratio exceptionis appareat. Secundò, opinionem, quæ vnicæ Constitutionis confirmationem sustinet, minus alijs videri probabilem. Tertiò, duas alias opiniones de duplici Extrauagante confirmata æqualem habere probabilitatem. & maiorem absque dubio, quatenus duas Constitutiones includunt, quàm quatenus tertiam excludunt, vt patebit expendenti, quæ dicta sunt: vnde maximum robur accedit vltimæ sententiæ. Quartò, Extrauagantes Sixti IV. à Concilio Tridentino non confirmatas respectiuè iuxta varias sententias in pristina firmitate mãsisse: cùm non ideò derogetur aliqua Cõstitutio, quia non expressè confirmatur: quod euidentius vrget in re dogmatica, quæ cùm nulli mutationi post pronũtiatum ab Ecclesia iudicium sit obnoxia, nisi obliuionis tantùm, semel definita æternam obtinet firmitatem. Quintò, quamuis omnium Sixti IV. Constitutionum confirmatio à Concilio Tridentino facta valdè conducat ad maiorem rei, de qua agimus, claritatem; totam tamen vim, & quasi neruum nostræ probationis in secunda Extrauagante *Graue nimis*. contineri, quæ duas alias manifestè complectitur, & à nemine de eius confirmatione fuit dubitatum.

25 His ita constitutis, expendendũ est Tridentinum oraculum, siue Christi Domini vox per Ecclesiam suam loquẽtis, & quid de Matris suæ puritate, quid de cultu Conceptionis eius sentiendum sit, apertissimè declarantis. *Expenditur Conc. Trid.*

26 Definit Concilium, *primum parẽtem in omne genus humanum peccatum, quod mors est animæ, transfudisse: & hoc peccatum, quod origine vnum est, propagatione, nõ imitatione, transfusum omnibus inesse, vnicuique proprium: paruulos etiam, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, trahere ex Adam originale peccatum, quod regenerationis lauacro necesse sit expiari ad vitam æternam consequendam:* item hoc peccatum originale per nullum aliud remedium tolli, *quàm per meritũ vnius Mediatoris Domini nostri Iesu Christi*: & post hoc dogma Fidei *declarat non esse suæ intentionis comprehendere in hoc decreto, vbi de peccato originali agitur, Beatam, & Immaculatam Virginẽ MARIAM Dei Genitricẽ: sed obseruandas esse constitutiones fælicis recordationis Sixti Papæ Quarti sub pœnis in eis constitutionibus contentis, quas innouat*. Consideretur attentè horum trium dictorum consequentia: Omnes posteri Adæ contrahunt originale peccatum: In hoc decreto, quamuis de omnibus statuatur, B. Virgo non comprehenditur: Sixti IV. constitutiones obseruentur: nisi enim Concilium præter rem loquitur, (quod impium esset affirmare;) necesse omnino est confirmatas ab illo esse Sixti IV. constitutiones in eo sensu, cum tali certitudinis gradu, quoad eas clausulas, propter eas rationes, sub eis pœnis, quibus Sixtus IV. comprehendentes B. Virginem sub lege peccati originalis compescuit, & nõ comprehendentibus fauit. Ex quo Concilij scopo in hac confirmatione plurimæ, & euidentissimæ rationes pro decisione nostri articuli textum enucleantibus sese offerunt. *Dogmatis de peccato originali, exceptionis B. Virginis, & Cõstitutionũ Six. IV. concordia.*

27 Prima ratio, & vt nobis videtur, demonstratio. Concilium post statutam Fidei regulam, à qua vniformis consensus Patrum nunquam discedit; & B. Virginem se non comprehendere declarat, *Ex Cõcilij declaratione necessariò sequitur: Nec sacrã Scripturã, nec cõsensũ PP. militare cõtra opinionẽ piã.*

&

& Six.IV.constitutiones confirmat: certum ergo est ex mente Concilij, piam opinionem, nec S. Scripturæ, nec omniũ Patrum consensui contradicere: quod Sixtus IV. docuerat damnans in vtraque *Graue nimis*. hanc propositionem: *Omnes, qui tenent gloriosam Virginem MARIAM absque peccati originalis macula fuisse conceptam, hæretici sunt*: quæ censura vtique nitebatur loquutionibus generalibus Scripturæ, & PP. nam peculiares, & expressæ de peccato originali à B. Virgine contracto paucissimæ sunt apud Patres, nec omnem solutionem excludentes, vt noster *Illustris. Sosa in epist. pro orat. de Cõcept. à fol. 32. Ægid. de Præsent. & Salaz.* latè in suis libris de hac controuersia ostendunt.

Consequẽtiæ inefficaces. 28 Sed vt hæc ratio intimè penetretur, duo magni momenti obseruanda sunt. Alterum, omnes has consequentias semper quidem, sed maximè post declarationem Concilij Tridentini esse inefficaces: *Apostolus docet in omnes homines peccatum, & mortem pertransisse*; ergo B. Virgo contraxit peccatum originale: *Peccatũ originale non soli Adæ nocuit, sed ad posteros transfunditur, & omnibus inest vnicuique proprium*: ergo infuit etiam B. Virgini in primo animationis instanti suum propriũ peccatum: *Christus Dominus est vnicus, vniuersalis, & perfectissimus Redemptor*: ergo redemit B. Virginem à peccato originali, in quod lapsa fuit. Omnes, inquã, istæ consequentiæ à Concilio præ oculis habitæ sunt, simul cum S. Scripturæ locis, antiquorum Patrum auctoritatibus, & Canonibus Conciliaribus, vnde erant excerptæ; omnibusquè examinatis, discussis, & exactissimè in synodicis disputationibus, & congregationibus diu, multumquè in omnem partem versatis; tandem conclusum est non conuincere, nec obstare, quominus declararet [illegible] Virginem non comprehẽdere: qua declaratione fundamenta affirmatiuæ opinionis eneruata, & pro inefficacibus iudicata fuerunt consensu Patrum. Quare egregiè *Illustris. Sosa fol. 20. pag. 2.* dixit Tridentinum non modo suum sensum hìc aperuisse, *sed aliorum Conciliorũ, & Summorum Pontificum, qui generaliter in eisdem terminis loquuntur.* Et prolato Concilij loco, subdit: *Hæc verba maximorum magistrorum animos mouerunt, & huius mysterij reddiderunt defensores: quorum vnus est P. F. Ioannes à Peña*: (hunc auctorem iam suprà folio 18. pag. 1. inter Patres Dominicanos opinionẽ piam tenentes recensuerat;) *qui in suis ad 3. p. D. Tho. scriptis ita ait. Valdè quidem vrgebant Decreta Generalia circa peccatum originale; sed sacro vniuersali Concilio liberam facultatem concedente, quid in nos admisit sanctissima Virgo, vt de eius puritate non credamus, quidquid credi sine scrupulo potest? Et si sacrum Concilium illam cõprehendere non vult, idque protestatur; nec ego comprehendere volo; sed per illud ingredi ostiũ, quod mihi Synodus totam Ecclesiam repræsentans patefacit.*

29 Alterum obseruatione dignissimum est, hæc fundamenta, quæ iudicio Concilij sunt inefficacia, in libellis n. 3. & 33. de quibus infra, adhuc, vt fortissima ab aduersarijs inculcari; quasi Ecclesiam docere velint, quomodo Scriptura, & Patres sint intelligendi: quod magnã vim Tridentini Decreti pro pia opinione manifestat, cui contradici nequit, nisi contendendo per illam labefactari dogmata, quæ Concilium absque piæ opinionis præiudicio sub anathemate definit. *Præcipuus prætextus aduersarijs ereptus.* Alij callidiori consilio hoc Decretum omnino dissimulant; tanta enim lux ex eius declaratione mysterio præseruationis Virginis affulsit, vt aduersarij eam fixis oculis intueri non sustineant, sed aliò se auertant, fulgore perstricti, quia illuminari nolunt.

30 Hanc itaquè primam rationem concludentes dicimus, & probatum manere affirmamus, ab Ecclesia Catholica honorari, & fauoribus affici sanctitatem B. Virginis in primo instanti animationis, secundùm piam opinionem, quia ipsa Ecclesia declarauit non esse suæ intentionis Virginem in Decreto de peccato originali comprehendere; pia autem opinio non esse comprehendendam asserit, sed vt immunem, immaculatam, & liberam ab omni peccato colendam. *Pia opinio inhæret Trid. Concil.*

31 Se-

Docet Cō cil. Trid. quo sensu celebretur festū Conceptionis.

31 Secunda ratio etiam nostro iudicio demonstratiua. Concilium Tridētinum nolens comprehendere B. Virginē sub lege peccati originalis, remittit nos ad Sixti IV. constitutiones, quas innouat sub pœnis in eis contentis: At illæ constitutiones expresè declarant ab Ecclesia celebrari festum Conceptionis B. Virginis in primo instanti Immaculatę, & pœnas imponunt aliter docentibus, ergo, & Cōcilium sentit obiectum cultus in prædicto festo esse Conceptionem Virginis sub ratione præseruationis, & gratiæ ipsi collatæ simul cum animæ infusione. In hoc discursu, siquis neget, quod Sixtus IV. circa celebrationem festi Conceptionis decreuit, esse à Concilio cōfirmatum, proteruus sanè sit, & manifestæ veritati repugnet: si enim Concilium de contractione peccati in primo instanti animationis agebat, B. Virgine non comprehensa, sed retentis, & reualidatis Sixti IV. constitutionibus; quomodò potuit non confirmare determinationem à Sixto factam de cultu B. Virgini exhibito, ob sanctitatem eius in eo ipso instanti, quo alij contrahunt peccatum originale? aut quid aliud prius, potiusquè confirmare debebat, vel excipere, si non confirmabat? Nec enim effugiet proteruus dicens solas pœnas constitutionum Sixti à Cōcilio innouari; hoc quippè ipsum est, quod nos affirmamus, pœnas constitutionum Sixti impositas esse negantibus ab Ecclesia Romana celebrari festum Conceptionis Immaculatæ B. Virginis in primo instanti. Accedit, quòd ipsum Tridentinum Concilium actu, & in praxi festum Cōceptionis B. Virginis à Sixto IV. institutum solemni ritu celebrauit, vt vel ex *fine sess.* 24. apertè constat; idque non sine miraculo, quod cum alijs in Regesto dedimus agentes de Ven. P. Iacobo Lainio: vel ergo celebrauit eodē sensu, quo Sixtus instituerat, vel diuerso: si eodem; ergo eam celebrationē in constitutionibus Sixtianis contentam confirmauit: si diuerso; quomodo de ea diuersitate fideles non admonuit, vtique decipiendos adeò euidenti concordia Concilij cum Sixto, tam verbo exhibita, quàm opere? Indubitatum ergo maneat, quòd Sixtus IV. de sensu festi Conceptionis B. Virginis decreuit, si legatur in eius cōstitutionibus confirmatis à Concilio, esse etiam inter alia, imò præ alijs confirmatum.

Ex Sixti IV. mēte.

32 Quid iam ad nostram demonstrationem restat? an non cōceditur Sixtum IV. instituisse festum de B. Virgine ad honorem eius Immaculatæ Conceptionis in primo instanti infusionis animæ in corpus? an verò eam institutionem in Extrauagantibus à Concilio confirmatis non extare? Eligant ergo aduersarij ex tribus constitutionibus vnam, quam ipsi designauerint; nos enim in omnibus, & earum qualibet hanc veritatem digito demonstrabimus. In constitutione, *Cum præexcelsa*, ita legimus. *Auctoritate Apostolica, hac in perpetuum valitura constitutione statuimus, & ordinamus, quòd omnes, & singuli Christi fideles vtriusque sexus, qui Missam, & officium Conceptionis eiusdem Virginis gloriosæ iuxa piam, deuotam, & laudabilem ordinationem magistri Leonardi de Nogarolis, & quæ desuper à nobis emanauit, Missæ, & officij huiusmodi institutionem, in die festiuitatis Conceptionis eiusdem Virginis MARIÆ & per octauas eius deuotè celebrauerint, &c.* Certè officium illud de præseruatione est, & gratia in primo instanti: ergo, & festum, ad quod celebrandum indulgentijs Pontifex inuitat. An aliud celebratur in festo, aliud canitur in officio, quod pro ipso festo Pontifex approbat? In priori Extrauagante *Graue nimis*, damnatur, vt falsa, & erronea hæc assertio: *Romanam Ecclesiam solam spiritualem Conceptionē, seu sanctificationem Virginis MARIÆ celebrare*: & eam affirmantes æternæ maledictioni subijciuntur. In posteriori autem *Graue nimis*, similiter excommunicantur qui, *cum S. Romana Ecclesia de Virginis Conceptione publicè festum solemniter celebret, & speciale, ac proprium super hoc officium ordinauerit, affirmare non erubuerunt omnes illos, qui tenent, aut asserunt Dei Genitricem absque peccati originalis macula fuisse conceptā, mortaliter peccare, &c.* Quò nunc se vertent aduersarij? vel qui a Pontifice anathemate feriuntur, impugnabant, quod cele-

celebrat Ecclesia Romana, vel non? Si eligant non impugnasse, ostendant in litteris Apostolicis crimen ob quod grauissimam omnium pœnarum Ecclesiasticarum meruerunt, eamquè extrà mortis articulum Romano Pontifici reseruatam. Si ergo sponte concedant, quod etiam ab inuitis extorquebitur, præseruationem B. Virginis ab Ecclesia Catholica sub Conceptionis nomine veneratam, ab illis *Temerariè*, & *peruersè* fuisse reiectam: fateantur insuper Conceptionem B. Virginis in primo instanti Immaculatam à Concilio Tridentino Sixti IV. constitutiones confirmante, vt in Ecclesia Dei festo instituto celebrem recipi, & approbari: posteaquè suam opinionem in mente retineant, quod illis per Sedem Apostolicam licet; nec enim ipsos hæreticos vocabimus, vt sæpè ab illis vocati sumus: nouimus enim festi celebrationem à definitione de fide, acie gladij Theologici, vel potius humili erga Sedem Apostolicam obedientia discernere. De tota hac secunda demonstratione legantur *Vuading. in legat. sect.* 2 *.tract.* 8 *.§.* 5 *. Granad.* 3 *p. contr.* 2 *. disp.* 3 *.sect.* 7 *.§* 3 *.nu.* 95 *. & tract. seorsim excuso disp.* 3 *.cap.* 7 *.sect.* 3 qui, & grauiter monet ingentem præsumptionem esse, si quis putet sensum festi, quod Ecclesia celebrat, melius à se intelligi, quàm à Synodo Oecumenica in Spiritu Sancto legitimè congregata.

Titulus Immaculatæ Cōceptionis à Trid. approbatus.

33 Tertia ratio specialis de titulo Immaculatæ. Cōfirmat Conciliū Tridentinū constitutiones Six. IV. editas de Conceptione B. Virginis: In constitutione, *Cum præexcelsa*, hæc eadē *Conceptio* vocatur *mira*; *inuitantur fideles, vt de hac Cōceptione gratias, & laudes Deo referant*: nominatur absolutè *Festiuitas Conceptionis*, non minus, quā Annuntiationis, vel Natiuitatis: in priori, *Graue nimis* idē Conceptionis festū, & officium propriū, scilicet officium Immaculatæ Conceptionis cōmēdatur, & contrà calumniantes acriter defenditur: in posteriori, disertè, & clarè legitur, *Immaculata Cōceptio*: has constitutiones Concilium Tridentinū cōfirmat; ergo colit, honorat, fauoribus prosequitur opinionem illam, quæ asserit Cōceptionem Virginis fuisse Immaculatam, miram, solemni festo dignam, & ipsam Virginem, cum primùm habuit naturale esse, habuisse simul sanctitatem.

Concilium Tridenti quia vltra Sixtum IV. contulit mysterio Conceptionis Virginis

34 Quarta ratio nobis etiam euidens. Omnes, tam docti, quàm indocti, sola ratione, vel natura duce, sentiunt, fatentur, clamant post Decretum Concilij Tridentini piam opinionem amplius roboratam, ad illustriorem statum euectā, quàm fuerit per solas Sixti IV. constitutiones: nō igitur vocari debet in quæstionem, an quidquid Sixtus quovis modo pro Immaculata Conceptione statuerat, Concilium ratum habuerit; cùm super illa omnia tam insignis declarationis, & Synodicæ auctoritatis pondus adiecerit: nam mentem Concilij non fuisse tantùm discordiarum semina vtcumque tollere, sed fideles ad piam opinionem allicere, acutè vidit *P. Gj da fol* 65 *pag.* 2. etenim discordijs opinionum indulgentius occursum esset, si Concilium declarasset non esse suæ intentionis in decreto de peccato originali comprehendere, aut excludere B. Virginem; dum autem solā comprehensionis suspicionem à se amouit, & ipsam Virginem Immaculatæ titulo, potiusquàm alio decorauit, in quam partem propenderet, ita intelligi voluit, vt neminem latère pateretur, & exemplū Ecclesiæ relinqueret omnibus argumētis efficacius. Et de Concil. Trid. hactenus.

Pius V.

Pius V. festū Cōceptionis sub præcepto statuit.

35 HVnc sanctissimum, & omnibus numeris absolutissimum Pontificem plus fauisse Conceptionis B. Virginis festo, quàm omnes eius prædecessores *Illustriss. Sosa fol.* 21. verissimè scripsit, & res ipsa clamat; primus enim fuit, qui cum in festis Breuiario communi inserendis adeò matura circumspectione procederet, vt Præsentationis B. Virginis festum abstulerit, quod in *Regesto col.* 212. ex *Coluenerio* obseruauimus, Cōceptionis solemnitatē, quæ ab omnibus quidem celebrari, sed & omitti poterat, & à libera cuiusque deuotione pēdebat, in noua Breuiarij, & Missalis reformatione sub

k præ-

præcepto ſanxit, Conceptionem B. Virginis adæquans in officio eius Natiuitati; quo nihil pro præſeruationis myſterio excogitari potuit auguſtius, vt *à colum. 212. Regeſti*, ſed vrgentius infra hoc ipſo artic. de officio Romano agentes notamus: ſeruato tamen officij proprij priuilegio, imò, & confirmato, vt in *Regeſto, colum. 219.* probatum eſt. *Cumque hoc* (inquit idem Illuſtriſ.) *ſit vrgentius omnibus, quæ Eccleſia Romana hucuſque ſtatuit in hac materia, ita vt nihil præter totalem definitionem videatur deeſſe; myſterio non vacat reſeruatum fuiſſe Pontifici ex familia Dominicana aſſumpto, & ſanctitatis fama conſpicuo.*

Sixti 4. conſtitutiones cõfirmat. 36 Idem Pius Sixti IV. Extrauagãtes à Concilio Tridentino innouatas proprio diplomate denuo confirmauit; quod incipit, *Super ſpeculam*, & eſt in *Regeſto colum. 166.* Ibi memorat Sixti *Saluberrima decreta*, quæ *pro viribus ſalua eſſe cupit*, vtpotè *à Sacroſancta Synodo Tridentina confirmata*: ipſe deinde *motu proprio approbat, confirmat*, & *vt efficacius à cunctis* eiuſdem Sixti IV. ſtatutum *obſeruetur, ſtatuit, & ordinat*. Omnia igitur, quæ in ſuperioribus de ſenſu celebrationis feſti, & piæ opinionis approbatione, ex Sixtianis conſtitutionibus, & Tridentini Concilij Decreto collegimus, & expendimus, Pius V. in eiſdem terminis amplectitur, & docet, *Pro ſufficienter expreſsis, & inſertis* in ſua Conſtitutione habens, & eadem nobis argumenta ſuppeditans, nouo Apoſtolicæ auctoritatis interventu roborata.

Paulus V.

Pauli V. cõfirmatio. 37 QVod attinet ad Extrauagantis *Graue nimis*, confirmationẽ, publicauit Paulus V. Bullam, quæ incipit. *Regis pacifici, in Reg. col. 175.* vbi conſtitutionis Sixti IV. à Concilio Tridentino, & Pio V. innouatæ mentionem faciens, prædictis remedijs *Scandala, & diſſenſiones* extinctas non eſſe conſiderans, olim ordinata confirmat, pœnas auget, & Inquiſitoribus hæreticæ prauitatis contra tranſgreſſores procedendi auctoritatem tribuit. Conſtat autem ex tenore huius Pauli conſtitutionis occaſionem ſcandalorum fuiſſe cenſuras contra celebrantes officium Immaculatæ Conceptionis, Beatæquè Virginis præſeruationem à peccato originali prædicantes, & audiẽtes. Expendant aduerſarij, quid ſemper delatum ſit ad Sedem Apoſtolicam; nimirum de Immaculata Conceptione officium frequentari, conciones publicas haberi, fidelibus annuntiari Virginis pręſeruationem, vt ab Eccleſia celebratam, laudari, coli, omnibus modis honorari; quem cultum aliqui moleſtè ferentes inuehebantur in Conceptionem Immaculatam, & eius aſſertores. Quid ad hæc Apoſtolica Sedes? iudicauit nè illos concionatores exceſsiſſe, dum opinionem piam auctoritate Eccleſię, & Eccleſiaſtici officij tuebantur? nec verbum de hoc, pœnas imponit opinionis piæ temerarijs cenſoribus; an opinionem piam ad ſe cõfugientem ita paternè foueret, niſi à ſe procreatam, & nutritam agnoſceret? Atqui dices, etiam pœnas impoſitas piè opinantibus, ſi alia ſentiẽtes erroris damnent. optimè; ſed audite optamus, vbi Eccleſia feſtum inſtituerit ſanctificationi Virginis poſt contractionem peccati? aliud eſt prohibere cenſuras ad pacem ſeruandam: aliud prædicari præſeruationem, vt doctrinam Romanæ Eccleſiæ, ipſa conſentiente, & fauoribus inuitante, ſimulquè cõtradictores ſeuerißimis pœnis coercente. Profectò hæc euidentia quovis ſolari radio ſplendidior eſt, nec vmbrã dubitationis in animo relinquit, quin mens Eccleſiæ Catholicæ ſit, ſanctitatem B. Virginis in primo inſtanti infuſionis animæ, feſto, officijs, & concionibus ſub Conceptionis nomine, aut Immaculatæ Conceptionis ab omnibus coli: id enim piæ opinionis aſſertores docẽt, prædicant, ſcribunt, & in facie Apoſtolicæ Sedis cum omni fiducia proferunt, quæ non modò illis tacens conſentit, ſed expreſsis fauoribus applaudit, vt in conſequentibus dicemus.

38 Et hactenus quidem Sedes Apoſtolica beneuolentiam ſuam erga Immaculatæ Conceptionis defenſores ita oſtẽdit, vt non effunderet, ſed quaſi erumpentem reprimeret, ac cohiberet: eſt enim be- *Nouum Pauli decretũ ſilẽtium imponẽs aduerſarijs Immaculatæ Conceptionis*

benigniſsima mater, & inter filios, vt cōcordiam alere, ita inuidiam abolere ſatagit, etiam cum plus dilectorum querela; quos facilè mutuo fratrum amore redintegrato ſcit eſſe placandos. Iam verò tam prudenti moderatione contumaciam nō vinci conſpiciens, affectus vehementiores non indulgentia, ſed iudicio aſſumpſit: & pia opinione ſuo pectori admota; contrariam manifeſtius coercuit: quod eiuſdem Pauli V. nouo decreto fieri cœptum eſt. Habetur in *Regeſto colum.* 180 expeditum in Congregatione Generali S. Inquiſitionis coram Sanctiſsimo in monte Quirinali, die 31. Aug. an. 1617.

Modus procedēdi. 39 In hoc Decreto Summus Pontifex primum quis modus procedendi adhibitus ſit, de more præmittit. *Sanctiſſimus Dominus noſter, poſt longam, & maturam diſcuſsionem, auditis votis Illuſtriſsimorum, & Reuerendiſsimorum Dominorū Cardinalium contra hæreticam prauitatem Generalium Inquiſitorum, re accuratè, ac diligēter perpenſa, &c.* Hic obſerua negotium, quod in illa Congregatione diſcutiebatur, ad religionem pertinere, & verſari in declaratione Eccleſiaſtici cultus; quia, vt toties repetiuimus, conſtitutiones Sixti IV. Concilij Tridentini, & Pij V. cum alia ipſius Pauli, quæ omnes in hoc Decreto nominantur, pœnas ſtatuebant cōtra impugnantes id, quod ab Eccleſia colebatur: vndè eodem ſtylo Pontifex vtitur, quo in canonizatione Sanctorum: quamuis enim ad eam ſolus ipſe, vt poteſtatem, ita exercitium proximum habeat, nec conſilium Cardinalium neceſſariò adhibere teneatur, vt cum multis reſoluit *Contelorius lib. de canonizat. SS. cap. 9 num.* 42. tamen ex æquitate, & congruentia ſine Cardinalium conſiſtorio ſimiles caſus non determinantur, & ipſi Cardinales ſunt in hac poſſeſsione, *Ibid num.* 2. Fauet hoc mirum in modum noſtræ cauſæ, vt myſterium Immaculatæ Conceptionis, ſicut olim tempore Sixti IV. in celeberrimis diſputationibus aduerſarios deuicit, & poſtea motu proprio Sedis Apoſtolicæ exaltatum eſt; ita modo *Matura diſcuſsione* rationum, auctoritatum, miraculorum, reuelationum, & aliarum omnium rerum, quæ ad illud promouendum conducere poterant; proponatur fidelibus, vt ſolet cultus alicuius Sancti, poſt confectas, & examinatas informationes.

Cauſa expeditionis Decreti 40 Deinde Pontifex cauſam novi, & ſtrictioris Decreti expediendi aperiens ait. *Proindè conſiderans, quòd ex occaſione aſſertionis affirmatiuæ in publicis concionibus, lectionibus, concluſionibus, & actibus publicis, quòd eadem Beatiſsima Virgo fuerit concepta cum peccato originali oriuntur in populo Chriſtiano cum magna Dei offenſa, ſcādala, iurgia, & diſſenſiones.* En acrior & valentior medicina incrudeſcenti morbo admouetur. Antè à Pontifices *Scandala, & diſſenſiones* ſæpius notauerant, obſcurè deſignatis auctoribus; nunc, vt confuſi à cœptis auertantur, apertè dicunt *Scandala oriri* occaſione aſſertionis affirmatiuæ. Dicet aliquis opinionem affirmatiuam eſſe petram ſcandali inſipientibus puſillis, aut malevolis, ideoque ſcandalorum occaſionem, non cauſam. At contra eſt, quòd ſi ita res haberet, inſipiens & puſillus eſſet ipſe Pontifex, qui ſcandali Phariſaici metu, vera loquentibus ſilentium imponeret; & non vt fruſtrà admonitos potenti bracchio adoriretur. Quare ſcandala illa opinionis affirmatiuæ aſſertores non patiebantur, ſed ſeminabant, occaſione propriæ ſententiæ defendēdæ, quod eis permittebatur: ideò Pontifex hoc ſcandalorum ſeminarium demoliri conatur.

Prohibitio. 41 Prohibet ergo ſub pœnis à ſuis prædeceſſoribus, & à ſe latis, *Omnibus, & ſingulis cuiuſvis ordinis, & inſtituti, vt non audeant in publicis concionibus, lectionibus, concluſionibus, & alijs quibuſcunque actibus publicis aſſerere, quòd eadem Beatiſsima Virgo MARIA fuerit concepta cum peccato originali.* Hæc perſpicua ſunt.

Cautio. 42 Sequitur Pontificia declaratio. *Per huiuſmodi tamen prouiſionem ſanctitas ſua non intendit reprobare alteram opinionē, nec ei vllum prorſus præiudicium inferre, eam relinquens in eodem ſtatu, & terminis, in quibus de præſenti reperitur, præterquam quoad ſuprà diſpoſita.* Nec in hac clauſula aliquid eſt obſcuritatis, aut dubitari

bitari cum aliqua verisimilitudine potest, Decretum prædictum, quamuis ad impedienda scādala, (vt statim dicemus, & experientia breui docuit,) satis efficaciæ non habuerit, in fauorem piæ opinionis emanatum, & oppositæ nihil omninò contulisse, nisi quòd eam expressè non reprobauerit. Quod enim subditur, *Alteri opinioni nullum prorsus præiudicium inferri*, absolutum, & vniuersale non est, sed valdè per sequentem exceptionem restringitur: *Præterquàm*, inquit, *quoad suprà dicta*: quæ exceptio non solum referenda videtur ad id, quod proximè præcesserat, scilicet, *Eam relinquens in eodem statu, & terminis, in quibus de præsenti reperitur*; sed ad clausulam anteriorem, *nec ei vllum prorsus præiudicium inferre*, ita vt sit sensus impositionem silentij in concionibus publicis præiudicium aliquod esse, & mutationem aliquam status, & terminorum, in quibus ante reperiebatur prædicta sententia; quamuis quoad reliqua, nec mutetur status, nec ei præiudicetur, quia Ecclesia expressè declarat illam non reprobari. Esse verò in silentij impositione aliquod, & sanè magni momenti præiudicium, hinc constare facilè potest, quòd si Titius peteret ab Apostolica Sede, vt definiret de fide B. Virginem contraxisse peccatum originale, & contradiceret Sēpronius dicens hic esse præiudicialem actionem, & prius quæri debere, an Decretum imponens silentium Titio subsistere debeat, vel reuocari; absque dubio quæstio de impositione silentij prius terminaretur, argum. ex *l. Fundum. Titianū, & l. Fundus, D. de except. præscript. & præiud.* impositio ergo silentij à legitimo iudice *Post longam, & maturam discussionem* præiudicium est: quo Sedes Apostolica apertè ostendit, quam partem approbaret in causa Conceptionis B. Virginis, si definitiua sententia pronuntiaretur: vnde iam plenè innotescit vis Decreti: ait enim Summus Pontifex: Opinio asserens B. Virginem contraxisse peccatum originale in templis non prædicetur ad vitāda scandala plebis; in conclusionibus non defendatur, ad vitanda scandala sapientium, & eruditorum; in quibuscunque actibus publicis non asseratur ob easdem causas: extrà hos autem casus, constitutiones Sixti IV. Concilij Trid. & Pij V. obseruentur, quibus piæ opinioni cōcessum est prædicari, defendi, publicè asseri, in officio diuino decantari, indulgentijs gaudere: hoc quid aliud est, quàm aliam opinionem per gradus descendere ad reprobationem, & damnationem; aliā verò per oppositos gradus ascendere ad culmen vltimæ definitionis? Quia tamen nō iudicium, sed præiudicium est, & nec pars affirmatiua reprobata, nec negans definita per vltimam determinationem; relinquitur illa in eodem statu, & terminis, præter præiudicialem exceptionem impositi silentij.

Gregorius XV.

43 QVamuis Pauli V. Decretum magna cum gratiarū actione ab Immaculatæ Conceptionis assertoribus exceptū sit; intellexerunt tamen prudentiores, radices scandalorum penitus non euulsas, cùm remanerent libera priuata colloquia, & cuiusvis generis scripta, in quibus contrariæ sententiæ affirmatio non prohibebatur, duo aliquantò quidem tectiores, sed copiosissimi cōtentionum, & scandalorum fontes. Vide *Vuading. in legat. sect. 1. tract. 1. num. 14. pag. 17.* vbi etiam *Illustrissimi Sosa memorialem libellum* Regi Catholico exhibitum ad verbum affert, promptè, & pro re nata, quod in viro illo mirabile fuit, exponentem, absque efficaciori remedio excitatas, & insolitas contentiones componi non posse.

Necessitas arctioris Decreti.

44 Igitur post celebrem Illustris. Antonij de Trejo Episcopi Carthagin. legationem multiplicesquè, tam apud Paulum, quàm apud Gregor. XV. eius successorem tractatus, instantias, consultationes, iudicialia, & extraiudicialia acta, quinto demum anno post Pauli Decretum, aliud vrgentius edidit Gregorius in Congregatione Gen. S. Inquisit. die 24. Maij, an. 1622. quod *colum. 183. in Reg.* suo loco iuxta temporis ordinem apposuimus.

Quæ Decretum Gregorianū præcesserint.

45 Hu-

Summa Decreti Gregor. XV. 45 HVIVS Gregoriani Decreti præcipua capita sunt. Primo, quoad modu procedendi attinet, omnia seruātur, quæ in Pauli Decreto, Cardinalium consiliū, Sanctissimi determinatio propter causam supra assignatā de materia religionis, & cultus. Secūdo, Decretū Pauli ad verbum inseritur. Tertio, declarat Pōtifex præsens suū Decretū expediri *Ex eisdē causis exortā iā scandala, dissensiones, discordias ortas occasione assertionis affirmatiuæ.* Quarto, etiā declarat præmemorata *Scandala orta ex sermonibus priuatis*: vnde apparet solam opinionē affirmatiuā scandala generare, & eius assertores tot Decretis Sedis Apostolicæ à scandalorum seminatione deterritos non esse, nihilq; horum opinionem piam defendentibus imputari, vt etiam Paulus V. expresserat. De quo videndus *R.P. Philip. de Ayala* Ord. Min. Prouinciæ Castellæ Minister, lib. quem *Casum maiorē conscientiæ* inscripsit, vbi exprofesso probat, cōtra piam opinionē loquentes à peccato veniali, vel mortali, iuxta materiæ grauitatem, excusari non posse, propter circunstantiam scādali. Quinto, ampliat Gregorius sui prędecessoris Decretum, *Mandans, & præcipiens omnibus, & singulis supradictis, ne de cætero, neque etiā in sermonibus, & scriptis priuatis audeant asserere, quòd eadem Beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali; nec de hac opinione affirmatiua aliquomodò agere, seu tractatare.* Sextò, declarat *Sanctitas sua se non intendere reprobare hanc opinionem, nec ei vllum prorsus præiudicium inferre, eam relinquens in eodem statu, & terminis, præterquā quoad supra disposita.* Septimò, confirmat *Constitutiones Sixti IV. Alex. VI. Pij V. & Pauli V. vbi huiusmodi Decretis non aduersantur.* Octauò, *Cū sancta Romana Ecclesia de Beatissimæ, & Intemeratæ Virginis Mariæ Conceptione festum solemniter, & officium celebret; mādat, ac præcipit omnibus, & singulis, vt in sacrosancto Missæ sacrificio, ac diuino officio celebrandis, tā publicè, quàm priuatim, non alio, quàm Conceptionis nomine vti debeant.* Hucusque Summa Decreti.

Expenditur. 46 NVNC ad illud expendendū accedamus, præcipuè quoad duas clausulas nouas, ampliatiuam impositionis silentij ad priuata colloquia, & scripta; & dispositiuam de nō vtendo in diuinis officijs alio, quàm Cōceptionis nomine: ad quarum planā, & textualē intelligentiam reliquas applicabimus.

De impositione silentij etiā priuatim. 47 IMPOSITIO silentij adeo ampla, vt nec priuata colloquia, & scripta excludat, grauissimi ponderis est: cēsuit enim Sedes Apostolica non aliter scandala tolli potuisse, pacique, & tranquillitati fidelium cōsuli, quàm si opinio gloriosissimæ Virgini peccatum tribuens, penitus, nec audiretur, nec nominaretur in Ecclesia, etiā inter paucos eruditos, qui pietatis vmbra non faciliè mouentur, sed veritatem vulgò minus plausibilem, si ratione præualeat, præferre sciūt inconsultis affectibus, & veram à fallaci deuotione secernere: quo ostenditur scandala, quibus Sedes Apostolica occurrit, non fuisse, vt iam monuimus, pusillorū tantùm, sed prudentium, & grauiū virorum orta semper occasione opinionis affirmatiuæ. Ideò ablegauit eam Paulus V à scholis, & tēplis; ablegat eā Gregorius à cōmercio humano, siue per verba, siue per epistolā, ingenij exercēdi, vel animi laxandi gratia: & vt omne effugium præcluderetur, addit Pontifex: *Nec de hac opinione affirmatiua aliquo modo agere, seu tractare*: id est, non solùm in priuatis colloquijs, & scriptis prædictā opinionē affirmari prohibeo, sed aliquo alio modo excogitabili tractati, per nutus, vel signa, aut eam singulariter absq; colloquio proferēdo. Maximè autem declarat generalitatem legis licētia, & confessio Fratribus Prædicatoribus ab eodem Pontifice eodē anno die 28 Iulij facta, quæ est *colum.* 189 *nostri Registri*, in qua pœnas dicti Decreti sustulit quoad *Quæcumque priuata eorum colloquia seu conferentias, inter ipsos dumtaxat, & non inter alios*: & hanc concessionem, *Specialē gratiā, & fauorē* Pontifex appellat: quibus verbis apertè indicat, Decretū vsque adeò fuisse vniuersale, vt ad quamlibet ab eius tenore exceptionē, specialis fuerit dispensatio necessaria. Et insuper obseruandum est, impositionem silentij directè ad ipsam opinionē affirmatiuā terminari; concessionē verò, & dispensationē, *Vt inter se dumtaxat de materia eiusdem Conceptionis Beatissimæ Mariæ Virginis disserere, & tractare, absque vllo pœnarum in dictis Decretis contentarum incursu, liberè, & licitè possint, & valeant*: qui cōcessionis tenor prædictā materiam tractantiū scrupulos eximit; opinioni verò ipsi nihil omninò fauet. Et sanè mirabile

rabile esset (vt scopi à nobis in hoc articulo præfixi non obliuiscamur;) opinionem, quæ cultui Ecclesiastico nō opponeretur, ita interdici, & tam angustis limitibus coarctari. Quarè de illa nihil pronuntiamus: *Nec enim à Sede Apostolica reprobatur, aut ei vllum prorsus præiudicium infertur; sed relinquitur in eisdē statu, & terminis, præterquàm quoad supra disposita*: sed colligimus ex Apostolicis Decretis, colere Ecclesiam, quod pia opinio affirmat, quia eam liberam in officijs diuinis, & concionibus relinquit; oppositam verò etiā à scriptis, & colloquijs familiaribus arcet.

De celebrando sub solo nomine Conceptionis.

48 PLVS aliquantò immorari necesse est in noua clausula de celebratione festi explendenda, ac declaranda; quāuis, vt verum fateamur, magis animi æquitatē, quàm interpretis curam desideret: manifestissimum enim habet sensum ex prædecessorū constitutionibus; sed quia sincerè intellecta fere totam huius controuersiæ difficultatem exhaurit, non mirum est, si eā sinistra interpretatione deprauet, qui sua sententia cedere noluerit.

Quæ fuerit causa id præcipiendi?

49 POTEST autē de causis, quæ Summum Pontificē mouerunt, vt alio, quā Cōceptionis nomine in diuino officio vti prohiberet, aliqualis esse dubitatio: nā etiā hanc Decreti partem ad scandalorum amotionē refert *Barbosa in Collectan. Bullar. v. Conceptio*: & negari non potest ex recitatione, & Missæ celebratione, quamuis priuata, scandala suboriri posse, tum quia sub alio nomine celebrans eo ipso indicat se opinionem affirmatiuam, cui Pontifex silentiū indicit, profiteri, tum quia de hac ipsa celebrandi varietate non rarò colloquia haberentur, & in eis de prædicta opinione tractaretur, vnde rursus scandalorum germina pullularēt.

** Auctoris libeller. sup. colu. 7. n. 1.*

* Alij eam causam assignant, *Vt cultus esset magis vniformis*; quæ esto vera sit, vnica, & adæquata esse non potest: nam cultus vniformitas sub nomine sanctificationis, aut alio quocumq; seruaretur: ergo ex cultus vniformitate solum colligi potest expedire, vt omnes vno, eodemque, nomine festū celebrent; cur autē hoc nomen potius debeat esse Cōceptio, quàm aliud quodvis, alia ratio reddenda est: nec eam longè petere opus habemus; exprimitur enim in ipso Decreto dicēte Pontifice: *Cū sacta Romana Ecclesia de Beatissimæ, & Intemeratæ V. Mariæ Cōceptione festum solemniter, & officium celebret. præcipit omnibus, vt non alio, quàm Conceptionis nomine vti debeant.* En motiuum expressum Apostolici præcepti; vt omnes celebrent, quod celebrat Ecclesia Romana, quæ est omniū Ecclesiarum magistra: & nullus Catholicus audeat festi Cōceptionis B. Virginis sensum aliorsum, quàm ab ipsa edocetur, deflectere. Hæc vera, & textualis causa duas priores nō excludit, sed potius mutuo fouet, & firmat: statuit enim Sedes Apostolica solo nomine Conceptionis festum celebrandum, vt cùm omnes Romanæ Ecclesiæ exēplum sequantur, cultus non quamcumq; vniformitatem, sed quæ à capite in membra deriuatur, habeat, & scandalorum semina extinguantur.

Præcipit Gregor. XV. vt omnes celebrēt sanctitatem B. Virginis in primo instanti animationis.

50 ASSERIMVS ergo, non vt aliquid ex Decreto per discursum inferētes, nec expositionem aliquam reconditam, nulli, aut paucis visam iactantes; sed obviā, litteralē, omnibus perspicuā amplectentes, à qua sine singularitatis nota, nemo dissentire posit: *Gregorium XV. per hoc Decretum præcepisse omnibus, vt celebrarent festum in honorē sanctitatis Virginis in instanti suæ Conceptionis naturalis, cùm primùm anima eius infusa fuit corpori, sicut Ecclesia Romana celebrat, & semper celebrauit*: Vel breuiùs: *Decreuit Summus Pontifex, vt ab omnibus celebraretur IMMACVLATA CONCEPTIO B. Virginis MARIÆ.*

R. P. à S. Tho.

51 HANC assertionem pro contentiosis latè confirmauit, vt quanta sit vis in argumento à celebratione festi sub vnico Conceptionis nomine appareat, duorū scriptorum nostri seculi ex Dominica familia interpretationes præmittemus ad Gregoriani Decreti intelligentiā conducentes. Prior est *R. P. Ioannes à sancto Thoma* professor Cōplutensis, & Philippo IV. Regi Catholico à sacris Confessoribus. Is, vt habetur *colum.* 490. nostri *Registri*, cùm sibi obiecisset dictum illud Angelici Doctoris, *celebrari festum sanctificationis B. Virginis, potius quā Conceptionis*, à Gregor. XV. in præfato Decreto esse reprobatum: duobus modis respondet *colum.* 507 *&* 508. Ait enim nullam cōtrarietatem inueniri inter S. Thomæ dictū, & Gregorianum Decretum, quia S. Thomas rationem reddit festi, quod suo tēpore Romana Ecclesia nō admiserat, sed tantùm tolera-

lerabat,& eius tolerantiæ causa erat, *quia attendebat magis ad sanctificationem, quàm ad Cõceptionem.* Conatur deinde ostendere præcipuum fundamentũ huius festi, etiam vt modò celebratur, non esse Conceptionem Immaculatam; sed difficultati succumbens ad primam solutionem reuertitur, & ita cõcludit. *Denique hoc solum pertinet ad quæstionẽ de facto, in quo mutatio accidere potest iuxta diuersa Ecclesiæ Decreta. Tunc Ecclesia Romana nondũ decreuerat celebrari sub nomine Conceptionis, nec celebrabat ipsa. Modò & celebrat, & decernit D. Thomas rationẽ, & narrationẽ reddidit eius, quod suo tempore currebat. Non contrariatur ei, quod alio tempore, id est nunc, Ecclesia decernit.* Hoc est omnino verum, non posse festũ sub Conceptionis nomine celebratũ referri ad sanctificationẽ temporis, vel instantis indeterminati. Et quamuis sensus à D. Thoma intentus nunquam verus fuerit; tamen ante Sixti IV. Extrauagãtes probabilis erat, postea verò à mẽte Ecclesiæ Romanæ alienissimus. Posteriorem autem solutionem, quã prædictus auctor cùm * aduersarijs ex Bellarmino confirmare nititur, illis respondentes confutabimus.

* *in libell. col. nu. 24.*

52 ALIVS scriptor est *Illustriss. D. D. Francisc. de Araujo*, ex primaria Salmãticensi cathedra ad Segouiensis Ecclesiæ Põtificatum assumptus, qui *to. 1. in 1. 2. q. 81. art. 3. pag. 421. & 423. col. 2.* suadere volens D. Thomam, etiam si modò viueret, Piæ Opinioni non assensurum, ita scribit. *Auctoritas Ecclesiæ indicens tale festum cogit ad cultum nouo modo B. Virgini exhibendum, qui est actus voluntatis, non ad antiquum iudicium intellectus mutandum.* Nihil amplius nos affirmamus, nisi Ecclesiã sub Conceptionis nomine, ita determinare sensum festi, & cultum sanctitatis in primo instanti, vt solum relinquat liberũ & differens iudicium, quia contrariam opinionem non prohibet, nec damnat. Quod discrimen, & non aliud, inter festũ Natiuitatis, & Conceptionis, ipse assignat *pag. 422. col. 1.* Hinc verò à S. Thomę sectatore inferri eum propria sententia non cessurum, contrà innumeros penè scriptores non valdè miramur; suã tamen persuasionẽ ita adstruere, vt contrariam firmet, non vehemẽter mirari non possumus, Qualis enim est illa consequentia? *Ecclesia non cogit ad mutandũ iudicium:* ergo Diu. Thomas non mutaret. Quanto verisimilior hæc à doctissimis, & sanctissimis viris probata? Ecclesia, quãuis nullum cogat ad credendũ B. Virginis Præseruationem; omnes tamen inuitat, allicit, exemplo præit, eã negantes silere iubet: ergo D. Thomas Ecclesiæ consilio acquiesceret, nec coactionẽ expectaret. Quare Reuerendiss. P. Ioannes de Fenario Ord. Prædicat. Generalis Magister *dicere solebat*, teste *Cathar*ino *in disp. ad Concil. Trid. par. 1. col. 66. antiquiores magistros, quantò magis docti, & quantò magis sancti essent, tantò magis eam sententiã vltro amplexaturos, non quidem sectantes alios, sed cũctos ipsi anteuertentes animo multo promptiore, ac propensiore pro gloria Matris Dei.* Sic ibi.

D. Franciscus de Araujo.

53 ITAQVE mentem Summi Pontificis fuisse, vt ab omnibus sanctitas Beatæ Virginis in primo animationis instanti, eius præseruatio ab originali peccato, & IMMACVLATA CONCEPTIO coleretur, constat primò ex ratione, & sensu festi in Ecclesia Romana, virtute Constitutionum Apostolicarum ante Gregorium: voluit enim Gregorius, vt ex ipsius verbis num. 49. ostendimus, illud coli ab omnibus, quod in Romana Ecclesia colebatur; nec aliam interpretationem patitur tenor Decreti: *Cum Sancta Romana Ecclesia de Conceptione Virginis festum celebret, omnes non alio, quàm Conceptionis nomine vti debeant;* nam voluisse Pontificem omnes in festi nomine cum Ecclesia Romana conuenire, non verò in significatione, præterquam quod simulatio priuato homine, nedum Summo Præsule indignissima esset, ex nullo Decreti verbo, vel apparenter colligi potest. Itaque indubitatum maneat, illud, quod Romana Ecclesia sub nomine Conceptionis celebrabat, Gregoriũ ab omnibus celebrari sub eodem nomine præcepisse. At Romanam Ecclesiam ab initio institutionis festi semper celebrasse præseruationem B. Virginis ab originali æquè euidens est, cùm Sixtus IIII. Alexander VI. Pius V. ac Paulus V. quorum omnium constitutiones Gregorius nominatim confirmat, de illo festo Conceptionis expresè loquantur, quod ab eodem Sixto IIII. in Extrauag. *Cum præexcelsa,*

Probatio 1. assertionis nu. 50. posita à prædecessorũ cõstitutionibus.

cessu, omnibus Ecclesijs traditum est cū officio speciali præseruationis, & Immaculatæ Conceptionis: quod festum in eodem sensu celebratum fuit ab omnibus, siue vterentur officio Nogaroli, siue Bustij, siue S. Anselmi, aut Cardinalis Quinonij, siue alijs proprijs, & specialibus in totum, vel in parte, nullum quippè discrimen inter eos vnquam agnitum fuit circa obiectum, scopum, aut sensum celebritatis, dummodo faterentur se Conceptionem Beatæ Virginis celebrare, & ita suis Kalendarijs adscriberent: constabat enim huius solemnitatis cultores venerari puritatem Beatæ Virginis nunquam peccato originali maculatæ, vt vel ex sola *D. Bernardo* ascripta *ad Lugdunenses epistola* euidens est. Si ergo Pontifex vellet celebrari festum sanctitati Beatæ Virginis pro tempore indeterminato, assumeret nomen sanctificationis, quod ex natura, & vsu absque dubio indifferens est; non verò nomen Conceptionis, quod determinatum semper fuit ad significandum primum animationis instans, tam apud piæ opinionis auctores, quàm etiam apud aduersarios: ergo nomen indifferens festi de medio tollens, & determinatum vniuersali lege præcipiens, sustulit indifferentiam sensus festi, & declarauit in eo colendam esse sanctitatem pro primo instanti determinatè.

54 SECVNDO, constat mens Pontificis ex epistolis vltrò, citroq; missis, quibus & Principes mysterij Immaculatę Cōceptionis gloriosiores progressus postulasse, & ex parte obtinuisse cognoscitur. Nam Reges Catholici piam opinionem definiri petebant, vt eorum litteræ *colum.* 314. & 315. *in Regesto* datę ostendunt; sicut, & Cardinalis Infantis, & Serenissimæ Margaritæ *Ibid colum.* 316. & 317. Pontifex Principum studium, & pietatem amplissimis verbis collaudat, cuiusmodi sunt illa ad Regem Catholicum, *colum.* 187. *Sanè tibi, & populorum fidem, & hostium oppressionem polliceri haud temerè possumus, cùm eius tibi Virginis patrocinium conciliare studes, &c.* & post pauca, *Vix dici potest, quanto nos gaudio cumularint nuperæ litteræ Maiestatis tuæ de Immaculata Deipara Conceptione disserentes. O curam Catholico Rege dignam, & Christi Vicario gratissimam!* Deinde, post redditas causas differendæ ad

Prob. 2 ex petitionibus gratiarū què actionibus Principum, & rescriptis Pontificijs.

præsens definitionis, subiungit: *Magis tamen apud nos ponderis fuerunt preces Maiestatis tuæ, tantumque negotium iterum, accuratiusque pensauimus, aliquando tibi, regnisque tuis, o.atium afferre cupientes.* Et infra. *Quare dissidiorum semina extinguere cupientes, &c.* Hęc planè conuincunt iuxta petitionis Regiæ tenorem expeditum Decretum, & mysterium Immaculatæ Conceptionis, quod Rex definiri desiderabat, sub vnico Conceptionis nomine celebrari à Pontifice iussum: vnde ei gratiæ hoc titulo ab ipso Rege aguntur peculiari epistola, quæ est in *Regesto, colum.* 318. vbi inter alia: *Dux Alburquerqurus, & Comes Montis-regij me monuerunt Decreti, quod à Sanctitate vestra emanauit in fauorem purissimæ Conceptionis Dominæ nostræ.* Et infra. *Vestræ Beatitudinis exosculor manus, sanctè asseuerans magni mea æstimare, quod mea intercessio aliquatem habuerit in hac re partem.* Si hæc omnia syncerè, & vt iacent intellecta, inter se conferantur, egregiè confirmant nomen Conceptionis, quo omnes vti iubet Pontifex, adeo indifferens non esse, vt fuerit pro solatio præseruationis definitionem efflagitantibus, eadem intercessione obtentum, & in fauorem purissimæ Conceptionis, alijs exclusis, designatum. In summa, petebat Rex Catholicus Immaculatam Conceptionem Beatæ Virginis ab omnibus fide diuina credendam proponi; concessit Pontifex eandem Conceptionem Immaculatam ab omnibus cultu Ecclesiastico ex præcepto celebrari, pondus regiarum precum magni ducens, & eis ex parte, vt conuenire iudicauit, annuens.

55 TERTIO, constat prædictus sensus Pontificij Decreti ex publica Orbis lætitia, qua vbique exceptum est, vt Immaculatæ Conceptionis cultum generaliorem, & expressiorem, quàm vnquàm aliàs fuerit, statuens, & opinionem piam nouo aliquo, & singulari fauore prosequens. De alma Vrbe Romana ita scribit *R. P. F. Lucas Vuadingus* spectatæ fidei, & iudicij scriptor, qui præsens aderat, *Sect.* 4. *legat. num.* 40. *pagin.* 450. post descriptum ad verbum Gregor. XV. Decretum. *Ad aras etiam, solemnes intonarunt hymnos, ordinatis etiā processionibus, & grauiori ritu sacris cele-*

Probatio 3. ex lætitia vniuersali ob Decretum.

celebratis in gratiarum actionem, & Immaculatæ Mariæ publicum honorem, ob stabilitam ab vniuerso peccatorum genere immunitatem. Hispalensis Senatus, & populi cum tota adhærente Prouincia, gaudium ipsi ciuitatis illius primores in sua ad eũdem Sanctissimum epistola testantur, in *Regesto, colum.* 193. Cui respondens Sanctissimus nõ solum pietatem, sed rectam Decreti intelligentiam in Hispalensibus laudat, *colum.* 195. *Vos autem* (inquit) *sciẽtiam salutis præclarè didicisse ostenditis, cũ beneficium vobis tributum esse profitemini, eo Apostolico Decreto, quo alternantiũ Theologorum dissidia tollere, & cœlestis Reginæ dignitati nuper consulere voluimus.* Simili plausu, & exultatione Decretum auditũ, & acceptum est in alijs vrbibus, Prouincijs, & Regnis summa consensione: & sanè incredibile prorsus est piæ opionioni adhærentes non intellexisse Decretum potiùs aduersarijs fauere, quàm sibi; faueret enim procul dubio, si declarasset Pontifex Conceptionis nomen indifferens esse, & sub eo celebrari sanctitatem B. Virginis pro tempore aliquo indeterminato; qua declaratione nulla opinioni piæ minus fauens, & dissidijs extinguendis minus apta excogitari potuisset.

Probat. 4. ex cõsensu Doctorum.

** Vide libell. colum. 22 n. 41.*

56 Et ne illi effugio sit locus, quod aduersarij semper in ore habuerunt, nec * modo sibi extorqueri patiuntur piæ opinionis assertores magis persuasione vulgari, quàm Doctorum, aut sapientum suffragijs præualere; adijcimus Quartam Probationem ex doctissimorum cõsensu, quos antè, & post Gregorium XV. in hoc sensu festum Conceptionis intellexisse negari non potest, sublata omni nominis, & temporis indifferentia. Si cui autem copiosior auctorum recensio, aut molestior, aut minus fortasse necessaria videatur; consideret hæc tam perspicua ab aduersarijs negari, & operis instituti rationem in iuris disceptatione præcipuè positi, contestationibus valdè indigere, vt plane, ipso argumento cogente, multa oporteat esse apud nos auctorum similia; quæ vt speciei minus, ita roboris plurimum habere prudentes iudicaturos confidimus.

Consiliũ nostrum in citandis auctoribus

Scriptorum series, qui in festo Cõceptionis B. Virginis, eius præseruationem à peccato originali celebrari docuerunt, tàm ante, quàm post Decretum Gregorij XV.

57 GVLIELMVS RVBIONVS celeberrimus Scoti auditor, qui claruit an. 1333. vt probat *Alphons. Bricen. in Vita Scoti*, §. 20. *à num.* 58. *ad* 65. proposita opinione pia, quam cum Magistro sequitur, sic ait in 3. d. 3. q. 1. concl. 4. propè finem. *Ecclesia videtur huic parti fauere, & ad eam inclinari, cùm sustineat diem Conceptionis Virginis solemnizari; quod non videretur faciendum, nec per consequens ab Ecclesia sustinendum, si Virginem in originali fuisse conceptam totaliter esset certum.* Hęc ille. Quod si ex sola festi permissione colligitur Ecclesiam ad piam opinionem inclinari; quid inferri debet ex mandato, & præcepto idem festum vbiquè non alio, quàm Conceptionis nomine celebrandi? *Guliel. Rub.*

58 IOANNES GERSON Academiæ Parisiensis Cancellarius. 4. p. ser. de Conceptione B. Virginis, habito in Ecclesia S. Germani anno 1401. folio 111. colum 3. edit. Parisiens. an. 1521. tit. Prima consideratio. *Spiritus Sanctus interdum reuelat Ecclesiæ, vel Doctoribus posterioribus aliquas veritates, vel expositiones sacræ Scripturæ, quas non reuelauit eorum prædecessoribus Sic dicit Gregor. Daniel.* 12. *Pertransibunt plurimi, & multiplex erit scientia Domini. Ideò Moyses sciuit plusquàm Abraham; Prophetæ, quàm Moyses; Apostoli, quàm Prophetæ, & Doctores addiderunt multas veritates vltra Apostolos: quapropter dicere possumus hanc veritatem, B. Mariam non fuisse conceptam in peccato originali, de illis esse veritatibus, quæ nouiter sunt reuelatæ, vel declaratæ, tam per miracula, quæ leguntur, quàm per maiorem partem Ecclesiæ Sanctæ, quæ hoc modo tenet. Fuit tẽpus aliquod, in quo non tenebatur generaliter Mariam Virginem esse in paradyso in corpore,* *Gerson.*

pore, & anima, sicut modo tenetur: & similiter post institutionem festi Natiuitatis Sancti Ioannis, Natiuitas Dominæ nostræ ordinata fuit per reuelationem vnius solius fœminæ. Et multa similia. Ecce irrefragabile testimonium de sensu festi Conceptionis ante Sixtum IV.

Abbas Panormitanus 59 NICOLAVS Archiepiscopus Panormitanus, Abbatis tamen nomine notior, (qui Concilio Basileensi interfuit anno 1435. teste Trithem. de Scrip. Eccles.) sup. 1. p. lib. 2. Decret. cap. Cōquestus, de Ferijs. pag. 144. agens de festo Conceptionis B. Virginis, ait. *Aduerte, quòd de hoc fuit longa altercatio inter Fratres Minores ex vna parte asserentes Cōceptionem fuisse sine peccato originali, & Fratres Prædicatores ex alia parte asserentes contrarium: vnde Ioannes Andræas hìc videtur sequi opinionem Prædicatorum.* Et statim. *Sed credendum est Deum ab hac obligatione* (peccati originalis,) *absoluisse à principio B. Virginem, ex qua debebat carnem humanam assumere, & hæc opinio mihi placet.* Et infra. *Et audio, quòd hanc opinionem Ecclesia approbauerit: vnde hodie fit festum celebre de Conceptione in qualibet Ecclesia.*

Concil. Basileense. 60 PATRES Concilij Basileensis in Decreto edito an. 1439. quod in *Regesto* damus *colum.* 20. vocant opinionem piam *Consonam cultui Ecclesiastico*, & post pauca subdunt: *Renouantes prætereà institutionem de celebranda sancta eius Conceptione, quæ tam per Romanam, quàm per alias Ecclesias, sexto Idus Decembris, antiqua & laudabili consuetudine celebratur, &c.* Hoc testimonium instar multorum est, & ex eorum numero, qui humanam auctoritatem non excedunt, præcipuum, præcedētibus vero adiunctum omnino euincit ante Sixtum IV. vbicunque festum Cōceptionis B. Virginis celebrabatur, ab omnibus intellectum fuisse celebrari in eo præseruationem eiusdem gloriosissimæ Virginis à peccato originali, & sanctitatem, in qua concepta fuit, ita vt nunquam illa actu caruerit.

Gabriel. 61 Hoc ergo festum in eodem sensu instaurauit, speciali officio, & indulgētijs auxit Sixt. IV. vt ex eius Extrauagantibus suprà latè demonstrauimus; modò verò idem probamus ex illius temporis, & consequentis scriptoribus: quorum primus sit GABRIEL ex parte datus *Art.* 1. *num.* 4. qui in 3. d. 3. q. 1. rationes adducēs pro opinione pia: *Tertiò* (inquit) *probatur auctoritate Ecclesiæ, quæ maior est auctoritate cuiuscunque Sancti: nam Ecclesia statuit festum Conceptionis generaliter per vniuersum Orbem celebrandum.* Claruit anno 1490.

62 IOANNES MAIOR Doctor Parisiensis ead. dist. & q. sub conclus. 4. probans similiter opinionem piam, ait. *Celebratur festum Conceptionis Diuæ Virginis, tam Romæ solemniter, quàm in alijs locis &c.* Et infra. *Sixtus IV. historiam ordinauit,* (fortè ita nominat officium Nogarolij propter Patrum diuersorum temporum auctoritates lectionibus insertas;) *quod ipsa non est in peccato originali concepta: & si ipsa non fuisset sancta in Conceptione, sed concepta in peccato originali, minimè deberet obseruari.* Claruit an. 150. *Maior.*

63 PETRVS TARTARETVS eiusdem æui scriptor, teste Bellarm. l. de Script. Eccles. distinctione suprà dicta, in fine 1. q. *Quarto probatur,* (scilicet opinio pia) *Conceptio Virginis celebratur tanquam festum solemne, ergo non fuit concepta in peccato originali. Antecedens est notum, & consequentia probatur: quia si esset concepta in peccato originali, Ecclesia faceret festum de peccato, hoc non est dicendum, ergo, &c.* *Tartaretus.*

64 IOANNES ECHIVS in lib. homiliarum excusso Parisijs an. 1555. homil. 2. de Conceptione B. Virginis, initio. *Dilectissimi, hac tam solemni celebritate, per vniuersam Ecclesiam Catholicam cum omni gaudio, summaque alacritate exordium recolimus nostræ salutis, quando nobilissima anima MARIÆ creata, & sanctissimo corpusculo est infusa, citra omnem originalis peccati contagionem; quod nulli aliàs hominum contigit, nisi Mariæ & Christo Domino.* Claruit an. 1520. Luthero in publicis disputationibus conuicto celeberrimus. *Echius.*

65 LVDOVICVS BLOSIVS in libello, qui inscribitur, *Sacellus animæ fidelis*, cap. 4. *Modo in Orbe Christiano,* *Blosius.*

no, Catholici sequuti ipsam Romanam Ecclesiam, festum illud iam olim receptum, alacri, lætaquè deuotione celebrant, recolentes exordium nostræ fælicitatis, quando scilicet nobilissima anima B. Virginis à Deo creata, & illius sanctissimo corpusculo, citra originalis culpæ contagionem, infusa fuit. Hęc Blosius re, & verbis cum Echio conueniens. Floruit an. 1530.

Catharinus. 66 AMBROSIVS CATHARINVS, Ordinis Prædicatorum tract. de Concept. ad S. Synod. Tridentinam, hunc titulum apposuit secundæ parti. *Pars secunda, in qua ostenditur omnes fideles teneri ad celebrandum diem festum Immaculatæ Conceptionis B. Virginis sub ipsomet Immaculatæ Conceptionis titulo, & iuxta sensum Pontificio Decreto expressum.* Hinc constat nunquam Ecclesiam, aut nomen à Conceptione diuersum, aut alium sensum, quàm præseruationis in hoc festo instituisse, aut approbasse; tametsi aliquandiu iustis de causis tolerauerit.

Granadus. 67 IACOBVS GRANADVS Soc. Iesu, tractatu de Immaculata Beata Virg. Dei Genitricis Conceptione, Hispali excusso anno 1617. dispu. 3. cap. 7. sect. 3. initio. *Mihi sanè adeò manifestum, & euidens videtur ab Ecclesia celebrari festum Conceptionis, quatenus significat Dei Genitricem præseruatam fuisse ab originali peccato, quod cæteri homines incurrimus in conceptione carnali, vt non possim, non valdè mirari, non dico Vincentium ingeniosum, etsi in hac parte minus sobrium Theologum; sed etiam alios minoris notæ, qui oppositum sibi persuadere, aut certè verbis affirmare potuerunt. Et quidem S. Thomam, & S. Bonauenturam Ecclesiæ clarissima lumina non miror ita sensisse, quia scripserunt antequam Sixtus Quartus ederet suas Constitutiones, & quando Ecclesia Romana festum Conceptionis non celebrabat. Nunc verò ita perspicua est Summorum Pontificum, & totius Ecclesiæ intentio, &c.* Quæ verba eodem modo leguntur in Comment. sup. 3. par. tomo 4. controuers. 2. disput. 3. sect. 7. §. 3. quod opus anno 1632. elaborauit, vt constat ex sect. 19. num. 214. pag. 408. tot annis post editum Gregorij Decretum; nec aliquid censuit addendum, aut amplius explicandum in re euidentissima.

68 FERDINANDVS Quirinus de Salazar in defensione edita an. 1618. cap. 33. folio 290. num. 2. *Salazar* *Illud igitur in primis certum, ac ratum sit, hoc solemne festum non quidem sub nomine sanctificationis, sed sub nomine Conceptionis hactenus in Ecclesia semper actum.* Et num. 4. damnat, vt falsam, & erroneam assertionem de celebratione Conceptionis spiritualis, ex Sixti Quarti Constitutione.

69 ÆGIDIVS de PRÆSENTATIONE in suo tract. de Immac. *Ægidius.* Concept quem edidit dicto an. 1617. lib. 3. quæst. 6. artic. 1. §. 5. pag. 294. *Sit secunda propositio. Festum Conceptionis ab Ecclesia Romana celebratur sub titulo Immaculatæ, & sanctæ sanctitate præseruatiua ab omni labe originali: & in eodem sensu semper fuit celebratum à tempore, quo in Ecclesia primum celebrari cæpit.* Vide eundem, §. 2. num. 10. pag. 291. vbi asserit omnes nostri temporis Theologos argumentum efficax sumere ad probandam immunitatem B. Virginis ab originali ex celebratione festi Conceptionis sub titulo *Immaculatæ*, tam apud particulares Ecclesias, quàm apud ipsam Ecclesiam Romanam: & citat *Canisium, Cordubensem,* *Alij antiores clasici.* *Suarium, Valentiam, Salmeronem, Vazquez, Pitigianum, Lucerum, Vincentium Iustinianum, Catharinum,* monens se omittere plures alios: quod & nos facimus nimiam prolixitatem vitantes. Hæc enim abundè sufficiunt ad ostendendum, quanto consensu Conceptionis B. Virginis festiuitas in sensu præseruationis, aut Immaculatę Conceptionis à Doctoribus ante Gregorium sit intellecta.

70 NVNC ergo eos, qui post Gregorianum Decretũ scripserunt, audiamus, *Scriptores post Gregor. Decretii* vt iudicari posit, an ab antiquioribus in acceptione nominis CONCEPTIONIS, aut sensus festi intelligentia discesserint; vel saltem leuiter suspicati fuerint nouam aliquam in vsu no-

nouissimæ vocis indifferentiam, quam hactenus scholæ, & perspicacissima ingenia ignorassent.

Portel. 71 LAVRENTIVS de PORTEL in *Dubijs* Regularibus, verbo, *Conceptio Deiparæ* n.9.pag. 135. edit. Lugdun.an.1640. postquàm multa in commendationem opinionis piæ dixisset, cōcludit. *Tandem Gregorius XV. anno 1622. sub excommunicationis sententia, & alijs pænis mandauit, ne opinio D. Thomæ, etiam in priuatis colloquijs, vel scriptis practicetur, vel defendatur. Et quòd omnes recitantes diuinum officium illa die, dicant in officio sub nomine Conceptionis, & non sanctificationis; quicūque illi sint, Clerici, vel Regulares.* Cēsuit vir eruditissimus, & vbi res probationibus eget, efficax, & acutus, hìc solâ simplici relatione opus esse, vt omnes intelligerent opinionem piam ab Ecclesia celebrari, dum nomen sanctificationis amouet, & Conceptionis solum relinquit.

Hieron. Rodrig. 72 HIERONYMVS RODRIGVEZ in Compendio Quæst. Regular. Salmanticæ impresso, an.1628. *Resolut.* 30. *num.* 3. eodem modo, vt de re comperta loquens, inter fauores piæ sententiæ à Sede Apostolica collatos, hunc etiā enumerat. *Tandem* (inquit) *S.D.N. Gregorius XV. anno D.1622. sub excommunicationis pœna, & alijs pœnis præcepit, ne opinio D. Thomæ, etiam in priuatis colloquijs, vel scriptis practicetur, vel defendatur. Insuper, quòd omnes, quicunque illi sint, Clerici, vel Regulares, recitantes officium Conceptionis Deiparæ in festo ipsius, exprimant in illo nomen Conceptionis, & non sanctificationis.* Hæc vtique ex omnium sensu dicuntur.

Aponte. 73 LAVRENTIVS de APONTE in lib. Sapient. cap. 1. vers. 5. homil. 8 §.7. num.120 pag.60. Parisijs anno 1629. agens de consensu Ecclesiæ fidelium vniuersali, qui Summum Pontificē mouere possit ad definiendam B. Virginis præseruationem ab originali, ait. *Secundò, hunc sensum euidenter colligere potest Pontifex ex celebratione festi, quod iam per totam Ecclesiam, sine vlla tergiuersatione sub titulo Immaculatæ Conceptionis celebratur, sicuti Gregorius XV. mandat.* Prorsus propriè, & aptè dixit, *sine vlla tergiuersatione*: qui enim sub Conceptionis nomine Immaculatam Conceptionem celebrari ab Ecclesia negat, non tergiuersatur, sed Pontificijs determinationibus in facie contradicit.

74 HIERONYMVS de ORMACHEA Guerrerus Comment. in Cantic. Lucronij excus. an.1637. præter argumentum *Sed contra* supra citatum *Artic.1.num.98.* ita scribit Prolegom.2. sect.4. num.121. pag 86. *Sed dato, quòd D. Thomas varius non fuerit, & firmissimè semper tenuerit Beatissimam Virginem conceptam fuisse in peccato originali; S. Thomam veneror, amo, laudo, sequor in alijs; in hoc non sequor: non sequor autem D. Thomam, vt sequar communiorem, modò Ecclesiæ sensum, & Ecclesiam mihi præcipientem, vt celebrē festum Conceptionis. Respondeat mihi quisquis voluerit: quem potius sequi debemus, D. Thomam, an communiorem Ecclesiæ sensum? imò potiùs respondeat ipse D. Thomas, quam potius sequar, communiorem Ecclesiæ sententiam, an Augustini, an Hieronymi?* Et num. 123. pag. 87. *Conceptionis festum celebratur ab Ecclesia Romana sub nomine & vera realitate Conceptionis in gratia.* Hæc ille. Ormachea.

75 Reuerendis. P. PHILIPPVS BERNAL lib. inscripto, *Sententia S. Thomæ in fauorem Immaculatæ Cōceptionis Virginis*, Burgis, an. 1623. folio 123. sic ait nostris verbis ex Hispanico. *Solemnitate Conceptionis, Sancta Matre nostra Ecclesia iubente, instituta, vt à toto populo Christiano honoretur, & colatur, sequitur canonizatam manere, vt rem sanctam.* Et fol. 125. pag. 2. refert Pauli V. & Gregorij XV. Decreta piam opinionem roborantia, & oppositæ silentium imponentia. Bernal.

76 Illustris. D. IOANNES SERRANVS *De Immaculata, prorsusquè pura Sanctis. Virg. Mariæ Conceptione*, Neapoli, an.1635. lib.2. cap. 8 ex Summorum Pontificum auctoritate præseruationem B. Virginis probat à Sixto IV. incipiens: & num.28. Decretum Gregorij XV. vt validissimam huius veritatis confirmationem affert, pro certo statuens in præcepto celebrandi sub solo nomine Concep- D. Serranus.

ceptionis,per hanc vocem *Conceptio*, IMMACVLATAM CONCEPT. intellexisse; imò Christianam Militarem Religionem ab Vrbano VIII. in honorem IMMACVL. CONCEPTIONIS erectam.

Marraccius. 77 HIPPOLITVS MARRACCIVS in *Pontificibus Marianis* cap. 94. de Gregorio XV. agens, Decretumquè, in quo versamur, commemorans, subdit. *Hactenus Constitutio: cui adnectam duo breuia, vnum ad Philip. IV. Hispaniarum Regem, alterum ad Hispalensem ciuitatem datũ, quibus pium suum erga Virginem Deiparã, eiusquè puram Conceptionem affectum haud obscura testificatione declarauit.* Apponit deinde litteras Pontificias suprà in *Regesto colum.* 193. *&* 194. descriptas, & paulò ante in hoc ipso *Articulo* expensas, quas prædictus auctor Decreto coniunxit, vt ab eo fidem accipiant, eiquè vicissim lucem præferant, nihil dubitans Gregorium id præseruationis mysteriũ, quod in epistolis commendat, & extollit, in Decreto generali instituta veneratione promouisse.

Miranda. 78 LVDOVICVS de MIRANDA in *Defensione pro Immaculata Deiparæ Virginis Conceptione*, Salmanticæ anno 1626. post longam præseruationis eiusdem B. Virginis ab originali peccato ex varijs medijs probationem, argumentumquè, quod cum communi Doctorum *Firmum, & efficax* appellat ex *Conceptionis naturalis, & materialis* celebratione solemni deductum, *quæst.* 20. *concl.* 2. *pag.* 558. omnia, quæ toto libro dixerat firmaturus, adducit *quæst.* 26. *post* 3. *conclus.* Decretum Gregorij XV. vt clariùs reliquis omnibus, quæ anteà prodierant, cultui eiusdem naturalis Conceptionis fauens, & apertissima decisione omnium rationum, & argumentorum vim obtinens.

Tamaius. 79 IOANNES TAMAIVS de Salazar in vita S. Epitatij, pag. 301. ad an. 1622. quo & Pontificium Decretum Romæ, & liber ipse Matriti prodierunt, illud *In fauorem Immaculatæ Conceptionis* expeditum fuisse, & Gregorium alia nomina præter Conceptionem prohibendo cultui præseruationis suprà prædecessores addidisse constitutionis tenorem recensens pronunciat, qua omnes alij scriptores certitudine, & securitate.

80 MARTINVS BONACINA *Bonacina.* tomo 3. oper. Moral. qui est de censuris, disp. 2. q. 3. punc. 34. num. 10. ex hoc ipso Greg. XV. Decreto corollaria inferens, sic ait. *Tertiò sequitur illum vinculo suspensionis obstringi, qui asserit festum Conceptionis celebrari, quia Beatissima Virgo sanctificata fuit: hoc enim pacto satis apertè asserit Beatissimam Virginem in peccato originali conceptam fuisse, & postmodum sanctificatam; sanctificatio enim* (secundùm mentem scilicet, vsumquè aduersariorum;) *supponit priuationem sanctitatis.* Hæc ille.

81 Magister ÆGIDIVS CONSALVIVS Dauila Regius Historicus, *Dauila.* cui plurima scripta, & longa in studijs, & instrumentis publicis examinandis exacta ætas, quantumlibet magnam fidem conciliant, sic refert memoratam Illustrif. D. Antonij à Trejo legationem, expeditionem Gregoriani Decreti, & communem populi; & eruditorum de eo sententiam: tomo 1. Theatri Ecclesiast. Matriti excusso an. 1645. agens de Ecclesia Murciensi colum. 338. Hispanicè quidem, sed totidem ferè verbis. *Ecclesiam suam ingressus est* (prædictus Antonius) *die quintadecima Octobris anni* 1618. *& confestim Romam profectus cum Regij Legati munere, Regis, & Regnorum nomine Sanctis. P. Paulum V. suppliciter oraturus, vt pro Fidei Articulo declararet B. Virginem sanctissimam MARIAM, & Dominam nostrã absque peccato originali conceptam fuisse: vtquè pro tanti Regis pietate, & dignitate legatio obiri posset, octo ducatorum millia ad itineris expensas attribui iussit. Et Episcopus quidem, sicut in mandatis habebat, vehemens sui Principis Maximo, & Sanctissimo Pontifici desiderium aperuit veneratione, & plausu auditus: Regia verò supplicatio in alto Pontificatu illud obtinuit, quod tam absque controuersia, aut dubitatione, in vtroque Orbe frequentatur.* Præclarũ profectò fidelissimi Chronographi testimonium, in quo vno omnium Ecclesiarum, Vniuersitatum, & Vrbium sententiam habemus: nihil enim dubitatum fuisse compe-

rit vir diligētiſsimus, quin Gregorij XV. Decretum citra definitionem eximiè myſterio præſeruationis fauerit, & à nemine non iudicatum ſit Regiæ legationis cumulatiſsimus fructus, adeò, vt omnes cōtrouerſias funditus extirparet. Acquieſcere æquum eſt etiam ſententiæ propriè tenaciſsimos vtriuſque Orbis iudicio: qui enim præſentiſsimis diſcordiarū remedijs ad eas ſuſcitandas abutuntur, pacem ſe nullis conditionibus velle haud dubiè videntur.

Hactenus auctores pro recta, & ſyncera Decreti Gregorij XV. interpretatione.

Probatio 5. ex eodē ſignificato Conceptionis, et Immac. Concept.

82 SEQVITVR modò quinta, & non minus efficax probatio, qua & hucuſque dicta mirificè roborantur, & nihil aliud, quàm præſeruationem ab Eccleſia feſto ſolemni celebrari apertiſsimè dignoſcitur. Adeò enim nomen *Conceptionis* determinationem ſecum affert, & indifferentiam excludit, vt in officijs Eccleſiaſticis, & vbicunquè de cultu B. Virgini in ſua Conceptione tribuendo agitur, idem prorſus ſignificēt Conceptio, & Immaculata Conceptio: quam acceptionem * aduerſarij non negant; ſed *vulgarem* expreſsè, impropriam verò tacitè appellant: quia intelligere nolunt, nō *multorum*, aut *plurium* priuata dumtaxat auctoritate vocibus vtētium, ſed ipſius Eccleſiæ mentem ea acceptione, vel ſignificandi modo perſpicuè declarari. Quare ſi nos planum fecerimus inter Conceptionem feſto ab Eccleſia Catholica celebratam, & Immaculatam Conceptionē nullum vnquā fuiſſe diſcrimen, nec eſſe potuiſſe, nullo etiā negotio euincemus Gregorium XV. Immaculatæ Conceptionis cultum omnibus iniunxiſſe, cùm feſtum B. Virgini dicatum ſub vnico Conceptionis nomine celebrari præcepit.

** Vide libellos col. 7. et 13. nu. 1. 2. & 13.*

Claritas probationis.

83 DIFFICILIVS autem omnino eſt hanc probationem ſuſcipere, quàm implere; pudet enim ipſam euidentiam alijs rationibus, quaſi clarioribus illuſtrare, & lucernam ante ſolem accēdere: miramurquè hæc in controuerſiam vocari, præſertim ab illis, qui * *Fixam, & perpetuam conſuetudinem Eccleſiæ* agnoſcunt, *non colendi, niſi certam, & indubitatam ſanctitatem*: ſi ergo Eccleſia *Conceptionem* B. Virginis colit, implicatio in terminis eſt *Cōceptionem* ab Eccleſia celebratam diſtinguere ab *Immaculata Cōceptione*. At * *Cōceptio in ſui proprio ſignificato ſolùm importat formationem fœtus in vtero*: vtiquè, ſi de formatione perfecta ſit ſermo, quæ eſt totius hominis generatio in eodem inſtanti, quo anima corpori infunditur: hāc enim abſolutè intelligi ab omnibus Doctoribus, nullo excepto, nomine *Conceptionis* ex toto 1 *Artic.* patet. Sed & Natiuitas in ſuo proprio ſignificato ſolùm importat exitum fœtus ex vtero: Natiuitas tamē B. Virginis ſpeciali feſto celebrata, eſt Natiuitas ſancta, Natiuitas puriſsima, Natiuitas omnis maculæ, & fœditatis peccati expers, Natiuitas vndequaque Munda, & Immaculata. Similiter hæc nomina *Ioannes*, *Petrus*, *Paulus*, indifferentia ſunt, & hominibus ſanctis, æquè, ac non ſanctis tribui poſſunt; at ſi in Kalendario ſcribantur, ſiue cum prænomine Sancti, ſiue ſine illo, ad ſanctitatem ſignificandam determinantur, & ideò in Eccleſiaſticis libris modò nomina Sanctorum propria abſque vllo adiuncto, modò cum epitheto Sancti indiſcriminatim leguntur. Hoc idem prorſus factū eſt in feſtiuitate *Conceptionis* B. Virginis: cùm enim conſtet prædicari *Immaculatam*, eo ipſo quod celebretur: modò *Immaculata*, modò *Sancta*, modò *Puriſsima*, modò ſolùm *Conceptio* vocatur, & B. Virginis puritas à peccato originali per nomina *Præſeruationis*, *Immunitatis*, *Innocentiæ*, & mille alia exprimitur, quæ nihil aliud ſunt, quàm explicationes illius myſterij, quod ſub nomine *Conceptionis* Eccleſia præcipit celebrari; vt aliqua ex inſtrumentis in Regeſto datis percurrentes apertiſsimè oſtendemus.

** In li bell. col. 15. nu. 23.*

** d. nu. 1. libell.*

In

In omnibus scriptis ad cultum Ecclesiasticum spectantibus idem esse Conceptionem B. Virginis, & Immaculatam Conceptionem varijs testimonijs probatur.

Sx. IV. 84 IN PRIMIS manifestissimè apparet hæc significationis æquiualentia in *Extrauagantibus* SIXTI IV. nam constitutio *Cum præexcelsa* ad hoc vnum expedita fuit, vt IMMACVLATA CONCEPTIO Beatissimæ Virginis in tota Ecclesia solemniter celebraretur: quod ex dictis hoc ipso *Artic. à nu. 4. ad 15. & n. 32.* & multò magis ex ipsius Bullæ tenore euidens est; cùm officium in ipsa approbatum non solùm in titulo, sed etiam in singulis ferè verbis, clariùs, quàm aduersarij vellent, pronuntiet CONCEPTIONEM IMMACVLATAM, vt adhuc infra restat nobis expendēdum, cùm ex officiorum Ecclesiasticorum clausulis speciale argumētum ducamus. In hac ergo Constitutione, quæ tota ex professo Immaculatæ Cōceptionis B. Virginis venerationi latissimè propagandæ dicata est, Summus Pontifex absque vllo epitheto, vel adiuncto, nominat *Missam, Officium, & Festiuitatem Conceptionis gloriosæ Virginis Mariæ;* non vtiquè excludens titulū *Immaculatæ*, simul enim, & quod repugnantius est, eisdem verbis, auferret illud ipsum, quod concedebat; sed declarare volens Conceptionem B. Virginis, de qua festiuitatē instituebat, esse Conceptionē Immaculatam, & eandem significationem retineri sub vtroque loquendi modo, cum festiuitatis institutio, vt diximus, à sanctitate nunquam separetur, & omnem maculam ab ea re, quæ in officio diuino celebratur, amoueat.

85 HÆC sanè luce omni clariora videntur: nec minùs manifesta, quæ in alijs eiusdem Pontificis Constitutionibus occurrunt; nam officium R. P. Bernardini Bustij Breui speciali, quod est in *Reg. colum.* 547. approbans; simpliciter appellat *Officium Conceptionis*, cùm ipsum officium à *colum.* 71. *ad* 105. integrè consumatur in *Immaculata Conceptione* propugnanda. Duæ autem Extrauagātes *Graue nimis* sub pœnis grauissimis prohibentes, nè assertio negans B. Virginem cōtraxisse peccatum originale damnetur, quia esset damnare, quod celebrat Ecclesia, vt *num.* 8. 9. & 32. *huius Articuli* declaratum est: & cùm adeò expresè in terminis doceant ab Ecclesia coli Immaculatam Conceptionem, ipsum tamen *Festum* nullo alio nomine appellant, quàm *Conceptionis*; *Officium* verò Nogarolij modò *Conceptionis*, modò *Immaculatæ Conceptionis* in eis nominatur, vt videre licèt *colum.* 106. 109. & 110. *Regesti*: ergo in sensu, & stylo Sedis Apostolicæ, cùm de cultu religioso agitur, idem penitus sunt *Conceptio*, & *Immaculata Conceptio.*

86 INNOCENTIVS VIII. & IVLIVS II. cùm de Religione Monialium sub inuocatione Immaculatæ Conceptionis loquuntur, *Ad honorem Conceptionis Beatæ Virginis erigi*, & *officium diuinum de huiusmodi Conceptione* recitare sæpè repetunt *column.* 113. 114. & 125. *Regesti.* Imò ipsa Monialium prædictarum *Regula* Breui Apostolico inserta *colum.* 128. hunc titulum habet: *Incipit Regula Monialium Conceptionis, &c.* & tamen de eisdem Monialibus *ibidem* dicitur, *Eiusdem Genitricis Immaculatam Conceptionem venerantes*: & formula professionis ita concipitur *colum.* 129. *Ego soror N. ob amorem, & seruitium Domini nostri, & Immaculatæ Conceptionis eiusdem Genitricis, &c* Cernis, quanta indifferentia à Summis Pontificibus *Conceptio*, & *Immaculata Conceptio* promiscuè vsurpentur? Quis enim inter hæc duo faceret discrimen, nisi, qui vota essentialia Religionis ad obsequium alicuius rei maculatæ emitti pateretur? Vnde Christianus populus, & ipsi iuratissimi IMMACVLATÆ CONCEPTION. defensores, quin & Innoc. 8 & Iul. 2

ipsæ

ipsæ præfati instituti Moniales nunquam alijs nominibus in communi sermone vtuntur, quàm *Religio*, *Monasterium*, *vel Ecclesia Conceptionis*; nimirum omnes à Sede Apostolica edocti, Conceptionem, vt actibus religiosis colitur, distinguere nesciunt à Conceptione Immaculata.

Leo X. 87 EADEM est mens LEONIS X. in priuilegio recitantibus officiũ Nogarolij concesso *colum.* 138. vbi tam *officium*, quàm *festum Conceptionis* absolutè nominat, cum de eo loquatur, quod Sixtus IV. de Immaculata Conceptione instituerat, & approbauerat. In alio autem priuilegio *colum.* 141. ita exorditur: *Pia Christi fidelium, & præsertim Immaculatæ Conceptionis B. MARIÆ Virginis honorem tendentia vota, ad exauditionis gratiam libenter admittimus, &c.* infra autem subijcit: *In nocte ante festum Conceptionis.* Rursus in alia concessione, *colum.* 165. cum prius *Monasteria Monialium Immaculatæ Conceptionis* expressè nominasset; postea *Monialibus eiusdem Conceptionis* gratias, & indulta largitur: idem igitur sunt in Apostolicis litteris *Conceptio*, & *Immaculata Conceptio*.

Adrian. VI. 88 STATVTA confraternitatis Toletanæ *Sub vocabulo Conceptionis gloriosissimæ Virginis MARIÆ* confirmat ADRIANVS VI *colum.* 159. cùm tamen titulus confraternitatis sit *Immaculata Conceptio colum.* 153. & iuxta petitionis sensum concessio sit interpretanda, vt *ibid.* obseruauimus. Ipsa verò statuta Illustriss. Cardinalis XIMENII auctoritate munita *ead. col.* *Conceptionem* vocant *Immaculatam*; *colum.* 155. *Sanctissimam*, quem titulum *col.* 157. repetunt; at *colum.* 156. *Sanctam* sæpè vocare contenti, etiã *colum.* 154. absque vllo epitheto *Confraternitatem Conceptionis Matris Dei* dicere satis habent: quæ, vt sic loquamur, religiosa in obseruantia perspicuè ostendit inaffectæ pietatis securitatem: mysteria enim, quæ publicè coluntur, sibi pro omni veneratione sufficiunt, & solis nominibus omnia elogia compendio claudunt.

Confraternitas Toletana.

Card. Ximenius.

Sixt. V. 89 CONSVLATVR concessio SIXTI V. *colum.* 172. Fratribus Ord. Min. de Obseruantia, & Monialibus facta: inuenietur titulus *Purissimæ Conceptionis Dei Genitricis*, & postea bis sine epitheto *Officium Conceptionis*: sunt ergo loquutiones æquiualentes, & idem valet *Officium* de *Conceptione* recitari, ac *Conceptionem* esse *Purissimam*.

Paulus V. 90 NEC aliter PAVLVS V. indulgentias concedens commemorationem de Immaculata Conceptione deuotè facientibus, tantùm nominat *Antiphonam*, & *Orationem Conceptionis B. MARIÆ Virginis* in *Reg. colum.* 175. In Bulla autem, quæ statim sequitur, & incipit, *Regis pacifici, Immaculatæ Conceptionis officium* cum primùm nominasset; deinde ad id, quod dixerat verba referens ait, *Huiusmodi officium Conceptionis*, quo nihil aptius ad æquipollentiam vtriusque phrasis stabiliendam desiderari potest.

Officia diuina. 91 SIMILEM varietatẽ in OFFICIIS diuinis mysterio præseruationis propriè destinatis obseruare licet: ex quibus duo tantùm exempli gratia proferemus. Celebre illud Leonardi Nogarolij officium Immaculatę Conceptionis laudibus plenum, in *Oratione post communionem*, quæ habetur *colum.* 70. *Regesti*, simpliciter eloquitur, *Vt qui hodie MARIÆ Conceptionem iubilando celebrant, &c.* Horę verò B. Mariæ ad vsum Fratrum Prædicatorum, quas *colum.* 235. dedimus, *Conceptionem Immaculatam, benedictam, laudabilem*; Beatissimamquè Virginem *Sine macula*; *sine labe conceptam* instantissimè repetunt; nec eò seciùs *Matris Dei Conceptionem*, aut *Conceptionem* solummodò, tanquàm prorsus æquiualentem vocem, sæpè in titulis, aut officij partibus adscribunt.

Constitutio Cæsaraug. 92 In Constitutione Synodali Cęsaraugustana spectandæ antiquitatis, cùm titulus sit *De Immaculata Conceptione*, *col.* 283. præceptum tamen de celebrando *Festo Conceptionis Virginis die* 8. *Decembris*, *colum. seq.* datum esse dignoscitur; nec timuerunt Patres ibi congregati, ne quod promiserant, parum plenè præstitisse existimarentur: nam festi celebratio fortius negat peccati maculam à Conceptione B. Virginis, quàm ipse titulus Immaculatæ.

93 CON-

Ioannes Aragon. R. 93 CONSONAT Apostolicis, Ecclesiasticisquè scriptis insignis illa IOANNIS I. Aragonum Regis *pragnatica sanctio, col.* 285. titulũ habens *de Conceptione sacratissimæ Virginis MARIÆ*: contextũ autem eiusdẽ Cõceptionis elogijs, eximijsquè laudibus prædiuitem, *Cõceptionẽ Immaculatã, puram, penitus sanctã, & electam, beatam, benedictam, & gloriosam* appellans: quibus, & innumeris alijs epithetis sapientissimus Rex vnum Conceptionis nomen æquiualere iudicauit.

Martinus Aragon. R. 94 MARTINVS I. eiusdem regni, & pietatis hæres, in consimili *Priuilegio, colum.* 288. *Conceptionem gloriosissimæ Virginis* simplici nominatione præmittens, postea eandem *Conceptionem beatam* appellat.

Maria Aragon. Reg. 95 SERENISSIMA etiam MARIA Aragonum Regina suum *Priuilegium de Immaculata Conceptione* inscripsit, *colum.* 295 eamquè in contextu *Sacratissimam* vocat; statim verò addit: *Festiuitatem magnam, quam Sancta Mater Ecclesia de Conceptione dictæ B. Virginis toto in Orbe terrarum multa veneratione cõcelebrat*: semper ergo intellectum fuit Immaculatam Conceptionem celebrari sub solo Conceptionis nomine: quod cum Gregorij XV Decreto mirificè congruit. Addidit eadem Regina alterum mandatum *colum.* 297. *de pura Virginis Conceptione*, & in eo clarissimè præseruationem à peccato originali asserens, *Festiuitatem Conceptionis Virginis gloriosæ* obseruari præcipit, eodẽ prorsus sensu, quo in prædictis Aragonicis priuilegijs constitutum fuerat.

Ioannes Nauarræ R. 96 IOANNES I. Nauarræ R. cõstitutionem *de Immaculata Conceptione*, forum verò *de Conceptione B. MARIÆ Virginis* incripsit, cum vtrobique piam opinionem summo conatu tueatur; in posteriori verò scripto festi celebrationem die 8. Decemb. subditis imperet.

Philip. 3. 97 PHILIPPVS III R. Catholicus in Epistolis ad diuersos, quarum fragmenta à *col.* 307. ad 313. continentur, quãuis de piæ opinionis definitione perpetuò agat, & frequentissimè *Puram*, & *Purissimam Conceptionem* nominet; interdum tamen *mysterium Conceptionis* absque purissimæ titulo profert, nihil dubitans vtrouis modo eandem rem explicari, & ab omnibus intelligi.

Philip. 4. 98 EIVS filius PHILIPPVS IV. R. Catholicus, quem Dominus diutissimè Reip. Christianæ seruet incolumem; *instillatam sibi* (vt ipse ad prædictum Sanctiss. Gregor. XV. scribit *colum.* 314.) *à progenitoribus huius sacri mysterij, & sanctæ festiuitatis deuotionem*, tanquam pretiosiorem regnis ipsis hæreditatem grato animo recolens, & egregio pietatis exemplo æmulatus, dum eandem definitionem exposceret, de expeditione Decreti gratias ageret, solemnia, & perpetua sacrificia institueret; quę omnia leges in *Regesto*, à præ dicta *colum.* ad 322. simul cum ELISABETHÆ Reginæ, CARDINALIS INFANTIS, & amitæ regiæ MARGARITÆ litteris; pro eodem duxit *Conceptionem* Beatissimæ Virginis Põtificia auctoritate celebrandã proponi, ac *Immaculatã Conceptionẽ* honorari, vt præcipuè ex Epistola actionis gratiarũ, quæ est *colum.* 318 supra deduximus: & aliæ regiarum, quas nominauimus, personarum, abundè ostẽdunt, dũ B. Virginis *Conceptionem Immaculatã*, & *Purissimã* laudibus efferẽtes, & ab omnibus coli, & credi desiderãtes, talẽ hunc, ac tantũ pro *Immaculata Cõceptione* zelum, aliquandò solo *Conceptionis* nomine huius mysterij proprio haud dubiè intelligentibus patefaciunt. *Elisab. Reg. Cardin. Infans, Margarita.*

Vniuersitates. 99 VT autẽ in Regijs scriptis principalis culminis auctoritas, ita in Theologorum Academijs Sapientiæ laus, & iudicij certitudo præfulget: quatũ proinde testimonia præcipuum obtinent in nostra probatione locũ. Quia verò cunctarũ Vniuersitatum æternitate dignissima monumenta singillatim expendi integro volumine non possent, quatuor solũ iure nostræ gentis priuilegijs regalibus æquales, Salmãticensem, Vallisoletanam, Cõplutensem, & Bononiẽsem producemus, nihil vltra in tam augustis congregationibus, imò Catholicæ Ecclesiæ propugnaculis discernentes: hic enim, si vnquam alias, disertissimum Cyneæ de Senatu Romano dictum optimè conuenit, tot sedere Reges, quot Patres Conscriptos.

Salmantic. 100 SALMANTICENSIS igitur schola, statuto facto *De iuramento ab omnibus Magistris emittendo sentiendi, prædicandi, defendendi publicè, & priuatim Virginem Mariam Dominam nostram conceptam fuisse sine macula peccati originalis*, vt est in *Regesto, colum.* 374. & in ipsa iuramenti formula præseruationem expressissimè declarans; ait tamen ad B. Virginem, *A primo tuæ Conceptionis instanti, colum.* 377. & in alio iuramento, cuius mentio fit in *Obseruat. colum.* 379. *Excipio opinionem de Immaculatæ Virginis Conceptione*: quo tantæ Academiæ iudicio apertè docemur, cum de cultu, & religiosa veneratione agitur, idem per *Conceptionem* significari, ac per *Immaculatam Conceptionem*.

Vallisol. 101 VALLISOLETANA verò, quamuis in suo iuramento *colum.* 372. Conceptionis voce non vtatur; significationem tamen, quam intendimus, alia ratione, & fortasis vrgentiori confirmat. Si enim prædicti iuramenti verba cũ Decreto Concilij Basileensis *colum.* 20 posito conferantur, ex illo excerpta esse reperientur, & inter alia piam opinionem esse *Consonam cu tui Ecclesiastico*. Sequuti sunt ergo huius Vniuersitatis Doctores maturo iudicio modum loquendi Concilij Basileensis, vt valdè proprium, remoto definitionis verbo, quod Sedes Apostolica reprobauit, sæpissimè testata hanc controuersiam hucusque non esse decisam. Cultus autem, de quo Basileenses loquuntur, ille ipse est, quem Gregor. XV. stabiliuit: aiunt enim. *Statuimus, & ordinamus eandem celebritatem præfata die in omnibus Ecclesijs, Monasterijs, & Conuentibus Christianæ Religionis sub nomine Conceptionis festiuis laudibus colendam esse*. Hic fuit, & nunquam alius cultus Ecclesiasticus legitimus huius mysterij, quem Gregor. XV. renouauit: & qui opinionem piam *Cultui Ecclesiastico consonam* esse docent, fatentur simul Conceptionis nomine celebrari ab Ecclesia Immaculatam Conceptionem.

Complu. 102 COMPLVTENSIS præter iuramentum in multis Decreti Basileensis Synodi verbis similem *colum.* 337. Epistolam ad Sanctis. Paulum V. misit: in qua *Quotannis in memoriam Immaculatæ Conceptionis solemne festum* se celebrare profitetur: sententiam ab Apostolica Sede *Ad laudem, & honorem Immaculatæ Cõceptionis* efflagitat: *Defendendæ Immaculatæ Conceptionis* munus suos Doctores iureiurando suscepisse gloriatur, & tamen in fine Epistolæ, *Ex omnibus Christianæ Religionis Ordinibus, Franciscanum in defendenda Virginis Conceptione semper enituisse* affirmat, quo elogio, vt nostram familiã maximo honore affectam in perpetuum sibi deuinxit; ita significatũ nominis Cõceptionis verissimè exposuit esse Conceptionem Immaculatam, quam Fratres Minores defendimus.

103 BONONIENSIS, quantum ex testimonio Illustris. Episcopi Acernẽsis *colum.* 470. adducto colligere licet, eãdem vim in vtraque loquutione agnoscit: dum processionem solemnem *Die festo Conceptionis* agitat, ipsumquè festum deuotissimè celebrat *In capella sub inuocatione Immaculatæ Conceptionis*; quo religiosissimo actu se id celebrare testatur festiuitate Conceptioni dicata, quod sacra illa ædes *Immaculatæ Conceptioni* erecta suo titulo designat. Bononiensis.

104 HABEMVS ergo Pontificũ, Regum, & Vniuersitatum suffragia: quibus accedunt Vrbium, Sacrorum Ordinum, Collegiorum, Capitulorum, Sodalitatum, & totius Reipublicæ Christianæ varia instrumenta à *colum.* 322. magnam Regesti nostri partem occupantia: quibus constat neminem hucusque, cùm de cultu, veneratione, solemnitate, aut pio erga Conceptionem gloriosissimæ Virginis affectu sermo incidit, Conceptionis nomen à titulo Immaculatæ Conceptionis distinxisse; sed vnum, idemquè mysteriũ præseruationis sic, vel sic expressum omnium consensu audiri, legi, tradi, doceri, & disci; vt, qui inter hæc duo discrimen faciat, a communi hominum etiam peritissimorum, & ipsius Ecclesiæ sensu abhorrere dicẽdus sit. Quare firmissimum, & vndequaque certum manet, Gregoriũ XV. cùm ab omnibus celebrari præcepit festum B. Virginis, *Non alio nomine, quam Conceptionis*, nihil aliud intendisse, aut in- Tota Respub. Christiana.

ten-

tendere illis verbis potuisse, nisi vt celebraretur Immaculata Conceptio in tota Ecclesia, quam sub Conceptionis nomine eius prædecessores celebrauerant, & celebrandam docuerant. Quo iam quidquid ad Decretum Gregorianum pertinet, satis pro instituto nostro examinatũ videtur: & pariter omnia spectantia ad hoc primum fundamentum generale resolutionis articuli sumptum ex confirmationibus Extrauagantium Sixti IV. quod à *num.* 16. hucusque latè, & copiosè prosequuti sumus.

Epilogus primi fundamẽti stabiliti num. 16.

Stabilitur secundò veritas huius articuli de Immaculata Conceptione B. Virginis in primo instanti celebrata ab Ecclesia, ex officijs diuinis in festo Conceptionis die 8. Decembris recitari solitis.

Defendẽtis, & docentis discrimen.

105 MVlta ad veritatis defensionẽ, præsertim vbi contentiosè negatur, necessaria sunt, quæ ad simplicem eius notitiam, imo efficacem persuasionem apud animum affectibus liberum superuacua essent: nam qui docet, aut suadet, rationes tantùm contextatur; qui vero defendit & vim, dolum, vel cauillationes timet, verba ipsa, & apices retinere cogitur, ne veritas cum illis amittatur. Sufficiebat quidem ad persuasionem, festi Conceptionis probatio; ad defensionem autem nihil satis est, cùm etiam euidentissima in dubium reuocentur. Certè Apostoli symbolum fidei conficientes Christi Domini diuinitatem vno verbo expresserunt, *Et in Iesum Christum Filium eius vnicum, Dominum nostrum*; Patres autem Nicænæ Synodi, qui receptas, & determinatas loquutiones nouis æquiuocationibus deludi videbant, multifariam eundem articulum propter contentiosos explicari debere iudicarunt: *Et in vnum Dominum Iesum Christum, Filium Dei vnigenitum, & ex Patre natum ante omnia sæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero: genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt*: quod consilium prudentissimum fuisse docuit euentus, tot enim proprijssimis vocibus, quasi multis clauibus & seris, thesaurus illius veritatis custoditus est. Sic nos, quia nomen *Conceptionis* celebratæ ab Ecclesia ex determinatissimo ad statum indifferentiæ reluctans trahitur (hactenus enim cõparatio subsistit) alijs loquutionibus Ecclesiæ auctoritate institutis illud roboramus, vt Virgineæ præseruationis mysterium obscurari non possit. Quare, vt sciant aduersarij, quàm ingenuos & à fuco alienos litigatores habeant: palàm fatemur, quamuis dum Ecclesia præseruationem non definit, nihil opinioni piæ celebratione festi Conceptionis potuerit concedere maius; tamen pro quolibet titulorũ, quibus eadem B. Virginis Conceptio a Sede Apostolica decorata est, tanquam pro aris, ac focis pugnaturos; nec nisi ipsa sancta Sede aliter statuente ab hac iustissima defensione laboribus, aut difficultatibus deterrendos.

106 Igitur cùm de nomine, festo, & significato *Conceptionis* constet; argumentum sumimus ab officiorum diuinorum clausulis, quod nemo negabit esse efficacissimum: cùm præsertim non aliquid incidenter dictum; sed ipsius mysterij, quod celebratur, signatiora, & perpetua epitheta, vel æquiualentes loquendi modos ad probationem adducamus. *Vis huius fundamẽti.*

Ex officio Conceptionis à tempore Venerabilis Abbatis Heluini ex D. Anselmi scriptis.

107 HVius officij, inter omnia, quorum memoria extat, antiquissimi, scopum fuisse sanctitatem Beatissimæ Virginis in primo instanti infusionis animæ celebrare, constat ex nomine festi diuinitus reuelato, *colum.* 2. *Reg. Diẽ Conceptionis & Creationis Matris Domini nostri Iesu Christi solemniter celebrabis, & celebrandum prædicabis.* Præuenit diuina Sapientia exorituras controuersias, & *Officium primitiuum.*

Con-

Conceptionem suæ Matris, cui festum dicari volebat, expressè dixit esse *Creationem*, vel infusionem animæ sanctissimæ in illud pulcherrimum, & *Spiritu Sancto cooperante præparatum corpus*, vt nullo penitus instanti temporis anteierit natura gratiã. Quid pro sensu festi, quem posteà pia opinio amplexa est, expressius excogitari potuerit, nobis non apparet. Vnde, cùm ex S. Anselmo constet *colum.* 3. festum, quod Abbati Heluino cælitus reuelatum fuit, *In occiduis regionibus, & per totam Angliam, Britanniam, Daciam, Normanniam, Germaniam* ex eo tempore celebrari cæpisse, ita vt ad *omnes mundi partes* breui extendendum non dubitaretur, & reipsa extensum fuerit; perspicuum est Ecclesias festum illud approbantes, & recipiẽtes, magistramquè omnium Romanam nihil aliud, quàm *Creationem*, siue *animationem* B. Virginis coluisse. Firmissimum hoc antiquitatis, & cõtinuatæ successionis testimonium est, quantumvis Sanctissimi, & Sapientissimi Doctores, vel festi sensum ob minus notam veritatem facti aliter intellexerint, vel festum ipsum, quia à Romana Ecclesia approbatum nõ erat, prudenter pro legitimo agnoscere recusauerint, vtrunque enim Apostolicæ Sedis de laratione extra controuersiam relictum est.

Concep. B. Virginis eũdem cultum habet, ac Natiuitas.

108 Quod attinet ad ipsum officiũ diuina etiam reuelatione præscriptum idem in omnibus cum officio Natiuitatis mutato tantùm nomine *Natiuitatis* in nomen *Conceptionis*, consideratione dignissimum est duo hæc mysteria æquali veneratione prosequenda proponi, vt per vnum iam antiquum, & celebre, aliud novum, aut paucis notum suauissima prouidentia animis fidelium instillaretur. Et sicut ex festo Natiuitatis B. Virginis ab omnibus intelligebatur, Matrem Domini, non solum postquam nata est, sed cum nasceretur, & in ipsa Natiuitate sanctã fuisse, adeòquè ipsammet Natiuitatẽ Dominæ nostræ coli, vt sanctam: similiter ex festo Conceptionis clarissimè pateret, eandem Beatissimam Virginem, nõ postquam concepta fuit in vtero matris, aut generata ex corpore, & anima constans; sed in ipsa *Conceptione, Creatione*, aut generatione sanctam extitisse, & eius *Conceptionem* colendam, & venerandam, vt verè sanctam. Quem sensum ex diuino præcepto ductum illius officij declarabat *Oratio*, sic ad Deum loquens: *Cuius Sanctã Conceptionem hodierna die, te iubente, celebramus in terris*: & reuelationis historia, ne tantæ rei subiret obliuio, in lectionibus canebatur.

S. Anselmi scripta pro Immac. Concept.

109 Valdè etiam confirmant festũ Sanctitatis B. Virginis in primo instanti alia S. Anselmi scripta occasione eiusdẽ festi elaborata: nam in *secunda Epistola colum.* 8. & 9. duas alias reuelationes refert cum prima, quam Heluinus habuerat, consentientes, & in eodem prorsus sensu accipiendas de *Conceptione* B. Virginis, quæ, vt iam præmiserat, est eius *Creatio*, celebri solemnitate honoranda. In libro autem, qui incipit *colum.* 11. & vt ex primis verbis appatet, potius dicendus est sermo in prædicta festiuitate ad populum habitus, clariùs, quàm nos modò possumus, à *cap.* 3. vsque ad finem, immunitatem gloriosissimæ Virginis à peccato originali validis rationibus, & elegantibus exemplis illustrat: quæ omnia ad festi sensum explicandum directa esse discimus ex sermone sequenti *colum.* 17. vbi quid in die Conceptionis B. Virginis celebretur, sic Anselmus explicat. *Diem illum, & noctem*, quamuis *sanè multis incognita, & tempus, & horam spiritualis Conceptionis eius hodie celebrare delectat*. Quid verò intelligat per spiritualem Conceptionem, declarat subijciens: *quia ipse, qui est animarum Creator, animam suæ Matris dignam sanctissimo corpori virginali eius, Angelis ministrantibus copulauit*. Et prosequitur adhuc expressiùs. *Si non placet illius celebrare solemnia Conceptionis carnalis* (nempè, commixtionem seminum;) *Dominicæ Matris; placeat eis colere animæ eius spiritualem creationem, ac corporis, & animæ copulationem*. Et circa finem sermonis. *Celebremus ergo hodie dignis officijs vtramque Conceptionem eius, spiritualem, scilicet, & humanam*. Celebrata ergo est ab initio institutionis festi Conceptio B. Virginis accepta pro instanti infusionis animæ simul

mul cum gratia, & sanctitate; siue fuerit eodem die, quo eius sanctissimi parentes singulari obedientia, & puritate copulati sunt, siue alio; quod sub dubio Anselmus relinquit.

Ex officio antiquo sacræ Religionis Præmonstratensis sanctissimi Patriarchæ Norberti.

Officiũ Præmõstrat. 110 INSIGNE prorsus testimoniũ, & quod nullã exceptionẽ patiatur, habemus in officio *Puræ & Mundæ Conceptionis*, S. Norberti auctoritate multis Ecclesijs commẽdato, circa annum Domini 1120. quo tempore ille claruit, vt ex *Card. Borony Annalib.* constat, tam ad prædictum annũ, quàm 1127. & 1134. cum autem Canonicorum Regularium Pater, Magdeburgensis Archiepiscopus, egregius Doctor fuerit, & super omnia, *illustris præcipua sanctitate, & auctoritate etiam hostibus reuerenda* (Bernardi verba sunt de eo loquentis epist. 126.) poterat vel solus mysterium Præseruationis Ecclesię persuadere. *Nam tãto vir ille* (ait idẽ Bernar. epist. 8. ad Brunon. Archiep. Colonienſ.) *in diuinis aperiendis mysterijs nobis promptior, quantò & Deo propior esse cognoscitur.*

Eius titulus. 111 TITVLVS ergo officij, quod Sanctus Norbertus filijs suis recitandum tradidit, sicut & festi, quod celebrauit, fuit *Puræ, & Mundæ Conceptionis*; nec mirum, cum sacra Religio ab ipso fundata, ex B. Virginis præcepto purissimæ eius conceptioni dicata sit, vt iam in *Regesto* diximus *col.* 475. & 476.

Clausula. 112 IPSVM autẽ officium quàm apertè B. Virginis Præseruationem coli protestetur, duæ clausulæ *à P. Bernardo de Leon* eiusdem Ordinis in *prologo to. 1. Opuscul.or.* adductæ comprobant: quæ licet ad fidem faciendam sufficiant, cæterarum tamen eiusdem sententiæ, quibus quasi gemmis officiũ illud exornatum fuisse dubitari nõ ptest, injiciunt desiderium. Prior clausula est initio Antiphonarum ad Laudes: *Cõceptus hodiernus MARIÆ semper Virginis næuum tersit, nexũ soluit vetustæ originis.* Posterior ex *Responsor.* ad secundas Vesperas: *Aue Sponsa Sunamitis, secundùm cor summi Regis: Aue Virgo Spiritu sancto præseruante, quæ de tanto parentis primi peccato triumphas innoxia.* Negari ergo non potest antè quingentos, & amplius annos auctoritate doctissimi, & sanctissimi Præsulis celebratam fuisse Conceptionẽ Immaculatam B. Virginis, siue eius immunitatẽ à peccato originali. Quod & ipsum *S. Norbertum in libris suarum reuelationũ* testatũ reliquisse, scribit *Gulielm. Eisingrenius in Cathalogo testiũ veritatis Orthodoxæ Ecclesiæ Doctorum.*

113 IMMO, quamuis officij verba adeò expressa non essent; ex contradictione, quam auctoritate Romanæ sedis destituta solemnitas, à veritatis etiã relatoribus passa est, abundè probaretur. Cùm enim S. Norberti institutũ, & recitandi formã plures Cathedrales Ecclesiæ in Germania, Gallia, & Belgio recepissent, Cõceptionis festum, & mirificè propagari, & simul impugnari cœpit: ad idem quippè seculum pertinet decantata illa *Epistola ad Lugdunenses* inter opera D. Bernardi: alia *Episcopi Magalonensis ad Fratres Regulares Calmosiacenses* apud *Radulphum de Canon. Obseru. proposit.* 5. item diuersorum *quæstiones & dubia*, quibus *Iacobus Atrebatensis* Ord. S. Norberti, Abbas S. Martini de Monte in Episcopatu Cameracensi, & *Doctor Parisiensis primò ex octo libris de Laudibus Virginis, & Conceptione* dicatis Decano & Capitulo Atrebatensis Ecclesiæ, qui hoc festum celebrabant, copiosè respondit. Nec taceri debet auctor festi Cõceptionis in hac Ecclesia Atrebatensi: fuit enim S. Godelcalcus eius Episcopus, Præmonstratensis instituti, qui Magistri vestigijs insistens idem officium, eundem Virginis cultum, & festi sensum sedulò promouit. Quanti põderis fuerint auctores, vel scripta contra festum Immaculatæ Conceptionis, nunc non expendimus; nec enim quantalibet auctoritas post festum ab Eccle- *Festi Cõceptionis propagatio, & contradictio.*

sia Romana receptum prægrauare potest; & pro eiusdem festi antiquitate in sensu piæ opinionis parem habemus à colentibus, & impugnantibus firmitatẽ.

Ex varijs officijs receptis, & approbatis à Sede Apostolica, vel particularibus Ecclesijs.

Concordia Ecclesiarũ in celebrãdaCõcept. B Virg.

114 HABENTVR horum officiorum fragmenta in *Regesto à colum.* 195. in quibus mirabile est, & Spiritus sancti mouentis apertissimum signum, tot Ecclesias absque vllo præcepto in celebrando festo sub nomine CONCEPTIONIS B. VIRGINIS conuenisse; cùm tamen vnica Religio, quæ *sanctificationis* nomine celebrabat, a se ipsa dissideret, vt patet *col.* 221 & 235. Cumque *Conceptionis* vox semper significauerit comunctionẽ animæ, & corporis, & in officijs Ecclesiasticis nunquam aliter, quàm pro *Conceptione sancta*, aut *Immaculata* fuerit accepta, euidens est omnes illas Ecclesias, quę Conceptionis titulum festo tribuebant, sanctitatem B. Virginis in primo instãti animationis confessas, & veneratas esse.

Conceptionis B. Virg. epitheta

115 NEC minori concordia hanc ipsam Conceptionem talibus honoris elogijs exornant, vt nullum dubium relinquant, se Pręseruationem B. Virginis à peccato originali celebrare.

Immaculata.

116 INPRIMIS vocant Conceptionem Virginis IMMACVLATAM omnia illa Missalia, & Breuiaria, quæ vsa sunt officio Leonardi Nogarolij à Sixto IV. approbato, & alia, quæ prædictum officiũ quoad hunc titulum sequebantur, nimirũ, *Placentinũ & Ambrosianũ* col. 197 *Hispalense*, *Salmanticense*, *Conchense*, *Cæsaraugustanũ*, col. 199. *Valentinum*, *Pampilonense*, *Cordubense*, col. 200. *Compostellanum*, *Ilerdense*, *Granatense*, col. 201. *Tudense*, *Cauriense*, *Abulense*, *Dertusense*, *Palentinum*, *Placentinum*, col. 202. *Turiasonense*, & *Oscense*, col. 203. *Romanum*, col. 204. 205. & 209. *Ordinum B. Mariæ de Mercede*, *sanctissimæ Trinitatis*, *Carmelitani*, col. 203. Idem titulus legitur in *Horis ad vsum Fratrũ Prædicatorũ*, col. 235. & Virgo *sine macula*, & *sine labe concepta* appellatur ibid & col. 237.

117 CONCEPTIONEM Beatæ Virginis vocant SANCTAM, *Missale Toletan.* col. 196 *Breuiar. Conchense*, col. 199. *Giggnense* col. 200. *Seguntinum* col. 201. *Sancta.*

118 VOCAT SANCTISSIMAM *Breuiarium Salmanticense*, col. 199. *Sanctissima.*

119 Gloriosam *Missale Ambrosian.* col. 197 & *Placentinum* col. 202. *Gloriosa*

120 BEATAM idem *Missale Ambrosianum* dicta col. 197. *Beata.*

121 BENEDICTAM *Horæ Fratrum Prædicatorum*, fol. 235. *Benedicta.*

122 SACRAM, & NOBILEM *Brauiarium Ecclesiæ Burgensis*, col. 201. *Sacra & nobilis.*

123 PVRISSIMAM *Breuiarium Ecclesiæ Ciuitatensis* col. 202. *Purissima.*

124 VENERANDAM *Missale secundum consuetudinem Romanæ Ecclesiæ*, col. 205. *Veneranda.*

125 NÆVVM *tergere*, & *nexũ soluere vetustæ originis* dicitur de B. Virginis Cõceptione in *Breuiario Cõchẽsi*, col. 199. ex officio S. Norberti, vt supra nu. 112. *Neuum tergens & nexũ soluens.*

126 EST & illud diligenter obseruandum, per *interuentum*, & *intercessum* Conceptionis B. Virginis peti à Deo misericordiã, & beneficia in *officio Mozarabe*, col. 198. vt in Litania Ecclesiastica, *Per Immaculatam Conceptionem tuã, &c.* col. 210. Quis autẽ ad Deum orans rem peccato fœdatam pro se interuenire desideret? *Petitio interuẽtu Cõceptionis.*

127 BREVIARIVM etiam secũdùm regulam B. Isidori, idem cum Mozarabe, Conceptioni B. Virginis adaptat officium Assumptionis, quod est solemnissimum inter omnia eiusdem Virginis festa. *Conceptio colitur, vt Assumptio.*

128 SIMILITER obseruandi sunt epitheta ipsi B. Virgini attributa, cùm de mysterio Conceptionis agitur in diuinis officijs: vt *primæ mulieris maculam expiandam per Virginem* in *Miss. Tolet.* col. 196. & 198. *Giennensi*, & *Vxamensi*, col. 200. *Auriensi*, col. 201 *B. Virginis epitheta in sua Concept.*

MA-

MARIA gratia plena, stirpe concepta Regia in eodem *Breu. Gien.* ibid. *Virgo stella coruscа, & admirabilis mundo concepta est*, in *Miss. Ambros.* col. 197. *Virgo Immaculata* in *Horis Fratrum Prædicatorū*, col. 235. & illa clausula officij Nogarolij in Oratione: *eam ab omni labe præseruasti*, quę est in plerisque Breuiarijs, *num.* 116. allegatis. & paulo post iterum expendetur. Rithmi autem veteres Missalis Romani, *colum.* 205. & sequentibus tot modis prædicant puritatem B. Virginis in sua Conceptione, vt integri transcribi deberent, ne singulæ sententiæ perirent. Quid enim illis pulchrius, aut expresſius? *Hæc concepta miro more est, vt rosa cum nitore, & vt candens lilium. Vt fructus exit à flore, est producta cum pudore, præuenta per Filium. Sicut ros non corrumpitur, quando in terra gignitur, elementi rubigine: sic Virgo non inficitur, cùm in matre concipitur, origi nali crimine.* Lege reliqua, & percipies in rudi modulatione, vt illa tempora ferebant, spirantem pietatem, singularem B. Virginis in sua Conceptione excellentiam; & non dubitabis eius originalē puritatem, siue gratiam in primo instanti infusionis animæ omnium Ecclesiarum consensu celebratam.

Ex officio, quo nunc vtitur Ecclesia Romana in festo Conceptionis Beatæ Virginis.

129 DVO officia seorsim ex pendenda consultò à cęteris segregauimus: *Romanū*, quod modò est in vsu, *col.* 211. *Regesti* exscriptum: *& proprium nostri Ordinis Minorum*, *col.* 214. idque duas potiſsimum ob causas: altera, quia hæc duo officia principatum in sua classe ducunt, & archetypa vocari merentur; *nostrum* quidem post tempus Sixti IV. maximè celebre; *Romanū* verò cælesti reuelatione designatum, & antiquitate præstans, quam fuiſſe vnam ex præcipuis causis, cur à sanctæ memoriæ Pio V. præ reliquis electum sit, vt Breuiario communi apponeretur, in *obseruat.* post Romana Breuiaria, *dicta colum.* 211. diximus. Altera causa est, quod nullum aliud Conceptionis officiū, prę ter hæc duo toties, & tam accurate examinatum, & reformatum sit, nec à tot Romanis Pontificibus approbatū, quare quæ ex prædictis officijs colligemus, auro ipso septies per ignem ad obrussam exacto puriora, & defœcatiora sunt, quibusque certius aliquid, & securius desiderari nequeat.

Officiū Romanum.

130 IN Romano ergo officio omnia dicuntur, vt in die Natiuitatis B. Virginis, mutato nomine Natiuitatis in Cōceptionē, vt Abbati Helsino fuerat reuelatū. Ex quo manifestè sequitur celebrari ab Ecclesia Romana, & ex præcepto fælic. record. Pij Papæ V. in Bulla, quæ incipit, *Quod à nobis postulat*, ab omnibus, qui Breuiario Romano vtuntur, præseruationem B. Virginis à peccato originali; nam sicut communis, & certa Doctorum sententia cum *Auctore Epistolæ ad Lugdunenses* inter Epistolas Diu. Bernardi 174. cum *D. Thoma* 3. *p. q.* 27. *art.* 1. *in argum. sed contra: & vtroque antiquiori S. Ildephonso, in lib. de perpet. virginit. Mariæ*, qui habetur *to* 9. *Bibliot. PP.* vt omnino indubitatū tenet, Natiuitatē B. Virginis fuiſſe sanctā, quia celebratur ab Ecclesia: ita neceſſe est fateri Cōceptionis sanctitatem ob eamdem rationē; nequit autem Conceptio esse sancta, nisi B. Virgo à peccato originali fuerit præseruata, seu, quod idem est, nunquā actualiter in sua propria persona cōtraxerit peccatū originale: cùm enim Conceptio sit primum instans esse personæ, humanæ, in quo instanti peccatum originale contrahunt, quicumque contrahunt; quæ in sua Conceptione gratiam habuit, nunquam actu peccato subiacuit, sed præuenta, & præseruata fuit. Insolubilis prorsus ratio ad id, quod modò probare intendimus; nec enim volumus ostendere gradum certitudinis piæ opinionis ex festi institutione, sed sensum festi ex Ecclesiasticis officijs; qui adeò manifestus nobis videtur, vt nisi omnibus principijs negatis declinari non posſit: & si ab aduersarijs con-

Conceptio Beatæ Virginis colitur ab Eccl. Roman. sicut eius Natiuitas.

concederetur, nulla esset de titulo Immaculatæ Conceptionis controuersia.

Celebratur ab Ecclesia Conceptio naturalis B. Virginis

131 QVAMVIS autem varia excogitata sint effugia ab his, qui ęgre ferunt, B. Virginis præseruationem à peccato originali in tota Ecclesia celebrari; altera tamen ex duabus vijs incendunt: nam vel negant Ecclesiam colere primum instans animationis B. Virginis; vel colere quidem concedunt, non tamen ratione sanctitatis, & gratiæ, quã B. Virgo in eo ipso instanti habuerit, sed ob alias causas, quas modò examinare non est opus: cùm vterque dicendi modus ex ipsius officij Romani verbis falsitatis conuincatur. Qui enim negant coli in hoc festo primum instans animationis, eo ipso affirmant solam spiritualem Conceptionem celebrari ab Ecclesia, vt *num.* 10. deduximus, quæ est propositio damnata à Sixto IV. & contrà primam officij Romani *Antiphonam* ad Vesperas, & Laudes: *Conceptio gloriosæ Virginis Mariæ ex semine Abrahæ*: quę verba in *Resp.* post quartam lectionem repetuntur, & in versiculo additur, *Hodie concepta est Beata Virgo Maria ex progenie Dauid.* Quænam est Conceptio ex semine Abrahæ, & progenie Dauid, nisi Conceptio naturalis? Quæ verò naturalis Conceptio nisi animæ in corpus infusio? nam Conceptio imperfecta antè animationem, nec est simpliciter Conceptio B. Virginis, nec potest celebrari ab Ecclesia iuxta auctores huius primæ sententiæ, qui nihil ab Ecclesia celebrari, quod sanctum non sit, constanter fatentur; Virginem autem sanctificatam esse ante animationem ab *Alberto Magno in 3. dist. 3. artic.* 4. vt ex plorata hæresis damnatur, & à *D. Thoma 3. p. q.* 27. *artic. 2. in corp.* vt impossibile reijcitur: de qua doctrina ex *dicta Epist. ad Lugdunenses* accepta nullum apud Catholicos dubium est. Præter has conceptiones naturales, propriam, & impropriam, nulla alia est ab vllo vnquam Doctore agnita, aut cõficta; nec Cõceptionis nomine aliquid subsequẽs fœtus animationẽ à Philosophis, vel Theologis intellectũ: *Cõceptio* igitur *gloriosæ Virginis Mariæ ex semine Abrahæ*, quam celebrat Ecclesia, nulla alia potest esse, quàm animæ infusio. Recole dicta in hoc *artic. à nu.* 5. *ad* 15. *&* auctores relatos *à num.* 57. Incidunt etiam prædicti auctores in aliam ferè inextricabilem difficultatem: nam *assertus Bernardus d. epist. ad Lugdun.* expreisè affirmat ex festo Natiuitatis B. Virginis indubitatam relinqui eius sanctificationem in vtero, *firmissimè* (hæc sunt eius verba) *cum Ecclesia sentiens in vtero eam accepisse, vt sancta prodiret*: cui sententiæ grauiores Theologos adhærere testatur *Salaz. cap.* 33. *num.* 8. *&* 10. nihil ergo celebrari potest in festo Conceptionis, nisi supra sanctificationem addatur pręseruatio, colendo non solum id, quod accepit in vtero existens, sed cùm primum in vtero concepta est.

Conceptionis B. Virginis agnitissima, & sancta.

132 QVI vero de *Conceptionis* nomine non contendunt, sed de sanctitate primi instantis infusionis animæ, de qua fateri nolunt institutam ab Ecclesia solemnitatem, habent contra se expressa verba *Responsorij* post tertiam Lectionẽ: *Gloriosæ Virginis Mariæ Conceptionem dignissimam recolamus*: & post Lectionem octauam: *quicumque celebrant tuam sanctã Conceptionẽ*: nec explicare possunt, quomodo ipsa animæ infusio à sanctitate temporis sequentis *sancta*, & *dignissima* ab Ecclesia vocari, & vt *sancta* eodem, quo Natiuitas officio celebrari valeat. Quotidie infantes quàm citissimè ab vteris matrum, immo nondum perfectè editi sacro baptismatis lauacro à peccato originali mundantur, nec tamen ob exiguam temporis distantiam, corũ natiuitatem sanctã dicimus, aut sine errore existimare possumus; natiuitas enim, & conceptio instantium, & temporum nomina sunt, non personarum, nec sufficit personam, postquam nata, aut concepta est, sanctam fuisse, vt eius Conceptio, vel Natiuitas sancta appelletur, multò minus vt sub titulo, & nomine sanctæ colatur. Quæ adeò vrgent, vt non defuerint ex aduersarijs, qui *nostro hoc seculo* (vt P. Quirini de Salazar verbis vtamur dicto cap. 33. n. 11. pag. 294.) *huius festi nomen demutarunt*, *& non Conceptionem*

MA

MARIÆ, sed conceptam MARIAM appellandum esse dicunt, atque non sine Virginis iniuria eam vocẽ passim vsurpant. Profectò honorificẽtius esset omninò desererc causam, quàm sic defendere, vt veritates ipsa causa certiores deferantur. Tantus itaque splendor Immaculatæ Conceptioni ex officio Romano affulget, quod Spiritu sancto suggerente Pôtificijs culminis decus Pius V. inter omnia elegit, vt in Ordinario locum obtineret, *vrgentius statutum* præ omnibus suis prædecessoribus pro Virginis præseruatione condens, vt cum *Illustriss. Sosa num.* 35. diximus, & docens frustrà niti ad titulum Immaculatæ Conceptionis abolendum, qui *Conceptionis ex semine Abrahæ* festum solemne in Ecclesia Catholica fixum, & stabile permansurum non ignorant.

Ex officio proprio Fratrum Minorum in festo Conceptionis B. Virginis Mariæ à Sixto IIII. Pio V. & alijs Summis Pontificibus approbato, vt patet ex nostro Regesto, col. 219.

Officiũ R. P. Bernardini Bustij, & aliud pro Monialibus Cõceptionis.

133 TRIA omninò officia propria Immaculatæ Conceptionis Religio Minorum à Sede Apostolica accepit: Primum, quod Sixtus IV. in Constitutione, *Cum præexcelsa*, approbauit, & habetur *colum.* 49 *Reg.* Secundum à R. P. Bernardino Bustio confectum, *ibid. colum.* 70. eius autem approbatio ab eodem Pontifice, *colum.* 547. Tertium ad vsum Monialium Conceptionis, cuius clausulas aliquot habes, *col.* 142. vna cum *Obseruatione* de Pontificijs approbationibus. Ex his officijs duo posteriora gloriosissimę Virginis à peccato originali præseruationem abundè declarãt, vt propterea eorum verba singillatim adducere necesse non sit, indicasse sufficiat, vt ab Immaculatæ Conceptionis, & veritatis studiosis consuli, & legi possint, nec oblitterentur ex hominum memoria adeò euidentia Sedis Apostolicæ erga piam opinionem propensæ argumenta.

Officiũ Nogarolij.

134 ILLVD verò primum officium Cõstitutionis, *Cum præexcelsa* multis de causis accuratissimè à nobis expendendum est. Primò, quia quod in illa Cõstitutione Sixtus IV. decreuerat, in duabus alijs incipientibus, *Graue nimis* Apostolica constantia contra calumniatores defendit, fuitque ab Alex. IV. Concilio Tridentino, Pio V. Paulo V. & Gregorio XV. confirmatum: & grauissima illa verba: *Sanè cum sancta Romana Ecclesia de Intemeratæ, semperque Virginis MARIÆ Conceptione publicè festum solemniter celebret, & speciale, ac proprium super hoc officium ordinauerit*, toties Pontificijs diplomatibus inserta, & nouam à Concilio Generali vim obtinentia de hoc officio expressè loquuntur. Secundò, quia Pius V. vt vniuersæ Ecclesiæ prudentia, & pietate singulari, officium Natiuitatis ad festum Conceptionis designauit; ita Minoritanæ familiæ hoc proprium, & speciale reliquit, indulsit, & concessit, quod tam *dicta col.* 219 quàm *in alia obseruat. colum.* 213. apertissimè ostendimus. Vnde hoc officium præmium laborum huius pauperculæ familiæ pro Immaculata Conceptione fuit, & vt pretiosissima Patrum hæreditas à legitimis filijs retineri, & propugnari debet. Tertiò, quia in omnibus Breuiarij Romani reformationibus, vsque ad nouissimam fæl. record. Vrbani VIII. prædictum officium sanctè seruatum, & retentum est, & ad formam nouarum rubricarum red ctum; cùm nemo ignoret, *Fratres Minores ex præcepto Regulæ, cap.* 3. *officium diuinum facere secundum Ordinem sanctæ Romanæ Ecclesiæ*: quare officium Immaculatæ Conceptionis non tam nostrum, quàm Romanũ est; quod nec retinuissemus, si in omnibus ordini Romano, & Apostolicæ Sedis præscripto non responderet. Quæ ratio etiã nos mouet, vt huius officij clausulas nõ adducamus iuxa primitiuam Leonardi Nogarolij institutionem *dicta col.* 49.

q vel

vel vt interpolatum fuit à Cardinali Quinnonio, vt habetur *initio Appendicis Regesti*, sed vt modo in toto nostro Ordine virtute Apostolicarum concessionum recitatur, & est in *Regesto col.* 214.

Non est festi apud Fratres Minores est Conceptio Virginis

135 RVBRICA ergo huius officij propria est: *In festo Conceptionis B. Mariæ Virginis. Duplex.* Nec aliter in nostro Kalendario apponitur: *Conceptio B. Mariæ Virginis*: qua inscriptione Sedes Apostolica officium approbans absque dubio docet, idem festum sub eodem nomine, & sensu à Fratribus Minoribus celebrari, quod celebratur in tota Ecclesia, vt latè *à num.* 84. expositum est, non differre in Ecclesiasticis libris Conceptionem ab Immaculata Conceptione.

Titulus Immaculatæ.

136 IMMACVLATÆ titulus ter omninò in hoc officio legitur: in versu post hymnum Vesp. *Immaculata Conceptio est hodie sanctæ Mariæ Virginis*: cuius loco in Sabbathis per annum substituitur alius æquè expressus: *In Conceptione tua, Virgo, Immaculata fuisti.* In Oratione: *Deus, qui per Immaculatã Virginis Conceptionẽm dignum Filio tuo habitaculũ præparasti*. In Inuitatorio ad Matutinũ, *Immaculatam Conceptionem Virginis Mariæ celebremus: Christum eius præseruatorem adoremus Dominum.*

Præseruatio B. Virginis

137 HIC etiam auditur Virginis præseruatio, quæ in *Oratione* ad horas Canonicas, & Missæ officium æquè deseruiente asseuerantiùs affirmatur: *Quæsumus, vt sicut ex morte eiusdẽ Filij sui præuisa eam ab omni labe præseruasti, ita nos quoque mundos eius intercessione ad te peruenire concedas.* Quæ obtestatio gratiam præseruatiuam B. Virgini collatã adeò certam facit, vt tota Ecclesia, cuius nomine oratio illa funditur, pro securissima conditione munditiei, & sanctitatis, immo æternæ salutis filijs suis concedẽdæ proponat; nec possit Ecclesia in modo postulandi intercessionem Sanctorũ errori obnoxia esse, vt cum communi Theologorum resoluit *Suar. to. 2. de Relig. tract. 4. lib 4. num. 21. &* Catharin. *disput. pro Immacul. Concept. ad Concil. Trident. parte 2. initio.* Nec obstat vllo modo in aliquibus editionibus sublatas esse particulas similitudinis *sicut*, & *ita*, legique hoc modo: *vt qui ex morte eiusdẽ Filij sui præuisa eam ab omni labe præseruasti, nos quoque mundos, &c.* hoc, inquam, non obstat, quod multis quidem rationibus, sed præcipuè tribus concludentibus probatur. Primò. Incertum est, quo iure, aut auctoritate facta sit prædicta mutatio; immo illegitimè, & dolo malo, vel indiscreto zelo factam fuisse ipsa inconstantia persuadet: nam ex Regia Typographia Matritensi anno 1627. prodierunt codices diurni officij prædictis particulis sublatis; quæ particulæ nihilominus anno 1635. officijs nostri Ordinis ad Breuiarium spectantibus in quarta parte folij, & in eadem Typographia excusis restitutæ sunt, & anno 1638. in officijs Missarum impressis in integro folio. Quare cõsiderẽt, qui editionibus præsunt, rei grauitatem, & sine ingẽti temeritate in officijs à Sede Apostolica approbatis, vel vnum apicẽ mutari non posse. Secundò. Eadem formalis comparatio fit in *Oratione secreta* Missæ illis verbis: *vt sicut ipsa, tua gratia præueniente, mundo hodie immunis apparuit, ita ipsi mundam de tuæ Matris munere, te concedente, exhibeant gratiarum actionem.* Si Virginis immunitas, vt exemplar mũdæ gratiarum actionis ab Ecclesia proponitur, & certa non esset, iure orans queri posset decipi se à magistra veritatis, quod vel suspicari impium est, dum desideria, quæ vult esse certissima, sub dubia conditione ad Deum effundere iubetur. Tertiò. Quamuis prædicta correctio auctoritate Apostolica facta esset, sensus idem manet, vt optimè notauit *Illustriss. D. Angelus Mauricius in tract. de definitione piæ opinionis* (de quo infra n. 206.) *cap. 3. num. 16. fol. 12.* argumento ducto ex Oratione in festo Ascensionis Domini: *Vt qui hodierna die Vnigenitum tuum Redemptorem nostrum ad cœlos ascendisse credimus, ipsi quoque mente in cœlestibus habitemus*: hæc enim loquutio vim comparationis habet, & illa particula *quoque* supponit aliquid factum esse, ad cuius exemplum aliud fieri postulatur. Immo ibidem ex professo probat, licet nulla fiat-

fiat comparatio, mendacium etiam materiale in orationibus nomine Ecclesiæ factis interuenire non posse: vnde apparet, quanti ponderis sit, præseruationem B. Virginis non quomodocumque in officio diuino, sed in eius selectiori parte, nimirum oratione affirmari.

Immunitas Beatæ Virginis ab originali variis modis expressa.

138 PLVRIMÆ aliæ clausulæ immunitatem Virginis ab originali peccato ita frequenter docent, vt certú omnino sit, non solùm Immaculatæ Conceptionis titulum, sed totum ipsius officij corpus huic vni veritati ex professo destinatum esse. Quem enim alium sensum habeat illa similitudo: *sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias Adæ?* Illa autem vniuersalis enunciatio, *Tota pulchra es, MARIA, & macula non est in te*, quantam vim habeat ad præseruationem B. Virginis à peccato originali probandam scriptores omnes hinc argumẽtum sumentes magno consensu docent; nec aliter in officio Conceptionis explicari posse, affirmat *Ægid. de Præsent. lib. 3. q. 5. art. 6. §. 5. num. 48.* Hæc in primis Vesperis. In Respons. post quintam Lectionem *factum est diluuium peccati super omnem terram: arca verò deifera eleuata est in sublime, & ferebatur super aquas; opertique sunt omnes montes excelsi Sanctorum.* Post Lect. 7. *Omnes moriemini, quia in Adã peccauistis: quid habes Esther eleuata in populis? Ego sum frater tuus, noli temere, non morieris: non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est.* In Laudibus. *Dominus custodit te ab omni malo, MARIA, custodiuit animam tuam, introitum tuum, & exitum tuum in seculum.* In secundis Vesperis: *Quæ neque serpentis persuasione decepta; nec eius venenosis afflatibus infecta est.* Item. *Decuit Virginẽ ea puritate nitère, qua maior sub Deo nequit intelligi.* Item. *Hæc est virga, in qua nec nodus originalis, nec cortex actualis culpæ fuit.* In quinta Lectione diei septimæ. *Cùm de peccatis agitur, de sancta Virgine Maria, propter honorem Domini, nullam prorsus habere volo quæstionem, &c.* In sexta Lectione diei octauæ. *Pulchrè Propheta appellat Virginem nubem diei. Nubes enim illa non fuit in tenebris, sed semper in luce.* Omittimus alias sentẽtias nõ minus expressas, quia aliqualẽ interpretationem admittere possunt; quamuis reliquis coniunctæ gratiam B. Virginis in omni instanti syncerè intelligentibus satis perspicuis verbis tradant.

Vis approbationis huius officij.

139 CONCLVDIMVS ergo, negari non posse ex Ecclesiæ approbatione, & institutione recitari officium diuinum Immaculatæ Cõceptionis: quod quantum robur habeat, his verbis explicatur in prædicto *tractatu Illustriss. D. Angeli Manrici, dicto cap. 3. num. 13. Ecclesia hoc festum celebrat officio omnino proprio, atque mysterium multoties exprimente: quod compositũ à Leonardo de Nogarolis* Clerico *Veronensi idem met Sixtus IV. approbauit Apostolica, vt ipsemet ait, auctoritate, concessisque indulgentijs.* Et post pauca. *Quam approbationem, & concessionem corpori iuris etiam inseri voluit, extatq; in Extrauag. Cum præexcelsa, de Relig. & venerat. Sanctorum. Porrò quanta Ecclesiastici officij ab Ecclesia approbati sit auctoritas, maximè si Lectiones, vt vocant, demas, nullus Theologus potest dubitare.* Et allegato ad marginem Suarij loco supra posito num. 137. prosequitur. *Verum de hoc specialius certum est, cùm in eius approbatione Summus Pontifex eisdem verbis vtatur, quibus in canonizatione Sanctorum vti consueuit.* Omnipotentis Dei, *inquit*, ac Beatorum Apostolorum eius Petri, & Pauli auctoritate, &c. *Et infra.* Auctoritate Apostolica statuimus. *Vt non immeritò possit iudicari Virgineam* Conceptionem *per hanc Bullam Sanctorum canoni ab eo fuisse adscriptam, adeoque diffinitam omnino sanctam.* Hæc ille. Nos verò solùm volumus firmum esse priuilegium à tot Pontificibus Ordini nostro concessum, & à Constitutione corpori Iuris inserta ortum habens: cuius vigore *Conceptionem* B. Virginis, per duos, & septuaginta suprà centum annos, *Immaculatam* in officio diuino vocauimus; donec ab ipsa Petri Sede tanto bono, & solatio priuemur; quam paternam seueritatem, vt filij *pedibus eiusdem sanctæ Ecclesiæ* speciali *obedientiæ, & reuerentiæ* voto, *subditi, & subiecti* (cap. 1. & vlt. nostræ Regulæ) semper æquo animo excipiemus; ita in re,

re, quæ cultum, & honorem B. Virginis contingit, timere non possumus.

Stabilitur tertiò veritas huius articuli de Immaculata Conceptione B. Virginis in primo instanti celebrata ab Ecclesia ex institutione Religionum à Sede Apostolica approbatarum sub titulo, & inuocatione Conceptionis B. Virginis.

Tres Religiones Conceptionis. 140 GRAVISSIMVM aliud fundamentũ habemus pro *articuli* veritate, ex approbatione, & confirmatione trium Religionum in honorem Conceptionis Deiparæ Virginis, quarum prima Canonicorum Regularium à Calixto II. sub nomine *Ordinis Conceptionis Virginis de Præmonstre* confirmata est, vt habetur in *Regesto col.* 475. altera Monialium ab Innoc. VIII. Bulla, quæ incipit, *Inter innumera*, col. 113. Regesti, & à Iulio II Bulla, cuius initiũ est, *Adstatum prosperam*, colum. 124. approbata fuit: tertia Equitum à Gregor. XV. an. 1623. & ab Vrbano VIII. anno sequẽti erecta, & instituta, vt referũt auctores infra citandi. Bulla autem Vrbani, qua huius Militaris Ordinis institutio continetur, & incipit, *Imperscrutabilis*, extat inter eius Constitutiones à *Laertio Cherubino*, & *Angelo Maria Cherubino* peculiari tomo collectas, Constit. 11. fol. 24. & à *Barbosa* summatim recensetur in *Collectan. Bullar.* ver. *Ordo Militiæ Christianæ*.

Vis huius fundamenti 141 OMNES ergo Doctores, & Scriptores, qui mysterium Immaculatę Conceptionis Theologicè defenderũt, vel quomodolibet illustrarunt, ex Religionum erectione sub Conceptionis titulo efficacissimum argumentum pro pia opinione sumi iudicarunt, nihil dubitantes Ecclesiam per huiusmodi institutionẽ, vel confirmationẽ approbasse titulũ, sub quo Religio erigebatur, scilicet, Conceptionis, vel Immaculatę Cõceptionis: (quæ duo idem significare, & supra ostendimus, & adhuc ampliùs declarandum est:) cumque *Summus Pontifex* (inquiunt) *errare non possit in approbandis, & confirmandis Religionibus, saltẽ quoad ea, quæ ad veritatem doctrinæ, & instituti pertinent, & ad cultum diuinum*, quæ est communis Theologorum sententia, oppositam varijs, & acerrimis censuris notantium; inferunt, Conceptionẽ B. Virginis declarari ab Ecclesia sanctam, ea certitudine, quæ omnem falsitatem excludat. Hoc argumento vtuntur loquentes de Religione Monialium Conceptionis *Ant. Cordub. lib.* 1. *Quæstionar. q.* 44 *concl.* 6. *probat.* 3. *pag.* 361. *Valent. to* 4. *disp.* 2 *q.* 1. *punc* 2. *Bellarm. lib.* 4. *de amiss. grat & statu pec. cap.* 15. *Suar. to.* 2. *in* 3 *p. disp.* 3. *sect.* 5. *Granad. tract. de Concept. disp.* 3. *cap.* 9. *num.* 3 *fol.* 65. *Vincent. Iustinian. tract. de Concept. Virg* § 4 *Franciscus de Pitigianis in* 3. *d.* 3. *q.* 1. *art.* 5. §. *secundò arguitur*, *Miranda in Defens. pro Immacul. Concept q.* 21. *Lucer. disc.* 1. *fol.* 38. *pag.* 2. *Ægid. de Præsent. lib.* 3. *q.* 6. *art.* 2. & eidem sententiæ fauẽt, qui erectionem Militaris Religionis inter Decreta Sedis Apostolicæ in fauorẽ præseruationis B. Virginis expedita commemorant, & expendunt, vt *D. Serranus Acernens. Episc. lib.* 2. *de Immac. Concept. cap.* 8. *num.* 28 *Hieronym. Rodrig. in Comp. qq. Regul. resolut.* 122. *num.* 49. *Hippolyth. Marrac. in Pontific. Marian. c.* 94 *pag.* 234. & *cap.* 95. *pag.* 252. *Tamaius de Salaz. ad vit. S. Epitatij. pag.* 301. *an.* 1623. & 1624.

Approbatur titulus Immaculatæ Conceptionis in erectione Religionum. 142 EX hoc Theologico argumẽto, dimisso modò certitudinis gradu, quẽ ex vi institutionis Religionum habet pia opinio; in eo præcisè vim facimus, quòd titulus Immaculatæ Conceptionis approbatus fuit ab Ecclesia, cùm Religiones Conceptionis approbatæ, & confirmatæ sunt: quod assumptum prædicti auctores ita probant, quasi à nemine crederent negari posse; nunc autem quia inuenti sunt, * qui illud apertissimè reijciant, accuratiùs stabiliendum est à nobis, qui Immaculatæ Conceptionis

** Auctor. libell. col. 19. nu. 31. & col. 21. nu. 35.*

tionis titulum ex professo defendendum suscepimus. Quod non difficulter præstabimus, si radicem, vnde necessitas Apostolicæ approbationis in erigendis nouis Religionibus oritur, consideremus, & supra quid ipsa approbatio Sũmi Pontificis Religiones confirmantis cadat, certò statuamus.

In Religionibus quid approbet Sedes Apostolica, ex Bellarm.

143 SVPPONENDVM itaque est, approbationem Summi Pontificis, nec necessariò requiri, nec formaliter (vt ita loquamur) terminari ad ipsam religiosi status substantiam, quæ in tribus essentialibus votis consistit; sed ad peculiares obseruantias simul cum Religionis essentia determinatum viuendi, & ad perfectionem tendendi modum constituẽtes. Quam communem, & indubitatam doctrinam luculenter tradit *Bellarm. lib. 2. de Monachis cap. 4.* his verbis. *Duo in omni Religione inueniuntur: essentia ipsa Religionis, quæ in tribus votis sita est, & determinatio illius essentiæ ad certum modum viuendi. Et quidem essentia Religionum in Euangelio fundamentum habet: proinde ex hac parte non egent Religiones Pontificum approbatione. Modus autem ille varius, quo tria vota suscipi possunt, non ita perspicuè in Euangelio elucet, & non parum ex prudentia, & directione humana pendet: quare Pontificis confirmatione indigere potest, & nunc re ipsa propter ius positiuum nouas Religiones prohibens omninò indiget.*

Idem ex Suario.

144 IDEM copiosiùs docet *Suarez to. 3. de Relig. lib. 2. cap. 15. num. 14. Non potest institui Religio secundum aliquem viuendi modum communem cum solis substantialibus votis religiosi status, sine additione aliquarum obseruantiarum, quibus ille status ad peculiarem Religionem, seu viuendi modum determinetur: Tum, quia sicut substãtia non potest esse, vel operari sine accidentibus, ita nec religiosus status sine regula, & viuendi modo, ac ordine: Tum etiam, quia aliàs non posset esse distinctio Religionum, & consequenter nec peculiaris institui Ordo. In hoc ergo, quod per inuentionẽ humanã additur, errandi periculum imminet; propter quod vitandum Ecclesiæ approbatio necessaria est: quia si libera esset talium Religionum institutio, ampliatio, & propagatio facilè accidere posset, vt multi admiscerentur errores, & vt fideles deciperentur, modumque viuendi, vel saluti contrarium, vel perfectionem impedientem, vel salutem ad illam nihil iuuantem pro vero, & vtili Religionis statu assumerent, quod esset magnum Ecclesiæ detrimentum.* Vnde *cap. 17. num. 19.* distinguens varia iudicia particularia, quæ in hac generali approbatione includuntur, vnum esse ait: *Talem modum viuendi ex omni parte honestum esse, nihilquè contra bonos mores includere.* Hęc vt eruditè, & solidè dicta sunt, ita omni prorsus controuersia vacare videntur.

Illatio ex prædicta doctrina.

145 QVÆ verò, & quàm efficax illatio ex præiacto principio consequatur, etiam nobis tacentibus res ipsa clamat. Si enim approbatio Pontificia cõplectitur modum varium, quo tria vota essentialia in qualibet Religione suscipiuntur, & peculiares obseruantias determinatiuas status religiosi ad certam viuendi rationem, & modum, qui ex vi approbationis declaratur omni ex parte honestus: Et sunt Religiones approbatę, in quibus tria vota essentialia suscipiũtur in honorem Immaculatæ Conceptionis B. Virginis cum peculiaribus obseruantijs erga eius immunitatem à peccato originali: Constat approbari ipsam Immaculatam Conceptionem, vt venerabilem actibus religiosis, & declarari à Sede Apostolica pium, & honestum esse venerari, & colere sanctitatem gloriosissimæ Virginis non pro tempore indefinito, sed determinatè pro primo instanti animationis. Qui enim dicunt * *pium viuendi modum, non modum opinandi comprobari*; aliquid dicerẽt, si cultus eius mysterij, quod asserit pia opinio, nõ cõstitueret modum specialem suscipiendi tria vota essentialia: Nunc autem in Religionibus Conceptionis pius viuendi modus institutus fit iuxta modum piè opinandi; necesse est à Summis Pontificibus, qui talem pium viuendi modum comprobant, etiam modum opinandi comprobari; dummodò sciant huiusmo di instituta profitentes (vt reverà omnes sciunt tam viri, quàm fœminæ, vel facillimè ab alijs doceri possunt,) se vota

** verba libell. d. col. 19. n. 31.*

essentialia emittere ad honorem mysterij nondum de fide definiti, cuius cultũ Sedes Apostolica vt laudabilem, & honestum approbat, vt iuuantem ad perfectionem toti Ecclesię proponit, ad eum multis gratijs, & fauoribus inuitat. Hũc modum opinandi adeo Sedes Apostolica comprobat, vt aliter opinantes sine dubio reprobaret. Si quis enim assereret emittere vota essentialia Religionis in honorem Immaculatæ Conceptionis B. Virginis à peccato originali præseruatæ, non esse actum honestum, rectum, & laudabilem, eo ipso doceret, Summũ Pontificem errare posse in approbatione Religionum: quam doctrinam *hæreticam* censet *Banniz 2.2 q.1. artic. 10. dub. 8.* cui subscribit *Suar. dicto cap. 17. num. 19* & videtur consentire *Torres disp. 16. dub. 4. temerariam, & erroneam Azorius to 2. Institut. Moral l. 5. cap. 7. q. 2 impiam, & errori proximam Ægid. de præsent. loco cit.* eos, qui illã asserunt, *errare*, affirmat *Valent. to. 3. disp. 1. quæst. 1. puncto 7.* nec est, qui in quemdam non vulgaris iudicij Theologum durius in hac re loquentem non inuehatur.

Prima Religio Conceptionis Beatæ Virginis.

146 QVANDOQVIDEM hæc firmiora sunt, quàm vt conuelli possint; veniamus ex thesi ad hypothesin, & videamus, an verè sint Religiones in Ecclesia Dei, quæ statũ religiosum per Immaculatæ Conceptionis venerationem ad peculiarem viuendi modum determinent, & inter alias laudabiles obseruantias, primario loco cultum huius mysterij profiteãtur. Sacer Ordo Præmõstratensis B. Virginis iussu in honorẽ eius puræ Conceptionis à S. Norberto erectus est, & sub eodem nomine à Calixto II. confirmatus. An hoc non est Virgineæ præseruationis mysteriũ colere religiosis obseruantijs? An potuit hęc Religio sine approbatione tituli puræ Conceptionis à Christi D. Vicario approbari? Quid dicemus de candidis vestibus purissimæ Virginis Mariæ niueum candorem in primo Conceptionis instanti protestantibus? Nonne has etiã ipsa B. Virgo designauit? Pontifex earũ vsum ratum habuit? Ludouicus, & Carolus Francorum Reges *in honorem purissimæ Conceptionis* à Norberti filijs gestari testantur? Profectò ipsa religiosi habitus gestatio hac intentione, & fine, peculiaris tantæ Religionis obseruantia est ab Apostolica Sede expresse approbata: & adeo ipsi statui intrinseca, vt *Ordo Candidus* glorioso titulo nominetur, sicut ex versibus vulgò notis, & cum S. Norberti imagine excudi solitis apparet.

De Religione Præmõstrat.

Anno milleno, centeno, bis quoque deno,
Sub Patre Norberto fundatur candidus Ordo.

ADde festi celebrationem sub titulo *Puræ, & Mundæ Conceptionis* proprium de hoc mysterio officium, Monasteria, & Ecclesias purissimæ Cõceptioni dicatas; qui & alij cultus nõ ex generali pietate, sed ex vi status, & professionis oriebantur: nec intelligi potest Sedis Apostolicæ approbationem, illud, quod prædicta Religio ex primaria institutione, titulo, habitu, & tot obseruãtijs venerabatur, præcipuè complexam non esse.

Secunda Religio Conceptionis Beatæ Virginis.

147 SEQVITVR Religio Monialium Cõceptionis: cuius fundamẽta sub Cisterciensi Regula Innoc. VIII. iecit in hæc verba. *Nos igitur, qui diuini cultus augmentum, religionis propagationem, &c. supremis desideramus affectibus, pium, & laudabile propositũ Reginæ, & Beatricis prædictarum plurimùm in Domino cõmendãtes, huiusmodi supplicationibus inclinati, Fraternitati vestræ mandamus,* (loquitur cum Episcopis Cauriensi, & Catanensi, & officiali Toletano) *quatenus vos,*

De Monialibus Cõcept. ex Innocentio VIII.

vos, vel duo aut vnus vestrum in dicta domo vnum Monasterium eiusdem Ordinis Cisterciensis sub inuocatione Conceptionis huiusmodi, &c. auctoritate nostra erigatis. Et infra, *vestem, & scapulare album cum mantello coloris cælestis, & cingulo Fratrum Minorū* nouis Monialibus assignat: *Officium diuinum de Conceptione*, exceptis aliquot diebus, perpetuo recitandum præscribit. Respondeant aduersarij, an verba illa, *auctoritate nostra erigatis*, recitatiua sint, vel dispositiua? At, inquiēt, non erigitur Monasterium sub inuocatione Immaculatæ Conceptionis. Negabunt etiam erigi in honorem Conceptionis Immaculatæ sub inuocatione Conceptionis? Quem ergo diuinum cultum, quam religionis propagationem Pontifex desiderat? quid concedit illis, quarum supplicationibus inclinatur? Nā certè supplicantes diuini cultus, & religionis augmentum in honore Immaculatæ Conceptionis ponebant: huiusmodi supplicationibus inclinatus Pontifex Monasterium sua auctoritate erigi sub inuocatione Conceptionis mandat. Si cultum Immaculatæ Conceptionis non concederet; quomodo habitu cælestis coloris Moniales indui præciperet, cuius significationem statim aperiemus? quomodo fune Fratrum Minorum cingi? quid enim Monialibus Cistercieñsis Ordinis, quales tunc Venerabilis domina Beatrix de Silua, & eius sociæ erant, cum cingulo Seraphicæ familiæ proprio? cur corū pręcipuū insigne gestare iubentur, quorum regimini tunc à Pōtifice nō subijciebantur? Noluit nimirum Sedes Apostolica in dubium reuocari, quid sub Conceptionis titulo à noua Religione coleretur; nec id clarius explicare potuit, quam assignando cingulum, quo qui vtuntur, aliam Conceptionem Virginis nisi Immaculatam non agnoscunt. Egregium prorsus mentis Ecclesiæ ducumētum, & maximum in nostrum Ordinem collatum beneficium, quo & habitus Fratrum Minorum Immaculatæ Conceptioni testimonium prębet, & Immaculata Conceptio pauperculo Fratrum Minorū habitu dignosci gaudet. Deniq; quomodo officiū de Immaculata Conceptione Moniales iubebantur recitare? de officij enim hic designati tam maioris, quàm minoris sensu nullum dubium est. Adi *Regest. colum.* 142. *&* 220. Sed quia hæc Religionis prędictæ initia tantùm fuerunt, litteras Iulij II. quibus perfectè instituta est, expendamus.

148 SIC ergo Iulij Secundi litteræ. *Cum Abbatissa, & Conuentus præfatæ formam, & modum in communi viuēdi, iuxta continentiam, formā, & tenorem in duodecim capitulis, siue articulis sacris Canonibus non contrarijs, & quoniam litterarum Apostolicarum, quæ per Cameram Apostolicam expediuntur, expeditione diligenter inspici, ac eis fidem adhibendo, illorum tenore de verbo ad verbum præsentibus inseri fecimus, contentā, & expressam ad vnguē obseruare, & sub illorum modo viuendi in eodem Monasterio degere, & Altissimo perpetuò famulari, dictaque duodecim capitula, ac omnia, & singula priuilegia eis concessa approbari, & confirmari pro parte Abbatissæ, & Conuentus prædictarum nobis fuit humiliter supplicatum, vt ipsas à prædictis Cisterciensis, & sanctæ Claræ Regulis, & illarum institutionibus, & obseruantia absoluere, & liberare; ac modum viuendi in præfatis duodecim capitulis contentum in earum, ac omnibus, & singulis alijs monasterijs, Prioratibus, & locis dicti Ordinis sub inuocatione Conceptionis perpetuò obseruari debere, ac duodecim capitula, & alia priuilegia huiusmodi eisdem Monasterio, & Ordini concessa approbare, & cōfirmare; aliàsque in præmissis opportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.* Et infra. *Abbatissam, & Conuentum, ac singulas Moniales prædictas, & eis in posterum succedentes, ab eisdem Cisterciensis, & sanctæ Claræ Regulis, &c. auctoritate Apostolica, tenore præsentium penitus absoluimus, & totaliter liberamus, ipsasque, & succedentes præfatas ex tunc in antea ad regulam, & formam viuendi per alias nostras litteras eis datam, & concessam, alias iuxta tenorem dictorum duodecim capitulorum, tam in dicto, quàm in omnibus, & singulis alijs monasterijs, Prioratibus, & locis sui Ordinis, sub dicta inuocatione Conceptionis vbique consistētibus, ad præsens, & in futurum perpetuò ob-*

De eisdē ex Iulio II.

obseruandam fore, ac ad vnguem obseruari debere, decernimus, & declaramus: necnon Regulam, & viuendi formam in nostris litteris, & duodecim capitulis prædictis datam, & expressam, auctoritate, & tenore prædictis approbamus, & confirmamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus. Hactenus Pontifex.

Expenduntur litteræ Iulij II. 149 IN his Apostolicis litteris expēdendū est approbari, & confirmari Religionem specialem Monialium, à quibus tollitur obligatio seruandi regulas Cisterciēsem, & sanctæ Claræ, præcipiturque eis obseruatio nouæ Regulæ insertæ ipsis Apostolicis litteris, vnde necesse est ipsam Regulam dispositiuè in dictis litteris contineri, cùm confirmatio Religionis in approbatione illius Regulæ præcisè consistat, cæteris antiquatis: quare si Pontifex Regulam dispositiuè non inserit, nihil omninò de huius Religionis approbatione, vel confirmatione disponit. Certum ergo maneat regularē viuendi modum in duodecim capitulis contentum dispositionem esse Sedis Apostolicæ.

Expenduntur clausulæ ex Regula Concept. 150 SED quis est iste regularis viuendi modus? cap. 1. Regulæ explicatur. *Quæcumque à Deo illustratæ, & vocatæ seculi vanitatem deserere, & huius Regulæ habitum assumentes Iesu Christo Redemptori nostro desponsari voluerint, eiusdem Genitricis Immaculatam Conceptionem venerantes, voueant semper viuere sine proprio, & in castitate, cum perpetua clausura.* Ecce per venerationem Immaculatæ Conceptionis determinatur status Religionis ad hunc specialem modum viuendi; ergo supra hanc venerationem in omni Iuris, & Theologiæ rigore cadit Pontificia confirmatio. Hæc est tota vis nostri argumenti; nec nititur simplici recitatione tituli Immaculatæ Conceptionis; sed cultu, & veneratione erga illam, quæ peculiarem Religionem constituit, ad quā erigendam, aliæ regulæ ab Ecclesia approbatæ quoad eas Moniales abrogantur. Et in formula professionis: *Ego soror N. ob amorem, & seruitium Domini nostri, & Immaculatæ Conceptionis eiusdem Genitricis, voueo, & promitto Deo, & B. Mariæ Virgini, & B. Francisco, & tibi, Mater, toto tempore vitæ meæ viuere in obedientia, sine proprio, & in castitate, & in clausura perpetua, sub Regula per sanctissimum Papam Iulium Secundum nostro Ordini concessā, & cōfirmata.* Quæ hic distinctio, aut quod discrimen excogitari potest? Nonnè vi huius professionis prædictæ Moniales votis ligantur ob amorē, & seruitium Domini nostri, Summo Pōtifice ita approbante, & disponente? Quæ ergo ratio affertur, cur in propriæ libertatis oblatione ob amorem, & seruitium Immaculatæ Conceptionis eisdem Genitricis, non habeant eiusdem Summi Pontificis approbationem, & dispositionem, quam sequantur? Vnde probatur alterū dispositiuè, alterum recitatiuè tantùm Apostolicis litteris inseri, orationis seriè, & toto cōtextu reclamāte? An amor & seruitium Immaculatæ Cōceptionis disponitur; Immaculata Conceptio recitatur? Sed mysterium, cuius amorem, & seruitium Pontifex approbat, amore, seruitio, cultu, veneratione dignum esse declarat. At, occurrent, non rectè approbaretur à Sede Apostolica cultus mysterij sub opinione positi. Hæc est alia quæstio; immo manifestissima principij petitio. Nos probamus, immo conuincimus, piam opinionem omnibus fauoribus à Sede Apostolica ornari, præter expressam definitionem de Fide; ostendant nostri antagonistæ mysteriū, quod publicè colendum proponitur, approbatur, suadetur, adde, & præcipitur, eo ipso definiri, vt credendum Fide diuina: & totam causam eos vicisse continuò fatebimur.

151 PERGIT Regula dispositiuè litteris Apostolicis inserta *cap. 3. Habitus Monialium huius Ordinis sit huiusmodi: tunica, scilicet habitus cum scapuliri sint albi coloris, quatenus candor huius indumenti exterior Virgineæ puritatis mentis, et corporis testimonium prætendat: pallium sit grossi panni, seu stamineæ hiacintini coloris propter mysticam significationem, videlicet, quod gloriosæ Virginis anima à creatione sua, tota facta fuit cælestis, et singularis Regis Æterni thalamus.* Si hæc recitatiuè tantùm à Pon- *Aliæ clausulæ ex eadē Regula.*

Pontifice inserta dicantur, causam huius interpretationis semper desiderabimus, & rationis factæ solutionem; cùm hæc pertineant ad speciales obseruãtias, quibus hic Monialium Ordo à cæteris differt: si dispositiuè, quod verissimum est, inferuntur; quid ad nostram probationẽ desit, sanè ignoramus. Et infra. *Chorda verò, siue funiculus, sit cannapis, quemadmodum portant Fratres Minores.* Et hoc validum argumentum est; sed ex verbis *cap.* 4. fit insolubile. *Vt gloriosæ Virginis pijs in cordibus purissimæ Conceptionis augeatur deuotio; volumus, quòd Dominus Cardinalis, qui est, vel fuerit Minorum Fratrum de Obseruantia Protector, huius Religionis sit Gubernator, & Defensor, sicut & Minorum Fratrum de Obseruantia. Volumus etiã, quòd ex quo Fratres Minores tam indefesso studio, & vigilantia, puritatis, & innocentiæ Dei Genitricis defensores existunt, quòd Vicarij Generales in suis Vicarijs, & Prouinciales, & Custodes in suis Prouincijs, et Custodijs sint Visitatores huius S. Religionis, quibus firmiter teneantur obedire in omnibus, quæ promiserunt Domino obseruare, et quæ non sunt contraria animæ, et huic Regulæ.* An potuit clariùs exprimi à Sede Apostolica institui Religionem Monialium ad cultum mysterij Immaculatæ Conceptionis, quã Fratres Minores defendimus? Nam si hìc Põtifex dispositiuè non loquitur; quis alius eximere potest religiosas familias à iurisdictione Ordinariorum? An exemptionem Pontifex sancit; causam verò vnicam exemptionis faciendæ recitatiuè solùm profert? Tædet iam frigidæ euasionis; & molesta disputatione paululum intermissa, ad Te conuertimur precibus, & votis, sancta Apostolici culminis dignitas: Te appellamus, S. Prosperi verbis parùm mutatis.

Sedes alma Petri, quæ pastoralis honoris
Facta caput mundo, quidquid non cesserat armis,
Religione tenes?

Sic tuum imperium solis cœli limitibus terminatum, vel ex tuis caulis errantes, vel ex alienis dispersæ oues agnoscant: Patere tuis beneficijs supplices iudicio contẽdere: *Studium, & vigilantiam nostram in puritate, & innocentia Dei Genitricis defendenda* laudasti vsque ad modestiæ periculũ, nisi Virginis honor interpositus omnes componeret affectus: fac in nobis propria tua munera, & eiusdẽ Virginis obsequia: nemo Immaculatam Conceptionem auferat ex ore fideliũ, cuius defensores Apostolica voce commendantur.

152 LEGITVR præterea *cap.* 10. eiusdem Regulæ. *Omnibus autem festis simplicibus, & Dominicis non primò ponendis, dicent officium Conceptionis cum commemoratione Dominicæ, secundùm formam Breuiarij ad hoc illis deputati. Minus autem officium Conceptionis dicant secundùm quod sibi moris est.* Extracta, è Breuiario iam diximus haberi *col.* 142. *Regesti*, & officium minus *colum.* 220. Vtrunque Immaculatæ Conceptioni dicatum est, sicut ipsa Religio: quod genus cultus duplex fundamentum nobis præbet: nam & in horis Canonicis mysterium præseruationis Virginis audiri solemnis approbatio est, & easdẽ horas in Regula à Sede Apostolica confirmata pro tota Religione præscribi tantùm robur obtinet, quantùm ipsius Religionis institutio: quare vtroque loco huius argumenti efficatia vsi sumus. Hæc de Religione Monialium. *Clausula specialis de officio diuino.*

Tertia Religio Conceptionis Beatæ Virginis.

153 AGEDVM iam est de Christiana Militari Religione à Summis Pontificibus Gregorio XV. & Vrbano VIII. sub titulo CONCEPTIONIS B. MARIÆ SEMPER VIRGINIS IMMACVLATÆ fundata, & erecta, vt ex Vrbani Bulla superiùs memorata constat, & ex *cap.* 1. *constitui* in *Regesto colum.* 557. item ex voto à Religiosis Equitibus emittendo, *ibid. colum.* 559. Quam Religionẽ, sicut duas priores, ad cultum, & venerationẽ Immaculatæ Conceptionis, præseruationis B. Virginis à peccato originali, & sanctitatis eius in primo instanti infusionis *De Religione Militari Concept.*

f animę

animæ institutam esse, syncerè, & ex animo sentimus, ac constantissimè detendimus, eamque Summorum Pontificũ instituẽtium mentem fuisse, cuius æquo iudici persuasuros minimè dubitamus.

Auctores, qui de ea scribunt.

154 ET quidem auctores in fine *num.* 141. relati, qui de hac Religione loquuntur, ita eius titulum, quasi rem nullatenus controuersam intelligunt. Illustris. *Ioannes Serranus*, postquam adduxisset Decretum Gregorij XV. præcipientis in festo celebrando *non alio nomine, quàm Conceptionis* vtendũ esse; subiungit: *Et quod plus interest, anno Domini* 1623. *nouam instituit, vel saltem confirmauit sub Immaculatæ Cõceptionis titulo Equitum, ne dicam Principum, Religionem tantis ditatam priuilegijs, vt meritò ab omnibus credatur, omnes antea Equitum institutas Religiones breui superaturam. Vide ergo, & considera, quid supremæ Ecclesiæ capita Romani Pontifices de Conceptionis Marianæ articulo sentiant, & qualiter sint ad illum, & in illum porpensi.* Hippolyth. Marrac. *Idem* (Greg. XV.) *pro eo, quo sanctissimam Deiparam, eiusque puram Conceptionem studio prosequebatur, anno* 1623. *nouam instituit, vel saltem confirmauit sub eiusdem Cõceptionis titulo Equitum, ne dicam Principum, Religionem &c.* Hieronym. Rodericus. *Nouissimè nisce nostris tẽporibus instituta est quædam alia Religio Militaris, cuius titulus est, Militia Christiana Immaculatæ Conceptionis Virginis Mariæ, & diuino numine inspirante, ita factum esse piè credendum est, quando pia opinio priuilegium præseruatiuum Immaculatæ Conceptionis ab omni labe originis B. Dominæ nostræ Deiparæ cõcessum vniuersali fideliũ affectu, ac applausu, non obstante quorumdam sublatrantium oppositione, piè prædicat, & exaltat, mixà, inquam, pijs, magnisque fauoribus Sedis Apostolicæ Romanæ, quibus hoc pium mysterium exaltari, ac prædicari semper, ac vbique posse, libenti, ac pio animo, ad exaltationẽ Deiparæ Virginis, & confusionem oppugnantium indulsit.* Tamaius Salazarius, inter festa antiqua Ecclesiæ Placentinæ, quæ addidit *Vitæ S. Epitatij* recensens festum Cõceptionis, & eius progressus, ac mysterij venerationem prosequutus, intelligens

Serran. *Marracius.* *Rodericus.* *Tamaius.*

semper Conceptionẽ Immaculatam, & præseruatione à peccato originali, cùm ad annum 1624. accessisset, sic ait. *Sanctitas Vrbani VIII. confirmauit Ordinem Militarem Conceptionis: cui non paucas indulgentias & gratias communicauit.* Plures auctores, qui hoc punctum attigerint, videre non licuit; sed hos paucos quasi communis suffragij vim obtinere sanctè testari possumus, qui per hos tres, & viginti annos ab expeditione Bullæ Vrbani VIII. ad nouam contentionem de titulo Immaculatæ Conceptionis elapsos, in varijs Orbis partibus versati, auditis etiam sæpè illis, qui cum viris principibus interfuerunt congregationibus, vbi de Religionis Militaris Conceptionis erectione, & legibus tractabatur, nũquam vel tenuem suspitionem sensus, quem intendunt aduersarij, percepimus; aut aliam Conceptionem, quam in primo instanti Immaculatã, nobilissimæ militiæ nomen dedisse. Quare expendat prudentissimus quisque, immo mediocri prudentia præditus, quantæ fidei sit interpretatio velut de Æsopi puteo, vt cum Tertuliano loquamur, repentè prodiens, & in ipsis litigantium iudicijs nata, & an iuris patrocinium quærere, an omne ius eludere, eius architecti velle videantur. Quod autem scriptores citati Religionis Militaris titulum modo sub Conceptionis, modò sub Conceptionis Immaculatæ vocibus expresserunt, ideo est, quia in re indubitata de verbis solliciti, vt accidere solet, nõ fuerunt, cuius rei luculentum exemplum habemus in *disp. Ambrosij Catharini pro Immac. Concept. ad Concil. Trident.* circa finem, colum. 112. vbi adhortans sui Ordinis Patres, vt in celebrando Conceptionis festo Ecclesiæ Romanæ consuetudinem sequantur, ita loquitur, argumentũ ducens ex Sixti IV. Extrauag. Cum præexcelsa. *In prima illa constitutione intonat Apostolica vox, inuitans omnes Christifideles, vt de B. Virginis mira, & immaculata Conceptione dignas Deo gratias, & laudes referant.* Agebat Catharinus cum aduersarijs contentiosissimis, quos sæpè falsarum allegationũ redarguerat; nec timuit similis fraudis

Communis cõsensus. *Tacitæ obiectioni occurritur.*

reus

reus fieri, si assereret Pontificem dicere in Constitutione, quod continebatur in officio ipsius constitutionis tenore approbato: Pontifex enim Conceptionem Beatissimæ Virginis in Extrauag. Cum præexcelsa *miram* vocat, officium vero *Immaculatam* clamat. Adi *Regestum col.* 47. & 49. Idem prædictis auctoribus accidit, ad mentem Vrbani in erectione Religionis respicientibus; nec nos in epitheti traiectione vim facimus: quin potius vnicè curamus, vt sua omnibus instrumentis constet fides, siue sanctissima Virgo, siue eius Conceptio IMMACVLATÆ titulo decorentur.

Argumenta ex ipsa institutione. 155 IAM verò si ipsam institutionem, confirmationem, Regulam, insignia, & omnia alia huius Religionis propria consideremus, nihil est, quod præseruationis mysterio dicatam non clamet. *Primũ.* Primò vrgemus, & vt validissimum munimentum opponimus nomẽ, titulum, seu aduocationẽ CONCEPTIONIS, quam propriè, expressè, & determinatè significare sanctitatem primi instantis, ex principijs ab ipsis aduersarijs concessis apertissimè monstrauimus *n.* 82. & deinceps, explicãtes Decretum Gregor. XV. & *num.* 131. & 132. expendentes clausulas officij Romani. Nam Conceptionis vocabulum primũ instans infusionis animæ significat in omnium sententia; admissum autem in cultu Ecclesiastico addit necessariò supra suum proprium significatum sanctitatem: vnde idem est Conceptionem B. Virginis colere, ac profiteri B. Virginem in primo animationis instanti fuisse sanctam. De discrimine verò *Sancta*, & *Immaculata* ab * aduersarijs magnæ rei instar obseruato modò nõ curamus, infra quidquid huiusmodi minutiarũ in libellis est perstricturi. Hoc volumus nobis concedi Conceptionem, quæ ab Ecclesia colitur, sanctam esse, & reipsa Immaculatã, nec aliud nomine Conceptionis coli, quàm omnimodam immunitatem à culpa originali: designatio enim pro titulo Religionis à Sede Apostolica facta sacer cultus est, & mysterij, quod in titulo exprimitur, sanctitatem expostulat.

* Col. 17 *nu.* 26. & 27.

Secundũ 156 SED ipsa *mysterij* vox alterius argumenti non minus efficacis nos admonet. Ita enim legimus *cap.* 2. *Constit.* quod in Regesto ob hanc ipsam causam descripsimus, *colum.* 558. *Ex alia vexilli parte pingetur Crux ingens cærulei coloris similis ei, quam magnus Magister gestat: in cuius medio erit imago MARIÆ Virginis, prout mysterium Conceptionis eius designans illam refert amictam sole, habentem lunam sub pedibus, et in capite coronam stellis duodecim insignitam.* Et infra. *In Ordinis sigillo eadem imago B. Virginis erit insculpta, qualis geritur in pallio Equitum:* nimirum, vt statim explicatur, gestant Equites *in pectore crucem auream notis vermiculatã cærulei coloris, quæ in medio habeat imaginem Conceptionis.* Et mox. *Alia similis formæ crux assuetur pallio, et circum imaginem Virginis.* &c. Noluerunt nobilissimi Principes Constitutionum auctores, & Pontifex eas confirmans, suum affectum erga præseruationem B. Virginis ignorari, quin potius vt eum semper testarentur, imaginem, qua pia opinio non minus clarè, quàm verbis explicatur, vexillis, sigillis, & vestibus circumferri venerationis causa religioso instituto gloriosum iudicarũt. Quæ enim est *imago MARIÆ Virginis, prout mysterium Conceptionis eius designans*? Aut quod est *Cõceptionis mysteriũ*, nisi præseruationis gratia? Aut quæ vnquã imago sculpta, picta, acu formata sanctificationẽ B. Virginis in vtero pro tempore, vel instanti indeterminato fidelium oculis repræsentauit? Nõ assumpsit Religio Militaris Christiana imaginem à se inuentam; sed vsu & cõsuetudine vniuersali à multis seculis extra templa, & in templis adoratam: hæc autem est imago Conceptionis, vel Virginis sine peccato conceptæ, & ab omni eius contractione in sua persona præseruatæ.

157 NEC minùs ingenuè nobilium animorum pietas verbis ostendit, quod habitu loquitur. In ipso namque Constitutionum exordio, causam reddens, cur sub gloriosissimæ Virginis tutela, Militia Christiana instituatur, hæc habet. *Operæpretium duxit nomen accipere à* *Tertiũ.*

Virgi-

Virgine Deipara, atque exposcere patrociniū illius, quam à mundi primordijs velut Ducē, & Antesignanam Militum Christi Filij sui diuinum oraculum humano generi prouidè obtulit. Illa caput serpētis, omnisque peccati legem, & inferni vires, velut in ipso Conceptionis diluculo, & vsque ad extremum vitæ spiritum conterens, tanquam nitidissima cōsurgit Aurora: quæ, vt noui quondam, sic nūc renouandi seculi præmicantem splendorem diffundit. Tot penè sunt Immaculatæ Conceptionis elogia, quot verba. Virgo *caput serpentis conterens*, signatissimum in gratia conceptæ hieroglyphicum est, sed & argumentum: additur tamen ad abundantiorem expressionem contriuisse *omnis peccati legem*, expende particulam *omnis; & inferni vires*, idque *in ipso Conceptionis diluculo:* nec nota similitudinis, *velut*, aliquid de sententia diminuit; emphatica enim est, vt *gloriam quasi Vnigeniti à Patre*, Ioan. 1. & supra in ipso textu, *velut Ducē, & Antesignanam*: verissimæ quippe, & non vmbratilis Ducis, & Antesignanæ munere fungitur Dei Mater inter exercitus Ecclesiæ; sed habet hic loquendi modus præcipuā energian, qua nostro idiomate significantissimè exprimimus, *como* Capitana, *y defensora nuestra, que es: como aquella, que al despuntar del alua de su* Concepcion, *quebrantò la cabeça de la serpiente antigua.* Vocatur etiam à militibus suis B. Virgo *Aurora nitidissima, & noui seculi splendor*; quæ nomina longè ablegant à Beata Maria seculum ingrediēte peccati tenebras, quas ipsa velut aurora discussura esset. Formula voti emittendi non sine testatione Virgineæ puritatis concipitur: *Et semper tuebor* Conceptionem *Matris Dei Immaculatæ: ac in hac re, & in omnibus eius promouebo gloriam, iuxta mentem sanctiæ Romanæ Ecclesiæ.* Quid est *tueri* Conceptionem *Matris Dei?* An defendere Matrem Dei cōceptam fuisse, sicut reliquos homines? An fuisse post contractionem peccati in vtero sanctificatam? quid hoc ad Conceptionem? An gratiam collatam Beatę Virgini in primo instanti infusionis animæ, vel in tempore sequenti? quis hanc disiunctiuam negat, vt defensoribus indigeat? aut quando fuit hæc mens Ecclesiæ Romanæ? Restat ergo votum emitti de tuenda opinione pia, siue titulo Immaculatæ Conceptionis, vt cōsono cultui Ecclesiastico, & Sedis Apostolicæ doctrinæ, absque damnatione alterius partis vt erroneæ, aut hæreticæ; ita enim præscribit, & faciendum docet Roma Ecclesia.

158 EST præterea euidentissimum indiciū veneratæ ab hac Religione Immaculatæ Conceptionis, eius erectio tot vinculis, & quasi fœderibus nostro Minorum Ordini sociata. *Cap. 1. constit.* ad finem. *Qui in hoc Ordine militabunt, cōmuni appellatione vocabuntur Equites Militiæ Christianæ, sub titulo Conceptionis B. Mariæ semper Virginis Immaculatæ, & sub Regula S. Francisci per has Constitutiones ad vsum militarem accommodata. Huius autem Militiæ Patroni speciales erunt ipsa Christi Domini Mater, & Virgo: sanctus Michael Archangelus, sanctus Franciscus, & sanctus Basilius, ille Occidentis, hic Orientis Ordinum Apostolico feruore insigniū præstantissimi Institutores.* Et cap. 2. *Ad dextrum latus huiusce crucis effigies D. Francisci stigmata gerentis, & ad sinistrum D. Basilij. &c.* Item. *Ex vtraque vexilli parte per oram vniuersam S. Francisci cingulum circumducitur.* Et de cruce, quam gestant Equites: *habeat ex vna parte imaginē Conceptionis circumdatam cingulo S. Francisci.* Cap. 5. *Candidatus Ordinis habitu induetur in quouis Monasterio Ordinis S. Francisci, donec hæc Religio proprias habuerit Ecclesias. Superior Monasterij illius habitum à se benedictum offeret Equiti, &c.* Ibidem. *Profitebitur in manibus Superioris præfati Monasterij.* Nihil hęc indigèt ingenij, aut solertis considerationis face; ipsa suam secum afferunt lucem, quę oculos etiam alio auersos feriat, & veritatis splendore illustret. Quis Conceptionem Virginis imagine expressam, Francisci fune circumducto, dubitare possit Immaculatam? Quis votum *de Matris Dei Conceptione tuenda*, in Ecclesia Fratrum Minorū emitti videns, & in manibus Prælati ex Seraphica familia, aliter quàm de præseruatione intelligat? Non ita fluuius

ad

Quartū

ad mare ducit, vt cum Fratribus Mino-noribus concordia ad piam de B. Virginis Conceptione sententiã. Militat Religio Equitum Conceptionis sub Regula S. Francisci, Seraphicum Patrem eo loco inter alios patronos habet, vt Magno Basilio Religiosorum cætuum antiquissimo institutori præponat: nisi hunc affectum ex Immaculatæ Conceptionis veneratione ortum dicamus, suspensi hærebimus, nihil cogitantes, in quo animus conquiescat. Ab institutoribus ergo, & professoribus Christianæ Militaris Religionis assumptum Conceptionis titulum in sensu opinionis piæ, siue Fratrum Minorum, non videtur in dubium reuocari posse.

Quintũ 159 QVOD si hæc fuit Principum mens, qui Religionẽ Militarem à Summo Pontifice cõfirmari petierunt, (vt re vera fuisse manifestissimè probasse videtur) non alia Summi Pontificis confirmantis esse potuit. Sic enim in prædicta Bulla Vrbanus VIII. *Nos igitur qui diuini cultus augmentum*, *Fideique Catholicæ propagationem vbique vigere synceris desideramus affectibus*, *&c. huiusmodi supplicationibus inclinati*, *vnam Militiam Christianam nuncupandã sub titulo Conceptionis B. Mariæ Virginis Immaculatæ*, *quam Ferdinandus*, *& Carolus Duces*, *ac Adolphus Comes præfati semper habuerunt*, *& habent apud misericordem Filium suum aduocatam*, *ac sub Regula S. Francisci*, *&c. Apostolica auctoritate*, *tenore præsentium*, *perpetuò erigimus*, *& instituimus*. Si erigitur à Pontifice Relio sub eo titulo nuncupanda, de quo ad eum supplicantes retulerant; Conceptio nomen Religioni tribuens ex Pontificis præscripto non alia potest esse, quã Immaculata. Hanc enim supplicationis, & Constitutionũ auctores intelligebant. Quin easdem Constitutiones in suo diplomate Pontifex nõ supponit, sed facultatem illas condendi tribuit, vt ad se delatæ iterum examini subijciantur, & Sedis Apostolicæ cõfirmatione roborentur. Quæcumque ergo ex earum textu, & tenore expendimus, vt à Pontifice approbata eximiam obtinent auctoritatem, & mysterij Immaculatæ Conceptionis cultum à sanctissimo concessum, & in parte religiosarũ obseruantiarum positum apertè testantur.

160 OMNIA hucusque dicta de aduocatione Militiæ Christianæ sub Conceptionis nomine iuxta piæ opinionis sensum, egregiè confirmantur ex titulo IMMACVLATÆ attributo B. Virgini, quotiescumq; dictæ Religionis Militaris nomen, aut in Pontificijs diplomatibus, aut in eius cõstitutionibus legitur. Hic inquam titulus VIRGINIS IMMACVLATÆ, qui aduersariorum iudicio titulum IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS infirmare videtur adeò eum confirmat, vt non solùm serio, sed etiam vehementer miremur fuisse, qui sperarent, priori saluo, posteriorem ex ore, & scriptis fidelium abolendũ. Manifestè enim declarauit Summus Pontifex Immaculatam esse proprium epithetum Virginis ob suam passiuam Conceptionem; cur enim hoc potius, quàm alio, non semel, aut bis, sed vbique Conceptionem nominat, Virginem insigniret? Si verò, vt aduersarij sine probatione à nobis credi volunt, ideò Immaculatæ epitetho vsus esset, vt nomen Conceptionis indifferens ad vtramque opinionem maneret; quantò faciliùs erat sub aduocatione Conceptionis religionem non erigere, cùm certum esset in alijs eiusdem nominis religionibus Immaculatam Cõceptionem coli? Quid verò Pontificem prohibebat omnino tituli Immaculatæ non meminisse, quantumuis Principes Institutores Militaris Religionis instarent? Extabant exempla Calixti II. Innocentij VIII. & Iulij II. qui similis aduocationis Religiones erigentes, aut confirmantes, nullo alio, quàm Conceptionis B. Virginis nomine in suis diplomatibus vsi sunt, cum pro omni epitheto sufficeret ipsa veneratio. Quis enim illud, quod immaculatũ esse dubitat, cultu religioso venerari potest? Sed voluit Vrbanus multipliciter puritatem Conceptionis ostendere, dum decernit, ab ea Religionem nomen accipere, & insuper

Sextũ.

t per

per Virginem Immaculatæ titulo exornat. Quare si Doctores paulò post allegandi ex Patribus, qui absolutè Virginē Immaculatam appellarunt, argumentū sumunt ad probandā eius à peccato originali præseruationem; quantò potiori iure nos idem colligemus ex prædicta Bulla Vrbani VIII. vbi non absolutè, sed cum aliquo ad Conceptionem respectu, Immaculatæ nomen Virgini tribui contextus ipse fateri cogit? Vt iam hæc attentius considerantes, non possimus de afferti Decreti illegitimitate, & subreptione, quā inferiùs expósituri sumus, dubitare. Cùm ergo ad præcipuum excitatæ controuersiæ caput disputando peruenerimus, ostendendum est, coli ab Ecclesia Immaculatam Conceptionē, cùm Virgo sub titulo Immaculatæ colitur: & nihil aduersarios vmbraticis argutijs effecisse, quàm vt cautiores, & verborum tenatiores in posterum reddamur, quod *supra n.* 105. protestati sumus.

Cùm de cultu Conceptionis B. Virginis agitur, eandem vim re ipsa inesse titulo Immaculatæ, siue Conceptioni tribuatur siue Virgini: & vtrumque loquendi modum, vt ab Ecclesia traditum, retinendum esse.

Propositionis probādæ explicatio.

161 OBERVANDVM est, hanc propositionem, *Titulus Immaculatæ eandem vim habet, siue tribuatur Virgini, siue Conceptioni*, tripliciter intelligi posse: Primò absque vlla limitatione, vel explicatione, vt vbicumq; B. Virgo *Immaculata* dicitur, eius præseruatio ab originali peccato prædicetur. Hunc tam amplum sensum modò nō intendimus; scimus enim iuxta subiectam materiā, nominū significationē sæpè coarctari, & sicut *immaculati* vocantur alij sancti, vt Psal. 36. *Nouit Dominus dies immaculatorum*: ita B. Virginem *Immaculatā* dici posse propter virgineam puritatē, vel exclusionē alterius cuiuscumq; fœditatis, de qua in speciali sit sermo, vt obseruauit *Salaz. in Defen. c. 41. can. 5. pag.* 395. Secundò potest intelligi dicta propositio de titulo *Immaculatæ* tributo Virgini sine respectu ad determinatam materiā, sed cùm absolutè B. Virgo laudibus, & elogijs ornatur: & in hoc sensu constanter affirmāt, in appellatione *Virginis Immaculatæ* includi *Immaculatam Conceptionem*, *Ægid. de præsent. lib. 3. q. 4. art. 1. §. 2. n. 39. pag. 196. & §. 3. n. 67. pag. 202. Salaz. loco cit. & cap. 26. §. 4. n. 19. pag. 232. Miranda q. 16. pag. 302. Bonac. to. 2. de peccatis, disp. 2. q. 1. punc. 3. prop. 1. concl. 2. Serran. Episc. Acern. lib. 2. c. 5. nn. 20. pag. 118.* & plures alij: qui, si rectè expendantur, nō solùm ita sentiunt, sed suam sententiā communē esse Patrū, & Doctorum conuincere videntur, quam tamen in præsenti defendendam nō suscipimus, sed ex ea quod pro nostro instituto opus fuerit, assumemus. Tertiò igitur, titulum *Immaculatæ* cādem vim habere, siue addatur Cōceptioni, siue Virgini, intelligi potest, cùm de cultu eiusdē Cōceptionis agitur: & hūc sensum propriè defendimus, & verissimum iudicamus in terminis Constitutionis Vrbani VIII. Militarem Religionem erigentis. Asserimus autem prędicto titulo sic, vel sic applicato eandem vim inesse *re ipsa*; nam si de modo significandi scrupulus, vel dubium aliquod supersit, suo loco diluetur.

Probatur primo ex Bullis Pontificijs.

162 ITAQVE nostra propositio pluribus, & concludentibus rationibus suadetur. In primis enim Vrbanus VIII. in eadem significatione appellat Virginem Immaculatā, cùm de eius Conceptionis cultu agit, quæ in vsu fuerat apud omnes eius Prædecessores, qui de eadē re Constitutiones ediderunt: eos autem per titulum Immaculatæ additum Virgini, ipsius Immaculatam Conceptionē explicasse negari non potest. Sixtus IV. in Extrauag. *Cū præexcelsa*, col. 47. Reg.

indu-

indulgentias concedens recitātibus officium Immaculatæ Conceptionis, ait: *De ipsius Immaculatæ Virginis Mariæ Conceptione gratias, & laudes referant.* Sanè Pontifex Immaculatam Conceptionem laudari volebat, cuius officium approbabat, eamque suam mentem quasi minimè dubia phrasi, appellando Virginem Mariam Immaculatam explicuit. In priori, *Graue nimis*, colum. 106. *sancta Romana Ecclesia de Intemeratæ, semperque Virginis Conceptione festum celebrat, & speciale, ac proprium officium ordinauit.* Ibidem. *Qui tenent, & affirmant eandem gloriosam, & Immaculatam Dei Genitricem Virginem Mariam absque peccati originalis macula fuisse conceptam.* Ecce tituli *Intemeratæ*, & *Immaculatæ* explicantur per festi celebrationem, & à peccato originali immunitatem. Eadem verba in posteriori, *Graue nimis* repetuntur *colum.* 110. & additur, *eiusdem Immaculatæ Conceptionis officium celebrantes*: quod nihil ambiguitatis relinquit, quin *Intemeratæ Virginis Conceptio, Immaculata Virgo, Conceptio Immaculata* ex mente Pontificis synonyma sint, omniumque Pontificum, qui Sixti Quarti Constitutiones confirmarunt, Alexādri Sexti, Pij Quinti, Pauli Quinti, & Gregorij Decimi quinti, ex quibus purissimis fontibus tam rectè sentiendi, quàm loquendi modus hauriendus est, & syncerè excipiendus, nec contra impetum fluminis temerè pugnandum. Expressit autem Paulus Quintus Bulla, *Regis pacifici, colum.* 175. suis etiam verbis eandem significationis æquiualentiam: *Qui asserebant gloriosam, & Immaculatam Dei Genitricem absque originalis peccati macula fuisse conceptam:* & statim: *eiusdemque Immaculatæ Conceptionis officium celebrantes.* Habemus planum, & textualem sensum omnium Vrbani predecessorum; nec vllum vestigium, aut apparens signum mutatæ tituli *Immaculatæ* significationis.

Ex Concil. Trident.

163 CONCILIVM verò Tridentinum præter inuocationem Constitutionum Sixti Quarti inter paucissima verba, quæ *sess.* 5. ad finem *Decreti de peccato origin.* habet de B. Virgine, epithetum *Immaculatæ* apposuit, vt proprium esse mysterij Conceptionis sciremus. *Declarat* (inquit) *hæc ipsa sancta Synodus, non esse suæ intentionis, comprehendere in hoc Decreto, vbi de peccato originali agitur, Beatam, & Immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem.* Cuius declarationis perspicua sententia est: Beatam Virginem Mariam in communi lege peccati non comprehendo; sed vt ab omni macula liberam piè à fidelibus *Immaculatam* dici exemplo doceo. Hæc Concilij mens valdè illustratur ex *sess.* 6. *can.* 23. *Si quis hominem semel iustificatum dixerit posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei priuilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet Ecclesia, anathema sit.* Hic non auditur titulus *Immaculatæ*, quia puritas ab omni peccato actuali non sufficit, vt persona aliqua omnimodè, in tota vocabuli latitudine, & per excellentiam *Immaculata* nominetur; si autem sub lege originalis non comprehendatur, optimè huiusmodi titulo absque vlla limitatione insigniri potest. Nemo Conciliarium Actionum gnarus suspicari poterit, *Immaculatæ* titulum illic expressum, hic prætermissum absque maturo consilio, & singulari aliquo mysterio: cum ex scriptis Patrum, qui Concilio interfuerunt, constet, Canones, & Decreta à peritissimis Deputatis confecta in Congregationibus legi, & adeò districto examini subijci, vt ob vnius vocis, immo apicis collocationem sæpè ad Deputatorum incundem reuocentur, donec communi iudicio probari mereantur. Quam diligentiam, si vnquam aliàs, in articulo de Conceptione Beatæ Virginis exquisitissimè adhibitam necesse est fateri, controuersia vigente, & præsentibus acerrimis vtriusq; opinionis defensoribus. Si ergo titulus *Immaculatæ* ex magna aliqua cau-

causa tributus est Virgini, cum solùm declarabatur in regula generali de peccati originalis contractione non comprehendi, & pretermissus, cum tanquam certum Ecclesiæ dogma statuebatur, omnibus venerabilibus caruisse: assignēt hanc causam aduersarij; vel concedant veram esse à nobis prolatam, per titulū Immaculatæ additum Virgini exprimi eius Immaculatam Conceptionem.

164 SED non indiget interpretibus Vrbanus, vt ex alijs, quā eius scriptis, quo sensu Immaculatam Virginem appellauerit, discere debeamus. Ad Elisabetham Reginam Catholicam de erectione Religionis Militaris Conceptionis litteras misit, quæ habentur *col.* 561. *Reg.* in eis ita scribens. *Cum cupias tuam erga Immaculatam Deiparam illustri aliquo documento religionem significari, mittimus Maiestati tuæ munitum Apostolica benedictione habitum Militiæ Christianæ, quæ ab eiusdem Virginis Cōceptione petijt sacrum Equestris familiæ nomen, & auspicium. Sic quod insigne Catholica Regina condis in corde, idem in regali pectore gestabis.* Quodnam insigne Conceptionis Regina Catholica in corde conditum seruabat? quam religionem erga Immaculatam Deiparam significari aliquo documento cupiebat? Scilicet ignorabat Vrbanus Hispaniæ Reges iuratos seruos esse Immaculatæ Conceptionis, cuius vltimā definitionem hæc adem Regina à Gregor. XV. instantissimis precibus flagitauerat. Lege eius litteras *colum.* 315. Mittit ei Pontifex habitum benedictum Religionis Militaris à se recens erectæ, vt idē gestet exteriùs in pectore, quod condebat in corde; & dubitabimus adhuc Militarem Religionem sub titulo Immaculatæ Virginis, Immaculatæ Conceptioni consecratam? Nec vno testimonio affectum suum patefecit Vrbanus; sed anno 1626 vt refert *Hippolyth. Marrac. in Pontificib. Marianis, cap* 95. *pag.* 253. ipso S. P. N. Francisci festo die, primum lapidem templi Fratrum Capuccinorum in vrbe Immaculatæ Virginis Conceptioni dicati iecit. Cusa tunc numismata priori in facie Pontificis imaginem referentia, cum inscriptione: *Vrbanus VIII. Pont. Max.* in alia templum cum epigraphe: *Ecclea B. Virginis Conceptionis primo iacto lapide* 1626. Quæ autem Conceptio inter Seraphici P. N. Francisci filios, nisi Immaculata culta vnquam fuit? Semper idem est cultus, eadem mysterij veneratio, verbis nō solùm æquiualentibus, sed etiam consuetis, omnibus conspicua: nullus quippe dubitat his obsequijs coli Immaculatam Virginis Conceptionem; nisi qui etiam Conceptionis honorē æquo animo pati non possunt.

Ex ipso Vrbano VIII.

165 IDEM sensus tituli Immaculatæ, cùm additur Virgini, manifestissimus est in publicis, & priuatis aliorum scriptis. Concilium Basileense in illo Decreto *colum.* 21. *Regesti* ad verbum descripto, dum piam opinionem approbat, ita loquitur. *Doctrinam illam differentem gloriosam Virginem Dei Genitricem Mariam nunquam actualiter subiacuisse originali peccato; sed immunem semper fuisse ab omni originali, & actuali culpa, sanctamque, & Immaculatam, &c.* quæ integra sententia, vt aliàs nouimus, extat in Iuramēto Vniuersitatis Vallisoletanæ *colum.* 372. & Cōplutensis, *col.* 338. nec potest alia aptior ad rem nostram excogitari: cum enim tot signatissimis vocibus, & loquendi modis præseruationem à peccato originali repetat, concludit tandē *Immaculatæ* appellatione, quasi dicat: B. Virgo nunquā actualiter peccato originali subiacuit, immunis semper ab illo fuit, in omni instanti sancta, & vt verbo absoluam, *Immaculata;* nec enim minori puritate prędita ad cognominis omnē maculam eexcludentis honorem ascendisset. Et ne Lectorem fastidio minimè necessario delassemus, ea repetentes, quæ in Regesto facillimè consulere potest: nemo tam solicitus fuit de pia opinione expressissimis verbis declaranda, & Immaculata Conceptione asserenda, quin sibi abundè satisfecerit tribuendo gloriosissimę Virgini nomen *Immaculatæ.* In prōptu est officiū Leonardi Nogarolij *col.* 64. & 65. Bernardini Bustij *colum.* 72. officium maius, & minus Monialium

Ex aliorū scriptis.

nialium Conceptionis, *colum.* 142. *&* 220. Carmelitanum *colum.* 203. Fratrũ Minorum *col.* 215. in Inuitatorio, & *col.* 216. *Lect.* 5. Horæ ad vsum Fratrum Prædicatorum *colum.* 235. Constitutio Synodalis Cæsaraug. *colum.* 283. Iuramentum Confraternitatis Sacerdotum S. Petri ad vincula *col.* 334. & alia sparsim per totum Regestum instrumenta: videantur loca etiam non quærentibus obuia, patebit *Immaculatæ* titulum modò Conceptioni, modò Virgini tribui ab his, qui priùs obmutescere vellent, quam aliquid minùs expressum de Virginis præseruatione, aut inferius Immaculata Conceptione pronuntiare.

Prouer. 2. ex aduersarijs.

166 CONTRA verò si diligenter euoluantur libri, disputationes, tractatus, & varia scripta Doctorum, qui vel animo exulcerato, Immaculatę Cõceptioni bellum indixerunt, vel ei modestè subscribere recusarunt; nusquam legetur apud illos titulus Immaculatę attributus Virgini: nihil enim disputationem sustinentes volebant dicere repugnans, vt ab *Aristotele in Topicis* didicerant, & probè callebant titulum *Immaculatæ*, quomodocumque enuntiaretur, æquè esse opinionis Virginem à peccato originali eximentis protestatiuum. Hoc nõ sanè fortuitum silentiũ non modò in *Bandelo, Petro de Vincentia, Alberto Castellano, Caietano*, alijsque, quàm plurimis obseruare licet; sed etiam in *Cardinali Turrecremata, & D. Antonino*, cæterisque vndequaque grauissimis scriptoribus: vt iam *Hieronymi ab Angesto* exacti iudicij Theologi acumen, vel prudentia commendari debeat; qui *Lectura* 3. *contra Antimarianos* nolentes gloriosissimã Virginem Mariam dici *Immaculatam*, nullo alio pugnat argumẽto, quàm probatione præseruationis ipsius ab originali peccato, ratus non posse illi titulum *Immaculatæ* competere, quam vel vnius instantis macula fœdasset.

Prouer. 3. ex Ecclesiæ vsu.

167 NEC iudicium hoc vnius Doctoris censendum est, sed totius Ecclesiæ tacitus consensus: nunquam enim Ecclesia ipsa, vel Doctorum aliquis, Sanctorum quempiam, Christo Domino, & eius sanctissima Matre exceptis, *Immaculati* appellatione insigniuit, saltẽ per modum cognominis, aut tituli; quãuis non desint, qui B. Ioannem Baptistã à leuissimis etiam venialibus peccatis piè liberum asserant; sed humanam naturam *Immaculatam* dici posse singularissimæ gratiæ donum est, adeò vt cum gloriosissimam Virginem Mariam Angelos, & creaturas omnes incomparabiliter in sanctitate excedere nemo dubitet; eam tamen Angelis dicere puriorem præ cæteris attributis quodammodo emineat, vt in nostro officio vocatur, *colum.* 218. *Reg.* in fine ex S. Anselmo: quæ loquutio ex *Liturgia S. Iacobi Apostoli septima Synodo, Act.* 5. & antiquioribus Patribus accepta est; immò ex ipsa sancta Scriptura: locus enim celebris, *Cant.* 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*, omnem puritatem puræ creaturæ communicabilem exprimit; qualiter autem de B. Virgine intelligatur, vide apud auctores *nu.* 160. citatos, & fere omnes Cantici Salomonis interpretes: quibus adde, si placet, *Franciscum de la Cueua* Iurisconsultum in sua Informatione, præsertim à *fol.* 8. *pag.* 2. nobis enim titulum *Immaculatæ Conceptionis* defendentibus pro omni iure est *Virginem Immaculatam* prærogatiua speciali ab Ecclesia dici omnem maculæ notam longè remouente.

168 EXPENDAMVS enim exactè, vel ipsis aduersarijs iudicibus, proprietatem vocis *Immaculata*, quæ cùm absolutè maculam neget, ex se nullam limitationem habet, sed ad omnes status, tempora, & momenta extẽditur. Hanc vim huius dictionis, sicut aliarum negantiũ omnes sine controuersia agnoscunt; nec *infinitum* dicunt simpliciter, & absolutè, quod ex aliquo extremo finẽ admittit, aut *immensum*, quod aliquo modo mensuræ subest, aut *insontem*, vel *innocentem* appellare possumus hominẽ, qui quãuis multo tẽpore rectè vixerit, aliquãdo inter sõtes, nocẽtes, vel reos numeratus est; quin potius si huiusmodi dictiones negãtes enuntientur de re nõ omnino libera à forma, quæ per ipsas negatur, omnes fate- *Prouer. 4. ex proprietate vocis.*

fatebuntur, loquutionem esse impropriam, aut hyperbolicam, siue, vt dialectici loquuntur, non simpliciter, sed secundum quid veram. Cùm ergo vox *Immaculata* in sua proprietate omnem maculam pro omni temporis differentia tollat, & B. Virgini tribuatur in sensu proprio, non figurato, hyperbolico, aut diminuto (hoc enim inauditum est, nec ab vllo Doctore hactenus affirmatum;) proculdubio eius puritatem in omnibus vitæ instantibus significationis suę ambitu complectitur, eamq; simplicissimè intellecta enuntiat: *& ideo* Virgo dicitur *Immaculata, quia in nullo corrupta*, vt Sophronij verbis vtamur in *Epist. de Assumpt*. quæ etiam nomine *S. Hieronymi* citari solet. Quam maculæ vniuersalem exclusionem per similia pronuntiata optimè assequutus est sapientissimus *Idiota cap. 3. Contemplat. Virg.* locū proximè indicatum Cantici exponens. *Tota* (inquit) *pulchra es, Virgo gloriosissima, non in parte, sed in toto: & macula peccati, siue mortalis, siue venialis, siue originalis non est in te, nec vnquam fuit, nec erit*. Ecce vocis *Immaculata* propria, & litterata expositio, in qua omnes, nisi improprietatē, aut abusionem admittamus, necessariò conuenire debemus.

169 VRGET autem maximè ratio ex proprietate vocis accepta, quandoquidem ab Ecclesia, & præcipuè ab Vrbano VIII. tunc titulus *Immaculatæ* tribuitur Virgini, cùm de eius Conceptione agitur, vt nisi ipsa Conceptio Immaculata dici posit, planè præter rem loqui, immo apertè sibi contradicere Pontifex videretur. Vnde enim epitheta personarum, nisi à mysterijs, quæ honorificè commemorantur? Si Virgo Immaculata, & non in Conceptione; à quo mysterio Immaculatæ cognomē sortita est? vtique à quolibet, vel omnibus, quæ in Domini Matre cōpleta sunt, præter Conceptionem. Cur ergo, cùm de alijs mysterijs sermo est, epithetum Immaculatæ non auditur; si verò agatur de Conceptione, ferè nunquam siletur? Immaculatæ Virginis Assumptionem, Annuntiationem, aut (quod valdè

Confirmatur præcedēs ratio.

proprium videbatur) Purificationem sermo communis dicere non sustinet, quamuis certum sit Virginem, cum assumeretur, annuntiaretur, purificaretur, Immaculatam fuisse, & solam Conceptionem Immaculatæ Virginis pronunciarent illi ipsi, qui nolent, Virginē Immaculatā dici, dum cōciperetur? immo ideò pronunciant, quia Virgo absolutè Immaculata dici posset, nisi eius Conceptio Immaculata fuisset. Iam enim monuimus à nobis nunc non disputari de significandi modo, sed de sola re significata, quā vnā, & eandē esse in titulo admisso, scilicet, *Virgo Immaculata*, ac in titulo controuerso, nimirum, *Immaculata Conceptio*, constare nostro quidem iudicio videtur: & Vrbani diploma de erectione Religionis Militaris mirificè titulo *Immaculatæ Conceptionis* fauisse, dum alium vsurpauit, qui sine hoc verus esse non posset. Sed de hoc iterum in *tract. Apolog. ad num. 3. libellorum.*

170 QVARE, vt hoc tertium fundamentum concludamus, vtriusque tituli nos defensores profitemur, & tam ad Virginis honorem, quàm ad Sedis Apostolicæ auctoritatem pertinere asserimus vtrumque illibatum manere, vt verum, laudabilem, & religiosum, quiq; inuicem lucem, & firmitatem conferat, & accipiat. Qui enim Virginem Immaculatam appellari dignum existimant, non verò Immaculatam Conceptionē, fructum laudant, & arborem radicitus excindunt: si verò Immaculata Conceptio semper diceretur, & non etiam frequenter Immaculata Virgo, seruata arbore fructus inuideretur, nam ex radice Immaculatæ Conceptionis pretiosum hunc *honoris, & honestatis fructum* Virgo decerpsit, vt *tota pulchra*, & *Immaculata* consona voce sponsi, & filiarum Sion appellari mereatur.

Vterque titulus retinendus.

Stabi-

Stabilitur quartò veritas articuli de Immaculata Conceptione B. Virginis in primo instanti celebrata ab Ecclesia, ex Indulgentiarum, aliorumque fauorum concessione.

171 ALIA ratione Sedes Apostolica titulum, & cultum Immaculatæ Conceptionis, vt suum agnoscit, sibique gratissimum declarat, indulgentias, priuilegia, immunitates, omnis denique generis gratias Præseruationē Virginis venerantibus concedens: quæ Ecclesiæ filijs, annulis & torquibus pretiosiora ornamento sunt, & honori, Piæ Opinionis assensum firmant, affectum accendunt, segnes excitant, currentes incitant, & obsequium Virgini, & Christo Domino hoc cultu prestari mirum in modum persuadent.

Fundamentum generatim proponitur

172 IN huius verò fundamenti tractatione supponendum est potiùs, quàm probandum, indulgētias, & alios fauores determinatè concedi à Romanis Pontificibus ob actus religiosos erga sanctitatem Beatæ Virginis in primo suæ Conceptionis, & animationis instanti, prout à pia opinione tenetur. Sic docent quotquot ex indulgentiarum concessione ad præseruationem probandam argumentum sumunt: *R. P. Vincent. Iustinian. Dominicanus tract. de Immac. Concept.* §. 2. *D. Catharinus* ex eadem familia *disp. ad Concil. Trid. par.* 2. *circa fin. & in alio tract. lib.* 2. *cap quod reuera omnes Sancti, &c. pag* 60. *Valent. to.* 4. *disp* 2 *q.* 1 *punc* 2. *colum.* 365. *Suar. to.* 2. *in* 3. *p. disp.* 3 *sect.* 5. §. *Iam verò. Vazq. disp.* 117. *cap.* 5. *n.* 51. *D. Serranus Acern. Episc. lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 15. 20. & 26. *Ægid. de præsent. lib.* 3. *q.* 6. *art.* 3. §. 1. *num* 3. *pag.* 322. & clariùs §. 6. *num.* 35. *pag.* 329. *Salaz. cap.* 34. *num.* 2. *Granad. tract. de Concept. disp* 3. *cap.* 9. *fol.* 65. *nu.* 2. & 4. *Vvading. in Legat sect.* 2. *orat.* 7. § 4. *num.* 8. *Miranda q.* 20. *concl.* 3. *pag.* 563. quorum aliquos statim ad verbum referemus, & alij quàm plurimi. Adeò autem apertè constat ex ipso concessionum tenore indulgentias, & alias gratias non solùm concedi pietati; sed piæ opinioni, ad quam amplectendā, & speciali cultu protestandam Sedes Apostolica inuitat, & allicit, vt nihil præter simplicem relationem ad id euincēdum desideretur. Extant concessiones summatim collectæ in *Reg. à col.* 599. & multa integra concessionum instrumenta varijs ipsius Regesti locis: consulantur, & per singulas clausulas diligenter ponderentur, omnium expeditio in fauorem piæ opinionis, haud dubiè comperietur. Indulgentias Sixtus IV. concessit recitantibus, & audientibus officium Leonardi Nogarolij, *colum.* 47. & Bernardini Bustij, *colum.* 548. at recitare, vel audire syncerè in spiritu, & veritate, prædicta officia est piè opinari, & firmissimè tenere præseruationem B. Virginis à peccato originali: ergo huic piæ sententiæ cordi impressæ, & actibus religiosis declaratæ indulgentiæ concessæ sunt. Gestantibus imaginem Immaculatæ Conceptionis, quam deferunt Moniales, indulgentiæ à Iulio II. *colum.* 123. conceduntur, cùm gestatio illius imaginis formalissima sit piæ opinionis protestatio. Legant reliqua, qui contradicere cum aliqua apparenti probabilitate voluerint; immo qui contradicunt, quia non legunt: nec enim de sensu indulgentiarum, quæ *tantùm valent quantū sonant*, Pontificijs diplomatibus excussis, aliter decernere auderēt. Eos igitur modò dimittamus, iterū, cùm libellos percurramus, redarguturi; assumptū quippe nostrū, & fundamenti efficacia nihil ab aduersarijs patiuntur, quod nos morari possit.

Concessionum verus sensus aperitur.

173 ITAQVE Apostolicæ concessiones in suo vero, & plano sensu, quem exposuimus, intellectæ, duplici via pro articuli resolutione, expendi, & considerari debent. Prior est generalis, quatenus continent gratiam aliquā piæ opinioni factam, non distinguendo in specie indulgentias ab alijs fauoribus; & hæc sanè consideratio, vt non contenda

Fauores sed Apost. erga Immac. Cōcept. quàm sint efficaces.

da maxima, quæ in hoc genere occurrere inquirentibus potest, ita in se spectata eā grauitatem, & efficaciam habet cui mirabile prorsus sit benè institutas mentes hactenus restitisse. Nec enim temerè inuenias in annalibus, aut hominum memoria, doctrinam, quæ Fide Catholica credēda non proponatur, tā expresſis, ac frequētibus fauoribus à Sede Apostolica honoratā. Quos doctè, ac prudenter obseruans R. P. *Iustinianus loco cit.* inter considerationes pro IMMACVLATA CONCEPTIONE, hanc primò loco posuit, his omninò verbis bona fide ex Hispanico translatis. *Prima consideratio est, omnes Summos Pontifices, qui post Sixtum IV. Ecclesiam gubernarūt, (Pio III. Marcello II. & Vrbano VII. exceptis, qui cùm mensem integrum in Pontificatu nō expleuerint, pium affectum suum ostendere nō potuerunt;) magnis affecerunt honoribus, & multis prosequuti sunt gratijs eos, qui sentiūt Dominam nostram conceptam fuisse sine peccato originali; & ex aduerso, nec vnus Pontifex reperietur, qui vel in re minima oppositum opinantibus fauerit. Aliqui eorum sanctæ Conceptioni deuotos valde laudarunt, vt Sixtus IV. & Iulius II. Alij (& hi sunt ferè omnes) copiosas indulgentias Ecclesijs, processionibus, imaginibus, & festis eius concesserunt. Alij, vt Alexander VI. & Adrianus VI. Confraternitates in testimonium immunitatis Reginæ cæli ab originali peccato erectas confirmarunt: & denique alij, scilicet Leo X. & Pius IV. Monasteria quædā Franciscanarum Monialium Conceptionis Ordinem profiteri voluerunt, &c.* Hæc ille.

Ex Iustiniano.

174 EODEM modo loquitur *Valentia vbi supra. Summus Pontifex* (inquit) *etsi non difiniuit quidem hanc sententiā, nec iussit, vt illam amplecterentur fideles; tamen per concessionem indulgentiarum factam ijs, qui Immaculatam Virginis Conceptionem celebrant, atque adeo planè ex officio, vt Pontifex, & prout in ipso residet auctoritas totius Ecclesiæ, suasit reipsa omnibus fidelibus hanc de Immaculata Conceptione B. Virginis opinionem, hoc ipso nimirum, quòd ad Immaculatæ huius Conceptionis celebrationem fideles omnes inuitauit per concessionem illarum indulgentiarum. Nec enim Conceptionē Virginis, tanquam Immaculatam celebrare veraciter, & sine simulatione potest is, qui non putet fuisse Immaculatam.* Deinde probat indulgentias concessas esse in hoc sensu ex Extrauag. *Cum præexcelsa.* In eo autē quod ait, *Summum Pontificem ex officio, & prout in ipso residet auctoritas totius Ecclesiæ suadere fidelibus piam opinionem*, aperit aliam viam indulgentijs peculiarem, de qua statim; nunc addimus *Granadum dicto cap. 9. Quis non videat maximè fauere huic sententiæ Pontifices, qui indulgentijs donant eos, qui credentes B. Mariam fuisse conceptam sine originali, aliquid recitant in illius honorem?* Et *Suarium dicto §. Iam verò*, sic inter alia probantem celebrari ab Ecclesia Immaculatam Conceptionem. *Et eodem modo loquitur Sixtus IV. in Extrauag. Cum praexcelsa, & Extrauag. Graue nimis, de Reliq. & ven. SS. vocans Conceptionem puram, & Immaculatam, & concedens Indulgentias hoc pie credentibus, & colentibus.* Constat igitur ex hac priori via expendendi Pontificias concessiones, tam indulgentias, quàm fauores alios esse declarationes manifestas mentis Ecclesiæ, & reales (vt ita dicamus) suasiones, quæ verbalibus longè potentiores sunt, vt omnes eiusdem Ecclesiæ filij piam opinionem amplectantur.

Ex Valentia.

Ex Granado.

175 ALIA via priori vrgentior insistit largitioni indulgentiarum, quatenus piam opinionem respitientium peculiari quadam ratione, propius, & intimius, quàm alij Sedis Apostolicæ fauores: vnde IMMACVLATA CONCEPTIO splendidiori luce illustratur. Ad cuius declarationem præmittendum est principium illud apud Theologos certissimum, quod inter alios elucidant *Corduba q. 21. de Indulg. proposit. 1. & Bellarmin. lib. 1. de Indulg. cap. 12.* ad indulgentiarum concessionē requiri piam causam, quæ in Dei honorem, vel Ecclesiæ vtilitatem cedat. Quamuis autem hæc pia causa non semper, nec necessario includat opus præstandum ab eo, qui indulgētias lucraturus est, vt cum communi Doctorum, & praxi resoluit *Suar. to. 4. in 3. p. disp. 52. sect. 4. n. 3.* tamen quan-

Ex Indulgētijs alia ratio eruitur.

quando indulgentiæ conceduntur sub conditione alicuius operis, tale opus iniunctum habet se ex parte piæ causæ, vt docet idem *Suar. ibid. sect. 8. nu. 4.* Quocirca nequit à Summo Pontifice concedi indulgentia pro opere ab ipso designato, quin ex vi huiusmodi designationis declaret, & è Petri Cathedra doceat, illud opus esse honestum, & pium, in Dei honorem, vel Ecclesiæ vtilitatem cedens: quæ omnia ex receptissima Theologorum doctrina, nullo differente, desumuntur. Habet autem maiorem vim hæc declaratio Sedis Apostolicæ, cùm non solùm opus aliquod pium iniungitur, sed ipsa materia, circa quam actus lucrantium indulgentias versantur, non supponitur, sed ex professo maturè discutitur, & examinatur. In quo maximè obseruandũ est, quamuis Romana Ecclesia diu festum Conceptionis celebrari permisisset, nunquam tamen concessisse indulgentias celebrantibus, donec exacta discusione quæstio de præseruatione Virginis ipsius Apostolicæ Sedis auctoritate fuit agitata. Quapropter Patres Basileensis Cõcilij, quos plurimos, & eruditissimos fuisse nemo negat, *auctoritatibus, & rationibus, alijsque plurimis super hac re visis, & maturè pensatis*, vt ipsi dicunt *colum. 21. nostri Regesti*, cùm *piam opinionem consonam cultui Ecclesiastico, Fidei Catholicæ, rectæ rationi, & sacræ Scripturæ* censuissent, tunc demum mysteriũ Conceptionis dignum iudicarunt, cui indulgentiæ concederentur. Sixtus IV. antè expeditionem Bullæ, *Cum præexcelsa*, quæ habetur in *Regesto, colum. 46.* vt festũ Conceptionis maximis indulgẽtijs cumulatũ fidelibus traderet, diuturna, & ab hominũ memoria grauissima disputatione, de qua supra diximus hoc ipso *artic. nu. 3.* coram se, qui præter Pontificalem dignitatem omnium eruditissimus erat, punctum controuersiæ adeò acri examini subiecit, vt ad plenam definitionem sufficeret. In Concilio Tridentino ad sanguinẽ vsque (si ita loqui licet,) de Conceptione Deiparæ tractatum est, & tandem Sixti IV. Extrauagantes cum suis indulgentijs innouatæ. Reliqui Pontifices incunctanter indulgentias concesserunt veritati, quæ iampridem transierat in rem iudicatam; cũ præsertim Paulus V. & Gregorius XV. potius de disputationibus inhibendis, quàm sine vllo fructu instaurandis cogitauerint.

176 AD rem ergo: indulgentiæ cõcessæ sunt à Summis Pontificibus iniũctis actibus protestatiuis piæ opinionis, vt exemplis supra adductis patet, & clarissimè ex concessione Pauli V. *colum. 175. Reg.* in qua centum dies de pœnitentijs debitis relaxat recitantibus hanc Antiphonam: *Hæc est virga, in qua nec nodus originalis, nec cortex actualis culpæ fuit*, cũ versu, & oratione Immaculatæ Cõceptionis. Huius Apostolici indulti, & similium vigore declaratur, affirmationem opinionis piæ, vt veræ esse actum pium, & Deo gratum: quæ declaratio quantam vim habeat, vix pro dignitate exprimi potest. Iam audiuimus eruditissimum *P. Valentiam*, *suasionem Pontificis ex officio, & prout in ipso residet auctoritas totius Ecclesiæ* hinc colligentem. Audiamus nunc *Illustriss. D. Ioannem Serranum lib. cit. pag. 140.* vbi relatis indulgentijs Sixti IV. & alijs specialibus à Iulio II. concessis deferentibus imaginem Conceptionis, subdit: *Quod nullatenus faceret, si de Conceptionis præseruatione dubitasset. Nam piaculum esset pro re dubia, aut non pia, indulgentias, aut gratias impartiri.* Et pag. 141. post commemoratas indulgẽtias Leonis X. *Tales certè, ac tantas concessiones nullo hic Pontifex modo fecisset, si dubium aliquod de Immaculata semper Virginis Mariæ Conceptione haberet, maximè cum ipsi de argumento isto latè fuisset à viris doctissimis in contrarium scriptũ à Caietano* scilicet, & alijs: ex quo obiter colligas, contentiosa aduersariorum Immaculatæ Conceptionis scripta id effecisse, vt fideles ardentiùs indulgentias exposcerẽt, & benigniùs Sedes Apostolica cõcederet: tãtò enim causę pietas crescebat, quantò inter impugnatores defendebatur. Cõcludit tandẽ prædictus Illustrissimus pag. 144. *Hinc cum indulgentiæ pro falsa, aut dubia opinione, haud concedantur;*

Eius applicatio.

nisi cæcutire velimus, in bona sequitur consequentia Virginis præseruationem, non pro re ficta, aut dubia, sed pro satis firma veritate à Pontificibus haberi: quandoquidem pro illa, aut illius intuitu, plenariam indulgentiam, omniumque peccatorum remissionem concedit. Hactenus ille. Qui ex indulgentiarũ concessione assensum piæ opinionis firmum, & omne dubium excludentem in Pontificibus agnoscit: quem nos articulum modò non discutimus: infra autem *num.* 209. quid alij de piæ opinis statu sentiant, referemus.

Cultus Immaculatæ Cõcept pijssimus.

177 NON est autem prætermittendum, cultum Immaculatæ Conceptionis non solùm à Sede Apostolica pium iudicari, sed etiam pijssimum, & illi inesse rationabilem, sufficientemque causam, ad concedendum easdem indulgentias, quæ in festo sanctissimi Corporis Christi ab Vrbano IV. concessæ erant, vt Sixtum IV. in Constitutione, *Cum præexcelsa* fecisse videmus. In qua indulgentiarum (vt ita loquamur) taxatione, eisque cum causæ sufficientia exequandis, quamuis Pontifex falli possit; semper præsumendum, & iudicandum est rectè, & prudenter se gessisse, nisi oppositum constet manifestè, vt optimè resoluit *Corduba q.* 22 *de indu g prop.* 1. sententia enim legitimi iudicis iusta præsumitur, nisi iniustitia euidens sit, *cap. Non nos* 40. *dist.* secundùm *Glossam* ibi, & omnia iura. Certè hæc indulgentiarum inter duo mysteria, Eucharistiæ, & Conceptionis communicatio præter varias congruentias ab alijs assignatas, hostibus Ecclesiæ adeò est inuisa, vt septiceps bestia Lutherus blasphemo ore protulerit: *Nullum festum magis odi, quàm festum Corporis Christi, & Conceptionis B. Virginis;* vt refert *Catharin. disp. de Immac. Concept. ad Concil. Trid. par.* 2. *colum.* 101. *& Salazar dicto cap.* 34 *nu.* 2. contra verò fidelium pietatem adeò excitat, vt infrequentioribus populi Christiani concursibus, tam cantu, quàm concionatorum etiam ex Dominicana familia vocibus, certatim pronuntiari audiamus: *Laudetur sanctissimum Sacramentum, & purissima Conceptio Virginis Mariæ Dominæ nostræ sine peccato originali.*

Stabilitur quintò veritas articuli de Immaculata Conceptione B. Virginis in primo instanti celebrata ab Ecclesia, ex approbatis, aut aliàs fide dignissimis reuelationibus.

Ex quibus reuelationibus argumẽtũ sumimus.

178 VT omnes, qui præseruationem gloriosissimæ Virgis à peccato originali defendunt, & *col.* 40. nostri Regesti, item *colum.* 587. cum sequentibus citantur, argumentum ad eam probandã sumũt à reuelationibus notæ, & celebris auctoritatis: sic nos pro tituli IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS iusta possessione pugnantes eodem medio vtimur, non vt ipsa tantùm præseruatio, sed eius quoque cultus ab Ecclesia Catholica receptus probetur, quod propriè nostri instituti est. Intelligimus autem nomine reuelationum approbatarum in primis reuelationes S. Brigittę, quas Sedes Apostolica *authenticas, veritate plenas, & à Dei spiritu veraciter traditas* declarauit, vt *colum.* 42. *Reg.* legere licet: deinde reuelationem Abbati Helsino factam, cum alijs à S. Anselmo relatis *colum.* 2. 4. *&* 8. *Regesti:* quæ vel omnes cõiunctim, vel binæ, aut singulæ olim in Breuiarijs ad vsum multarum Ecclesiarum, & ipsius Romanæ Ecclesiæ legebantur, vt ex varijs exemplaribus à se visis testatur *Vvading. in Legat. sect.* 3. *orat.* 10. §. 2. *num.* 8 *pag.* 340. & nos etiam fide occulta retinuimus *col.* 209 *&* 210. Proponi autem aliquid à Summo Pontifice in officio diuino recitandum, grauem continere approbationem grauiter idẽ doctissimus Scriptor ostendit, & *Illustriss. Serranus lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 8. *&* 9. *pag.* 176. nec potest à Catholicis dubitari. Inter reuelationes quoque approbatas numeranda videtur ea, quàm sanctissimus Patriarcha Norbertus habuit, *colum.* 475. *&* 591. cum

Propter reuelationes festumCõceptionis est institutum.

cum Religionem sub Conceptionis nomine ex præscripto eiusdem reuelationis institutam Summus Pontifex confirmauerit. Vide præter aliàs citatos, *Vvading. supra, n.9. & D. Serranum n.20. pag.* 181. *Adrianum Moerbecium in scala purpurea to.* 2 *tit. Introductiones pag.* 132. *col.* 2. Verum de hac re quiuis pro libito statuat; nobis enim vel vnica reuelatio sufficit, de cuius approbatione ab Ecclesia constet: reliquas vt fide dignissimas proponimus, quia personarum, quibus factæ sunt, sanctitas, rerum, quæ in illis continentur maiestas, historicorum, à quibus relatæ fuerunt, integra fides, & Doctorum, qui eas post districtum examen approbarunt, maturum iudicium, talem, ac tantam probabilitatem conciliant, vt eas reijciens imprudentiæ, & duritiæ cordis notam non effugiat, sicut nec approbatis ab Ecclesia reuelationibus fidem derogans temeritatis, & impietatis: de quibus, & alijs censuris vide *Corduba q.44. § Sed certè hæc euasio, pag.* 362. *Suar. to.* 2. *in* 3 *p. disp.* 3 *sect.* 5. *pag.* 24. *Vazq. disp.* 117 *cap.* 6. *Mirand. q.* 23. *in conclus. Ægid. de præsent. lib.* 3. *q.* 6. *artic.* 4. §. 1. *Vvading. loco cit. nu.* 6. & 11. & *Serranum num.* 2. *pag.* 174.

179 CVM igitur & reuelationes authenticas teneamus, quam exceptionem prudentissimè, iuxta ac eruditissimè Seraphicus *Bonauentura* opposuit in 3. *d.* 3. *quæst.* 1. *ad* 4. & huius loci Theologici grauitas in confesso sit; non possunt rationes hinc erui non efficacissimæ. Prima. Festum Conceptionis B. Virginis receptum est in Ecclesia Romana, post tempora D. Bernardi, immo & S. Thomæ Aquinatis, (quidquid sit de antiquiori eius celebratione;) eodē sensu, quo in Ecclesijs Angliæ, Galliæ, & Germaniæ celebratur propter reuelationem Abbati Helsino factam, & duas alias, quas S. Anselmus refert *colum.* 9. *Regesti*, vt satis constat ex *hoc ipso articulo, nu.* 107. & 108. estque hæc festi Cōceptionis origo omninò certa, à plurimis auctoritate præstantibus scriptoribus expressè tradita, & egregiè defensa, quos in *Regesto* habes, *colum.* 18. quam vt planè solemnem, & legitimam *Baptista Mantuanus* suis Fastis inseruit, illo versu:

Fluxit ab hac maris irati formidine festum.

Abbatem verò Helsinum de sanctitate B. Virginis in primo instanti celebranda mandatū accepisse, tam *loco citato*, quàm *num.* 130. & sæpè aliàs ostentum est; nec aliam explicationem pati nomen *Creationis, & Conceptionis sanctæ*, quam iubēte Domino se celebrare S. Anselmus, & cæteri Episcopi in ipsa officij oratione testabantur. Quæ omnia Ecclesia Romana approbans, in suos sacros codices admittens, & modo etiam officium Natiuitatis, de quo Helsinus fuerat instructus, Conceptioni applicans, dubitare non sinit, nisi prudentem assensum præstare nolentes; quin id ipsum annua solemnitate colat, quod diuinitus comperit esse reuelatum. In quo diuinæ prouidentiæ mira dispositio resplendet: voluit enim nouum, aut iam desuetudine antiquatum festum à particularibus Ecclesijs incipere, quia in Romana, quæ est caput cæterarum, nouos ritus subitò introduci recti regiminis ratio non patitur; eam tamen persuasionem luce reuelationis adiecit, quæ Sedem Apostolicam successu temporis allicere prudentissimè posset. Sic alia festa paulatim incæpisse, donec ab vniuersali Ecclesia reciperentur, notius est, quàm vt indigeat probatione. Quare desinant aduersarij de sensu festi Conceptionis dubitationē fingere potius, quàm excitare, cum eius origo palàm reclamet, & ipsorum patres, quandiu licuit, non festi sensum, (adeò certus erat,) sed festi celebrationē in Ecclesia Romana negauerint, vt obseruauit noster *Vvanding. in Legat. sect.* 2. *orat.* 7. *tract.* 8. §. 1. *num.* 2. *pag.* 173. & ostendemus in *tractatu Apologet. num.* 10. Illud ergo festum, quod præseruationē Beatæ Virginis negantes reijciebant, Ecclesia Romana solemniter admisit, vt iam nullum habeamus in hac re argumentum, veteri contradictione efficacius.

180 SECVNDA ratio. Negari non potest, à S. Norberto, & eius filijs cele- *S. Norberti reuelatio.*
bratam

bratam fuisse præseruationem B. Virginis ab originali peccato, ex dictis in *Regesto, colum.* 475. *& supra hoc ipso articulo.* Indubitatum etiam videtur ad huius festiuitatis cultum reuelatione illa permotum, qua iussus est Religionem instituere, & habitum candidũ assumere in honorem puræ Conceptionis: dum enim Beatissima Virgo suam Conceptionem in eo Ordine, cuius se Patronam constituit, singulariter coli dignata est, non solùm verisimile apparet hoc festum celebrari voluisse; sed nullum à Norberti sectatoribus haberi solemnius. Hinc ergo satis perspicuè colligimus eandē Cōceptionem Immaculatam celebrari in tota Ecclesia: tum quia nulla ratione, aut leuissima suspitione cogitari potest S. Norbertum in festiuitate Conceptionis ab vsu reliquarum Ecclesiarum dissensisse: tum quia Sedes Apostolica Religionem ab ipso fundatam approbauit, habitu candido, & titulo Conceptionis assignato; quod non videtur sine concessione iuris colendi Virginem, vt Patronam in eo mysterio, quod nomē toti Religioni conferebat, fieri potuisse. Accedit specialis aduocatio *Ordinis Virginis de Præmonstre, propter habitum cælitus præmonstratum*: in quo Summus Pontifex veritati reuelationis fidem accommodans, eamque, vt piè, & prudenter credibilem recipiens, Cōceptionis Immaculatæ cultum candidis vestibus repræsentatum, & diuino oraculo ostensum probauit, clarissimoque indicio sibi eundem cultum valdè placere ostendit. Cùm ergo postea Romana Ecclesia festum Conceptionis B. Virginis amplexa est, si id celebrare nolet, quod à grauissima Religione, se fauente, celebrari sciebat, proculdubiò fideles admonuisset de vero festi sensu, ne falsam doctrinam, vt ab Apostolica Sede dimanantem, admitterent; quod adeò non fecit, vt hoc firmissimum fidelium iudicium quotidie amplius nouis fauoribus roborauerit.

S. Brigittæ reuelationes.

181 TERTIA ratio. Ecclesia Romana inter S. Brigittæ reuelationes, hāc propositionem ex persona Æterni Patris inter ipsas scriptam, *vt à spiritu Dei veraciter traditam*, approbauit: *MARIA de radice Adæ processit, & de peccatoribus nata est, licet sine peccato concepta, vt Filius meus de ea sine peccato nasceretur*, colum. 29. Et hanc ex persona ipsius Virginis: *Veritas est, quòd ego concepta fui sine peccato originali, & non in peccato: quia sicut Filius meus, & ego nunquam peccauimus, ita nullū coniugium fuit, quod honestius esset, quàm illud, de quo ego processi*, colum. 31. Si propositiones adeò manifestè præseruationem Virginis enuntiantes, additis etiam vrgentioribus rationibus, quibus piæ opinionis defensores nituntur, Sedis Apostolicæ post diligentissimum examen toties approbationem meruerunt, & Ecclesia celebrat festum Conceptionis; dubitari probabiliter non potest in eo celebrare præseruationem. Expendite serio, siue aduersarij, siue leuiter erga honorem Virginis affecti, quid, vt inadeamini, expectetis, si adhuc assentire repugnatis. Ecclesia censet omnia motiua, & causas concurrere, vt piè, & prudenter fideles credant à Deo reuelatum esse, *B. Virginem conceptam fuisse sine peccato*: Ecclesia in officio diuino vocat Virginis *Conceptionem sanctā*: Ergo celebrat Virginem conceptam fuisse sine peccato. Si prudentiam, & pietatem sequamur, quid restat ad tam apertę veritatis assensum, nisi velle assentire? At Ecclesia non cogit ad assensum. Fatemur, ad assensum piæ opinionis neminem cogere; interpretationem verò festi de sanctificatione temporis indeterminati nō reliquisse liberam, sed damnationis sententia perculisse, vt *supra num.* 11. perspicuè demonstratum est.

De reliquis reuelationibus.

182 QVARTA ratio. Omnes aliæ reuelationes, quæ licet expressam Ecclesiæ approbationem non habeant, fide tamen dignissimæ à Theologis censeri debent, & à nemine iure reijci possunt, eādem, quam defendimus, veritatem confirmant. Multæ enim ex huius classis reuelationibus non solùm loquuntur de Virginis præseruatione, sed etiam cultū eius aliquo modo attingunt, vt ad eum propagandum, & stabiliendum immisse

cæli-

cælitus videantur. Episcopus ille, de quo *colum.* 590. *reuelat.* 7. ipsa reuelatione motus festũ Cõceptionis in sua diœcesi instituit B. Petrus Villariensis de eodem festo celebrando à B. Virgine instructus est, *reuelat.* 11. Monialis diem octauum Decembris in curia cælesti solemnem esse à Christo Domino audiuit, *reuelat.* 20. Præclara virgo Beatrix de Silua Ordinem Monialiũ Conceptionis ob reuelationem fundauit, *reuelat.* 21. Venerabilis vir Ildephonsus Rodericius Societatem Iesu, inter alias causas, ad defensionem Immaculatæ Conceptionis institutam Virgine ipsa reuelante didicit, *reuelat.* 30. At Patres Societatis eadem concordia, qua opinionem piam verbo, & scripto docent, argumentum præcipuum ex festi celebratione ducunt, quorum aliquos *hoc artic. nu.* 67. 68. *&* 69. citauimus, & omnes sine exceptione referri tutissimè possunt. Aliæ reuelationes factæ sunt ipso die festo Conceptionis, aut in Ecclesia huic mysterio dicata, vt patet *reuelat.* 22. 23. 24. *&* 29. omnes autem, nulla excepta, B. Virginis præseruationem colentibus, & ex diuino alloquio ad eam venerandam vehementiùs inflammatis; vnaque illustratione erga Dei Matris puritatem, & puritatis cultum affectus excitant, vt vtraque veritas pijs mentibus altiùs infigatur, sine Ecclesiæ ductu, & instructione, nunquam tanta constantia piam sententiam propugnaturis.

Stabilitur sextò veritas articuli de Immaculata Conceptione B. Virginis in primo instanti celebrata ab Ecclesia, ex miraculis in confirmationem piæ opinionis diuinitus patratis.

Miraculorũ cũ reuelationibus cõnexio.

183 REVELATIONES veris miraculis confirmatas euidentem generare credibilitatem doctrinæ, ad quam persuadendam efficiuntur, verissimè scripsit *Magist. Raphael de la Torre Dominicanus to.* 2. *in* 2. 2. *q.* 95. *artic.* 3. *disp.* 8. *fol.* 139 Quare oportunè prorsus reuelationibus fundamentum ex miraculis subijcimus, cum omnibus piæ opinionis defensoribus: quos cùm in *Regesto à colum.* 562. omnibus, & libris citatis copiosissimè retulerimus, nõ est, cur hic denuò repetamus. Solùm aduersarios admonemus, ne seipsos inscitia damnent, sed à doctioribus, vel æquè doctis discant; aut omnia legant, si omnium censuram absque legitima renuntiatione arripiunt. Nam *Caietanus*, qui *tract. de Concept. cap.* 15. miracula à grauissimis scriptoribus tradita, & officijs diuinis à Sede Apostolica approbatis inserta, à Sapientum gymnasijs, (nimirum à suorum discipulorum corona) exulare iubet, & ad gynæcea ablegat, tot ictibus miser confossus iacet, vt mirum sit adhuc similis temeritatis * imitatores inuenire. Vide *Ægid. de præsent. lib.* 3. *q.* 6. *artc.* 5. *num.* 2 *pag.* 336. *Catharin. lib.* 1. *pro Immac. Concept. tit. Quod hæc vestigatio, &c. pag.* 8.

* *Auctores libellor. col.* 21. *n.* 37.

Cõuenit nostris miraculis definitio Aug. & Diu. Tho.

184 INPRIMIS ergo circa miracula, ex quibus probationem confecturi sumus; manifestum est conuenire illis definitionem à *S. Thoma* 1 *p. q.* 105. *art* 8. *in corp. & q.* 110. *art.* 4. *in corp. &* 2. 2. *q.* 178. *art.* 1. *ad* 2. *& artic.* 2. *in corp.* ex *August. lib. de vtilit. credẽdi*, traditam: *Miraculum est opus præter ordinem totius naturæ*: id est, quod à solo Deo fieri potest: in quo differt à mirabili signo, seu prodigio. hoc enim, licet multarum causarum creatarum virtutem excedat, non tamen omnium; potest enim quarumdã varia concurrentia, & applicatione, interdum, tametsi raro produci. Verum autem miraculum virtutem diuinã exposcit: vel quoad ipsum factum, vt suscitatio mortui, cæci illuminatio, retractio montis precibus S. Gregorij Taumaturgi facta, vt extruendæ basilicæ locus relinqueretur: vel quoad modum facti, vt sanitatis restitutio in momento temporis: ac enim diuisione, & his ipsis exemplis ex eiusdem *S. Thomæ* doctrina, & *Archidiac. cap. nec mirum*, 26. *q.* 5.

cum alijs Canoniſtis, vtitur *Contelorius de Canonizat. SS. cap.* 16. *num.* 6. Vtriuſque generis miracula *dicto loco noſtri Reg.* habentur: mortui ſuſcitatio, *mirac.* 3. & 62. cæci illuminatio, *mirac.* 28. morborum lethalium, aut qui inſanabiles reputabantur, celerrimæ curationes paſsim, præcipuè *mirac.* 41. 45. 48. 58. 63. 68. 69. 70 & 72. Hæc ad fundamentum noſtrum ſtabiliendum ſeligimus, & cõſignamus, quia in hac phyſica, & ſtricta miraculi acceptione, etiam à contẽtioſis admitti debent; alia fortè illis mirabiliora, ſi omnes circumſtantiæ prudenter expendantur, doctorum eruditioni, & pietati diſcutienda relinquentes.

Facta ſunt miracula ad cõfirmationẽ præſeruationis B. Virg. 185 SED cum miracula, aut docet *S. Thomas loco cit.* 2. 2. *q.* 178. *art.* 2. dupliciter fiant à Deo: vel ad corroborandam Fidem, & doctrinam Catholicam; vel ad oſtendendam ſanctitatem particularis perſonæ poſitæ in exemplũ virtutis: & hoc poſteriori modo effecta *miracula magna, diligenter examinata* euidens teſtimoniũ ſint ſanctitatis, ad cuius confirmationem ordinantur, ex *Bellam. to.* 1. *contr.* 7. *lib.* 1. *cap.* 9. § *Tertiò miracula*: ſtatuendum eſt, in prædictorum miraculorum operatione, tam ea orationibus impetrantes, quàm Deum in Fide petentibus cooperantem, immo & non oratum, ſanctitatem B. Virginis in primo Conceptionis inſtanti teſtari, & cõfirmare voluiſſe: quod ex ipſa miraculorum narratione apertiſsimè conſtat, illorum maximè, quę vel ob huius myſterij defenſionem facta noſcuntur, vt *mirac.* 1. 2. 4. 33. 40. 41. 48. 62. & 68. vel coniunctam habent expreſſam de præſeruatione B. Virginis reuelationẽ, vt *mirac.* 14. 15. 50. 61. quibus addimus *tertium*, & *quintũ*, reuelationes continentia de celebrando feſto Conceptionis, & ideò in ſenſu reuelationũ interpretanda, quas pręſeruationis cultum præſcripſiſſe conſtat ex proximè dictis *num.* 178.

Horum miraculorũ certitudo. 186 IAM verò miraculorum, de quibus loquimur, certitudo, vt verbo abſoluamus, tanta eſt, quanta in his rebus à prudentibus, immo & moroſis exigi poteſt. Omnia idoneis teſtimonijs fulciuntur, à ſcriptoribus ſpectatæ fidei, & maturi iudicij relata: plura eos auctores habent, qui id ipſum, quod viderunt, aut in ſe experti ſunt, aut ab his, qui viderant, & in ſe experti erant, acceperunt, litteris conſignarunt, vt *mirac.* 33. 36. 42. 43. 45. 57. 66. 14. 16. 18. 52. 62. 63. Alia denique in officijs diuinis à Sede Apoſtolica approbatis leguntur, vt *mirac.* 1. 2. 3. 5. 10. 11. 40. Nec propterea, aut miraculis ipſis, aut piæ opinioni illis comprobatæ Fidei diuinæ certitudinem tribuimus, ſed piam, & probabiliſsimam; quod quamuis ſatis manifeſtum, & ſæpè antea repetitum, hoc loco expreſsè teſtatũ volumus cum *Illuſtriſs. D. Ioan. Serrano Epiſc. Acern. lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 2. *pag.* 190.

187 ITAQVE, cum nihil noſtris miraculis deficere videatur, vt principatum in ſua claſſe ducãt, & ad articuli reſolutionem ſpeciale fundamentum prębeant: multipliciter ex illis ſuadetur ſanctitatem B. Virginis in primo inſtanti coli, & celebrari ab Eccleſia. Primò, feſtum Conceptionis ita circa tempora D. Anſelmi introductum eſt in Eccleſiã Dei vt neſcias, cui potiùs tribui debeat, reuelationum veritati, an miraculorum virtuti; niſi quod, ſicut teſte *Apoſtolo* 1. *Cor.* 14. *Linguæ in ſignũ infidelibus datæ sũt, prophetiæ fidelibus*, ita vt quiſque ad pietatem pronus, & virginei honoris zelator, plus reuelationibus mouebitur; increduli autem potentiùs vi miraculorũ excitabũtur: quare ſuauiſsima prouidẽtia diuina omnibus ſe attẽperans, ea ratione vnumquemque attrahere diſpoſuit, qua efficaciùs alliceretur. Ad eumdem ergo finem reuelationes, & miracula deſtinabantur, vt coleretur *Conceptio*, & *Creatio* B. Virginis Matris Dei ſancta, & Immaculata, id eſt, primum inſtans animationis propter ſimul ipſius animæ infuſam gratiam. Secundò, miracula Immaculatam Conceptionem clarè teſtantia, expreſsè approbante Sede Apoſtolica, in Lectionibus feſti recitabantur: ergo illud feſtum Immaculatę Conceptioni dicatum eſſe fideles prędictis *Cultus Eccleſiaſticus ex miraculis ſtabilitur.*

ctis miraculorum historijs docebantur. Tertiò, sæpè miracula cõtigerunt in cõcionibus, inter diuina officia, & medijs Immaculatę Conceptionis imaginibus, in templis, vel altaribus huic ipsi mysterio consecratis, quæ actiones publici cultus sunt, & auctoritate Summorum Põtificum approbati. Quo in genere valdè resplendet miraculum illud meritis B. Didaci factũ, quod in nostro *Regesto* est ordine 63. *volum*. 582. diritsmæ scilicet paralysis curatio oratione effusa ante Conceptionis imaginem. Cùm autem inter canonizationis acta extet, & in singulari sit approbatum, cultum præseruationis B. Virginis magnoperè extollit: quamuis enim directè Sedes Apostolica ex huiusmodi miraculo sanctitatem B. Didaci declarauerit; negari tamen nõ potest simul declarasse ad inuocationem gloriosissimæ Virginis, vt sine peccato originali conceptæ factum fuisse verum miraculum, vt optimè expendit noster *Illustriss. Serranus dicto lib*. 2. *cap*. 13. *num*. 14. *pag*. 159. quod quomodo sine approbatione cultus huius mysterij fieri potuerit, explicent aduersarij.

188 AT dicet aliquis: miracula sanctitatem comprobantia tunc certam fidem facere, cùm sanctitas illa proponitur fidelibus in exemplum, vt *num*. 184. ex *Bellarmino* dicebamus: Virginis verò præseruationem imitabilem non esse, sed actu intellectus merè speculatiuo asseri, aut negari, nec subesse periculum erroris circa mores, quare pium orantis affectum approbari ab Ecclesia posse, quamuis modus opinandi sit falsus. Hæc tamen euasio, si quis ea vtatur, impietate non caret: nec enim nasci in gratia est ex genere rerum, quas imitari possumus; & tamen si miraculis ab Ecclesia approbatis confirmetur, eodem gradu credibilitatis ponitur cum reliquis Sanctorum prærogatiuis: vnde nemo negabit Natiuitatẽ S. Ioannis Baptistæ probari sanctam ex verbis hymni Ecclesiastici, *reformasti genitus perempta organa vocis*: & ex abstinentia à sugendo lacte vsque ad vesperam ferijs quarta, & sexta, colligunt non obscurè sanctificationem B. Nicolai Myrensis Episcopi in vtero, aut natiuitatis exordio, *S. Antonin. 3. p. Summæ, tit. 19, S. Petr. Damian. serm. de S. Nic. apud Lipoman. to. 8. & Surium to. 7. de Vitis SS. Simeon Metaphrast. apud eosdẽ to. 1. & 6 & Zacharias Lippeious eiusdem argumenti to. 4.* Iudicium Ecclesiæ miracula approbantis idem est, & eodem modo credibilia, aut certa facit dona Dei, (iuxta vim, & tenorẽ approbationis,) quæ Deus in nobis sine nobis, ac quæ nobiscum, vt phrasi Augustiniana vtamur, operatur. Proponitur quippe in exemplum persona ipsa, non quidẽ vt in omnibus imitanda, sed absque dubio imitanda feruẽtiùs propter ipsas excellentias, quas sola veneratione prosequi possumus. Quare omninò negamus piam opinionem de præseruatione Virginis merè speculatiuam esse; sed valdè ad affectum excitandum, deuotionemque erga B. Virginem promouendam conducere dicimus: quod iam olim cõtra impugnatores defendit *Catharin. imit. lib. 1. pro Immac. Concept.* Nec ipsa cultus exhibitio, si ad rem falsam dirigeretur, ab errore, & quidem perniciosissimo excusari posset. Ecclesia igitur, quæ miracula Immaculam Conceptionem colentibus diuinitus cõcessa approbat, absque dubio gratiam Virginis in primo instanti, vt piè pro verissima habendam omnibus fidelibus proponit.

Euasio præcluditur.

Stabilitur septimò veritas articuli de Immaculata Conceptione Beatæ Virginis in primo instanti celebrata ab Ecclesia, ex mirabili fidelium omnis status, & dignitatis in piam opinionem consensu.

189 POPVLI Christiani consensum locum esse Theologicum, & ex eo rectè applicato dogmata stabiliri, docuit nos *Augustin. lib. cont. Epist.*

Fundamentum boc rectè alijs coniungitur.

epist. fundam. cap. 4. to. 6. dicens, *Tenet me in Ecclesia consensus populorum, atque gentium.* Et *epist. 86. to. 2. In his, de quibus nihil certi sacra Scriptura definit, mos populi Dei, & instituta maiorum pro lege sunt habenda.* Quæ sententia ad verbum refertur *cap. In his, dist. 11.* Vnde Assertores piæ opinionis magna concordia hoc argumento, vt firmissimo vtuntur. *Ægid. de præsent. lib. 3. q. 6. art. 3.* refert *Suarium, Cordubam, Valentiam, Petrum Morales, Canisium, Vazquezium, Salmeronē, Catharinum, Bellarminum, Vincentium Iustinianum*, & *Ioannem Pinedam:* quibus adde *Mirandam in tract. Hisp. cap. 81. & seqq.* in *Latino* vero *q. 24. Franciscum de Torres ab initio lib. 3. Ioannem Guerrerum in sua Informatione, disc. 18. Hieronymū Aznar cap. 20. Conceptuum de puriss. Concept. Tritemium lib. 1. de miraculis Beatiss. Virg. cap. 2. & in Chron. Sponheim. ad an. 1494. Adrianum Moerbecium in scala purpurea, to. 2. serm. in festo Concept. pag. 127. Vvading. in Legat. sect. 2. orat. 8. §. 7 pag. 230. D. Serran. Acernens. Episc. lib. 2. cap. 11. pag. 168.* & quem non? facilius enim qui hanc argumentādi rationem contempserint, aut prætermiserint, quā qui magni, vt par est, fecerint, & illustrauerint, numerari possunt.

Testimonia referuntur. 190 SED quia locus disertissimè, si quis alius, à prædictis auctoribus tractatus est, vt nihil ferè, aut parùm locupletari à nobis desideret: ipsorum verbis vim argumenti proponemus, quatenus ex fidelium consensu, Capitis Ecclesiæ approbationem eliciunt, qui est vnicus nostri articuli scopus, & tot fundamentis stabilita resolutio.

Valētia. 191 IGITVR *P. Valentia to. 4. disp. 2. q. 1 punc. 2.* ita scribit. *Octauò idem apparet ex eo quòd sine vlla dubitatione, maxima etiam fidelium pars, atque adeò promiscuè plerique omnes fideles, exceptis paucis quibusdam vnius, vel alterius ordinis, his etiam temporibus, post mutatam à Pio V. officij formulam de hoc festo, celebrant illud, tāquam festum Immaculatæ Conceptionis, atq; adeò iuxta mentem, & intentionē Sixti IV. qui sententiam hanc expressè commendauit.* Hæc est nostra formalissima consequētia. Probamus enim ab Ecclesia Catholica coli Immaculatam Conceptionem, & Summos Pontifices hunc cultum docere, ex eo quòd omnes fideles, paucis exceptis, ita sentiant, intelligant, priuatim, & publicè testentur, nec minus in obiecto cultus, indulgentiarum motiuo; Religionum, Altarium, & Ecclesiarum aduocatione, quàm in ipsa pia opinione conueniant: quæ tanta animorum consensio inter nationes moribus diuersas, tēporibus distantes, locis infinitas, multitudine innumerabiles, in alijs doctrinis, quæ ad fidem non pertinent, valdè dissentientes, argumentum efficacissimum, & moraliter euidens veritatis est. Quod si hic vniuersalis fidelium cōsensus luce meridiana clarior in dubiū fortasse reuocetur, totum nostrum *Regestū* instrumentis authenticis plenum opponimus, quæ suadere, cōuincere, & si quid aliud legitimis probationibus obtinetur, efficere possunt. Certè si res ad calculum exigatur, plures Vniuersitates, Vrbes, Diœceses, Religiones, Prouinciæ, & Regna pro pia opinione, quàm singulares homines pro opposita numerabuntur. Nec solùm tam incomparabiliter excedens Orbis Christiani pars piam opinionem amplectitur, sed eius defensioni votis, & iuramentis se obstringit, & Episcopis præeuntibus pro sanctissimis aris voluntaria religione ligatur: cuius pietatis integra instrumēta in *Regesto* dedimus, præcipuè *col. 370. 427. 432 436. 461. 657. 660.* quibus, & alijs locis Episcopalis auctoritas, & exemplum iuramentorum emissioni interponitur.

192 QVID verò ampliùs ex tanta piè opinantium concordia sequatur, idem auctor pressiùs examinare pergit. *Eiusdē.* *Quæ cum ita sint,* (inquit) *non solùm his tā multis nominibus meritò censeri debet Ecclesia Catholica in hanc potiùs sententiam propendere, sed eo etiam, quòd propter hæc præiudicia fidelium, & maximè Sedis Apostolicæ facillimè fieri potest, vt tota prorsus Ecclesia fidelium, nullis exceptis, persuadeat sibi veram esse hanc sententiam: id, quod ipse quidem arbitror aliquando futurum, etiam si fortè hæc sententia expressè quidem nunquam ab*

ab Ecclesia definiretur. Quòd si accideret, iam eo ipso redderetur hæc sententia secundum Fidem certa. siquidem ex Fide certum est, Ecclesiam totam non posse errare persuadendo sibi aliquam sententiam, quæ pertineat ad pietatem, & cultum religionis, vt docuimus to. 3. q. 1. de Fide, punc. 7. §. 16. Sed nunc quidem satis nobis sit, quòd ob has considerationes, quas proposuimus, censeri potest hæc sententia de Immaculata Virginis Conceptione esse sententia Ecclesiæ totius in quadam saltem potentia proxima. Ecce Christiani populi pietatem à Sede Apostolica perspicuè deriuatam. Quod autem ad mysterij definibilitatem spectat, sequenti fundamento expendetur.

193 VAZQVEZ *to. 2. in 3 p. disp. 117. cap. 6. Accedit demum communis cõsensus omnium fidelium, per quorum animos, vna dempta familia Dominicanorum;* (sed nec eam totam excipi debere, immo potiorem eius partem in castris piæ opinionis militare satis constat ex dictis in *Regesto*, à *col.* 477. ad 539.) *ita hæc opinio peruasit, vt nulla ratione vllus ab ea dimoueri possit. Dico autem hunc esse sensum totius populi Christiani, non solum rudis, & ignari, sed etiam Doctorum, & Academiarum, vt nulla sit, in qua opposita sententia vllo modo defendi permittatur.* Et interius. *Sanè hanc communem vocem totius populi non sine Dei nutu, & peculiari prouidentia percrebuisse quis dubitet? Si enim hæc nostra opinio probabilior multò non esset; certè non permitteret Deus totum populum Christianum tam firmo, & constanti animo, eam profiteri, & amplecti.* Adde, nec permitteret Sedes Apostolica opinionẽ piã, vt à se fauoribus donatam extolli, si præter eius mentem tam vniuersalis persuasio animis fidelium insedisset.

Vazquezij.

194 ÆGIDIVS de præsentatione *dicta q. 6. art. 3. § 6. nu. 39.* solutionem huius argumẽti à Caietano scriptis mãdatam his verbis refert. *Denique, quod attinet ad applausum, & deuotionem omnium Catholicorum Regum, & totius populi fidelis, qua puritas B. Virginis iam hodie in tota Ecclesia, non solum communis facta est, sed ita recepta, vt opposita sit scandalosa: respondet Caietanus, hanc probabilitatem non excedere vulgarem auctoritatem, quia est hominũ imperitorum: scandalum autem non actiuum esse, sed passiuum, & cùm sit insipientium, potius est scandalum Pharisæorum, quàm piarum aurium offensiuum. Vnde quæ appellatur pietas, nõ innititur zelo scientiæ, ex qua (vt multis probare nititur) plura inferrentur erronea.* Hanc Caietani responsionẽ sic statim confutat Ægidius. *Sed quantum in hoc deliret Caietanus, nullus non videbit, qui aduerterit populum fidelem à Romana Ecclesia ad hanc pietatem allici, & vehementer inuitari, dum Conceptionem B. Virginis sub titulo Immaculatæ, & ab omni origenali macula liberæ, publica celebritate colendam omnibus fidelibus proponit, ac etiam dum vniuersos fideles ad illius celebritatem allicit, indulgentias largiendo, & gratias, vt diximus art. 1. huius quæst. & dicemus q. 8. artic. 9. Nunc pro conuincendis delirijs à Caietano adductis, & pro arguenda illius temeritate satis sit, adducere compendium doctrinæ Christianæ, cum declarationibus doctissimi Cardinalis Bellarmini, iussu, & auctoritate Clementis VIII. approbatũ à Congregatione Reformationis doctrinæ Christianæ, ad pueros in Italia edocendos; quod sanctiss. Clem. VIII. non solum approbauit, sed etiam præcepit, vt solo illo compendio in Italia vterentur, qui ex Congregatione Reformationis pueros in doctrina Fidei instituunt, vt patet ex Bulla eiusdem, Ferrariæ 15. Iulij data, an. 1598.* Ex adducto loco ex Bellarmini doctrina, quẽ exscripsimus *col.* 329 *Reg.* subdit. *Iã igitur zelo Catholicæ Fidei Caietanum compello: an ex hac doctrina, & puerorum institutionis pietate inferri possint deliria, quæ ex pietate fidelium posse inferri, delirando affirmat Caietanus?* Et in fine articuli concludit. *Quare iterũ dicam, & semper dicam, quòd doctissimus Caietanus in illis verbis omninò delirauit; ne dicam verba illa digna esse, quæ ab illo tractatu deleantur.* Hæc ille.

Ægidij

195 ILLVSTRISS. noster Sosa in *Epist. pro orat. Concept. pag* 23. idem argumentum premens, & eandem euasionem præcludens, ait, nostris verbis ex Hispano. *Sententiam piam contemnentibus quasi vulgi opinionẽ duo ingeri debent. Primum, ingentẽ esse superbiam pro vulgo reputare*

Illustrissimi Sosæ, & Catharini.

tare selectiorem Ecclesiæ partem, & seipsos Ecclesiæ Doctores constituere. De hoc aduersariorum supercilio iam olim grauissime scripserat *Catharinus disput. de Immaculata Concept. ad Concil. Trident. parte 2.* paulo post initium, colum. 94. *Mitto nunc* (inquit) quæ aliquando in patria mea (Senis) *quidam ausi sunt mihi respondere, cum ego ad hanc celebritatem recipiendam eos sedulò adhortarer obijciens Romanæ Ecclesiæ morem, cui adhærendum esse populus ille iure flagitabat. Dixerunt enim se viros esse veritatis, & Ordinem Prædicatorum esse maximā, & nobilissimam sanctæ Romanæ Ecclesiæ partem. Quod si verum est: ipsi ergo sunt caput, cæteri membra. Nam maxima, & nobilissima cuiusque Ecclesiæ pars caput est, & ad ipsum pertinet membrorum omnium directio. Verum de his, qui tam peruersa loquuntur, illud solum considerandū est, sint ne potius miseratione digni ob corruptam affectionem, quàm animaduersione ob insolentiam & arrogantiā. Responsione procul dubiò tales iam digni non sunt.* Hactenus ille. Pergit noster Sosa. *Aliud; si quid in rebus similibus à vulgo inuentum est, reprobandum esse; cùm verò vulgus duces suos tot & tam egregios sequitur, tunc vox populi vox Dei.* Hoc discrimen inter opinionem vulgarem, & vulgo receptam, si à multis seculis aduersarij obseruassent, non se toties vulgo ipsi deridēdos scriptis, & factis exposuissent: nec, quod longè deterius est, verissima scandala tam nullo pietatis respectu disseminassent. Sunt enim multa dogmata, aut commēdatione popularia, aut splendore plausibilia, in quibus docti ab imperitis, non sententia, sed cognitionis perspicacia differunt, & vsum, vt ille ait, populo cōcedunt, scientiam sibi reseruant: quia nihil prohibet, multa, quæ prima specie omnes alliciunt, eadem esse, & solidissima. De huius generis assertionibus, quasi cum aduersarijs Immaculatæ Conceptionis loqueretur, grauissimè *lib. 1. cont. Iulian. cap. 2. to. 7.* dixit Augustinus: *Non tibi, sicut calumniaris, solum populi murmur opponimus; quamquam & ipse populus aduersum vos propterea murmuret, quia nō est talis quæstio, quæ possit etiam cognitionem populi effugere.* Vide locum Mag. *Dominici à Soto* Dominicani, *colum. 506. Regesti.*

196 QVAPROPTER aduersarij hac arce deiecti aliam, vt ipsis videbatur, vacuam occupare summa vi conati sunt, iactantes hunc fidelium consensum cò minoris ducendum, quod à recētioribus Doctoribus profectus sit; suā opinionem firmissimo SS. Patrum præsidio niti, piam verò eorum doctrinæ apertè contradicere. Quod reuera nihil aliud est, quàm ex nostra, & veteri Ecclesia duas facere, quasi *Christus digamus esset*, vt noster *Caruaial. ad 1. Obiect. cont. Declamat.* suam acutè dixit: & Summos Pōtifices temeritatis accusare, qui dogma toti antiquitati repugnans, & probauerint fidelibus amplectēdū tradiderint. Obstruxit eorum ora (vt mittamus Doctores priuatos) *Concilium Tridentinum*: nam SS. Patres id solū docuerunt, quòd ab Apostolo didicerant, *in omnes homines peccatum Adæ pertransisse*: hoc ipsum definit *Concilium*, simul declarans NON ESSE SVÆ INTENTIONIS COMPREHENDERE BEATAM ET IMMACVLATAM VIRGINEM MARIAM DEI GENITRICEM: qua declaratione, nec ab Apostolo, nec à sanctibus Patribus ex vi regulæ generalis comprehendi, apertè docuit. Quibus Concilij æcumenici iudicium non satisfacit; quid satisfaciet? Cùm ergo adhuc videamus, vix oculis nostris fidem adhibentes, confidentissimè pronunciari * *opinionē*, quæ B. Virgini peccatum originale tribuit esse *omnium antiquorum Patrum, & Doctorum consensu firmatam*, ne causam, quam defendendam suscepimus, prodidisse arguamur, paucis fidelium nostri seculi consensum, & Sedis Apostolicæ propensionem à tam euidentibus calumnis vindicabimus.

Opinio pia falsò dicitur antiquitati cōtraria.

* *col 9 num. 3.*

Quid

Quid syncerè, & secundùm veritatem sentiendum sit de mente sanctorum Patrum, & Doctorum circa IMMACVLATAM CONCEPTIONEM Beatæ Virginis: Breuis resolutio.

197 PRIMA propositio. *Nullus ex Sanctis, aut antiquis Patribus, qui ab aduersarijs Immaculatæ Conceptionis citantur, indubitatè affirmauit, & constanter tenuit B. Virginem contraxisse peccatum originale.* Loquimur de Patribus, vt communiter contra Doctores Scholasticos distingui solent, & vsque ad annum millesimum ducentesimum plus minus numerari possunt: & de eorũ auctoritatibus indubitatis, quas constet ab ipsis scriptas, & nullam probabilem interpretationẽ admittere; nec hoc satis est, vt aliqua opinio Patribus tribuatur. Si enim in ea affirmanda constantes non fuerunt, sed alibi æquè expresse puritati Virginis fauent, pro parte, in quã Ecclesia propendit, piè allegandi sunt, aut certè pro neutra. Sic explicata propositio verissima est, & faciliorem, quã credi potest, probationem habet. Vndecim Patres, Magistro sententiarum annumerato, Bandelus suo sanctificationis, vel potiùs maculationis officio inseruit, & in vno Augustini testimonio, *Lect.* 5. *colum.* 255. nouem alios: ex his viginti Patribus ne vnus quidem in terminis de B. Virgine agens, ei peccatum originale tribuit, vt ex *Regesto, à colum.* 240 *ad* 277. perspici potest. Nam *Bernardus* inter indubitatos referri non debet, cùm an sit auctor *Epistolæ ad Lugdunenses* à doctis in vtramque partem disputetur, & ea ipsa Epistola interpetationem admittat aliorum iudicio, nec desint D. Bernardi testimonia pro Immaculata Conceptione, quæ *Salazar c.* 35. *num.* 47. *& cap.* 37. *num.* 3. *& cap.* 42. *seculo* 12. *pag.* 428. & alij multi expẽdunt. Reliquos Patres magno numero ab eodem *Bandelo* in *tractatibus* contra Immaculatam Conceptionem, *Caietano*, & alijs aduersarijs coaceruatos singillatim recenset, & accuratissimè examinat *Ægid. de præsent. lib.* 3. *q.* 4. *art.* 2. *à pag.* 220. *ad* 236. & passim piæ opinionis assertores, & vel facillimè explicari, vel infideliter adduci ostendunt. De quatuor scriptoribus separatim agit *Ægid.* §. 2. *pag.* 237. Primus est Erardus Episcopus, & Martyr, cuius verba expressa pro sua sententia referunt soli *Caietanus*, & *Bandelus* nullatenus idonei in hac materia testes, quare nec Erardus cẽsendus est auctor contra Immaculatam Conceptionem indubitatus. Secundus est Innocentius III. duobus locis, quorum sensus nõ est omninò perspicuus, de quo præter *Ægidium*, lege nostrum *Serranũ lib.* 2. *cap.* 28. initio; nec vt esset, æquat Patrum auctoritatem, vt statim dicemus. Tertius est Clemens VI. cuius verba expressa quidem sunt pro aduersariorum sententia; sed non solent scriptores, quamuis doctissimi, recenseri inter Ecclesiæ Patres, etiamsi postea ad Summum Pontificatum ascenderint, Nunquam in scholis auditur Ioannes XXI. sed Petrus Hispanus, nec Clemens IV. sed Guido Papa, nec Adrianus VI. sed Adrianus, nec Pius II. sed Æneas Siluius, eorumque sententiæ, nisi ratione præualeant, ex auctoris dignitate nihil omninò roboris accipiunt: neque enim quid Pontifices in minoribus agentes, aut tanquam priuati Doctores scripserint, sed quid auctoritate Apostolica statuerint, considerant fideles, vt eorũ placita pro legibus habeant. Quartus est S. Bernardus, de quo iam diximus: nec alius restat ex Patrum classe, qui scrupulum inijcere possit.

Patres piæ opinioni nõ aduersãtur.

198 EST hoc loco obseruandum, argumentum ex antiquitate petitũ contra piam opinionem, & nostri seculi in ea consensum, omninò cessare ex eo præcisè, quod veteres Patres non contradicant; quamuis (quod planè falsum est,) nihil ei fauerent. Quis enim nescit ex solo Patrum silentio, aut minùs accurata tractatione, fidem dogmatibus non

Multa dogmata posterioribus seculis expressius tradita.

non detrahi, cùm maiores nostri in eas tantùm disputationes sedulò incumberent, ad quas hæresibus inualescentibus compellebatur? Quæ causa fuit, vt Prædestinationis mysteria se non exactißimè explicata inuenisse *Augustinus* testetur *lib. de Bono perseuer. cap. 20. to. 7. Hæc est* (inquit) *Prædestinatio manifesta, & certa Sanctorum, quam postea diligentius, & operosius, cùm iam contra Pelagianos disputaremus, defendere necessitas compulit. Didicimus enim singulas hæreses intulisse Ecclesiæ proprias quæstiones, contra quas diligentius defenderetur Scriptura diuina, quàm si nulla talis necessitas cogeret.* Ipse ergo gratiæ Dei per Christum, quæ à Pelagianis de medio tollebatur, defendendæ totus intentus, multas de libero arbitrio quæstiones profunda breuitate attingens, nō parùm laboris in eis copiosius examinandis posteris reliquit, vt nostro, & antecedentibus seculis propter hæreticos liberum arbitrium negantes, tùm à Doctoribus, tùm ab ipsis Concilijs factum videmus. Similiter cùm Pelagiani, ne gratiæ necessitatem agnoscerent, naturę vulnus, & peccati originalis propagationem diffiterentur; eam Augustinus, & alij Patres summa vi stabiliendam susceperunt, vnius Virginis priuilegio, vt cōperto, & à nemine in dubium reuocato minimè timentes. Reuelatum est diuinitus post aliquot secula mysterium, & festum Conceptionis, statimque contradictores habuit tam Catholicos, quàm hæreticos. De Catholicis certa res est ex *S. Anselmo in Regesto, colum.* 17. & asserti *Bernardi Epist. ad Lugdun.* De hæreticis habemus præclarum testimonium grauißimi eiusdem seculi scriptoris *Beati Ioannis Carnotensis serm. de Natiuit. Domini*, inter auctores de diuinis officijs editionis Romanæ an. 1591. pag. 440. colum. 2. *Quomodo autem Matrem carnis suæ sanctificauerit, deinceps audiamus, vt inde lætetur Catholicus, immundus confutetur hæreticus. Omnem quippè næuum tam originalis, quàm actualis culpæ in ea deleuit:* & quæ sequuntur, nullatenus explicanda de sanctificatione in conceptione Verbi, nec à peccatis, quæ iam inerant; qualis enim esset hæreticorum confutatio, si non solùm originalem, sed actuales etiam culpas in Virgine admitteret eius defensor? Vide *Salazar cap. 42. sec. 11. in fine, pag.* 426. Eandem cum hæreticis de Imaculata Conceptione cōtrouersiam innuere videtur SCOTI epitaphium, ab his, qui sæpè illud legerunt, quamuis carmine claudicante, fideliter relatum.

Concepta est Virgo primi sine labe parētis
Hic tulit, hic hæresi prælia dura dedit.

Controuersia ergo excitata, & vires quotidie adquirente, compulsa sunt Doctorum ingenia scripturas diligentißimè euoluere, doctrinam de peccato originali, de redemptione Christi, de eius singulari excellentia radicitus eruere, simulque Matris Dei dignitatem iudicij trutina librare, & quid illa exposceret, quid vè ei saluis Fidei principijs attribui posset, incessanter disquirere. Quid mirū, tot eruditißimos viros per quingentos & amplius annos huic cogitationi deditos, non quidem melius, quàm veteres Patres, sed expreßius, copiosius, distinctiùs de Virginis puritate statuisse? Aut quomodo potius non mirū esset, Spiritum sanctum, nouis quæstionibus exortis, noua luce Ecclesiam suā non irradiasse? Si hæc, vt par est, aduersarij expenderent, nunquam sanctos Patres piè opinantibus obiecissent. Sed quia Patres ipsos non modò non contradicentes, sed etiam fauentes habemus, addimus aliam propositionem.

199 SECVNDA propositio. *Multi ex Sanctis, & antiquis Patribus Immaculatæ Conceptionis mysterium docent; multi præseruationi fauent, & est absolutè pia opinio conformior communi doctrinæ SS. Patrum, cum in terminis expræssè de B. Virgine loquuntur.* In hac propositione conueniunt Immaculatæ Conceptionis defensores contra *Caiet. tract. de Concept. cap.* 5. & alios aduersarios à *Catharino* in vtroque opere de hoc mysterio acerrimè falsi zeli nō secundùm scientiam, arrogantiæ, & imposturarum conuictos; à *Gullielmo* verò *Pepin* consodali syncerè, si sequi vellent, rectè viæ admonitos,

SS. PP. piæ opinionis assertores

nitos. dum ait *ser. de Cõcept. In scriptis præcipuorum Ecclesiæ Doctorũ Dominus reserat Beatissimã Christi Matrem immunem fuisse ab originali culpa in sua gloriosa Conceptione.* Quod quam verũ sit, ostẽdendũ ex professo susceperunt inter alios, quatuor nobiles scriptores nostri seculi ex diuersis familijs: *Ægid. de præsent.* Augustinianus *lib. 3. de præseruat. Virg. q. 4. art. 1. à pag. 185. ad 206.* & rursus *art. 2. & 3. à pag. 242. ad 248. Granad. Soc. Iesu, 3 p. cõtrouers. 2. tract. 1. disp. 3 sect. 18.* quod opus antea seorsim emiserat: *Salazar* eiusdem societatis in sua *Defensione* toto *cap. 42. Serran.* Ord. Minor. Acern Episc. *lib. 2. de Immac. Concept. per septem decim capita à 14. ad 30.* Hos Doctores de omni antiquitate, & posteritate benemeritos consulat, qui plene de Sanctorũ Patrum mẽte instrui cupit, & à difficultatibus circa vnumquodque testimonium emergentibus expediri. Nostrarũ enim partium, vt *sol. 28. art. 1. n. 2.* professi sumus, tãtum est possessionẽ tituli Immaculatæ Conceptionis a Sede Apostolica cõcessã tueri, vniuerso cœtu fideliũ plaudente; quẽ vniuersalem cõsensum, vt ex veneranda antiquitate originem ducere probemus, nõ opus est nobis quęlibet veterum monumenta pro certis, & indubitatis asserere; habent suos propugnatores paulo ante, & *vbi supra* nominatos. Nobis satis, superque sit, Patrũ auctoritates, quæ obijciuntur, generales esse, & B. Virginẽ, iuxta Ecclesiæ declarationẽ, non cõprehendere; eosdẽ vero Patres, cum in indiuiduo de B. Virgine sermonẽ instituunt, aut expresse à peccati originalis contractione liberare, aut tantã ei omnium gratiarum plenitudinẽ, & puritatis excellentiam tribuere, vt conformius illorũ doctrinæ sentiat, qui cũ de peccatis agitur, nullam prorsus de B. Virgine admittat quæstionẽ cum *August. lib. de nat. & grat. c. 36.* & *Bernard. ser. 13. de Cœna Dom.*

Pia opinio in Scholis regnat.

200 TERTIA propositio. *Pia opinio ferè sẽper ab initio exortæ cõtrouersiæ fuit in Scholis cõmunior, quàm opposita, donec aduniuersalẽ approbationẽ, quã modò obtinet, continuis incremẽtis peruenerit.* Vt de huius propositionis veritate nobis cũ aduersarijs cõueniat, reuocandũ est in memoriam, quod *à n. 2. art. 1.* diximus, controuersiã de Immaculata Cõceptione medio ferè duodecimo seculo quasi seminatã: tunc quippe floruit *Magister sententiarum*, quẽ Latinæ Scholæ principẽ agnoscunt: tunc etiã *Auctor* quisquis fuerit *Epistolæ ad Lugdunẽses*, vnde Scholasticos Doctores cõtra Virginis Præseruationem argumenta sumpsisse eorũ scripta indubitãter clamãt. Quãuis enim vndecimũ seculũ suos disputatores habuerit, vt ex proximè dictis *nu. 197.* cõstat; primarij fuerũt, & potius Patribus, quã Doctoribus Scholasticis annumerandi. Propriè ergo controuersia Scholastica duodecimo sæculo incæpit, & decimo tertio perfectè coaluit, quo insignia illa subtilioris Theologiæ lumina, Alexander Halensis, Albertus Magnus, D. Thomas, Scotus deniq; qui etiã decimũquartũ seculũ attigit, claruerunt: ex qua tẽporum distinctione propositio nostra perspicuè innotescit.

Auctores Scoto antiquiores, dubij.

201 FATEMVR namq; antè Scotũ, *D. Bonauẽtura*, & ipso *Scoto* teste *in 3. d. 3.* piã opinionẽ cõmuniter in Scholis receptã nõ fuisse; breui tamẽ tẽpore opposita præualuit; cũ enim D. Thomas anno 1274. cælo terrã mutauerit, & Scotus anno 1300. iã celebris esset sex, & viginti interiacentes anni præcisè tribui debent cõsensui maioris partis scholasticorũ cõtra Virginis puritatẽ, vt obseruat *Ægid. de præsẽr. li. 3. q. 4. art. 4. §. 2 in fin* quãuis triginta annos communi Scholasticorũ cõsẽsui in oppositã opinionẽ tribuat manifesto anachronismo: ponit enim obitũ gloriosũ Angelici Doctoris anno 1260. cõtra omnes historicos, qui vnanimiter dicto anno 1274. cõtigisse statuunt, quo & Lugdunense Concilium ad quod vocatus erat, celebratũ est. Doctoris verò subtilis auctoritas præualere non potuit anno 1290. vt Ægidius existimat, sed decennio post, cum Oxonij miro hominum concursu audiebatur, & piam opinionem docebat, ad quam defendendã postea Parisios missus fuit. Vide *Vuading. to. 3. Annal. Minor. ad an. 1304.* Sed quis tandem fuit Doctorum ante Scotũ consensus? dubitãtiũ profectò potius quam asserentium, aut opinantium. & qui hinc ad pietatem propensi, inde nouitate deterriti ob festi, & reuelationum incertã originem, (quod in eorum magna laude

ponimus) quasi inter spem, & metum fluctuabant. *Alexander* expresè peccati originalis contractionē Virgini nō tribuit, vt patet ex *art.1.n.8.col.32.* mysterio tamē præseruationis minus fauisse ex *mirac.40.col.573.Reg.* ita scimus, vt simul prioris sētētiæ mutationē sciamus. *Albertus* vt minimū dubius fuit. & vtrāq; opinionem diuersis locis docuit. Vide *artic.1.num.9 colum.33. Ægid.dicta q.4.artic.4.§.1.num.9.& Salaz.cap.42. sec.13.pag.432. D.Thomas* ex propria intentione solùm incubuit declarationi dogmatis Catholici de cōtractione peccati ex vi legis, & propagationis seminalis; in quęstione autem de facto, an B. Virgo cōtraxerit, vel non, vtrique assertioni locum dedit, & vtraque in eius doctrina defendi potest, vt ex dictis in *Regesto à col.479.ad 510.* præcipuè ex discursu *Magist.Ioannis à S.Thoma* perspici potest. *D.Bonauentura* loco cit. *artic.1. num.11.colum.33.* B.Virginem peccatum originale contraxisse in terminis docuit; sed non minùs expresè eius præseruationem affirmauit *ser.2.de B.Virg. Maria.* Reliquos scholasticos illius æui referre non est opus: si enim Doctores non solùm clasici, sed etiam clasium principes, & gymnasiarchæ firmo assensu piæ opinioni non restiterunt; quis tā breui tempore contrariam sententiam ita stabilire posset, vt communis Theologorum meritò putaretur? Quare qui simpliciter affirmaret, piam opinionem semper in scholis fuisse communē, nihil diceret improbabile: nos tamen, vt omnem contentionem fugiamus, tantùm asserimus *fere semper ab initio exortæ controuersiæ communiorem fuisse*, quia sex, & viginti anni quinque seculis comparati exiguum numerum constituunt, cū præsertim non iudicio absoluto solemniū magistrorum, sed examini, & dubitationi adscribi debeant.

Post Scotum pia opinio sine dubio communis.

202 IAM verò post Doctoris subtilis ætatem, piam opinionem nō dubia, sed certissima scholarum conspiratione acclamari, & oppositā antiquari cepisse, nec ipsi aduersarij, vt credimus, negabunt. Quod si inficientur, in promptu sunt scriptorum monumenta, quæ, si testibus supra relatis ea singillatim citantibus fides non habetur, in seipsis consuli possunt, & litem sine arbitris dirimere. Manetque fidelium consensus à vulgaris persuasionis, & inconsultę nouitatis iniustissima censura planè liber: falsusque aduersariorum pro sanctis Patribus zelus omninò detectus, quem *Catharinus disput. pro Immac. Concept. ad Concil. Trid. par.1.cap. Refellitur quartus contradicentium zelus, &c.* grauissimè, & solidissimè redarguit.

Insignis locus R.P.Vincent.Iustin.

203 SED vt totum hunc locum pręclara coronide claudamus, operæpretiū ducemus Latinè reddere, quæ *R.P.Vincentius Iustinianus Antistius* Prædicatoriæ familiæ, §.14. aurei tractatus de Immac.Concept. scripsit, ita enim Christiani Orbis consensum expendit, vt aduersantes non minùs conuincat, quàm admoneat. *Et siquidem* (inquit) *in Hispania, Indiarum prouincijs, Gallia, & vniuersa fermè Europa, aliquid huic deuotioni* (scil. opinioni piæ) *contrarium scribere, prædicare, vel docere, est eadē chorda (vt aiunt) semper oberrare, est frumentariam molam in accliue circumagere conantem imitari, quæ vt à pertinacius insistente impellebatur, grauiori pondere ruebat; est occasionem præbere, vt eis Terentianum illud ingeratur:* Frustrà niti, & laborando nihil aliud, quàm odiū quærere, extremæ dementiæ est: *(verè etenim qui huic negotio incumbunt, illud ad exitum non perducent, & totum Orbem tædio replent;) magnæ prudentiæ erit causam deserere, vt illi faciunt, qui è ruinosa domo festinato egrediuntur. Talis quippe opinio contraria est, quam vix hodie inuenias, qui nisi vt difficilem traiectu cibum ore versans, defendat. Iam ei Cathedræ, iam suggestus deficiit, exomologia, officinæ typographicæ, sceptra, & diademata regum, infulæ, purpurei galeri, thiaræ, ipsa quoque Concilia, cùm Tridentinum disertè protestatum sit non esse suæ intentionis Dominam nostram sub decreto peccati originalis comprehendere, quod nullū Concilium œcumenicum vnquam fecerat. Cùm adeò sit fulcimentis destituta, optimum inierit consilium, qui ob eius defensionem non se discruciet; eò vel maximè quod eius propugna-*

punatoribus adeò inuisis, & vndique impetitis nemo ex Sanctis curiæ cæleſtis, quorum ſectatores videri volunt, porrigit auxiliares manus miraculoſo aliquo euentu, vt ſolent alijs eorum honori conſulentibus. Hactenus Iuſtinianus.

Stabilitur octauò veritas articuli de Immaculata Conceptione Beatæ Virginis in primo inſtanti celebrata ab Eccleſia, ex inſtantijs apud Sedem Apoſtolicam factis de vltima huius myſterij definitione.

Deſiderium populi Chriſtiani pro huius myſterij definitione.

204 MAIVS aliquid ex tam manifeſta digiti Dei virtute in Orbe commouendo, & omnium corda erga piam opinionem inclinãdo, neceſſe eſt ſequi, quàm hactenus, aut collegimus, aut indicauimus. Non ſolùm quippe populi, Academię, Eccleſię, regna, & prouinciæ in tuenda Virginis prę-ſeruatione conueniunt; ſed in efflagitãda ſerio, & ardenter, immo feruore laudabiliter nimio, (quis enim honoris erga Matrem Dei affectũ moderari ſciat?) tanti myſterij expreſſa, & vltima definitione. Quod ſi hunc vehemẽtem fidelium zelum ex veriſsima pietate, & prudentiſsima ratione oriri conſtet, negari non poterit Sedem Apoſtolicam omnes alios fauores, præter ipſam de Fide definitionem, piæ opinioni contuliſſe: prudens enim petitio à ſtatu rerum non diſcrepat, ordinem optimè ſeruat, nec niſi per gradus ad ſumma cõtendit; quare decretum definitiuum præſeruationis petentes, ſi prudenter agunt, de omnibus alijs approbationum generibus definitione inferioribus, qui à Sede Apoſtolica dimanare ſolent, oportet prius fuiſſe certiſsimos.

Probatur eſſe antiquũ

205 Vt ergo vltimæ definitionis petitio prudentiſsima comprobetur, præmittenda eſt veritas facti, & Chriſtiani Orbis in hac pia cauſa conatus oculis ſubijciẽdi. Sunt enim perantiqui, & iam vetuſtatis præſcriptionem obtinent: ſiquidem *Petrus Abbas Cellenſis lib. 6. epiſt.* 23. Concilij auctoritatem in cauſa Cõceptionis B. Virginis enixè deſiderabat: quid verò definiri vellet ex *lib. eius de Panibus, cap.* 21. perſpicuum eſt, vbi luculentiſsimè pro Virginis puritate ab omni macula ſcripſit. Vixit autem D. Bernardi ſeculo, vt probat noſter *Illuſtriſs. Serran. Acernenſ Epiſt. lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 18. *lib.* 2. *cap.* 25. *num.* 15. Diœceſes, & regna, qua ratione poterant, cauſam, quæ totum Orbem in partes ſcindebat, terminare curabant; vt patet ex *Synodali Conſtitut. Cæſaraug.* edita *an.* 1378. & tempore proximis Regum Aragoniæ, & Nauarræ pragmaticis ſanctionibus, quæ omnia extant in *Reg. à colum.* 283. *ad* 303. Vniuerſitas Pariſienſis publico decreto opinionem piæ aduerſantem ſuis Doctoribus interdixit ante an. 1346. vt minimum, iudicio *Salazari cap.* 42. *ſec.* 14. *pag.* 434 immo antea, quod colliges ex *Reg. colum.* 74. & 546 Sequutum eſt *Concilium Baſileenſe*, in quo quamuis iam illegitimo definita eſt Immaculata Conceptio, non vt de Fide, quod cum noſtro *Cordubenſ. lib.* 1. *Quæſtionar. q.* 44 *poſt* 6. *concluſ pag.* 370. pro comperto habent *Bellarm. lib.* 4. *de amiſſ grat. cap.* 15. *Ægid. de præſent. lib.* 3. *q.* 3. *ſect.* 2. & plures ex citatis in *Obſeruat. colum.* 22. *Reg.* ſed *vt conſona cultui Eccleſiaſtico, Fidei Catholicæ rectæ rationi, & S. Scripturæ*: quod decretum, ſi definitionis nomen remoueas, Sedes Apoſtolica facto comprobauit reſtituens Conceptionis feſtũ deſuetudine collapſum, non ex Baſileenſium præſcripto, ſed ex veritate, quam vndecumque affulgeat, ſancta Sedes obuijs vlnis excipere conſueuit. Anno 1457. Concilium Prouinciale Auinnionẽſe idem ſtatutum renouauit, vt eſt in *Regeſto, colum.* 45. Vides ergo, quanta Eccleſiæ pars per quingentos annos piæ opinionis definitionem deſiderauerit, & ſedulò perficere ſtuduerit.

Et tẽpore Cõcilij Trid. viguiſſe.

206 ILLVSTRIVS multò id ipſum in Concilio Tridẽtino apparuit, vt diſcimus.

cimus ex *D. Ambrosio Catharino*, qui non solùm præsens aderat, sed vnus erat de numero Patrum in *Præfat. disputationis pro Immac. Concept.* ad ipsum Cōcilij, & eo durante in typis excusæ, anno scilicet 1551. Romæ, apud Antonium Bladum Cameræ Apostolicæ typographum, cũ multis alijs eiusdem Catharini Opusculis. Sic ergo ille ad Legatos Sedis Apostolicæ, & reliquam sanctam Synodum præfatur. *Cum ab hinc ferè sexennium ista hic Tridenti ageret sancta Synodus ad id potissimum congregata, vt hæreses, & zizania, quæ in agrum Domini irrepserant, tollerentur, & eo iam peruentum esset, vt de originali peccato tractaretur, plerique ex Patribus admonebant optimum esse, atque opportunum, speciali decreto eam sententiam de Immaculata B. Virginis Conceptione, quæ dudùm à cunctis prorsus Ecclesijs solemni ritu celebratur, & colitur, ita probari, ac statui, vt iam vlterius non liceret cuiquam ea de re secus, vel asserere, vel opinari. Id quibusdam, licet admodum paucis, tunc non placuit, nec (vt verum fatear) mihi quidem ipsi: non quod rem ipsam non vehementer optarem, vtpotè sanctam, & Christianæ fraternitati congruentem, quæ in primis eundem in dogmatibus sensum, eandemque in cultu Dei obseruantiã poscit: sed quod consultius per conditionem tēporum videbatur, prius aduersus hæreses manifestas intendere, tum illa aggredi, quæ inter Catholicos controuersa, digna viderentur decisione. Nec defuerunt, qui hunc tractatum in eum locum seruari volebant, quum de celebratione festorum ageretur: qua in re nonnulli vrgent abusus (inter quos hic numerari debet) merito abolendi.* Ex hac indubitata oculati testis narratione liquet, omnes Synodi Tridentinæ Patres, admodum paucis exceptis, de piæ opinionis definitione solicitos fuisse; quod non facerent, nisi de consensu maioris Ecclesiæ partis certi essent, ipsique vniuersam Ecclesiam repræsentantes, si ad suffragia res deuoluta foret, decreti expeditionem, quæ ob solam vrgentium negotiorum multitudinem dilata fuit, suasissent, atque adeò sine difficultate euicissent.

Maximè verò nostro seculo.

207 NOSTRÆ verò ætatis ardentissima studia, vt exoptata definitio ad exitum perduceretur, quia euidentissima sunt, magis laudem, quàm probationem exigunt. Extat Legationis Philippi III. & IV. Catholicorum Regum ad sanctissimos Paulũ V. & Gregor. XV. de definienda controuersia Immaculatæ Conceptionis, Historia absolutissima, cuius supra meminimus, *num.* 81. & in *Regesto, colum.* 553. Extant prædictorum Regum; & regiarum personarum Epistolæ tum nominatæ Historiæ insertæ, tum in nostro *Regesto à colum.* 307. *ad* 317 quibus accedit alia Academiæ Cōplutensis ad sanctiss. D.N. Paulum V *colum.* 338. & in his omnibus dilertè, & clarè à Sede Apostolica petitur piæ opinionis definitio. Præterea habentur scriptores magno numero de huius definitionis causis, congruētia, & necessitate passim differentes, ex quibus aliqui integris voluminibus definitionem suadendam susceperunt, vt *R.P. Petrus de Simancas* Augustinianus, *R.P. Anton Cōstantius Rosendius* ex Clericis minoribus; Illustriss. D. *Angelus Manritius* quondam Cistercienfis Ordinis Generalis, & professor Salmanticensis, nũc Pacis augustæ meritissimus Episcopus, cui munus de hac ipsa re scribendi proximis annis delegatum est à D. Ioanne Chumacero Carrillo tunc Consilij Castellæ Præside, & alijs grauissimis tam Consiliarijs, quàm Theologis Regia auctoritate congregatis, vt de legatione ad Romanum Pontificem super huius mysterij definitione seriò tractarent. Scriptum autem prędicti Illustrissimi per plures vrbes circumlatum, & doctissimorum subscriptionibus, immò & grauissimarum Communitatum calculis roboratum est. Vidimus etiam supplicem libellũ ab *Illustriss. D. Francisco de Sosa*, cum ad legationem, de qua *dicta colum.* 553. *Reg* parabatur, elaboratum, in quo motiua definitionis breuiter Summo Pontifici proponebat, & aliter scandala non cessatura experimentis comprobabat: quod etiam docet *Vvading. in legat. sect.* 2. *orat.* 3. §. 3. *num.* 18. 19 & 20. Nec studium hoc solius Hispanæ nationis esse, quamuis eius præcipuè, vt Virginis venerationem à Iacobo

Iacobo Apostolo edocto, credere permittunt tot aliorum gentium verbo, scripto, opere consecrata, & cum AEternitate victura monumenta; quin potius nulla ex Christianis prouincijs alteri huius pietatis gloria cessuram, sed omnes præclara æmulatione de principatu obsequentis erga Virginis honorem animi contendere sine dubio censendum.

Quàm pium, & prudens sit hoc desiderium.

208 CVM itaque manifestum sit quanto consensu, & a quibus viris pro Immaculatæ Conceptionis definitione instantiæ prodierint, in dubium vocari non potest magna cum pietate, & prudentia fuisse coniunctas, nisi maxima, & nobilissima Ecclesię pars leuitatatis insimuletur, quod a pietatis, & prudentiæ legibus est longe alienissimum. Adde quod Sedes Apostolica definitionem petentes valde laudauit, vt Regem Catholicum, & eius amitam Virginem Deo dicatam Margaritam Epistolis, quæ *colum*. 187. & 188. *Regesti* habentur: nec intra laudes constitit, sed grauissimum decretum de non celebrando festo sub alio, quàm Conceptionis nomine, adiecit, nouo fauore piam opinionem cumulans, & eius definitionem iustissimis de causis potius differens, quam negans. Si ergo prædictæ instantię illi Sedi placuerunt, cui nihil non pijssimum, & prudentissimum placere potest, mysterium Immaculatæ Conceptionis eo deuenit eiusdem Sedis approbatione, & iudicio, vt proximum definitioni iure, & merito existimari debeat.

De statu piæ opinionis.

209 QVA PROPTER ex nostro fundamento *ab instantia definitionis* petito, ad eum culminis gradum pia opinio ascendisse videtur, quo nihil cogitari potest sublimius, nisi opinio esse desinat, & inter Fidei veritates censeatur. Quod nulla ratione aptius explicabimus, quam referentes quid grauissimi Doctores de piæ opinionis statu sentiant, & in quam certitudinem Sedis Apostolicæ fauoribus euectam iudicent, nihil ex mente propria hac de re pronunciantes, ne priuati affectus suspicio aliquid detrahat veritati, & quia non raro a Doctoribus status contrariæ sententiæ notitia admiscetur, ideò simpliciter quid alij scripserint, referemus: nam *referre non est iudicium ferre*, vt ait *Illustrys. Sosa, in Epist. pro orat. de Concept. fol. 11 pag. 2.*

Iudicia Doctorum de gradu certitudinis, & statu piæ opinionis.

210 PIAM opinionem S. Scripturæ non repugnare adeò certum affirmat *Ægid. de præsent. lib. 3. quæst. 2. artic vn. § 3 num 9. 12. & seqq. pag 164. & quæst. 5. artic. 4. § 2. pagin.* 260. cum alijs Doctoribus, vt si quis assereret B. Virginis præseruationem defendentes Scripturæ contradicere, hæreticus esset, aut saltem in Fide errare t. Ratio AEgidij est, quod Sixt. IV. cum reliquis Pontificibus, & Tridentino Concil. eius Extrauagantes confirmantibus, damnat, & reprobat hanc propositionem: *Qui credunt, aut tenent Dei Genitricem ab originalis peccati macula in sua Conceptione præseruatam fuisse, hæresis labe pollutos fuisse*: in *Regesto*, *colum*. 107. & 110. At asserere aliquam opinionem repugnare S. Scripturæ est damnare illam, vt hæreticam; ergo non minus ab Ecclesia damnatur, qui diceret piam opinionem S. Scripturæ esse contrariam, ac qui eam apertè hæreticam vocaret. Talem verò censendum hereticum ex eo probat, quòd Sixt. IV. dictam propositionem reijcit, *vt falsam, erroneam, & a veritate penitus alienam*, per verba illa, *reprobamus, & damnamus*, quę fidei definitionem continere, colligit ex *cap damnamus, de sum. Trinit. & Fide Cathol.* Probat etiam, quia *Concilium Tridentinum* declarans *non esse suæ intentionis comprehendere B. Virginem in decreto de peccato originali* ex sacris scripturis desumpto, simul declarauit piam opinionem eisdem scripturis

Non contradicere piam opinionem.

non aduersari: vnde *dicta q.95. art. 1. §. 2. num. 7. reprehendit, & abominatur impudentiam hæreticorum, qui affirmant Sixt. IV. & Patres Tridentinæ Synodi contra S. Scripturam errasse, dum nolunt sub illo generali peccati originalis decreto B. Virginem comprehendere.* Insuper obseruat *dict. q. 2. §. 3. num. 16. & seqq.* eum, qui affirmatiuam sententiam, id est, B. Virginem contraxisse peccatum originale, hæreseos notaret, prolaturum *assertionem falsam, & in Fide temerariam, non tamen peruersam, aut erroneam, nedum hæreticam*: quod ex ipso constitutionum Apostolicatum tenore probat, contra *Valentiam* & *Castrum*.

Opinionem piã scripturis plus esse conformem.

211 CONFORMIOREM S. Scripturæ esse piam opinionem, quàm oppositam defendunt, & probant *Catharin. disput. ad Trident part. 1. cap. Refellitur zelus pro scripturis, pag. 25. Vuading. in Legat. sect. 2. orat. 8. §. 3. pag. 208. Granad. 1. tom. in 3. part. controu. 2. tract. 1. disput. 3. & tract. de Concept. disput. 3. capit. 1. Ægid. de præsent. lib. 3. quæst. 5. artic. 6. §. 2. pagin. 277. Salazar cap. 41. Serranus lib. 2. à capit. 2. ad 5.* qui & plures alios referunt; & quamuis non omnes comparationem expressam inter vtramque opinionem quoad fundamentum in scripturis faciant, dubium non est piam prætulisse, cum loca scripturarum, vt pro ea concludentia adducant, & pro opposita in speciem pugnantia dissoluant.

Appellari debere verum digna in concionibus.

212 PROBAT, & commendat *Salazar cap. 43. §. 2.* consilium doctissimi *Emman. Roder. tom. 1. qq. Regular. q. 57. art. 2.* contionatores admonentis, vt doctrinam de præseruatione B. Virginis, cum ad populum loquuntur, non appellent opinionem, vt aliqui *satis indiscretè* faciunt, sed *veram sententiam, & verum dogma* Ipse *Salazar* has propositiones serio affirmari posse censet: *Pia sententia est moraliter certa, & euidens: Moraliter impossibile est, vt falsa existat: Moraliter impossibile est, vt opposita sit vera;* & nihilominus oppositam nõ esse fraudandam nomine opinionis, vt à Pontificibus vocatur, quia certitudo moralis admittit opinionem physicam. Idem §. 6. sustinet probabiliter defendi posse sine censura oppositæ, piam sententiam ex consensu Ecclesiæ tam certam esse, vt à parte rei non possit esse falsa. *Granad. disp. 3. cap. 30. num. 10. in 5. conclus.* ait satis probabiliter dici posse piam opinionem *nostris temporibus esse moraliter certam, & euidentem, propter ingens pondus auctoritatis, & rationis.* Deinde *num. 13. & 14.* admittit oppositam olim quidem fuisse opinionem, & modo etiam esse comparatione paucorum, non verò absolutè. Fundamentum autem tantæ certitudinis piæ sententiæ, vt ei non possit subesse falsum, petit *ead. disp. 3. cap. 7. sect. 5. nu. 32.* ex eo quod Ecclesia ad celebrationem festorum ducatur motiuis ita efficacibus, vt falsa esse nequeant, quamuis certitudo tanta non sit, vt non liceat contrariam partem tueri. Quam rationem multi vrgẽt, præcipuè *Ægid. de præsent. lib. 3. q. 6. artic. 1. §. 9. num. 63.* ex receptissimo principio Theologorum, quos ibi citat, *Ecclesiam errare non posse in canonizatione Sanctorum;* cuius oppositum ferè omnes *temerarium, & impium, Lusius* verò *Turrianus 2. 2. disp. 16. dub. 3.* probabiliter *hæreticum censet. Azor tom. 1. lib. 2. cap. 9.* sentit piam opinionem tenendam esse *tanquam certam, & veram,* quia fidem concernit, & veritates Catholicas, scilicet Summum Pontificem non posse errare in materia Fidei, & morũ, canonizatione Sanctorum, & exhibitione cultus publici. *Lucerus fol. 38.* infert ex festo *euidenter sequi Conceptionem sanctam* in sensu piæ sententiæ, & *disc. 2. fol. 103. pag. 1.* nostram doctrinam ab Ecclesia doceri, quamuis non vt de Fide, *vt veritatem certam excludentem omne dubium, & opinionem.*

213 CONSENTIT prædictis auctoribus noster *Vuading. loco cit. & in per oratione ad sanctiss.* asserens piam opinionem *moraliter falsam esse non posse*; contrariam eatenus à Summis Pontificibus protegi, ne grauibus cẽsuris damnetur: statumquè, & terminos, in quibus per *Cur opposita toleretur?*

Con-

Constitutiones Apostolicas relinquitur, nihil aliud esse, quàm tolerationem: *Toleratur verò* (inquit) *in secreto, non quia ipsa in se sententia probabilis est,* (*quod nec Pontificum vllus dixit expressè*) *non quia vtilis Ecclesiæ, non quia credulitati necessaria, non quia populo proficua, non vltrò, & spontaneè, sed tacitis quibusdam de causis.* Exiguam eius probabilitatem ait *ibid.* per impositionem silentij non parū attenuatam. Piæ autem opinioni nullum silentium indictum est, sed prohibita solum scholastica disputatio publica, & vulgari sermone, vt obseruat *Granad. disp.* 3. *cap.* 33 *fol.* 100. Licet etiam nobis nostrā sententiā pro contione, *rationibus, & argumentis confirmare, dummodo oppositam non impugnemus*, vt præcipit *Pius V. in Reg. colum.* 168. nec de ea aliquo modo *agamus, seu tractemus*, iuxta decretum Pauli V. *colum.* 181. Nec prohibetur piæ opinionis sectatoribus librorum scriptio, quamuis in eis scholasticè disputent, suam sententiam argumentis confirment, & contrariam refellant, quia disputatio propriè accepta solum est illicita in *actibus publicis*, quo nomine intelliguntur in iure, quæ non permanent, sed transeunt, vt accusatio, iuridica scriptio, & condemnatio, *l. actus, C. de ferijs, & l. Prouinciarum, C. eod.* Actus ipse scribendi libros publicus nō est, liber autem iam scriptus, vel editus à nullo vnquam actus nomine appellatus, vel intellectus fuit. Si autem libri scribantur vulgari lingua, potest in eis defendi pia opinio absque disputatione propria, & formali, contrariæque sententiæ impugnatione, vt doctissimi quique vsu ipso docuerunt, qui est optimus legum interpres.

Ecclesiæ declaratio de maiori probabilitate piæ opinionis

214 DECLARATVM esse ab Ecclesia piam opinionem esse magis probabilem, magisq; tutam supponunt, vel asserunt communiter Doctores, teste *Ægidio de præsent. lib.* 3. *q.* 6. *art.* 1. §. 3. *num.* 13. *pag.* 292. qui addit §. 7. *nu.* 43. *pag.* 299. post Extrauag. *Graue nimis*, & eius confirmationes, non posse hoc sine integritate negari, cùm festi institutio, indulgentiarum concessio, Religionum fundatio, & alia huiusmodi contineant approbationem expressam piæ opinionis ad minimum, vt probabilioris. Solere autem ab Ecclesia fieri daclarationes, non solum de Fide, sed opinionum probabiliorū cōstat multis exēplis; sed illud notissimū est, quod de virtutibus paruulis in Baptismo infusis sumitur ex Cōcilio Viennensi, *Clement. vn. de sum. Trinit. & Fide Cathol.* & in hoc iudicio, ac declaratione Ecclesiam errare non posse, cōmunis, & certa sententia est à pluribus tradita, quos refert, & sequitur *Salazar cap.* 43. §. 1. *pag.* 443. quod amplius explicat §. 4. *pag.* 447. ex *Turriano* 2. 2. *disp.* 56. *dub.* 5. scilicet, Pontificem, cùm declarat opinionem aliquam esse probabiliorem in his quæ possint ad Fidē, vel ad mores pertinere, licet res non sit de Fide, nec posse errare *in qualificatione huius probabilitatis*, nec *in ipsa physica veritate, ita nimirum, vt quod Pontifex magis probabile censura sua declarauit, non possit non esse à parte rei verum, quamuis ad Fidē non pertineat.* Cùm ergo declaratio de maiori probabilitate piæ opinionis tangant cultum, festi celebrationem, concessionem indulgentiarū, & plura dogmata de peccato originali, & Incarnationis mysterio, quorum alia ad mores spectant, alia ad Fidem, infert *Salazar* Ecclesiam protulisse in hac re iudicium infalibile; & *dicto* §. 1. *pag.* 444. illas Caietani propositiones, *sententia docens Virginem sine originali peccato conceptā continet pietatem, non veram, sed existimatam: Habet pietatem, sed non secundum scientiam: Est tantùm sentētia tolerabilis:* & similes, tanquam *temerarias, & scandalosas* in Edictis S. Inquisitionis proscribendas, & qui eas assererent, ad reuocationem cogendos esse censet.

Quid Doctores sentiant, circa definibilitatem piæ opinionis.

Pia opinio definiri potest.

215 COMMVNIS sententia est controuersiā de Conceptione B. Virginis terminari posse ab Ecclesia per vltimam definitionem de Fide, contra *Canum lib.* 4. *de loc. Theol. cap.* 4. &

4.& lib.7 cap 3. concl.4.& lib. 12 cap. 11. & si id aliquando fiat, piam opinionem, & non oppositam definiendam esse, contra *Medinam 3.p.q. 27. artic. 2. colum. 2 Ita Ægid. de præsent. lib. 3. q 8. artic. vn. §. 3 pag. 341.* cum iam *quæst. 6. artic. 1.* probasset piam opinionem sic veram esse non posse: *Salazar cap. 43. pag. 455 Granad. disp. 3 cap. 32. n. 362. Aponte insapient. cap 1. num. 4. digress 2. §. 2. num. 10. & §. 7.* immo definitionē expedire probat *§. 8. M. Ant. Palaus in Defens. Dominic. cap. 8 num. 2 Miranda in tract. Lat. q. 27. colum. 1. pag. 635. & colum. 2 pag 637. & q. 28. concl. 1. pag. 649 & concl. 2. pag. 652.* eamdem conuenientiam definitionis ostendit: sicut *Vvading. in legat. sect. 2. orat. 9. tract. 10. pag. 236* item *Portel to 2. resp. moral. casu 32.* docet instantiam pro definitione esse *secundum zelum Fidei. Bonacina to. 2. de peccat. disp. 2. q 1 punc. 3. num. 5. concl. 2 & tract. de Incarnat. disp 1. q 2. punc. 1. prop. 2. §. An autem. Quandus in 3. d. 3 q. 1. Scoti, & q. 3 propria tit. Num hæc veritas. Pitigian. in 3. d. 3. q. 1. art. 6. concl. 1. pag. 147. D Serranus lib. 1. cap. 1. Franc. Fælix tomo posteriori Tentatiuæ Complutensis tract. de peccat. cap. 11. difficul. 3. num. 4. pag. 535. Suar. to. 2. in 3. p. disp. 3. sect. 6.* apertè affirmat si per definitionem cōtrouersia hæc dirimeretur, definiendam piam opinionem, nec posse contrariam definiri, *cum falsa sit.* Quod tanti Doctoris iudicium obseruandum est, ne quis fallatur allegatione *Ægid. de præsent. lib. 3 q 8 §. 3. num 11. pag. 341.* dicentis *Suarium, & Bellomontanum mitius loqui,* & solum asserere difficilius fore vt Ecclesia vnquam definiat partem affirmatiuam; id enim solus *Vazq* dixit *to. 2. in 3. p. disp. 117. cap. 14. Suarez* autem loco indicato constanter sentit solam piam definiri posse, & esse *magis consentaneam rationi, doctrinæ Patrum, & Ecclesiæ auctoritati,* & tam probabilem, *quàm intra latitudinem opinionis esse potest;* contrariā verò *nullo vel firmo vel satis apparenti fundamento niti*: olim quidem satis probabilē fuisse; nunc autem *vt cumque tolerabilem, & probabilem: Medinā* falsò asserere Ecclesiam, vel Pontifices tradere esse probabilem, tantùm enim docent *non esse erroneam*, *nec peccatum mortale* incurrere, qui illam defendunt. Alij Doctores passim communem resolutionem amplectuntur.

216 FVNDAMENTVM omnium est, quod definibilitatem alterius partis Summi Pontifices satis clarè supponāt, dum circa hanc controuersiam varia statuant, & præcipiant, quæ obseruari debeant, *quandiu per Apostolicam Sedem altera pars definita non fuerit*, quæ sunt expressa verba sanctissimi D.N. Pij V. in *Reg colum 169.* quorum similia in reliquis Apostolicis constitutionibus leguntur; essent autem falsa, si definitio esset impossibilis. Deinde indubitatum est ex huius controuersiæ decisione pendère veram, & rectam interpretationem plurium locorum S Scripturæ, & intelligentiam multorum dogmatum, quæ sunt regulæ Fidei, quod conuincit materiam esse definibilem. Solam autem piam opinionem definitionis capacem esse ex eo probant, quod sola illa sesio solemni approbata, indulgentijs, & priuilegijs innumeris à Sede Apostolica commendetur, reuelationibus suadeatur, roboretur miraculis, totius ferè Ecclesiæ consensu adeò firmetur, vt tanquam à diuini spiritus inspiratione profecta animis se insinuet, & ad pijssimam credulitatem alliciat. *Fundamenta præcedētis resolutionis.*

217 QVÆ tot, ac tantæ persuasiones altius à Theologis perpensæ, & exactius discussæ in eam illos cogitationē deduxerunt, vt iudicauerint piam opinionem præterquam quod sola definiri possit; in eo iam statu reperiri, vt proximè expedita sit ad vltimam definitionē, nec deesse aliud, quam Romanæ Sedis placitum ac decretū, *vnde nobis* (vt Tertullianus olim scripsit) *auctoritas præstò est.* Hanc proximam definibilitatem satis insinuat *Suarez vbi supra* cum alijs Doctoribus citatis, expressius autem *Valentia* verbo tenus *num. 191.* relatus, & illi auctores, quorum meminimus *nu. 206. Vvading. d. orat. 9 §. 5. num. 24. pag. 206 & §. 9. n. 59. pag. 288* & *Salazar* *Esse piā opinionē in statu proximo vt definiatur.*

zar cap. 43. §. 6. cui hunc titulum apposuit, *dicta sententia est vltimò disposita ad definitionē.* Totius verò probationis neruum copiosè antea traditū, ad hęc pauca redigit *pag.* 455. *Vt aliquod dogma sit proximè definibile, tantum requiritur cognitio, & deprehensio alicuius medij infallibilis, ex quo certò cōstet, illud esse reuelatū à Deo:* hæc assumptio difficultate caret: *Sed eiusmodi est sensus Ecclesiæ præfatis indicijs* (scilicet Sedis Apostolicæ declaratione, cultu, indulgentijs, &c.) *ac documentis proditus, & contestatus*: hanc propositionem probauerat *pag.* 448. ex eo quod Ecclesia sit *columna, & firmamentum veritatis* 1. *ad Timoth.* 3. nec tota falsitati alicui assentire possit; totam autem aliquod dogma amplecti tunc verè dicitur, cùm ita fideles in eo conueniunt, *vt pauci (qui re pectu pluriū pro nullis æstimari possunt) dissentiant*, & ait constantē doctrinā inter Theologos esse totā Ecclesiam non mathematicè sumptam, sed moraliter, in re ad Fidem spectante, decipi non posse. Hinc infert conclusionē: *Ergo piæ sententiæ nihil deest, vt proximè definitionem accipiat.* Hic est huius auctoris discursus, qui latiùs apud ipsum legi potest, & aliorum in hac re quasi quoddam compendium videtur.

Posse piā opinionē sine Concilio definiri. 218 EX quo vlteriùs Doctores colligunt Summum Pontificem absq; Cōcilij conuocatione posse ad hanc vltimā definitionē procedere, & eam ipsa de cathedra pronuntiare. Quod non solùm suadent ex summa potestate, & infallibili Dei assistētia, quæ residet in successore Petri, cui, & non Concilio dictū est, *Tibi dabo claues regni cælorum*, Mat. 16. &, *Ego rogaui pro te, Petre, vt non deficiat Fides tua*, Luc. 22. sed etiam ex ipso huius cōtrouersię statu, quę tot disputationibus, libris, manifestissimo fidelium plausu adeò est illustrata, vt maiori discussione nec examinari posse videatur, nec indigere. *Nō est, cur commoneatur Orbis terrarum* (ait noster Vvading. d. orat. 9. tract. 10. §. 9. n. 58. pag. 283.) *quare inquietētur Sedes Episcoporū, non est ob singulares viros, quorū, & numerus exiguus, & rationes compertæ, & fundamenta manifesta, vniuersa conuocanda Ecclesia. Totius Occidentis congregandi nè Episcopi, & qui in Oriente sunt Pontifices accersenai* (vniuersę quippe Ecclesię negotium est, non vnius personæ,) *vt de paucis hominibus, vel contra paucorum placitum ferant sententiam? Ad hoc conuocandi vniuersi Prælati, vt quod iam toties audierunt, vt quod iam est notissimum, inutiliter examinent?* Hæc & alia eiusdē generis ibi prosequitur; *cum antea n.* 57. *pag.* 287. recensuisset vetera & recētiora exempla definitionis multorum dogmatū factæ à solis Pōtificibus sine Cōcilio generali. De qua re legendus *S. Thom q.* 10. *de potent art.* 4. *ad* 13.

Ratio ex Vvadingo. *Bernar. ep.* 126.

219 EISDEM vestigijs insistit P. Salaz. d. §. 6. pag. 455. his verbis. *Ex his, quæ §. 5. tradidimus liquet, Patres in Conciliorum nihil aliud suis suffragijs præstare, nisi Ecclesiæ, (cuius vocem portant,) communiorem sensum aperire, declarare, ac testari, & in hac tantùm declaratione sententiam definitiuam habent. Quapropter si de isto sensu Ecclesiæ aliundè certò constiterit, nullus omnino est vsus, aut necessitas Concilij. Cùm igitur iste, quem hactenus aucupati sumus, sensus Ecclesiæ communior circa originalem B. Virginis iustitiam sit notus, atq; compertus, vt de illo addubitare non liceat, euocatio Concilij esset penitus superuacanea: quandoquidē res illa, de qua Patres in Synodo sententiā dicere, & iudicium ferre oportebat, ante ipsorum decisionem decisa, & ante eorundem iudicium præiudicata est.* Hactenus ille.

Ex Salazar.

Illatio ex dictis, & epilogus totius Articuli.

220 CONSTAT ergo ex instantijs toties apud Sedem Apostolicā repetitis, eruditissimorū cōsilio susceptis, maxima auctoritate peractis, & ab ipsa sancta Sede singulari benignitate admissis, Ecclesiā piæ opinioni non solū apertè, sed etiā impēsè fauere. Siue enim Ecclesiæ nomine fideliū Christi gregē intelligas locis dispersum, & Fide congregatum; vnanimē suum in hac veritate per huiusmodi instantias patefacit consensū: siue Ecclesię totius caput huic mystico corpori pręsidēs; dū sibi instari & proprijs fauoribus ad vltimā definitionē vrgeri, nō modò patitur, sed probat,

Quid ex hoc fundamento colligamus.

& laudat, fauorum exhibitionem adeò certam facit, vt quo sensu à Virgineæ puritatis assertoribus excipiuntur, à se confessos haud dubiè confirmet.

Omniũ fundamẽtorũ enumeratio.

221 QVARE hucusque in Sedis Apostolicæ patrocinio proponendo, & explicando veritati, quoniam quod nostræ defensioni satis est attigisse videmur, æquum est ad vlteriora progredi, & aliquando manum tollere de tabula. Sed excuset longiorem scriptionem rei magnitudo, immo Summorum Pontificum erga piam opinionem tam inaccessabile studium, quod amplissimam materiam, & nunquam exhibendam suppeditauit. Hoc enim est vnicum, ac inconcussum robur, quo titulũ IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS tueri conamur, nec aliud tot paginis agere studuimus, quàm ostendere velle, IMMACVLATAM CONCENPTIONEM B. VIRGINIS MARIÆ AB ECCLESIA CATOLICA COLI. Id octo præcipuis fundamentis stabilire curauimus: quorum primum fuit, *Festi institutio, & confirmatio*: Secundum; *Diuina officia*: Tertium, *Religionum approbatio*: Quartum, *Indulgentiarum concessio*: Quintum, *Reuelationes*: Sextum, *Miracula*: Septimum, *Fidelium consensus*: Octauum, *Instantia pro definitione*. Si verum est Deum sui in terris Vicarij ministerio toties amabilis tituli IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS vsum nobis cõcessisse, eius abolutionem non erit cur timeamus: *sine pœnitentia enim sunt dona Dei*, teste Apostolo ad Rom. 11.

ARTICVLVS TERTIVS.

Omnes, & singulos piæ opinionis defensores in reali, legitima, & pacifica possessione esse colendi, honorandi, & liberè profitendi mysterium præseruationis Beatissimæ Virginis Matris Dei à peccato originali sub expresso nomine, & titulo IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS in officio diuino, sacris Concionibus, Votorũ, & Iuramentorum emissione, & quomodocumque voce, & scripto in actibus tam publicis, quàm priuatis, respectiuè: Nec super hac re vllo prætextu inquietandos, aut perturbandos; sed à quolibet competenti iudice, ex officio conseruandos, & manutenendos.

Aduersarij adfarum contentionẽ re deducunt.

1 CVM non ignorarent *Immaculatæ Conceptionis* aduersarij, quàm difficile, & arduum negotiũ susciperent, & sibi omnẽ viam per impositionem silentij præclusam ad reuocandam in lucem opinionem, quæ sine scandalo à fidelibus audiri nõ potest, sæpiusquè experti essent, rationes, & argumenta, quæ inuicta ab eis iudicabantur, non solum facillimè à Theologis dissolui, sed post Apostolica piæ opinioni patrocinantia decreta seipsis concidere: iudiciabilem strepitum Theologicæ causæ admiscere conati sunt, vt ex turbulentia, in morem anguillas piscantium, compendium aliquod captaret. Quare propositis

tis firmissimis ex Theologica doctrina fundamentis, iuridica, & forensia (quod minimè oportebat) eruere cogimur, ne *Immaculatæ Conceptionis* titulum Ecclesiastico, & Ciuili iure, vt ex nostro Regesto apparet, subnixum, pluribus modis impugnari, quàm defendi posse existimetur.

Possessores constitui volunt.

2 IGITVR aduersarij à scholis ad tribunalia controuersiam transferentes, id in primis curarunt, vt quæstio colere sese pro possessoribus iactarent, vt nos ad ordinaria, & prolixa iuris remedia recurrere compellerēt: ita enim *col.* 11. *initio posterioris libelli* loquuntur: *De titulo Immaculatæ tribuendo Beatissimæ Virgini, non autem Conceptioni, decretum extat S. Romanæ Inquisitionis, &c.* proprios sensus religionis specie velantes, vt qui spectaculorum gradus templo subiecit, ne leges patrias violare putaretur. Sed reverà non possessores, sed pacificæ, & legitimæ possessionis, facto, & non iure, turbatores esse, & summarissimo iudicio repellendos, conspicuè demonstrabimus, quo nihil excogitari valet ad causam euidendam expeditius.

Vis possessionis.

3 QVIS enim nescit, quàm dispari conditione sit in iudicio, qui possidet rem controuersam ab eo, qui possidentem in iudicium trahit? Possessor reus est, possessoris aduersarius actor: ille immunis ab onere probādi, sola se possessione defendere potest, incumbit quippe rei non actioni, & plus iuris cōsequitur in retinendo, quàm actor in agendo; hic probationū onus in se reiectum subit, quas afferre debet certas, & concludentes. *Rota in Romana fidei commissi coram Remboldo, decis.* 302. *num.* 2. apud *Ludouic. Postium*, quem, & auctores ab eo allegatos, *tract. de Manuten. Obseruat.* 1. *à nu.* 1. *ad* 29. consule de hac communi, & indubitata doctrina. Quapropter cùm aduersariorum consilium non obscurè appareat, videamus, quàm personam sustinere sit nostrarū partiū, & vtri pro reis, aut actoribus, possessoribus, aut possessioni contradicentibus habendi simus: nam in controuersia de possessione, prius pronuntiandum esse, vter possideat, constat ex *l. exitus* 35. *D. de adq. poss.*

Titulum Immaculatæ Conceptionis *ex earum rerum genere esse, quæ in possessionem venire possunt.*

Incorporalia possideri possunt.

4 POSSESSIO propriè *est rei corporalis detentio. Theophilus in Instit. de interd.* est enim dicta à pedum positione, *Tuschus tō.* 6 *ver possessio, concl.* 400. *nu.* 1. siue vt *Vvesembec in Paratitl.* explicat, quasi sedis positio, quod in re possessa sedē ponamus, *l.* 1. *D. de adquir. poss.* Incorporalia, quia teneri nequeūt, propriè non possidentur, sed quadam tantum iuris interpretatione; *l.* 3. *eod. tit. vbi gloss. l. sequitur* 4. §. *Si viam. D. de vsurpationib.* Sicut sacra, & religiosa, quia extra commercium sunt, quamuis tangi possint, possideri contra leges nō possunt, sed solum detineri, *l. qui vniuersas, D. de adquir. poss. l. longa, vbi Glossa, D. de mort. infer.* Nihilominus tamen rerum incorporalium datur, *quasi possessio*, quæ idem operatur, quod possessio propriè dicta circa corporalia. *Sallust. Tiber. in pract. lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 2. *Pacific. de Salu. interd. insp.* 1. *cap.* 6. *nu.* 26. *Tuschus concl.* 447. *nu.* 1. & communis. Et licet particula *quasi* importet quandam diminutionem, hoc magis pertinere videtur ad abusum vocis, attenta prima impositione, quàm ad discrimen rei significatæ. vnde aliquando nominatur simpliciter possessio rerum incorporalium absque adiuncto *quasi. Castil. de vsufr. cap.* 12. *num.* 11. *Postius Obseruat.* 10. *num.* 8.

Exēplis probatur

5 HINC est, eadem omninò iudicij forma defendi, conseruari, manuteneri, quasi possessores cuiusuis iuris rei incorporeæ, qua possessores propriè dicti. Datur enim manutentio non solū existēti in quasi possessione iurisdictionis exercendæ. *Aretin. in* §. *Retinendæ, num.* 2. *versu* 4. *competit, instit. de interd. Marches. comment. in rubric. de comm. appellat. in possess. par.* 1. §. 1. *num.* 11. *Rota apud Pacific. de Salu. interd. decis.* 39. *nu* 1. *Cocin,*

Coccin.decis. 26 *num.* 1. *& decis.* 354. sed etiam, quod ad rem nostram magis accedit, non negatur manutentio Ecclesiæ in quasi possessione faciendi processionem, *Rota recent. decis.* 533. *num.* 1. *par.* 1. celebrandi Missas solemnes, & deferendi sanctiss. Sacramentum in ipsius festiuitate, & per octauam. *Caualer. decis.* 589. *in princ.* habendi sedilia, & sedendi in Ecclesia in eminentiori, seu alio loco. *Giouag. cons.* 8. *num.* 12. *lib.* 2. *Grat. discept. forens. cap.* 110. *num.* 16. *& seqq. Rota in Pampilon. iur. sed. coram Manzanedo decis.* 117. *apud Posium*, qui hæc, & similia exempla diligenter recenset *dicta obseruat.* 10. *à num.* 9. *ad* 39.

Applicatio. 6 NVLLVM itaque dubium relinquitur, eos, qui modò vtuntur titulo *Immaculatæ Conceptionis* in recitando, psallendo, concionando, scribendo, & quauis alia actione priuata, vel publica, si de eorum quasi possessione constet, præsentissimo, & efficacissimo iuris remedio protegendos esse, vt quoscumque alios legitimos, & propriè dictos possessores, & eo vrgentiùs, quò est materia grauior, & auctoritatem Ecclesiæ respiciens in cultu diuino instituendo, indulgentijs concedendis, religionibus approbandis, alijsque maximi ponderis statutis præcedenti Articulo expensis. Quare absque vlla restrictione possessionis nomen deinceps adhibebimus, vtriusque iuris de legitimis possessoribus doctrinam, secundùm ipsa iura, & receptissimam praxim, nostræ causæ adaptantes.

Assertores Immaculatæ Conceptionis realem facti possessionem habere in prædicti tituli vsu.

Possessio Ciuilis, & naturalis. 7 INTER possessionis species à Iurisconsultis numeratas, illa præ cæteris ad nostrum institutum spectat, qua possessio diuiditur in *Ciuilem*, & *Naturalem*, desumpta ex *l. clàm possidere*, §. *Qui ad nundinas*, *D. de adquir. possess. l. possessionem* 29. *eod. tit. l. nemo* 10. *C. eod* Vtraque à Doctoribus eodem ferè sensu, & verbis explicatur, sed expeditissimè à *Vvesembec. in Paratitl.* hoc modo. *Possessio Ciuilis iure, naturalis in facto detentionis vertitur: quare vtraque in vera, & iusta possessione concurrit, quæ ideò partim in iure, partim in facto consistere dicitur.* Et communis sententia secundùm *Couarrub. init.* 2. *par. prælect. cap. possessor, de reg. iur. n.* 3. *Tusch. dicta concl.* 400. nam sine iuris efficacia non possessio esset, sed circũuentio contra ius; quod tamẽ solùm possessionem non facit, sed necessaria est actualis rei apprehensio, *l.* 1. *D. de adquir. poss. vbi interpretes, Bald. consil.* 493. Has duas species, seu partes integrantes vnius iustæ, & perfectæ possessionis concurrere in nostro casu ostẽdendum est, priùs de Naturali, postea de Ciuili.

8 CONSTAT autem ad possessionem naturalem (nisi abusiuè accipiatur) requiri detentionẽ cum affectu, & animo possidendi; animo enim, & corpore possessionem adquirimus, *l. quemadmodum* 8. *l. si quis ante*, 10. *d. tit. l. ferè* 196. *de reg. iur. Theophil. instit. tit. per quas personas nob. adq. &c.* *Quid requirat possessio facti.*

9 POSSESSIO ergo naturalis, cùm in facto consistat, optimè probatur ex facto ipso, vt loquendo de quasi possessione incorporalium docet *Rota decis.* 84. *num.* 6. *apud Iul. Viuian. post tract. de iure patron.* per exercitium scilicet, vel actum corporalem, in quo illud ius repræsentatur. *Abb. in cap. cum Ecclesia Sutrina, num.* 2. *de caus. possess. & propriet. Bald. in l.* 2. *num.* 10. *C. de seruit. & aqu.* Hi actus in vsu tituli *Immaculatæ Conceptionis*, innumeri sunt, & manifestissimi. Recitatio officij iussu, & auctoritate Sedis Apostolicæ ordinati, in quo nominatur *Immaculata Conceptio* & nunquam post Sixtum IV. in Ordine Minorum intermissum est, *column.* 218. *Regesti, in Obseruat.* nec post Concilium Tridentinũ, in Ecclesia Cathedrali, & diœcesi Granatẽsi, *col.* 678. Professio, quã emittunt Moniales *ob amorẽ, & seruitium Domini, & Immaculatæ Conceptionis, &c.* *Probatur primò possessio tituli Immaculatæ, ex facto ipso.*

*&c.colum.*129. Vota omnia, & iuramẽta Communitatum emissa à conuocatis more solito, vt patet ex decreto Vniuersitatis Complutensis, *colum.*336. & alijs omnibus: nec meliùs probari potest Communitatem aliquid possidere, quam ex actu vniuersaliter in congregatione exercito, *Pont.lib.*2.*de spol.cap.*14.*num.*129. *Post ius Obseruat* 36 *num.*9. Librorum scriptio, & impressio cum legitimis approbationibus, & facultatibus, in quibus *Immaculata Conceptio* elucidatur, & defenditur, vt patet ex *Artic.*1. Publica eiusdem tituli pronuntiatio in sacris concionibus, & ad musica instrumenta in templis. Inscriptio, sculptio, & affixio præfati tituli ante fores templorum, & in frequentissimis ciuitatum locis, *colum.*479. Erectio altariũ, sacellorum, & basilicarum ad honorem *Immaculatæ Conceptionis*, *colum.*614. *& seqq.* Hæc omnia animo possidendi, & possessionem conseruandi fieri euidens est, cùm sub iuramentis comprehendatur ipse assensus, *colum.*362.372 *&c.* & constantissimè defensa semper fuerit huius mysterij veneratio contra quoscumque perturbatores, de quo vide *Regestum*, *à colum.*285. *& deinceps.*

10 ADEST etiam nobis validissima illa, & liquidissima probatio accessus, & inspectionis ocularis ipsius iudicis, seu principis, scilicet Summi Pontificis, quę probationes omnes superat. *Prob. 2 ex inspectioneSũmorũ Põtificum.* *Tusch concl.*418.*nu.*33. *Eug.consil.*47. *num.*21.*lib.*1. *Thomat.decis.*50.*nu.*418. *decis.*229.*nu.*3.*par.*4. *Mazol consil.*91. *num.*10.*l.comparationes*, § *Omnes auctoritate*, *C.de probat.* & omnis probatio vincitur, si aspectus cõtrarium testificetur, *Rota post* 1.*volum.consiliorum. Farinac.decis.*70.*nu.*4. De Paulo V. sic legimus apud *Vuading. in legat.sect.* 2.*orat.*8. vbi Regius Legatus ad eundem sanctissimum locum loquens: *Ecclesia (inquit) honorem Immaculatæ Conceptionis approbauit, dum templa construxit, quorum, præter cætera, quæ in ipsa sunt vrbe, vnum frequenter videt, & laudat Tua Beatitudo in tuo illo delectabili monte Tusculano, quod in ipsa fronte suam habet inscriptionem, VIRGINI MARIÆ SINE ORIGINALI PECCATO CONCEPTÆ SACRUM, quod, & tu met ipse tua sententia approbasti, & tuæ Curiæ magnates magnoperè commendant.* De Vrbano VIII. & historię, & numismata testantur, an.1626. templi *Conceptionis* primum lapidem iecisse. Vide *Regesto*, *col.*629. *&* 635. & *Art.*2.*n.*164.

11 QVI possessionis actus aduersariorum consensu, vel non resistentia firmantur: est enim in quasi possessione incorporalium necessaria scientia, & patientia contrariæ partis, *l.*1. *&* 2. *C. de seruit. & aqua*, *vbi Bald. num.*10. *&* 12. *Prob. 3 ex cõsensu aduer sariorũ.* *Menoch consil.*612.*num.*16. *Pont. de spol. lib.*2.*cap.*16.*nu* 169. *Peregr.de Iure Fisci*, *l.*8.*num.*40. *Scacc.de iudic.l.*2. *cap* 6 *n.*446. *& plurimi alij apud Post obser.* 40. *n.*6. Qui modo titulum *Immaculatæ Cõceptionis* impugnant; quomodò cùm Sixtus IV. eius festum, & officium instituebat, & in tota Ecclesia recipiebatur, iuridicè non reclamabant? quomodò sententiam Pontificis aduersus impugnatores latam solis priuatis scriptis, quæ possessionem potiùs comprobant, declinare volebant? Et quando Conciliũ Tridentinum, pluresque Summi Pontifices Sixti Extrauagantes confirmarũt, quid protestati sunt, aut exceperũt, nisi quod libenter agnoscimus, & Sedes Apostolica declarauit, eorum opinionẽ non damnari? Denique cùm Gregorius XV. prohibuit celebrari festum alio, quàm *Cõceptionis* nomine, nonnè vt Ecclesiæ filios decebat, consenserunt? cur tunc non petebant indifferentiam nominis *Conceptio*, declarari? tantùm enim silentij impositionem pro ipsorum inter se colloquijs relaxandam curarunt. Desinant ergo iustissimam possessionem turbare, quam nè introduceretur, efficere nullo modo potuerũt; immo illius priuilegij obtentione amplius roborarunt: nam possessio, quæ colligitur ex rescripto iudicis ab aduersarijs procurato, maiorem inde firmitatem accipit, *Menoch. consil.*612.*nu.*9 *Rota decis.*165. *num.* 2.*apud Post iump post tract.de Manut.* *& recenti.decis.*323.*num.*1.*pa.*3. Nec allegare possunt se consensisse in cultum

dd tum

tum *Conceptionis*, non verò *Immaculatæ Conceptionis*; quia ipsi fatētur *in priori libello supplici, nu.1. colum.7. & in poster. nu. 10. colum. 11.* apud piæ opinionis assertores idem valuisse *Conceptionem*, quod *Immaculatam Conceptionē*: vnde possessio facti, quam modò stabilimus, etiam ex ipsorum confessione indubitata est, & hęc sufficit ad effectum manutentionis, vt dicemus *num.20.*

Assertores Immaculatæ Conceptionis *habere similiter possessionem Iuris, siue Ciuilem, qua legitimè prædicto titulo vtuntur.*

Probatio possessionis ciuilis. 12 CIVILIS possessio, cùm de naturali constat, efficaciùs probari non potest, quàm per authentica instrumenta, & scripturas, seu rescripta, & constitutiones Principis, quæ in terminis concedant ius, vel actum, de quo controuertitur. Vide *Postium, & ab eo citatos obseruat.19.* Nec admittitur in iudicio manutentionis impugnatio, aut redargutio scripturarum, nisi ex euidenti falsitate, de quo idem *Postius obseruat. 70. num 1.* quod addimus propter aduersarios, qui *in poster. libel. num. 37. col. 22.* gloriātur, *se non recurrere ad Bullas adulteratas*; demonstrent ergo aliquam euidētem falsificationem in nostri Regesti instrumentis; alioquin quoad manutentionis effectum, eos causa cadere necesse est.

Cultus. 13 ITAQVE omnes possessionis actus, qui ab assertoribus piæ opinionis circa *Immaculatæ Conceptionis* titulum exercentur, legitimis Sedis Apostolicæ decretis nitūtur. Recitatio officij, quod à Sixto IV. emanauit, concessa est in Bulla *Cum præexcelsæ, colum. 47. Reg.* & specialiter pro Ordine Minorum à Pio V. & aliis Summis Pontificibus, *colum. 219.* defensaquè est contra impugnatores in Extrauag. *Graue nimis* ab Alex. VI. Concil. Trid. Pio V. Paulo V. & Gregor. XV. confirmata, *ibid. colum.* 109. 117. 161. 166. & *sequentibus.*

14 CONFRATERNITATES titulo *Immaculatæ Conceptionis* erectæ habent Apostolicam approbationem ex diplomate Adriani VI. *colum. 144.* adiunctis constitutionibus D. Cardinalis Ximenij auctoritate roboratis, *col. 153.* *Cōfraternitates.*

15 MONIALIVM religio instituta est virtute Bullarum Apostolicarū Innoc. VIII. & Iulij II. sub aduocatione *Immaculatæ Conceptionis, col. 113. & 124.* *Religio.*

16 TEMPLORVM constructionem cultui præseruationis B. Virginis dedicatorum à Romanis Pontificibus approbari, constat ex proximè dictis, *num. 10.* *Templa.*

17 VOTA, & iuramenta titulum legitimum habent, tum ex antiqua consuetudine, tum ex iudicio Vniuersitatū, Episcoporum, & S.R.E. Cardinalium, *in Regesto colum. 323. 339. 346. 371. 657. 660. & pluries alibi.* Horum votorum nuncupationem latè defendunt *Vvading. in legat. sect. 3. orat. 12. pag. 399 Portel in resp. moralib. casu 32.* & alij quàm plurimi. Hæc sufficiant de probatione possessionis; multis vt in re compertissima omissis. *Vota, & iuramenta.*

Assertoribus Immaculatæ Cōceptionis *in toto Iuris rigore competere Mandatum de manutenendo confestim expediendo priusquàm quidqam aliud de hac controuersia cognoscatur.*

Quid sit manutētio. 18 MANVTENTIO, *siue Mandatum de manutenendo est iudicium possessorium summarium, extraordinarium, & exequutiuum, quo quis in ea possessione, in qua reperitur, tenetur, & conseruatur.* Ita DD. *à Postio* allegati *obseruat. 2. num. 19. & 47. & obseruat. 3. nu. 24. &c.* Paratum fuit hoc remedium propitissimum à Iure, ne inter plures de

eiusdem rei possessione contendentes grauissimæ contentiones,& rixæ oriretur, quę ad vulnera vsque,& cædes progredi possent: nec enim dubiū est, legitimum possessorem tueri se contra turbatores posse propria auctoritate & ad opus de facto etiā de facto se opponere, *l. meminerint*, *C. vnde vi*, *Caualer. decis.* 475. *n.* 2. *Monac. decis. Lucens.* 11. *Roderic. de ann. redit. l.* 1. *q.* 17. *sub n.* 47. *Farinac. de homicid. q.* 125. *n.* 174. *Rota recent. decis.* 670. *num.* 1. *par.* 4. Sed quia extraiudicialis defensio his, quæ diximus, periculis subiacet, magnique interest possessoris se in possessione continuare, habet paratum remedium iudiciale manutentionis, quo & quieti publicæ, & vniuscuiusque iuri consulatur.

Cautela in petenda manutentione

19 VALDE tamen obseruandum est hoc mandatum possessorium expedi ri lite pendente super negotio principali,& esse quoddam *Interim*, donec causa in iudicio plenario termínetur. *Menoch. de recup. in præl. ud. n.* 24. *& seqq. Cagnan. l. in pari, num.* 6. *D. de reg. iur.* Vide *Postiū obseruat.* 3. *nu.* 38. immo non id agi hoc iuris remedio, vt constet, quis sit possessor legitimus; sed quis debeat esse in possessione, dum causa decíditur. *Couarr. lib. pract. quæst. cap.* 17. *sub n.* 4. *vers. septimò est*, *Capic. decis.* 13. *n.* 1. *decis.* 55. *n.* 1. *&* 6. *Christoph. Paz de tenut. c.* 3. *n.* 12. *cap.* 10. *num.* 12. *cap.* 40. *nu.* 37. *ex l. officium, D. de rei vindicat. l. adquiritur, D. de adq. rer. domin. Rota decis.* 444. *apud Post. num.* 3. Sub his terminis piæ opinionis asserto tes ad possessorium non recurrimus nullam enim litem pendentem habemus. sed indubitatā possessionem circa vsum tituli *Immaculatæ Conceptionis*; solùm ergo petimus manuteneri contra turbatores, nec iudicium manutentionis litem supponit, sed est ordinatio conseruationis in eodem statu *Barz. decis.* 71. *n.* 39. *&* 40. *Lancel. de attent. par.* 1. *cap.* 3. *num.* 143. *Rota decis.* 618. *num.* 4. *par.* 1. Vnde hanc causam defensuri non gerere se debēt pro spoliatis, quamuis sub prætextu asserti decreti aliquid ab aduersarijs innouatū fuerit. *Tusch. & Manutent. concl.* 79. *num.* 1. *Cancer. variar. resolut.* *cap.* 4. *num.* 91. *Laderch. consil.* 95. *num.* 2. *Ant. Fab. Codic. fabr. l.* 8. *tit.* 4. *def.* 9. *Barz. decis.* 47. *num.* 9. *&* 10. *Put. decis.* 198. *nu.* 4. *lib.* 1. *Rota diu. decis.* 99. *nu.* 1. *par.* 1. *&* 8. *in recent. decis.* 140. *n.* 3. *decis.* 677. *in fin. par.* 2. qui enim iudicis officium implorat, vt turbatorem suæ possessionis expellat, possessionem non amittit, *Boccat. de interd. vti possid. cap.* 2. *num.* 10. *Rota diu. decis.* 81. *nu.* 2. *par.* 1. *& apud Post. decis.* 554. *num.* 33. *& decis.* 605. *num.* 3. cum possessio ciuilis conseruetur solo animo, quamuis solo animo non adquiratur, *Guido Papa decis.* 629. *num.* 4. *Alex. consil.* 33. *ponderatis, in fin. lib.* 3. *ex l. si quis vi, D. de adq. possess. l. id apud se* 143. *de verb. signif.* immo & naturalis, §. *Possidere, vers. quin etiam, instit. de interd. Aretin.* §. *Retinendæ, n.* 1. *&* 7. *Inst. eod. Rota decis.* 554. *num.* 37. *apud Postiū*, *post tract. de Manut.* quem possidendi animum declarat, qui conqueritur se in possessione turbari. *Giouagn. consil.* 9. *num.* 77. *l.* 1. *Rota diuers. decis.* 317. *nu.* 2. *par.* 2.

20 COMPETERE ergo nobis manutentionem extra controuersiam est, cùm nihil aliud in hoc iudicio attendatur, quàm sola, & simplex possessio, vel quasi, immo etiam nuda detentio, & sola facti insistentia, vt innumeris Doctoribus, & decisionibus citatis resoluit *Postius obseruat.* 15. *num.* 18. Factum verò ipsi aduersarij in suis libellis fatētur, præcipuè *num.* 1. 14. 41. *&* 46. ex quibus, & alijs locis constat eos agnoscere consensum vniuersalissimū in vsu tituli *Immaculatæ Conceptionis*, quem impugnant. Hi ergo libelli, si authenticè præsententur, possessionē probant, quia ex actione intenta per aduersarium, & ex verbis libelli, seu petitionis, enuntiantibus possessionem, vel quasi, etiam vt iniustam, & illegitimam, possessio facti stabilitur sub sufficienti forma ad manutentionē, *Giouagn. consil.* 8. *n.* 145. *lib.* 1. *Rota diuers. decis.* 80. *num.* 1. *& seqq. par.* 1. *& in recent. decis.* 225. *n.* 1. *par.* 1. *& decis.* 525. *nu.* 2. *par.* 2. *& in pluribus alijs decisionibus.* A fortiori vtique, qui in naturali, & ciuili legitima, & iustissima possessione sumus,

Probatio.


mus, manuteneri debemus: nec hoc minus certum est, quàm certa, & euidens est ipsa possessio.

Decretū assertum non obstat.

21 OPORTET verò de medio tollere obstaculum asserti decreti, non quia possessionem interrumpere potest; (id enim nec timemus, nec suspicamur,) sed ne impediat iudicium possessorij summarium: *actus enim, & possessio de recenti, & quæ dederunt occasionem litt, non sunt habendi in consideratione ad obtinendā manutentionem*, ait *Postius obseruat.* 17. *n.* 44. permultis citatis. Et antiquior possessio manutenēda est, recentior verò, nisi constet de titulo, reijcienda tanquā turbatiua, & clandestina. *Bald. consil.* 10. *In quæstione, in fin. lib.* 5. *Alex. consil.* 110. *Visis acutissimis, in princ. l.* 1. *Postius obseruat.* 71. *num.* 1. 2. 3. *& seqq.* cum propè infinitis Doctoribus. Præferri etiam debet, quę habet titulum meliorem, seu iustiorem *Tusch. ver. interdictum, concl.* 286. *nu.* 23. *Addit. ad pract. Pap. in for. lib. pro turb. poss. ad Glos. hodie, in verb. vti possidetis, Post. dicta obseruat.* 71. *nu.* 113. Cùm ergo titulus, quo se aduersarij tuentur, & recentior sit, & vehemēter de subreptione suspectus, vt *Art. seq.* probabimus, perspicuum est, quando nihil aliud opinioni piæ, & *Immaculatæ* Dei Genitricis *Conceptioni* tot legitimis decretis subsistenti concederetur, beneficium manutentionis negandum non esse.

De iudice manutentionis.

22 SPECTAT autem manutentio defensorum tituli *Immaculatæ* Conceptionis præter Summum Pontificem, qui est iudex causæ principalis: apud eundem quippe de possessorio, & proprietate cognosci debet. *Clar. in* § *Feudum, q.* 90. *vers. quæ quidem opinio, Tusch. in verb. Iudex, concl.* 454. *nu.* 19. *Scac. de sent. & re iudic. gl.* 14. *q.* 19. *nu.* 114. *Rota decis.* 666. *apud Postium, nu.* 4. *ex l. nulli, C. de iudic. Glos. in l. exitus, verb. quæratur, D. de adq. poss.* Ad Episcopos etiam, & prælatos superiores, aliosque Ordinarios locorū, & hæreticæ prauitatis Inquisitores: his enim iudicibus à Paulo V. Bulla incip. *Regis pacifici*, 6. Iul. 1616. *col.* 178. *Regesti*, & in decreto eiusdem Sanctissimi, edito 31. Aug. 1617. *col.* 182. item à Greg. XV. in nouissimo decreto 24. Maij, 1622. *col.* 186. auctoritas amplissima concessa est procedendi, inquirendi, & seuerè animaduertendi, *si quis quouis modo contrauenerit* Apostolicis Cōstitutionibus de *Conceptione* B. Virginis: quas Constitutiones proculdubio frangit quicunque impedit liberum vsum tituli *Immaculatæ Conceptionis* in posteriori Extrauaganti Sixti IV. à prædictis Summis Pontificibus approbatum, & sub grauissimis pœnis aduersus impugnatores defensum, *col.* 110. *Reg. & infra in tract. Apolog. num.* 62. *&* 63. Competens enim iudex manutentionis est ille, in cuius territorio accidit possessionis perturbatio, *l. vnica, C. vbi de poss. agi oport. glos. in l. si coloni, C. de agric. & Cens. lib.* 11. *in verb. succurri, cap. sanè, &c. vbi glos. in verbo contra possessorem, de foro compet. Menoch. de retin. remed.* 3. *num.* 316. *& seqq.* Ordinarij ergo, & Inquisitores (nisi adsit specialis inhibitionis causa, de quo *Postius obseruat.* 6. *à n.* 39. *ad fin.*) manutentionis remedio assertoribus pię opiniones subuenire possunt, motu proprio, vel ad partis instantiam, vt res exigat, *ex eod. obseruat.* 5. *n.* 1. *&* 2. semper tamen ex officio processisse dicentur, quia intentans mādatum de manutenendo implorat iudicis officium, *Menoch. de retin. remed. vlt. n.* 6. *Capyc. decis.* 13. *n.* 2. *& decis.* 96. *nu.* 10. *Barz. decis.* 47. *n.* 9. *Ladere. cons.* 95. *sub num.* 4. *Beniut. decis.* 79. *num.* 4.



ARTI-

ARTICVLVS QVARTVS.

Assertum decretum nomine sacræ Congregationis sanctæ Romanæ, & generalis Inquisitionis circumlatum, quo dicta legitima, & pacifica possessio tituli IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS turbatur, ob plurimas, & vrgentissimas rationes subreptitium videri, ac pro subreptitio, quandiu eius legitimas iuridicè non constet, habendum esse: nec vllam vim, aut effectum, sub forma, & circumstantijs, quibus modò proponitur, sortiri posse.

Quàm firma possessio interturbetur.

1 TOT, ac tantis iuridicæ, & legitimæ possessionis instrumentis, probationibus, actibus, exercitijs, vigore Pontificiarum constitutionum, indultorum, priuilegiorum, declarationisque à Concilio Tridentino factæ subsistentibus, retentis, longa, & interrupta consuetudine firmatis, vnicum opponitur decretum dubiæ fidei: quod ex mandato Sedis Apostolicæ nō emanasse; quin potiùs subreptionis vitio laborare, maximis indicijs, consideranti-bus sit manifestum. Hæc indicia in præsenti Articulo eruemus non sanè difficulter, plura quidē omittentes, vrgentiora verò, & quæ rem conuincere valeant, liquidò designantes.

Primum vehemens indicium subreptionis asserti decreti, diuturna occultatio.

Quādiù decretū latuerit.

2 DIES expeditionis asserti decreti, vt patet ex eius tenore *supra colum.* 5. fuit mensis Ianuarij vigesimus anni millesimi sexcentesimi quadragesimi quarti, sex integros menses ante Vrbani mortem: quo temporis spatio & breuiori, decreta Pauli V. & Gregorij XV. in Hispania solemniter publicata vidimus: assertum verò decretū, nō modò dum vixit Vrbanus, sed biennio, & amplius post S. D. N. Innocentij X. fælicissimam electionem delituit, adeò vt in his regnis ante exitum anni quadragesimi sexti, vel initium quadragesimi septimi, nihil de eo prorsus sit auditum. Quæ tam diuturna occultatio subreptionem sine dubio indicat: nam occultè, & clandestinè facta suspicione non carent, *cap. vt nostrum, §. Cùm enim, vt Ecclesiast. benefic. vbi Glossa, verbo, occulta, cap. consuluit, §. Ne verò, de offic. & potest. iudic. deleg. cum similibus citatis à Tiraquello de pænis temper. causa 11. nu. 11. & de retractu, tit. 2. in præfat. à num. 13. Menoch. de præsumpt. lib. 4. præs. 12 n. 7. Mascard. de probat. conclus. 815. num. 33. l. 1. §. Tria lumina, D. de inspic. ventre, vbi Glossa, l. donatio, C. de donationib. vbi Glos. verbo, occultè, cap. pernitiosam, 18. q. 1. cap. cum ex iniuncto, de hæreticis. Surd. consil.* 132. *num.* 4. ex testimonio primæ veritatis, *Ioan. 3. qui malè agit, odit lucem, & Mat* 10. *quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædicate super tecta.* Signum igitur veritatis est manifestatio, sicut fraudis, vel doli occultatio: vt enim eleganter dixit *Tertullian. lib. cont. Valent. cap. 3. nihil veritas erubescit, nisi solummodò abscōdi*: & huiusmodi occultatores reprehēdens, subdit:

Occultè facta in vtroque iure suspicione carentur

cc *nihil*

nihil magis curant, quàm occultare, quod prædicant. Nec minus grauiter *Hieronymus* Rufinū arguens, *Nouum malitiæ genus, scribere quod occultes.* Quare cùm assertum decretū multo tempore absconditum permanserit, nec foras exierit, & tandem clanculùm circumferatur, signum euidens subreptitiæ obtentionis cuiuis æquo iudici de se præbet: præsertim in materia grauissima, de qua à Sede Apostolica summa auctoritate, & solemnissima publicatione semper tractatum est.

Secundum vehemens indicium subreptionis asserti decreti, forma insufficiens.

3 DECRETA eiusdē sacræ Congregationis coram sanctissimis Paulo V. & Greg. XV. quæ circa controuersiā Cōceptionis B. Virnis, eiusq; cultum disponunt, & habentur *col.* 180. & 183. *nostri Regesti.* & præter auctores in obseruationibus citatos, adducuntur à *Cherubino infra citando, n.* 15. *Iul. Lauor. de Indulg. p.* 2. *cap.* 21. *nu.* 129. *Laurent. de Franchis, de controu. inter Episc. & Regul. pag.* 190. *August. Barbosa de offic. & potest. Episc. p.* 3. *alleg.* 105. *nu.* 59 in omnibus editionibus, & libris, vbi integra transcribuntur, habent illam clausulā: *Et ita decreuit, & mādauit* (Sanctitas sua) *vbique inuiolabiliter obseruari.* At in asserto decreto solùm legimus: *Et ita obseruari mandauerunt*, absque particula *vbique*, cuius significationem, & vim notissimum est ad omnem locum extendi, *l.* 1. *D. soluto matrim. princip. Instit. de vsucapionib. D. Ioan. Solorzan. de iure Indiar. to.* 1. *lib.* 1. *cap.* 14. *nu.* 16. & 17. *August. Barbos. de dictionib. vsu frequent. dict.* 413. *nu.* 2. Non ergo emanauit assertum decretum sub tenore, & forma sufficienti ad obligandū omnes in toto orbe Christiano existentes; quod omnino erat necessarium, cùm titulus *Immaculatæ Conceptionis* vniuersaliter receptus sit ex decretis Apostolicis quàm plurimis, præsertim ex Constit. *Cum præexcelsa*, *colum.* 47. *Reg.* vbi *omnibus, & singulis Christi fidelibus vtriusque sexus* recitantibus, canentibus, & audientibus officium Leonardi Nogarolij, in quo prædictus *Immaculatæ Conceptionis* titulus repetitur, indulgentiæ à Sixto IV. conceduntur. Et cum credibile non sit sacram Congregationem sub insufficienti forma decretum edidisse; nihil verisimilius apparet, quā vehemens suspicio de obreptione, quæ in hoc facto, & eius prosequutione interuenerit.

Assertū decretū nō est generale.

Tertium vehemens indicium subreptionis asserti decreti, circumstantia temporis, & loci.

4 SVPERSCRIPTIO asserti decreti sonat, editum fuisse, feria quarta, die vigesima Ianuarij in Congregatione generali S. Romanæ, & vniuersalis Inquisitionis, habita in cœnobio S. Mariæ super Mineruam coram Eminentiss. DD. Cardinalibus, nō verò in ea, quæ fit in Palatio Apostolico, coram sanctiss. D. N. Papa, prout alia propria decreta à Paulo V. & Gregor. XV. hac de re edita, facta fuerunt: vnde elici videtur quædam sinistra suspicio contra aduersarios *Immaculatæ Conceptionis*, quòd præsentiam Summi Pontificis effugerint; & eò vehementius hoc indicium est, quòd Congregatio S. Inquisitionis qualibet hebdomada coram Sanctissimo fieri solet. Cur ergo dies Congregationis in Palatio Apostolico celebrandæ non expectaretur, vt de negotio adeò arduo, & difficili Summus Ecclesiæ Præsul iudicium ferret, nisi omnia raptim, & subreptitiè transigerentur? Adde, quòd Cōgregatio, in qua decretum confectum est, deputata fuit ad causas contentiosas decidendas, iuxta *Constitutionem* 34. *Pauli III. incip. Licet*, 12. *Kal. Aug. an.* 1541. & *Pij IV.* 79. *incip. Cum nos, an.* 1564. nō verò ad materias, religionem, & cultum diuinum tangentes: in quibus, Summo Pontifice inconsulto, incredibile apparet Eminentiss. Cardinales quidquam innouare voluisse. Sed quia hoc punctum specialissimum est, & magni ponderis, aliud

Defectus præsentiæ, vel consultationis Summi Pontificis.

indi-

iudicium ex eo consurgens, vt rei grauitas exigit, ampliùs expendere oportet.

§. I.

Quartum vehemens indicium subreptionis asserti decreti, materiæ grauitas.

Quæ ad Fidē, religionē, & mores spectāt, auctoritatē Sūmi Pontificis requirunt.

5 FIDEI definitiones ad solum iudicium Summi Pontificis pertinere Catholici omnes non minus vnanimiter fatêtur, quàm Petri, & successorum primatum de iure diuino super vniuersam Ecclesiam agnoscunt; *cap. omnes, 22. dist. & cap. quoties, 24. q. 1. D. Thom. & eius interpretes 2. 2. q. 1. art. 10. & 4. cont. gent. cap. 76.* prout etiā decisionem eorum, quæ ad Fidei dogmata, religionem, morum reformationē, & disciplinam spectant: hæc enim supremo controuersiarum iudici reseruātur, quia in his omnibus fideles conuenire debent, & ab vnici capitis infallibili iudicio pendere: de quo videndi sunt, *Turrecremata in Summa, & quæstionibus de auctorit. & potest. Pap. Bellarmin. to. 1. l. 4. de Rom. Pontific. Becan. in Manuali controuersiar. lib. 1. cap. 5. Anton. Perez in Pentat. tract. de Rom. Pont. dub. 5. cap. 3. Torres 2. 2. disp. 10. August. Barbosa in Collectan. ad cap. si Papa 6. num. 5. dist. 1 ?.* & alij innumeri, qui de Summo Pontifice scripserunt. In speciali autem ad rē nostram facit Constitutio Sixti V. incip. *Immensa*, & est ordine 74. apud *Cherubinum*, Kal. Febr. an. 1587. vbi agens de institutione Congregationis DD. Cardinalium Concilij Tridentini interpretum, ita decreuit: *Eorum verò decretorum, quæ ad Fidei dogmata pertinent, interpretationē nobis ipsis reseruamus. Cardinalibus verò præfectis interpretationi, & executioni Concilij Tridentini, si quando in his, quæ de morum reformatione, disciplina, ac moderatione, & Ecclesiasticis iudicijs, alijsque huiusmodi instituta sunt, dubietas, ac difficultas emerserit, interpretandi facultatem, nobis tamen consultis, impartimur.* Hæc ibi.

Nostra causa spectat ad Fidem.

6 VSVM, vel prohibitionem tituli *Immaculatæ Conceptionis* ad Fidei dogmata spectare dubium non est, cum quidquid circa hunc titulū decernitur, directè pertineat ad articulum de præseruatione Beatæ Virginis, qui de Fide definiri potest, & connexionem habet cum grauissimis Fidei doctrinis de propagatione peccati originalis, Christi D. redemptione, & similibus, vt *Artic. 2. num. 214. & 215.* dictum est. Inuoluit etiā decisio de huius tituli legitimo vsu, assertiones illas Fidei, vel eius pietati valdè cōsentaneas, de auctoritate Summi Pontificis in concedendis indulgentijs, festis instituendis, approbandis, & confirmandis religionibus, quibus & alijs huiusmodi fundamentis vsus prædicti tituli à nobis comprobatur *toto Artic. 2. præcipuè à num. 6. 129. 140. & 170.*

Ad religionem.

7 AD religionem autem titulum, quem defendimus, pertinere, adeo perspicuum fecimus *in citato Articulo*, vt nihil omnino sit ex tot probationibus ibi adductis, quod à cultu diuino Sedis Apostolicæ auctoritate instituto originem non habeat, aut ad illum non referatur, vt in fine testati sumus, *num. 220.* & quantum in nobis fuit, re ipsa præstare curauimus.

Ad mores.

8 DENIQVE vsum prædicti tituli rem esse ad mores conducentem, vel maximè ex ipsa religionum institutione constat, præcipue Monialium expresso emittentium tria vota essentialia in honorem *Immaculatæ Conceptionis*, vt expendimus *dicto Artic. 2. nu. 150.* statum verò religiosum à Summo Pontifice illum instituente declarari eo ipso *omni ex parte honestum, nihilque contra bonos mores includere*, ex *Suario*, & cōmuni Theologorum sententia *ibid.* statuimus *num. 144.*

Conclusio huius indicij.

9 HINC apertè concluditur, asserturum decretum esse de subreptione vehementissimè suspectum: cum enim dispositionem includat circa eam materiam, quæ secundùm canones, & perpetuam Ecclesiæ praxim, Summo Pontifice inconsulto non determinatur, nullam clausulam habet, quæ mentionem faciat Pontificij consensus, aut approbationis, vel saltem relationis ad Sanctissi-

ctissimum factæ; cùm è contrario Summi Pontifices, penès quos suprema residet auctoritas, auditis votis DD. Cardinalium in eadem causa processerint, sicut in canonizatione sanctorum, vt obseruauimus *dicto Artic. 2. nu. 39. & 45.*

Quintum vehemens indicium subreptionis asserti decreti, vigor Apostolicarum Constitutionum.

Assertū decretū derogare nō potest Constitutionibus Apostolicis.

10 NEQVIT assertum decretum vlla vim obtinere, nisi derogatis Apostolicis Constitutionibus titulum *Immaculatæ Conceptionis* cōcedentibus, & approbantibus, de quibus *toto dicto Artic. 2.* egimus, & iterum agemus *in tract. Apologet. à num. 62.* quam derogationem satis insinuant aduersarij *in libell. supplicib. num. 3. & 14.* & tot Pontificum statuta, etiam à Concilio Tridentino confirmata, ac summo cum iudicio, habitaque matura deliberatione edita, vnico verbo cassa, & irrita reddi posse contendere videntur. Sed quid velint, aut conentur, ipsi viderint; hoc certum esse debet, nisi omnia principia iuris euertantur, in asserto decreto ea forma & tenore, quo exhibetur, nullam inesse vim derogatiuā aliorum decretorum, seu constitutionum, quæ ab ipsis Summis Pontificibus motu proprio, & ex certa scientia emanarunt, aut coram ipsis ab eadem sacra Congregatione promulgata sunt: quia licet actus priores corrigantur per posteriores, *l. nō est nouum, cum duabus seqq. D. de legib. l. fin. D. de constitut. Princ. l. 1. ad leg. Aqui. cap. vlt. in fin. de rescrip. lib. 6. Bald. lib. 1. dicto tit. de Constit. lib. vltimo vt lite pend. cap. 1. vbi Panormit. num. 2. & 10. de sequestr. poss.* nihilominus cum constitutiones titulum *Immaculatæ Conceptionis* approbantes Pontificiæ sint, non potuerunt reuocari, alterari, vel limitari, nisi per aliam similem Apostolicam Constitutionem, aut in Congregatione coram Sanctissimo habita: nam reuocare leges, & statuta, eius est cuius ea condere, *l. qui damnare, D. de re iudic.* & *omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissoluitur, cap. omnis, de reg. iur. & 27. q. 1. Seraph. decis. 590. num. 2. Duran. decis. 291. num. 24. Valasc. consf. 130. num. 17.* & eadem solemnitas in reuocatione actus requiritur, quæ in confectione ipsius interuenit, *Duer. reg. 187. vers. decimò octauò, Gald. Pereira de potest. eleg. cap. 7. num. 13.*

Applicatio indicij.

11 QVOMODO ergo prudēter credi potest sacram Congregationem edidisse decretum nullum omninò robur habiturum? Constitutiones enim Apostolicę in suo vigore permanent, nec per assertum decretū derogantur; simul autem cum illo obseruari nō possunt: nam Summi Pontifices approbant titulum *Immaculatæ* additum *Conceptioni*; decretum verò præcipit *non addendum esse Conceptioni, sed Virgini.* Simul igitur Pontificum Constitutiones in pristino robore per idem decretum relinquerentur, & contrarium eius, quod ipsæ continēt, statueretur: quæ contradictio supremo illo Senatu indigna, subreptioni procul dubio tribuenda est. Præsertim cum derogatio sit stricti iuris *l. sancimus, C. de testam. Grauet. consil. 26. num. 7. Rota coram Reuerendiss. Duran. decis. 48. nu. 18.* & assertum decretum ipsi Concilio Tridentino Sixti IV. constitutiones confirmanti opponatur: Concilio autem generali non derogari etiam ab ipsis Summis Pontificibus sine clausula speciali communis sentētia Doctorum est, quos citat *August. Barb. in Remiss. ad sess. 1. nota B.* & sequitur *Thom. Sanc. to. 1. de Matrim. disp. 26. n. 7.* quamuis idem *Barbosa in Remiss. ad sess. 25. cap. 21.* auctores adducat pro opposita opinione in materia dispensationum, quod ad præsens institutum nihil refert.

Sextum vehemens indicium subreptionis asserti decreti, defectus narratiuæ.

Quid verisimiliter credi possit narratum.

12 SI præfata indicia maturè expensa inter se conferantur, simulque facti series à nobis huic Armamentario præmissa consideretur; non se-

solùm probabilissima coniectura, sed ipsa penè rei euidentia suaderi videtur, illud idem DD. Cardinalibus narratum ad impetrandum subreptitie decretum, quod aduersarij in suis libellis inculcat, & tanquam vnicum propugnaculum, tametsi viribus impares, varijs modis firmare moliuntur: scilicet ab Ecclesia Catholica celebrari Conceptionem indifferentem, siue sanctificationem pro instanti indeterminato, & abstrahentē à mundatiua, & præseruatiua quæ narratio, quàm sit à veritate aliena, & contra ipsius Ecclesiæ declarationē, toto quidem hoc opere à nobis ostenditur, præcipuè tamen *artic.2. à nu.6 & in tract. Apologet. à num.14.* Adeo ergo grauis, & essentialis in narratiua defectus tam rationabiliter præsumptus, subreptionem manifestè detegit, & quasi manibus tangendam tradit.

Vis huius indicij. 13 QVANTI ponderis sit hoc indicium, vtriusque iuris monumentis docemur: nam vniuersa rescripta sub ea conditione proferuntur, *si preces veritate nitantur, l. fin. C. de diuers. rescript.* quæ conditio intelligenda est, etiamsi non apponatur, *cap. ex parte, de rescriptis.* Et hoc conducit celebris textus *cap. super litteris, eod. tit.* vbi sic ait Pontifex. *Si verò per huiusmodi falsitatis expressionem, vel suppressionem etiam veritatis, litteræ fuerint impetratæ, qua tacita, vel expressa, nos nullas prorsus litteras dedissemus, a delegato non est aliquatenus procedendum, nisi forsitam eatenus, vt partibus ad suam præsentiam conuocatis, de precum qualitate cognoscat.* Loquitur autem de falsitatem exprimentibus, aut veritatem supprimentibus per simplicitatem, vel ignorantiam; eos enim, qui per fraudem, vel malitiā, vtrumuis faciunt, nihil ex litteris impetratis consequi iam absolutè pronuntiauerat. Vnde ad subreptionem ex hoc indicio stabiliendam, nō opus habemus aduersarios fraudis, vel malitiæ redarguere; sed in hoc præcisè vim facimus, quod quomodocūque acciderit, verisimillimū & ferè euidens sit, aliquid DD. Cardinalibus falsi expressum, aliquid etiam veri suppressum, quo expresso, aut non suppresso, neutiquam decretum prodiret: & in hoc casu canon citatus in terminis loquitur, & nullum fuisse decretum apertè declarat, quia narratiua defectū passa est in causa finali, vel motiua decreti expediendi, & subreptio illud inuitis iudicibus extorsit: de quo videndus *Sanc. to. 3. de Matrim. lib. 3 disp. 21. nu. 56. & Bonacina to. 2. disp. 1. q 2. punc. 4. proposit. 1. num. 3* adiuncta communi, & certa doctrina de ignorantia antecedenti, quæ reddit actum inuoluntarium. *Theologi cum D. Tho. 1.2. q. 76. art. 1 & Iuris Canonici interpretes cap. turbatur, 1. q. 4.* De expressione falsi iam diximus, nimirùm indifferentia nominis *Conceptio.* & instantis, quo B. Virgini infusa est gratia: suppressionem autem veri interuenisse non minùs certò præsumi potest, scilicet tacita fuisse scandala, quæ ex occasione opinionis asserētis B. Virginem contraxisse peccatum originale orta Summos Pontifices mouerunt ad imponendum ei silentium, & præcipiendū cultus vniformitatē sub *Conceptionis* nomine, vt patet ex decretis Pauli V. & Gregorij XV. *colum. 180. & 185. Regest. & col. 78. & 81. Armament. nu. 40. & 46.* quibus scandalis comprobandis adeò vigilanter incubuit Sedes Apostolica, vt prædictus sanctissimus Gregorius non contentus verissimis informationibus, quæ verbo & scripto à testibus omni exceptione maioribus exhibitæ erant, aduentum Comitis Montis Regis noui legati expectauerit, vt recentiori notitia oculati, & auriti testis imbutus, maturiùs in tanta re procederet, vt *Vvading.* & ipse oculatus testis refert in *legat. sect. 4. nu. 28. pag. 441.* Nec dubium est, eadem scandala reditura, si assertum decretum ad exequutionē duceretur, & populus Christianus audiret *Conceptionem* B. Virginis non posse dici *Immaculatam*, quia non celebratur eius preseruatio, sed sanctitas quędam communis ad opinionem piam, & eius oppositam, ita vt opinio, cui Apostolica Sedes silentium indixit, non minùs in officio diuino exprimatur, quàm illa, cui Ecclesia omnibus modis hactenus fauit,

uit, & propter quam festum *Conceptionis* institutum est. Hæc omnia si DD. Cardinalibus syncerè narrata fuissent, de expediendo asserto decreto nullatenus cogitassent: quod idcirco subreptitiè, & contra eorum voluntatem emanasse cōuinci videtur, & eatenùs solùm iuxta *dict. cap. super litteris*, eius rationem habendam, vt partes audiantur, & verificetur narratiua. De scandalis iterum dicemus, *ān.* 18.

Confirmatur ampliùs. 14 HÆC narratiuæ verificatio adeò necessaria est, vt *Rota decis.* 580. *nu.* 6. apud *Farinac. to.* 2. pronutiauerit, *quòd narratiua Papæ etiam facta motu proprio, recipit probationem in contrarium: & quòd cum constat de contrario enuntiato, cessat omnis difficultas, etiam quòd naratiua sit Papæ. Et decis.* 605. *quòd litteris non est danda exequutio, antequàm sint iustificatæ.* Et 251. *quòd litteræ Apostolicæ non debent exequi absque iustificatione narratorū. Rom. consil.* 133. *num.* 2. *quòd litteræ Apostolicæ non verificatis in ijs narratis, sunt subreptitiæ. Veral decis.* 345. *nu.* 3. *part.* 2. Vehementissimè ergo vrget hoc indicium, ne decretis verè Apostolicis, & cum tanto narratorum examine emanatis derogetur per aliud, cui vel leuis suspicio, nedùm grauissima, & quasi euidens falsi expressi, aut veri suppressi opponi possit.

Septimum vehemens indicium subreptionis asserti decreti, defectus promulgationis.

Decreta legitima sine mora promulgantur. 15 QVOD legitimis, & ab omni subreptione alienis decretis obstaret, nè vllum penitùs valorem, aut vim obligandi obtinerent: id ipsum nos ad subreptionem probandam applicamus; legitima enim decreta statim solemniter promulgantur: vndè occultatio, & suppressio asserti decreti, non modò eius vim obligatoriam infringit, sed subreptionem apertè denotat, vt in primo indicio dicere incępimus. Et nè antiquiora exempla congeramus nulla necessitate, sed huius materię propria, quę ab omnibus visa sunt, vel videri potuerunt: Constitutio fæl. record. Pauli Papæ V. quæ incipit, *Regis pacifici*, anno 1616 die 6. Iulij edita, die nona eiusdem mensis publicata fuit, vt videre est apud *Bullarium Cherubini* to. 3. edit. Rom. 1638. pag. 257. col. 1. & nostrum *Vuading. in legat. sect.* 1. *pag.* 12. Decretum Congreg. S. Rom. & vniuers. Inquisit. sub eodem Pontifice expeditum die 31. Aug. an. 1617. publicatū est die 12. Sept. eiusdem anni, apud *Cherubin. pag.* 262. *col.* 2. apud *Vuading. d. sect.* 1 *pag.* 16. Decretum eiusdem S. Congregationis coram Sanctiss. fæl. record. Gregor. XV. datum die 24 Maij, an. 1622. publicatum est ipso anno, die 2. Iunij, *Cherub. pag.* 315. *col.* 1. *Vuading. sect.* 4. *n.* 39. *pag.* 450.

16 NEC mirum tantam curam in promulgando adhiberi, cum promulgatio, vel communitati facta denuntiatio sit de essentia legis, *cap in istis*, 4. *dist. leges instituuntur, cum promulgantur, & c. D. Thom.* 2. 2. *q.* 90. *art.* 4. *& omnes Theologi, & Iurisconsulti, quos copiosissimè citant Suar. l.* 1. *de legib. cap.* 11. *Bonac. to.* 2. *tract. de legib. disp.* 1. *q.* 1. *punc.* 4. *num.* 6. *August. Barb in Collectan. ad d. text. nu.* 1. Ratio præcipua ex *D. Tho.* est, quòd lex habet rationem regulæ, qua subditi regantur; regula autem tunc imponitur, cùm per promulgationem his, qui per eam regulandi sunt, applicatur. *Promulgatio est de essentia legis.*

17 QVALIS promulgatio in litteris Apostolicis ad obligandum sufficiat, ex praxi constat: promulgantur enim, cum affiguntur ad valuas Basilicę Principis Apostolorum de vrbe, & in acie campi Floræ: quæ quidem affixio omnes ita arctat, & afficit, ac si vnicuique personaliter litteræ intimarentur. *Vazq. to.* 2. *in* 1. 2. *disp.* 156. *cap.* 2. *cum Syluestro, Ioanne Andræa, Panormit. Ioanne Monacho, Ludou. Gom. Summa Rosella, Suar. lib.* 4. *de legib. cap.* 15. *nu.* 3. ante hanc tamen affixionem, vel publicationē, nullam vim obligandi habent. *Idem Gom. in prœm. regul. Cancellar. q.* 2. *circa fin. Fr. Emman. Roder. to.* 1. *qq. regul. q.* 6. *art.* 2. *in fine.* Et ideo præfata Pauli, & Gregorij decreta habent adiunctum testimonium *Promulgatio litterarum Apostolicarum.*

nium Magistri Cursorum, vt omnibus de huiusmodi publicatione facta cōstet.

17 VBI obseruandum est, legē nunquam præsumi publicatam, sed qui eam publicatam dicit, ad probationem teneri. *Menoch. de præsumpt. lib. 2. præs. 1. nu. 2 & præs. 2. num. 2. August. Barbosa in Collectan. ad cap. 2. num. 11. de Constitutionib.* Publicatio asserti decreti adeò non cōstat, vt nec simplici relatione, nedùm authentica sciamus promulgatum fuisse modo prædicto, aut alio ex numeratis *cap. 1. de postulat. Prælatorum.*

Legis publicatio nō præsumenda, sed probanda.

Octauum vehemens indicium subreptionis asserti decreti, scandalorum occasio.

18 HOC indicium tetigimus *nu. 13.* quatenus pertinet ad defectum verificationis in narratiua rationabiliter præsumptum; sed quia ipsum in se consideratum grauissimum est, & caput speciale constituit, pressiori indiget examinatione. Nec enim strictè prætereiri debet, quod Sedes Apostolica sem per præ oculis habuit in omnibus, quæ circa hanc controuersiam decreuit.

Scandalis occurrendum.

19 AC primùm nemini dubium esse potest, per prohibitionem tituli *Immaculatæ Conceptionis* patentissimam viā aperiri ad suscitanda, & denuò in Ecclesiā inuehenda grauissima illa scandala, quæ à quatuordecimo seculo paulò post an. 1300. vsque ad nostram ætatem in Gallia, Italia, Germania, Hispania, & alijs prouincijs acciderunt, & à Procuratoribus Regis Catholici in *Epistola*, seu *Memoriali* ad ipsum ex vrbe transmisso ex fide dignissimis scriptoribus, & authenticis informationibus, temporum ordine recensentur. Vnica enim omnium scandalorum origo fuit impugnatio opinionis piæ, & mysterij præseruationis B. Virginis à peccato originali, quod ab antiquo in multis Ecclesijs, & tandem in Romana publico cultu celebratur. Hanc, inquam, veram, & vnicam omnium scandalorū originem fuisse, quantumuis aduersarij negare velint, omnia instrumenta, historiæ, constitutiones Pontificiæ, oculares experientiæ, & ipsi lapides clamabunt. Ex prohibitione autem tituli *Immaculatæ Conceptionis* duorū alterum sequi necesse est, aut mysterij præseruationis cultum ab Ecclesia Romana nunquam approbatum; aut maturè, & legitimè susceptum repetè abijci: quorum prius omnem ferè fideliū cœtum erroris arguit; posterius ipsum Ecclesię caput apertissimè petit: vtrumque verò opinionis pię impugnationem, immo expugnationem molitur, vnde omnia scandala pullularunt. Hoc ergo indicium renouatæ occasionis scandalorum, vehementissimè, & quasi euidenter subreptionem asserti decreti persuadet: alienissimum quippe est ab Ecclesiæ Catholicæ consuetudine, & eius legitimis mandatis, quidquid populorum pietati, præsertim ipsius approbatione introductæ, & temporis diuturnitate altissimè animis infixæ offendiculum præbere potest.

Per assertū decretū suscitari.

20 NIHIL frequentius occurrit in Iure Canonico, quàm admonitiones, & exemplis coniuncta præcepta de scandalo in his, quæ decernuntur, aut iudicātur cauendo: ex quibus paucā, & maximè ad rem conducentia seligemus. *Cap. quod dilecto, de consang. & affinit.* sic loquitur Pontifex. *Vnde in hac parte consultius duximus multitudini, & obseruatæ consuetudini deferendum, quàm aliud in dissensionem, & scandalum populi statuēdum quadam adhibita nouitate.* Et *cap. nihil prodest, de præscript. Nihil cum scandalo, nihil cum forali strepitu vobiscū nos velle de causis pauperum definire, vobis scripsisse meminimus.* Item *cap. cùm teneamur, de præb. & dignit.* hæc memorabilia verba leguntur. *Si non potest ei sine scandalo prouideri, æquanimiter sustinemus, si pro ea mandatum nostrum non duxeris exequendum.* Egregia prorsus, & Apostolicam modestiam spirans sentētia Supremi Principis, auctoritatem eò consultiùs tuentis, quòd eam proximorum charitati postponit. Vide *Felin. d. cap. nihil, Paris. de resignat. benefic. lib. 3. q. 18. num. 22. cum seqq. S. Leon. epist. 79. ad Diosc. c. 1. S. Greg. lib. 7. epist. 60. ex parte relatum cap. Ecclesiasticæ 25. q. 2.*

Leges Ecclesiasticæ à scādalo maximè abhorrent.

21 SI

Earum exequutio propter scandalum suspeditur.

21 SI ergo fert æquanimiter Pontifex mandatum suum, vt scandala vitentur, non exequi, adeò vt *Gloss. verbo, iudicentur, cap. in istis, 4. dist.* affirmauerit: *Cum Papa vult condere canones, Episcopi possunt contradicere, & dicere: Iste canon non conuenit consuetudini regionis nostræ, &c.* nullum gratius obsequium ab humilibus subditis accipiet Sacra Congregatio, quàm eorum solicitudinem, qui sedulò student, ne decretum scandala inuecturū, eius nomine illegitimè, & clandestinè circumferatur. Vnde supersedendum ab exequutione mandatorum, quoties rectitudo rationis dictat id potius expedire, quàm vniuersali scandalo, quod futurū timetur, locum à scientibus, & prudentibus dari, grauiter docent *Couarrub. in cap. peccatum, p. 1. à nu. 7. præcipuè in vers. hinc sanè fit, Palat. tract. de benefic. vacat. in Curia. § 7. Farinac. in praxi crimin. p. 3. tit. de pœnis temper. q. 97. casu 2. num. 36. Ioan. à Cochier de iurisd. ordin. in exempt. to. 2 in schol. ad Constit. Concil. Lateran. p. 1. § 3 fol. 32. num. 20. Antonin. de Amato var. resolut. l. 2. cap. 72. nu. 24.* Vide *tract. Apologet. num. 90.*

ARTICVLVS QVINTVS.

Vt discordiarum, & scandalorum occasiones penitùs amputentur, æquum, & necessarium videri, ne professores religiosissimorum, & arctissimo fœdere coniunctorum Ordinum Prædicatorum, & Minorum, in causa Immaculatæ Conceptionis, & quibuscunque ad eam spectantibus, iudicum, testium vè munere fungantur: idque humiliter, & instanter à Sede Apostolica flagitandum esse.

Valdè expedire Ecclesiæ Dei, concordiæ inter Fratres Prædicatores, & Minores conseruationem.

Discordiarū auctores quātum Deo displiceāt.

1 PRÆ oculis habenda nobis est seuerissima, & non sine timore, & tremore audienda Salomonis sententia, immo Spiritus Sancti per eum loquētis Prouerb 6 *Sex sunt, quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima eius. Oculos sublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium sanguinem, cor machinans cogitationes pessimas, pedes veloces ad currendum in malum proferentem mendacia, testem fallacem, & eum qui seminat inter fratres discordias* Si discordiarum inter fratres quoslibet seminario, plusquàm superbia, homicidium, periurium, & ipsa malis machinandis intenta mens, Deo displicet, cùm alia peccata odio habeat, hoc verò etiam detestetur; quousque iram diuinam prouocare credemus zizaniorum seminatores inter sacras familias Prædicatorum, & Minorū, quibus ab ipso vtriusque Religionis exordio arctissimum, & humano maius iniectum est vinculum mutuæ inter se fraternæ, & indissolubilis charitatis?

Concordia à S. fundatoribus Ord. Prædicat. & Minor. stabilita

2 HOS nimirùm Ordines quasi gemellos dexteræ filios vnico partu Gratia effudit, & è Beatissimæ Virginis Matris sinu acceptos Christus Dominus irato Patri obtulit, mundo extremæ cladi damnato incolumitatem, fuenti Ecclesiæ

clesiæ fulcrum, iustißimæ denique vindictæ remißionem allaturos. Eisdem ergo ab altißima prouidentia muneribus destinatos adeò animis, operibusq; coniungi Sanctißimi Patriarchæ nostri voluerunt, vt illorum alter S. P. N. Dominicus seriò cogitauerit de vtraque familia in vnum corpus aggreganda: quo consilio maioris Ecclesiæ vtilitatis gratia dimisso, æternæ firmitatis fœdera sibi, & successoribus sanxerũt. De quibus omnibus vide *legend. trium socior. Pisan. lib. 1. conformit. 12. Vvading. an. 1619. nu. 2. Castill. l. 1 histor. S. Domin. cap. 17. 24. & 50. & omnes vtriusque Religionis cronographos.*

Et à successoribus conseruata.

3 TANTI regiminis, & spiritus hæredes nihil antiquius habuerũt, quàm huius vnitatis, & pacis, vt pretiosißimi legati conseruationem. Extant S. Bonauenturæ tunc generalis Ministri, & R. ac Venerab. P. F. Humberti Magistri generalis patentes litteræ apud *F. Petr. Rodulph. ad fin. l. 2. Histor. Seraph.* communi nomine scriptæ, & circum prouincias Ordinum missæ, quibus grauißima adhortatio ad mutuam concordiam fouendam continetur. Actum de eadem re ab eodem Seraphico Patre in Comitijs Lugdunensibus an. 1274. teste *Rodulph. dicto lib. 2. fol. 239.* In *Constitut. Generalib. Ord. Minor. cap. de modo interius conuersandi, tit. de hospitibus*, hæc habentur verba *Si quando Fratres Prædicatores ad loca nostra venerint, velut fratres Ordinis nostri, benignè recipiantur, & charitatiuè. Et seminantes inter eos, & nos zizania discordiæ, grauiter puniantur.* Quæ clausula adeò antiqua est, & tã studiosè retenta, vt in statutis Barchinonensibus anni 1451. reperiatur nõ tunc primùm condita, sed è veteribus Constitutionibus desumpta, vt patet ex *lib. inscripto Monum. Ordin. tract. 3.* & in omnibus recognitionibus Constitutionum generalium immutata permanserit vsque ad nouißimam tẽpore Reuerendißs. P. F. Benigni à Genua, Min. Gener. an. 1621. Quinetiam R. P. F. Ioannes à Neapoli, Min. Gener. quem, dum hæc elaborarẽtur, die vigesima septima mensis Septẽbris sub vesperum, hoc anno millesimo sexcentesimo quadragesimo octauo, magno totius Ordinis dolore amisimus, legibus firmatam concordiam paternis admonitionibus, & præceptis subditorum cordibus altius infixit, & reipsa valdè promouit exempla maiorũ sequutus, quæ inter vtriusque instituti professores egregiam charitatis contentionem testantur, & dubiam semper palmam relinquunt.

Studiũ pro hac concordia à Sede Apostolica adhibitum.

4 NEC intra ipsorum Ordinum limites hæc cura concordiæ seruandæ stetit, sed vt communis causa à Summis Põtificibus suscepta est. Cùm enim Sedes Apostolica harum Religionum ministerio in grauißimis Ecclesiæ negotijs vsa sit, valdè semper abhorruit ab earũ, vel minima diuisione, qua copiosi fructus in Domini segete impediri possent. Cuius rei duo memorabilia exẽpla proferemus. Clemens IV. Pont. Max. an. 1266. litteras expediuit ad Fratres Ordinum Prædicatorum, & Minorum Inquisitores Apostolicos per Italiam deputatos, & deputandos specialiter eis mãdatum intimans, & amplißimam facultatem concedens contra seculares potestates in causis Fidei procedendi. Integrum instrumentum inseruit suis Annalibus *F. Luc. Vvading. to. 2. ad d. an. n. 1.* Per idem tempus, nobili quodam milite ipsum de ingressu in alterutram Religionem consulente, ad eum Epistolam conscripsit: vbi de vtriusque instituti comparatione pauca, & signatißima loquutus, hæc verba subijcit. *Vnde apud te hoc pondera, hoc diligenter aduerte, quis magis animo tuo placeat, quemque speres melius portaturum: & sic vni conuersatione adhæreas, vt amore ab altero non discedas. Frater enim Prædicator, qui Minores non diligit, est execrabilis. Frater Minor, qui vel odit Prædicatorum Ordinem, vel contemnit, est execrabilis, & damnandus.* Lege *S. Antonin. 3 p. tit. 20. cap. 1. Marian. cap. 26. Rodulph. lib. 2 fol. 215 pag. 2. Vvading. sup. num. 3.* *Clem. 4*

5 INTER Apostolicas Bullas à *F. Emman. Roder.* in vnum corpus collectas, prima ex datis ab Innocẽtio VIII. *Innoc. 8*

incip. *Ex debito solicitudinis*, 6. Idus Mart.an.1486. quam in Conuentu S. Franc.Salmantic. authenticam haberi affirmat, inhibet Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus contra hæreticam prauitatem Inquisitoribus cognitionē causarum ad alterum Ordinem respectiuè pertinentium, facta etiam mentione Constitutionū præfati Clement. IV. & Sixti IV. id ipsum prohibentiū, quas auctoritate Apostolica confirmat. Nec modo agimus de huius mādati obseruatione, vigore, aut derogatione; satis nobis pro argumento est iudiciū Sedis Apostolicæ omnem dissidiorum radicem inter has coniunctissimas familias extirpare satagentis: quod ad præsentem controuersiam cum primis expedire persuasum habemus.

Controuersiam de Immaculata Conceptione, quamuis apud omnes scholas, & familias celebris fuerit, præcipuè agitatam inter Fratres Prædicatores, & Minores.

Partes litigātes 6 ANTIQVIOREM multò nostris Religionibus hanc cōtrouersiam esse, patet ex dictis *Artic.* 2.*nu.* 198.*col.*181.*& in Regesto col.*17.sed non minùs constat *ex eod. Artic.n.*3.*&* 59. ipsaque rei euidentia, quæstionem olim excitatam, & ab alijs alio seculo inuentam, ab his duabus familijs acriùs, & ardentiùs per plurimos annos tam voce, quàm scriptis discussam. Et modò id clariùs apparet, cum assertum decretū, quo titulus *Immaculatæ Conceptionis* prohibetur, soli Fratres Prædicatores apertè tueantur; contra verò Fratres Minores, non quidem soli, sed tanquam pars euidentius læsa, aduersus illud vt subreptitium reclamemus.

De auctoribus libellorū 7 VBI duo diligenter obseruanda sunt. Alterum: nobis authēticè non cōstare, qui sint libellorum auctores assertum decretum propugnantes; sed quia ipsi *Fratres Ordinis Prædicatorum* se nominant *colum.*11.*num.*8.& publica per totam Hispaniam, & alias prouincias fama id ipsum confirmat vt planè indubitatum, non est vndè à nobis in dubiū reuocetur: præsertim certissimis, & manifestissimis indicijs accedentibus, tum officij *sanctificationis* ab eis etiā defensi, quo illa tantùm Religio, quamuis non vnanimi consensu, vtebatur: tum facultatis liberè inter seipsos loquendi de opinione affirmatiua, quam solos huius Religiones professores habere compertum est. Hæc sanè sufficiunt, immo & superabundant, vt eos in hac controuersia pro aduersarijs habeamus, multò magis ad effectum recusationis, quem in hoc Articulo intendimus.

8 ALTERVM, quod obseruamus, est, longè causam nostram distare à causa aduersariorum: illis enim Sedes Apostolica silentium imposuit; nos verò ob *indefessum studium, & vigilantiam in puritatis, & innocentiæ Dei Genitricis defensione*, benignè, & suprà merita commendauit, vt expendimus *dicto artic.* 2.*num.* 151.*colum.*137. Quare ita iure nostro (si quod habemus,) in controuersia *Immaculatæ Conceptionis* cedimus, vt alienū integrum, illæsumque custodiri velimus, & tantùm quod ad nos attinet, pro suspectis, & recusatis haberi non ægrè feramus. Eò enim vsque processit quorundam audacia, vt nec ipsum Summū Pontificem Sixtum IV. è cathedra Petri loquentem, ob professionem instituti Minorū, cui olim nomen dederat, à suspicione liberarent. Audi Illustriss. Ambros. Catharin. disp. pro Immmac. Concept. lib. 2. pag. 61. *Sed aiunt nonnulli. Pontifex ille, qui illud officium Conceptionis admisit, erat Ordinis Minorum, vt non sit mirum si voluit fauere partibus suis. Profectò in his, quæ huiusmodi sunt ad cultū Dei, & Fidei protestationem pertinentia, si ita liceat excusare, nihil iam firmum habebemus, & cuncta penè Pontificum placita, & decreta in dubium reuocarentur. Canonizatio enim D. Catharinæ suspecta dici posset, vt impiè dixit Erasmus, qui in gratiam Vrbis, & Ordinis canonizatā fuisse scripsit. Similiter*

Disparitas vtriusque partis.

ter B. Bonauenturæ sanctitas in dubium vocaretur, quoniam probata fuit à Sixto illius Ordinis. Ecclesia Orientalis multa iam damnata rursum excitare posset, si huic excusationi daretur locus, videlicet quia Occidentalis Pontifex illa decreuerit. Ita Græca contra Latinam, & de alijs similiter, vt & nunc hæretici faciunt, qui Romanam Ecclesiam flocci faciunt sub huiusmodi, secundùm carnem, prætextibus. Sed anathema sit qui talia blatterat & confusionem, perturbationemque in Ecclesia inuehit his coloribus, &c. Similia habet in alia disput. ad Cõcil. Trident. parte 2. colum. 95.

9 VT vero eius, & nostram fidem liberemus, operæpretium erit incredibilis huius temeritatis aliquod specimẽ exhibere. Extant sermones F. Gabrielis Bareletæ, Quadrag. & Aduent. Lugduni excusi an. 1504 & in eis hic titulus. *In festo Conceptionis B. Virginis: in quo sermone explo ditur, ac confutatur impia opinio quorundam vulgarium ignorantium; & vera asseritur secundum dicta omnium sapientium, ac maximè sanctorum Doctorũ Christianæ Religionis.* Ibidem, resp. ad octauum argumentum, quod confecerat ex concessione indulgentiarum. *Ad 8. de indulgentijs Resp. de ipso so o* (scilicet Sixto IV.) *Legitur quod fit istius opinionis;* (obserua opinionem, quam fatetur Summum Pontificem concessis etiam indulgentijs amplexum fuisse, antea *impiam, vulgarium, & ignorantiũ* vocasse.) *cùm alij sanctiores fuerint opinionis contrariæ, vt patet de suis antecessoribus. Præterea, vt Vicarius Christi errare non potest, sed benè talis homo, & per ona. &c.* Qui talia de Christi D. Vicario scripsère, omnes dissentientes sine discrimine reijcient, & ferè in toto Orbe iudicem competentem non inuenient, cui damno occurrere supremæ auctoritatis est. Ita ergo nostrum priuatum affectum suspectum videri patiemur, dummodò nihil detrimenti, aut incommodi veritas, pietas vè patiatur, Sedis Apostolicæ iudicio. Eius enim erit, & illorum, quibus ipsa commiserit, examinare, an iustæ recusationis causæ ab vtraque parte afferantur.

Comprobatio.

Statuitur totam aliquam congregationem legitimè in iudicio iustis de causis recusari posse.

10 VTRIVSQVE Iuris æquissimis sanctioribus, exceptionis remedium aduersus testes, & recusationis aduersus iudices conceditur, pertinet enim ad partium litigantiũ defensionem quæ est de iure naturali; *l. vt vim, D. de iust. & iure l. 1. §. Cum arietes, D. si quadrup. pauper fec. dic. l. scientiam, §. Qui cum aliter, D. ad leg. Aquil.* Et omne iudicium à suspicione timoris, amoris, cupiditatis, vel præmij alienissimum esse debet, *cap. 1. de sent. & re iudic. in 6. cap. quatuor 11. q. 3.* Nihilque aliud est recusatio, quam legitima allegatio causarũ, ob quas iudicẽ à cognitione litis reijci petimus, quia ei nos tuto committere non possumus, ex *cap. suspicionis, de offic. deleg. cap. cum pecia i, de appellat. cap. quia suspecti, 3. q. 5. l. fin. C. de iudic.* Exceptio autem, quãuis latissimè pateat, in præsenti à nobis accipitur pro reiectione testis non idonei, *cap. 1. & 2. de except.* & ipsam iudicis recusationem significare solet, *l. apertissimi 14. C. de iudic. Glossa verbo protestata, cap. quoniam, de probat.* sicut enim reiectio iudicum, & testium ex eisdem ferè causis procedit, ita eodẽ nomine appellatur, & de vtraq; in hoc Articulo sermo est, quãuis præcipuè de iudicibus agemus, quos reijci, faciliùs secundùm iura admittitur, & ad rem nostram multò maius momentum habet.

Exceptio, & recusatio.

11 PRINCIPIO compertissima doctrina supponenda est, nõ modo singulares personas, sed totam ad aliquam congregationem, vel communitatem legitimè recusari posse. Nam recusatio totius Consistorij Imperialis in terminis admittitur *Clem. Pastoral. § Quis enim, de sent. & re iudic.* Collegij, & Vniuersitatis. *Panormit. in cap. licet ex suscepto, nu. 4. de foro compet. cap. statutum, de rescript. in 6. Roland. à Valle consil. 6. nu. 110. vol. 3.* Con-

Recusatio communitatis.

Concilij Prouincialis, *cap. quod suspecti, §. Veniamus, 3. q. 15. Paris. consil. 31. num. 97. Roland. à Valle consil. 19. num. 17. vol. 3. Carrasc. in Comment. ad aliq. leg. nouæ Recopilat. cap. 9. num. 4. & cum pluribus Quaranta de Concil. Prou. q. 35. num. 12. Sarauia tract. de adiunctis, q. 9. num. 4.* Ad quam communitatis recusationem duabus vijs procedi potest, quia scilicet superior, qui cæteris imperare valet, suspectus est, *l. 1. C. si rector prouinc. vel ad eũ pertin.* vel quia omnes de vniuersitate suspecti sunt, in quo casu nullum omninò dubium relinquitur. Et vniuersaliter eos omnes recusare licet, à quibus legitimè datur appellatio, *cap. super eo, de appellat.* immo fauorabilior est appellatione recusatio, & locum habet hæc, vbi illa excluditur. *Glos. in cap. singulis, verbo, & appellatione, de statu monachor.*

Patres Ordinis Prædicatorum quoad forum exterius, & quatenus spectat ad effectum recusationis, iure pro suspectis habendos in Conceptionis Immaculatæ causa.

12 EX *Regesto, à col. 477. ad 539. & Appendice à colum. 679. ad 709.* & pluribus alijs locis huius operis manifestissimè constat, & absque vlla dubitatione affirmare possumus, plurimos, & doctissimos sacri Ord. Prædicator. professores, in opinione pia afferenda non solùm nomina libentissimè dare, verùm etiam principatum ducere. Sed eò plus nobis timenda est dissentiẽtium, & apertè aduersantium contradictio, quos, siue multi sint, siue pauci, ad nouas turbationes concitandas, tam generali consensu non obstante, sufficere videmus, & experimur. *Assumpti declaratio.*

13 ADEO notum est, nullum paulò grauiorem tumultum circa B. Virginis Conceptionem vnquam exortum, cuius præcipui auctores istius religiosissimæ familiæ professores non fuerint, vt quæ vndique suppetunt probationes planè actum agere, & quod in confesso apud omnes est suadere, videantur. Epistola Procuratorum Regis Catholici nihil aliud, quàm scandala cõtinet à Patribus Prædicatoribus, diuersis locis, & temporibus excitata, etiam post decretum fæl. record. Pauli V. quo affirmatiuè opinantibus silentium in actibus publicis indicebatur, vt patet ex § 7. *vbi circa fin. Epist. nu. 71.* Hæc verba habent ex Hispano ferè in totidem versa. *Nec pauca, aut paruæ rei scandala sunt, quæ quotidie Romæ accidere scimus: vbi nemo de hac controuersia ex suggestu, vel cathedra verbũ proferet, & fortuitò, aut per incuriam aduersariorum sententiam nominabit: (sine cuius declaratione, immo impugnatione pia facilè doceri non potest,) quin confestim ad Inquisitionis tribunal trahatur, & multas cogatur subire molestias. Quolibet anno post promulgationem decreti, ex horum numero aliqui in iudicium vocati, & vexati sunt: cõtra alios processus facti eò, quòd de pia opinione aliquid dixerant, quamuis modestissimè. Nec reputatur leuis ad scandalum populi occasio, quòd Magister sacri Palatij non permittit quidquam typis mandari etiam minimum, & ad moderationem, modestiamque exactum, si de Conceptione agat, quod punctum ex recentioribus libris auferri præcipit, ex impressis deleri, vnde eueniet in bibliothecis vrbis aboleri memoriam, & testiũ Immaculatæ Conceptionis notitiam.* Hæc testantur, qui ea præsentes auribus, & oculis accipiebant, ex quibus liquidò apparet nõ iam probabilis suspicio, sed explorata euidentia, quæ omnes pios animos mouere possint, vt adeò contrario affectu possessi iudices in hac causa recusari debeant. *Tumultus, & scandala indicantur.*

14 CVM de præseruatione B. Virginis definienda apud Sanctiss. Paulum V. à Regis Catholici Legato instantia fieret. Magister sacri Palatij multa millia numismatum B. Virginis effigiem præferentium, cum epigraphe, *concebida sin pecado original*, cõfiscari iussit: de quo facto ita scribit *Vuading sect. 2. legat. in fine, pag. 291. Potuit licitè, & iustè hæc proscribere, vel confiscare numismata Reuerendiss.* *Actio sũmi iuris.*

uerendiss. Magister, quia sæpius lege lata cautum est, vt nullus ex incusoribus, vel litoglyphis vllam incudat, vel cælet imaginē, effigiem, aut verba in quouis metallo, non obtenta prius eius licentia, quam pro his cudēdis non obtinuerunt. Potuit etiam, & sine conscientiæ reatu factum hoc condonare; sed quandoque animi affectus eas præscribit leges exequendas, quas aliàs liceret absque noxa dissimulare. Addit deinde *sect. 3. à pag.* 294. *ad* 334. tres eruditissimos tractatus in numismatum defensionem, quibus satis superque demonstratur nihil nouum, quod antea concessum à Sede Apostolica non fuerit, ex eorum libero vsu consequi potuisse. Quomodò ergo hi iudices nobis non sint meritò recusandi, qui summo iure, quod à summa iniuria non differe prouerbio docemur, tam cupidè agunt, & piæ sententiæ progressibus, quibus possunt viribus, obsistere conantur? qui nihil communi populorum pietati, etiam si tuta conscientia possint, tribuere volunt? Expedientissimū sanè fuerit tranquillitati Reip. Christianæ iudicia omnia Immaculatā Conceptionem concernentia aliò iuxta Sedis Apostolicæ placitum transferri, & ab æquis, affectuque liberis iudicibus huiusmodi controuersias decidi. Nec nostra postulatio auctoritatem ordinariam lædit: Iure enim Ecclesiastico ob iustas causas legitimè iudices ordinarij recusantur, *cap. cum speciali* 61. *de appellat.*

15 SICVT autem affectus in iurisdictione exercenda immoderatio iustissimam causam præbet recusationi, ita comperta in testimonijs citandis parum integra fides, ne in hac causa pro idoneis testibus admitti debeant, omninò exigit. Quæ enim, exceptione falsi, testibus potest obijci maior? *l. qui falsò*, 16 *D. de testib.* At testimonia in iudicio prolata non fuerunt, quid tum? nonnè in officio diuino publicè recitata? Adi *Regestum à col.* 240. *ad* 277. D. Thomæ, & Caietani textuum mutilationem, de qua *Catharin. disp. ad Trident. colum.* 22. & 61. à quibus putabimus factam? Reuelatio B. Catharinæ Senensi adscripta, quibus ex vehementi suspicione tribui debet? *Regestum colum.* 43 & *Catharin. lib. 3. de Concept. pag* 66. Nam de Bernensibus, præter auctores à procuratoribus Hispanis, §. 4. citatos, habemus libellū eius narrationis peculiarem eodem tempore in Germania excusum: nec harum rerum commemoratione delectamur, quas prorsus ex hominum memoria deletas vellemus; satis sit indicasse intra iustæ defensionis terminos nullatenus à nobis transiliendos.

Allegationes improbatæ.

16 NE vero videamur ex præteritis tantùm coniecturā ducere; (quæ ipsa esset alioqui verisimillima,) sed omnibus constet contentiosos, quicumque sint, nondum quiescere, sed in quibuscumque, quæ collibuit, affirmandis, suæ ipsorum existimationi iniurios esse, nōnullas propositiones in medium examinandas ex libellis supplicibus excerpemus, quæ vtrùm legitimorum testium loco earum auctores haberi debeant, doctis, & prudentibus indicabunt.

Præsentia indicia.

Elenchus propositionum ex libellis aduersariorum, quæ maturum Theologorum, & Iudicum examen exposcere videntur.

17 IN priori libello has obseruauimus. Num. 1. col. 7. *Fratres Prædicatores ad fugiendam omnem æquiuocationem, & melius propriam sententiam explicandam, vtebantur voce sanctificationis.* Expendatur an hæc propositio verè explicet sensum festi ab Ordine Prædicatorum celebrati, & an ex ea sequatur in Ecclesia legitimè admissos cultus cōtrarios. Vide *tract. Apologet. num.* 28. & *deinceps.*

Prima propositio.

18 IBIDEM num. 2. *Cùm enim satis compertum esset, aduersariorum intentum esse populis persuadere, Ecclesiam præseruationem definisse.* Hoc intentum, & persuasio esset temeritas in Fide, vt diximus *Artic.* 2. *num.* 210. Examinent ergo docti, an grauis iniuria censenda sit impositio temeritatis in grauissimos viros,

Secunda

Religiones, Regna, & Prouincias integras iactata. *Apologet.num.* 58.

Tertia. 19 IBIDEM num. 3. col. 9. *Vt nec etiam in priuatis colloquijs cum secularibus liceat ipsis de hac materia differere.* Cõferatur hæc clausula cum concessione Gregorij XV. *col.* 192. *Regesti*, cuius tenor est: *inter se dũtaxat, & non inter alios, aut cum alijs de materia eiusdem Conceptionis differere, & tractare licitè possint.* Apolog. nu. 75.

Quarta 20 IBIDEM. *Cogitur ergo Ecclesia vti huiusmodi cautelis ad sustinendum opinionẽ adeò in sacra Scriptura fundatam, & omniũ antiquorum Patrum, & Doctorum consensu firmatã.* Examinetur an dignitati Ecclesiæ Catholicæ conueniat affirmare, eam ad cautelas cogi propter opiniones inter veros, & obedientes filios controuersas. Deinde quàm sit à vero alienum omnes antiquos Patres, & Doctores in peccato originali B. Virgini tribuendo consentire, ex *Artic.* 2. *num.* 197. Item, an hæc propsitio subsistere possit post Concilium Tridentinum, quod *sess.* 4. *in decreto, de editione, & vsu sacrorũ libror.* §. *Præterea*, prohibet interpretationem scripturarum *contra vnanimem consensum Patrum*; & tamen sess. 5. post definitam ex Scriptura doctrinam de peccato originali, *declarat non esse suæ intentionis comprehendere Beatam, & Immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem. Artic.* 2. *nu.* 29. & *Apolog. n.* 79. Denique, diligenter consideretur, in quo gradu certitudinis collocent libellorum auctores suam sententiam: nam *omnium Patrum consensus* veritatem aliquam ita certam facit, vt oppositum sit temerarium. *Suar. disput.* 19. *de Fide sect.* 2. *n.* 20. quod si hic consensus inueniatur in expositione sacrarum litterarum, quantam vim habeat, patet *ex loco Tridentini citato*, & tractat *Torres in Select. disp.* 1. *dub.* 7. Nec apparet quomodo ex dicta propositione alia valde notanda non consequatur: *Ecclesia solemniter colit aliquid contra consensum omnium antiquorum Patrum.* Præseruationẽ ab Ecclesia coli constat ex *Artic.* 2. & ipsius Ecclesiæ declaratione, *ibid. num.* 6. &c.

21 IBIDEM num. 4 *Curandum magis est, vt hoc nomen*, Conceptio, *maneat in sua indifferentia.* Instanter disquiri, & iudicari petimus, an hæc indifferentia vera sit, aut saltem probabilis, an ab aduersarijs contra Ecclesiæ mentem excogitata. *Apologet. à nu.* 10. *ad* 22. & sæpè alibi. Hæc autem propositio eò acriori indiget examine, quod vnicum sit aduersariorum asylum, & cùm à veritate nobis videatur alienissima, sæpissimè varijs modis ab eis repetatur, maximè *nu.* 25. *col.* 17. Quinta

22 Ex posteriori libello examinandum proponimus, quod legitur nu. 10. colum. 11. *Sixtus IV. Pontifex, vbi damnat impugnantes recitatores officij Leonardi de Nogarolis, nihil de titulo ab auctore imposito solicitus fuit.* Expendat quiuis pius, & eruditus, quo colore defendi possit, Pontificem solicitum non fuisse de titulo *Immaculatæ Cõceptionis*, qui expressè continetur, & repetitur in officio à Sede Apostolica emanato, & contra impugnatores defenso. Et præcipuè considerari poscimus, prædictum titulum legi in ipsa oratione cõmuni horis Canonicis, & Sacrosancto Missæ sacrificio: de quo approbationis genere adduximus Theologorum iudicia *Artic.* 2 *nu.* 137 & 139. Insuper hæc propositio aduersariorum videtur in terminis cõtradicere tenori Bullæ Pontificiæ, vbi assertio, quæ ad Pontificẽ delata fuit, & postea damnatur, his omninò verbis refertur col. 110. Regesti. *Eiusdem Immaculatæ Conceptionis officium celebrantes peccare grauiter, &c.* Sexta.

23 IBIDEM, num. 31. col. 19. loquentes de Monialibus *Immaculatæ Conceptionis*, ita scribunt. *Idem respondemus, approbationem scilicet ad vouentium p̃ etatẽ referri, non ad titulum, quem Pontificum diplomata continent recitatiue tantùm, non verò dispositiuè.* Hæc videtur nobis apertæ veritatis impugnatio, cùm illius Religionis status consistat in veneratione *Immaculatæ Conceptionis*, & Regula à Summis Pontificibus cum insertione approbata prædictum titulum cõtineat in ipsa formula emittendæ professionis. Septima

nis. Videtur *Artic.* 2. *n.* 148. *&* 150. & de tota re iudicent docti.

Octaua. 24 IBIDEM, nu. 37. col. 21. *Nec nos ad apocrypyhas Apostolorum definitiones, ad conficias reuelationes, ad somniata miracula, ad bullas adulteratas recurrimus.* Hic, si vnquam aliàs, recti iudicij non modo examen, sed & patrociniū implo ramus. Hæc enim propositio ex eis, quæ directè enuntiat, præcisè spectata, solùm excludit ab auctoribus libellorum recursum ad fraudes in ea coaceruatas; at quis non videat easdem vulgarissimo, & immodestissimo schemate in assertores piæ opinionis reiici? Quod si talibus strophis Luciano aliquo, vel Erasmo dignis in rebus diuinis pateat aditus, omnis pietas, & Religio irrisionibus exponetur, nec sacrarum rerum tractatio differet à prophana satyra. *Apostolorum definitiones* ad nostrum institutum non spectant, nec defensoribus carent, qui doceant aduersarios nostros modestiùs loqui. *Confictæ reuelationes* nobis ignotæ sunt, præter eas, quas *num.* 15 indicauimus: nam quæ B. Brigittæ diuinis voluminibus continentur, *veritate plenæ, & à Dei spiritu veraciter tradita*, Christi Domini in terris Vicarij ore appellātur, *col.* 24. *Regesti*: alias verò aut in diuino officio frequenter lectas, aut authenticas, & prudentissimè credibiles, *ibid. à column.* 587. colligimus. *Somniata miracula* apud sanos, vel sobrios (nam prudentiæ hic nulla laus,) ne nominantur quidem. Legantur quæ retulimus in *Regestum, a col.* 562. & interea inuenientur impugnatorum *Immaculatæ Conceptionis* non ominata supplicia: præcipuè *Mirac.* 10. 11. 27. 36 *&c. Adulteratas bullas* ostendant aduersarij in nostro *Regesto*, vbi ad verbum fidelissimè sunt descriptæ, exceptis typographicis erratis, quę penitus cauere humanum non est. Et ex *n.* 19. 22 *&* 23 *huius Artic.* totoque hoc opere iudicent, vtri nostrum Bullas Pontificias in legitimo, vel adulterino sensu exponamus. Obtestamur ergo Eminentissimos Patres S. Congregationis, Theologos omnes, & quibus censuræ, consilia vè de dogmatibus committuntur, vt seriò considerent, an expediat tam præfractis, & superciliosis pronuntiatis res grauissimas, & sanctissimas traduci: simulque maturè apud se statuāt, quos testes, aut iudices in causa immaculatæ Conceptionis habebimus, si talia scribentibus decernendi potestas permittatur.

25 PLVRES propositiones afferre possemus non minoris momenti, quæ vltra modum propriæ sententiæ addictum aduersariorum animum & a iudiciali integritate alienissimum patefaciunt. Sed quia hoc esset integros libellos transcribere statim ex professo discutiendos, & plusquam satis ex his, quæ diximus, stabilitur legitima recusatio, Apologetico reliqua reseruantes, paucis additis hunc locum absoluemus. *Aliæ perstringuntur.*

Concluditur vniuersalis, & legitima recusatio.

26 MANIFESTVM est *ex hoc Artic. & præced.* aliquos professores sacri Ord. Prædicat. in hac causa actores esse; quod si adhuc vt actores declarentur, expectanda est Iudicis sententia, negari saltem non potest esse vnam ex partibus litigantibus. Omnis autē iudicij ordo peruertitur, si ille, qui actor, vel litigator est, sedeat ad iudicādum: nemo enim in causa propria iudex esse potest, *l. qui iurisdictioni, D. de iurisd. omn. iudic. l.* 1. *C. ne quis in sua causa.* Nec obstat, non omnes pro asserto decreto defendendo in iudicio comparère, tùm quia omnes domestici, & familiares litigantium, vel iudicis suspecti sunt, *cap. personas, de testib. cap. si testes, §. Liberi,* 4. *q.* 3. *cap. cum Ecclesiasticæ, de exceptionib.* Cicero Orat. pro Sexto Roscio. *Neque si sua causa ageretur, testimonium diceret, & si diceret, non crederetur.* Causa autē propria est causa communitatis, quæ suscipitur titulo aliquo, vel prætextu ipsum corpus congregationis contingente: vnde Pōtifex canonicos omnes vnius Ecclesiæ in causa canonici meritò ab aduersa parte iudicat haberi suspectos, *c. cum R. de offic. & potest. iudic. deleg.* familiari- *Nemo simul actor, & iudex.*

liaritatis enim affectio veritatem impedire solet, *cap. accusatores, & testes, 3. q. 5.* & eò difficiliùs exuitur quò honestiori ratione coalescit, *Paulus l. latæ culpæ 223. de verb. significat.* vt iam quicumq; aduersariorum zelus, siue pro doctrina S. Thomæ, siue pro honore Christi D. Beatæ Virginis, aut suæ Religionis, firmiùs suadeat in quolibet tribunali, vbi hæc causa pependerit, recusandos esse, & à iuridisdictione exercenda, si quam habuerint, coarctandos.

Maior auctoritas recusationem iuuat.

27 AVGETVR verò valdè ius recusandi ex probabilissima suspicione, quæ piam partem semper anxiã habuit, turbari scilicet ab his, qui auctoritate præualeant in congregatione, & alijs imperare possint: quod quantam vim habeat in iudicibus reijciendis constat ex *cap. causam quæ, de offic. deleg.* & ex dictis *num. 11.* Nec minùs certũ est primariæ dignitatis viros inter Patres Prędicatores apertum piæ opinioni bellũ indixisse, Vincentium Bandellum, & Thomã Caietanum Magistros Generales, Bartholomæũ Spinam Magistrũ sacri Palatij, alios; quamuis nõ defuerint simili auctoritate pollentes egregij Virgineæ puritatis defensores, vt Mag. gen. Ioannes de Fenario *Artic. 2. nu. 52.* Nihilominus vt extra iudicium lege charitatis meliora, & cogitamus libenter, & speramus; in iudicio, vbi magna suspicionũ vis est, *cap. accusatoribus, 3. q. 5.* omnia timere Virginis honore compel'imur.

Recusatio arbitraria.

28 SED cùm tota hęc recusationis materia maximè sit arbitraria, nec omnes causæ à iure desig̃nẽtur, quin potiùs iudicis prudentiæ relinquatur iustarum ab iniustis discretio, vt docet *Abb. in c. cumspeciali, n. 7. de appellat.* quẽ sequitur *Menoch de arbitrar. lib. 2. cent. 2. casu 152. n. 2.* vbi *n. 6.* ait leuẽ etiã causam ad recusationẽ sufficere, ex *d. c. cum R. de offic. deleg.* quis non arbitrabitur adeò graues, & notorias causas esse sufficientissimas? Eò vel maximè quod nostra recusatio à pietate oritur, in cõmune bonum dirigitur, pro pace inter deuinctissimos in Domino fratres seruanda laborat, ex quorum concordia ingentem supra quàm explicari possit, & lætitiam vniuersalis Ecclesia percipiet, & fructũ. Gratissimum procuidubio Deo Opt. Max. & fidelibus omnibus obsequium præstabit, qui inter has duas familias, vel minima dissidiorum semina extinxerit; siue enim rebellium hæreticorum acies profligandæ, siue in castris Ecclesiæ pristinum illud militũ robur ad seueriores leges reuocandum, nihil est hac vnione potentius, Veritate clamante Prouerb. 18. *Frater qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma;* nõ sine magna ipsarum familiarum, gloria, iuxta SS. Cypriani, & Paulini lectionem: *Frater adiuuans fratrem exaltabitur, vt ciuitas excelsa.*



TRA-

TRACTATVS APOLOGETICVS

VINDICIARVM TITVLI IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS AB AVCTORIBVS LIBELLORVM SVPPLICVM PRO ASSERTO DECRETO, QVI PER SINGVLAS CLAVSVLAS INTEGRI DISCVTIVNTVR.

AD OPTIMVM QVEMQVE LECTOREM præmonitio.

Libelli responsion: indigni. HOC Te præmonitum volumus,optime Lector,nullam institutæ defensionis partem, aut in se faciliorē esse libellorum confutatione, aut à nobis cunctatiùs,& difficiliùs susceptam. Adeò enim nihil afferunt libellorum fabricatores responsione, aut discussione dignum, vt inanes argumentorum laruas iam pridem Ecclesiasticorum decretorum luce detectas, & à Theologorum amanuensibus deridiculo habitas, quasi malè recoctam crambem,confidentissimè vsque ad nauseā reponant; si quid verò de suo addunt,(quod est sanè perquàm exiguum,)& præter rem, & sine vlla probatione iactent. Id quod nostro testimonio credi nequaquam petimus;nisi ex propositionibus *Artic.5.* indicatis, & ex his,quæ hoc tractatu dicemus,abundè cuique fuerit exploratum.

Aduersariorū molestissima cōtentio. 2 CVM ergo tam pertinaci contentione hoc vnum aduersarij consequi velint, vt cōtrouersias olim sepultas excitent, & nō cum publica Ecclesiæ consuetudine, sed cum priuatorum opinionibus bellum se gerere persuadeant: causæ officere videbatur, si ad turbulentas logomachias redigeretur, & non tantùm ex occasione cultus Eccclesiastici explicandi, (quod in Articulis quandoque fecimus, quia vitari non poterat,) sed seorsim, & velut condicta pugna congrederemur. Verebamur tamen ex aduerso, ne deficiente antidoto latius serperet contagium, & quod prudenter Seneca dixit, non refutata fidem apud multos

tanquam confessa inuenirent: quæ ratio, vt plerosque Ecclesiæ Doctores, & alios præstanti eruditione viros ad compertissima dogmata scriptis confirmanda compulit, ita nos in consilium adhibita planè conuicit.

Tractādi ratio. 3 HAC mente rem aggredimur nobis quidem contentiones toto animo auersantibus molestam, & inuisam publicè tamen haud dubiè vtilem: *quia multi sunt*, (vt ait S. August. lib. 3. cont. Crescon. cap. 1. to. 7.) *quibus seruire nos conuenit, qui omnia depulsa esse non putant nisi locis suis etiam singula pertractentur.* Ne ergo aduersarios pietati fidelium nocere, vel in re minima patiamur, integros eorum libellos, ne vno quidem verbo omisso, per partes referentes discutiemus, eorum etiam diuisionibus retentis, tantùm numerorum notis vnicuique clausulæ additis ad maiorem claritatem. Tædium repetitionum, & agnoscimus, & gloriosissimæ Virginis honore interposito deprecamur: necessitate enim adacti scribimus, & aduersariorum vestigia premere compellimur, ne veritas nimias alterationes non iudicio fugere, sed metu declinare videatur: ita ergo apologiam instituimus, tanquam ab ipsa, quam defendimus, Virgine nobis diceretur, *Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum.* Ezech. 3.

Cōpellatio assertorū piæ opinionis. 4 QVÆ cùm ita sint, & cùm causæ communis, inuictæque veritatis studio, inuidiam, (quæ huius generis scriptionibus deesse non potest) libentissimè subeamus: à Virgineæ puritatis vindicibus, id est, Orbe vniuerso, non modò scriptis, & auctoritate iuuari iure nostro exposcimus; sed Christiana charitate admoneri, sicubi humanum quid passi à recto veritatis, aut modestiæ tramite deflexerimus, id veró vehementer efflagitamus. Nihil enim consultò, aut victoriæ desiderio, aut contentionis ardori, quamuis prouocati, dedimus: nec aliquid diximus, quod sine piæ causæ iactura sileri posset.

Et aduersariorum. 5 ADVERSARIIS autem, immo multis nominibus charissimis fratribus, à quibus solo iudicio discrepamus, niueum animi candorem, inermesque dextras vltrò offerimus: nec vnquam eos ab huius controuersiæ exordio priores lacessiuimus; vim propulsasse non negamus: quod ex disertissimi viri sententia, *& ratio doctis, & necessitas barbaris, & feris natura ipsa præscripsit.* Hoc testimonium perhibente nobis conscientia

vnus-

vnusquisque nostrum conceptis verbis sanctè protulerit.

Audiat hæc Genitor, qui fœdera fulmine sancit:
Tango aras, mediosque ignes.

Nec, si absit calumnia, læsæ amicitiæ crimine postulabimur. Ita ergo libellorum auctores exordiuntur.

Prior supplex libellus num. 1. colum. 7.

Ad agnoscendum quàm prouidè sancta Romana, & vniuersalis Inquisitio decreuit titulum IMMACVLATÆ non esse addendum CONCEPTIONI sed VIRGINI.

DISCVSSIO.

Aduersarij statū causæ inuertūt.

6 MAGNO labore aduersarij nos liberassent, si vt breuiter, & dilucidè quod ipsis placet, & maximè suis cogitationibus aptum est, proponunt; ita verum causæ statum syncerè, & sine ambagibus exposuissent. Quid enim? Decreto se tueri volunt, quod legitimum esse nec cōstat, nec ipsi vlla probatione docuerunt? Longe aliter à maioribus nostris didicimus, qui eò diligentius suppostititios canones à germanis discerni præcipiebant, quo illustrior auctoritas obtendebatur. Magnus *Gelasius de Anathematis vinculo, to. 2. Cōcilior. parte 1 pag. 487. edit. Coloniens. an.* 1618. cùm decreta Concilij Calcedonensis ei obijcerētur; statim exceptionē opposuit, nihil recipiendum, quod ex præscripto Sedis Apostolicæ gestū non esset, quamuis in Concilij volumine legeretur. Et *ibidem pag. 489* de cōsensu eiusdem Apostolicæ Sedis in absolutionem Petri Alexandrini inquirere iubet, *à quibus & vbi ille sit gestus, si secundùm Ecclesiæ regulam celebratus, si paterna traditione profectus, si maiorum more prolatus, si competenti examinatione deprōptus.* Hæc omnia asserti decreti defensores priùs ostēdere debebant, & in dubitatis instrumentis, non artificiolis argutiis de re tāta statuere. Nunc vero de coniectura ad qualitatem subdolè transeuntes, & quæstionem facti in quæstionem iuris contra omne ius mutātes contētiosum animum produnt, & suis scriptis fidē adimunt. Quomodo enim probationes ex veritate sumere credendi sunt, qui causæ, de qua agitur, statum obscurant, latebras quęrunt, & lucem, ne ea detegantur, odisse fugiendo demonstrant?.

Quid præstare deberēt.

7 INANI ergo labore consumuntur, dum docere nos volunt, *quàm prouidè sancta Romana, & vniuersalis Inquisitio aliquid decernat.* Scimus enim decretis illius supremi Senatus legitimis nihil cogitari posse prouidentiùs; id potiùs demonstrent, quam verum sit Congregationem S. Inquisitionis de abolendo IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS titulo, legitimè, & competēti forma rescripsisse: quod non aliter, quàm authentica decreti exhibitione, & eius solemni promulgatione constare potest. Illud etiam doceri volumus, cur assertum decretum viuente fæl. record. Vrbano VIII. delituerit? cur nec ab ipso, nec à S. D. N. Innocentio X. fuerit confirmatum? cur sacra Congregatio à se editam legē deducere ad exequutionem non curauerit? magna hæc sunt, & fermè violēta subreptionis indicia, quæ iam *Artic. 4.* expendimus. En igitur quo euadant aduersariorum conatus, vt nimirum præsumpta Decreti auctoritate armati, & magni nominis vmbra protecti verissimis Apostolicis Constitutionibus

nibus

nibus illudant, cultum Ecclesiasticum de suo capite interpretētur, miracula, & reuelationes approbatas traducant, Orbis Christiani cōsensum contēnant, impunè quidquid volunt, effutiant: quæ lar ga in loquēdo licētia, nō priuatorū apologijs notanda, sed maiorū seuerissimis legibus esset coercēda. Nihil autē à nobis in illos confingi, nec verba coaceruari, singulorum discusione aperiemus.

Libellus eod. num. 1. colum. 7.

Annotanda maximè est diuersa acceptio huius nominis Conceptio, ante Gregorium XV. & post illum. Licet enim nomen Conceptio in suo proprio significatu solùm importet formationem fœtus in vtero; ante Gregorium tamen apud multos idem valuit vsus huius nominis Conceptio, quod Conceptio Immaculata: vndè Fratres Prædicatores ad fugiendam omnem æquiuocationem, & meliùs propriam sententiam explicandam, vtebantur voce Sanctificationis, & cauebant à nomine Conceptionis, quasi idem importaret Conceptio, & Immaculata Conceptio.

DISCVSSIO.

De nomine Cōceptionis.

8 IN tradenda significatione nominis *Conceptio*, quod reuera omnes eorum machinas prosternit, miserè se torquent nostri disputatores. Vera decurtant, falsa admiscēt, abusum quasi legitimam consuetudinem ostentant, vt commentitiam illam mutationem post Gregorij decretū incautis persuadeant. Quàm verò fallantur, vel fallere velint, facilimè ostendemus.

Aduersariorū cōmētum.

9 DICVNT in primis diuersam esse acceptionem huius nominis *Conceptio* post Gregorium XV. quàm fuerat ante ipsum. Hoc discrimen prorsus fictitium est, vt discusione sequenti *num.* 43. probabimus; nunc veram significationem nominis *Conceptio*, & legitimo vsu receptam aperiamus; patebit postea nunquam fuisse mutatam.

Nomen Cōceptio significat primum instans animationis.

10 CONCEPTIO (inquiunt) *in suo proprio significatu solùm importat formationem fœtus in vtero.* Quorū est ista nominis explicatio? illorū vtique, qui *Sanctificationis* voce se vsos affirmant, vt omnē fugerēt æquiuocationē; sed nihil fugisse nisi nomen *Conceptionis* contra Ecclesię consuetudinē, hinc intelligitur, quòd in hoc ipso nomine, *Conceptio*, soli æquiuocationem inueniunt. Euidentissimū enim est ex toto nostro *Artic.* 1. & ex dictis *Artic.* 2 *nu.* 131. & alibi, nomen, *Conceptio*, absolutè sumptum exprimere primum animationis instans in omni rigore, & proprietate, apud omnes Doctores vtriusque opinionis, nullo excepto: nec vnquam dubiam fuisse in vsu communi hanc significationem. Non negamus, (quod etiam dictis locis aduertimus,) nomen *Conceptio* aliquando significare formationem fœtus ante animæ infusionem; sed cùm hæc formatio nec sit conceptio hominis, vel personæ, nec pertingat instans cōtractionis peccati originalis, inde factum est, Doctores in controuersia de præseruatione B. Virginis, cùm de tempore antecedenti animationem loquuntur, vel nomine *Conceptionis* non vti, vel manifestam explicationē adhibere, vt significatio minùs principalis intelligi possit. At iidem cùm de primo instāti animationis agūt, *Conceptionis* vocem, vt signatissimam,

maxi-

maximè propriã, & illud instãs apertissimè exprimente, sine vlla restrictione vel declaratione vsurpant: vndè indubitatũ manet, propriũ *Conceptionis* significatũ esse animæ, & corporis coniũctionẽ. Hæc quidẽ certa sunt; sed illud certissimũ, nunquã hoc nomẽ, *Conceptio*, extensum fuisse ad tẽpus subsequens infusionem animæ, adeò vt qui B. Virginẽ post animationem sanctificatam fuisse docent, si de ordine tẽporis loquuntur, eoipso haud dubiè asserant in sua *Conceptione* originale peccatum contraxisse: in quem sensum trahitur *D. Thomas 3. p. q. 27.* vbi Alexandri Hallensis methodo inhærens, peculiarem Articulum de sanctificatione B. Virginis in ipso animationis instanti non instituit, vel quia *opinio media* sanctificationem in eo momẽto adstruens, *tunc non erat adinuenta*, vt vult *Caietanus in Comment. Art. 2. eiusdẽ quæst.* vel quia de ea alijs in locis scripserat, quæ affert *Ioannes à S. Thoma in Regesto datus colum. 501. & 502.*

Aduersariorũ affectata obscuritas.

11 SI hæc libellorum auctores non ignorabant; quo consilio significatum *Conceptionis*, dum præ se ferunt explicare velle, confundunt? Nam quid per hoc nomẽ, *Conceptio*, significetur, longo vsu, & receptissima cõsuetudine, omnes sine interprete scimus: *formatio* verò *fœtus in vtero* dubios facit legentes, & cùm ad illustrandum adhibeatur, luce indiget. Si *formatio fœtus* apud ipsos est animæ infusio, cur obscuritatem affectant, præcipuè in supplicibus libellis, quorum prima lex est perspicuitas? Si aliquid aliud præter animæ infusionem; est nè antecedens, aut subsequens? Si antecedens; implicatio in terminis erit talem conceptionem esse sanctam vera, & intrinseca sanctitate gratię habitualis: nec hũc sensum intendere possunt aduersarij, qui hoc ipso numero expresè cõcedunt nostram opinionem esse probabilem; nostra autem opinio, quæ explicatur his verbis, CONCEPTIO IMMACVLATA. tribuit gratiam Beatissimę Virgini in ipso instanti Conceptionis proprijssime acceptæ. Restat ergo vt intelligant per illum modum loquendi *formatio fœtus in vtero*, aliquid subsequens animæ infusionẽ; quod licet incredibile videatur, cùm illã significationẽ huius nominis, *Conceptũ*, hactenus Orbis ignorauerit; apparet tamen non obscurè ab aduersarijs sẽsim introduci, idq; duabus potissimum coniecturis. Altera est, quod *in posteriori libello num. 26. & 27. colum. 17.* verba Responsorij Ecclesiastici, *quicumque celebrant tuam sanctam Conceptionem*, affirmant verificari posse abstrahendo à primo vel secundo instanti, quod quomodò subsistere possit, nisi extendendo nomen ipsum *Conceptionis* ad plura instantia, sanè ignoramus. Altera, quod etiam ante Gregorium XV. *Immaculatæ Conceptionis* impugnatores, ipsum festi nomẽ deprauare conati sunt; pro *Conceptione* Virginis, *Conceptam* Virginem substituentes, vt ex *Salazar* retulimus *Artic. 2. num. 132.* nec alieno testimonio indigemus, cùm ipsi frequenter eos audierimus, superciliosè, & contemptim vulgari sermone pronũtiantes, *La Concepta*: qua loquutione haud dubiè intelligunt celebrari sub *Conceptionis* nomine sanctitatem B. Virgini collatam in instãti aliquo temporis consequentis animæ infusionem, nouitates vocum sectantes, & toti Ecclesiæ pro arbitrio leges præscribentes.

12 QVANDOQVIDEM ergo in vsu, & significatione præcipuè vocis tituli de quo est controuersia, aduersarij aut apertè à nobis dissentiunt, aut tergiuersantur, & magna libellorum pars in varijs modis loquendi explicandis consumitur; exceptionem in hoc tractatu valdè necessariam statim omni vi illis obijcimus, non esse vllo modo admittẽdas in iudicio, aut extra iudicium, corũ expositiones circa *Conceptionis* significatum, & aliorum nominum ad *Conceptionem* B. Virginis spectantium; sed vt suspiciosas, subdolas, & à communi vsu alienas, reijciendas. Quæ enim hæc audacia est, vt de facultatis, vel doctrinæ vocabulis, quam isti disputatores non modò non profitentur, sed & aspernantur, tam confidenter iudicent? Impugnat *D. Thom. 1. p. q. 13. artic. 2.* opiniorẽ

Aduersarij de nomine Cõceptionis iudiciũ ferre nequeunt.

Rabbi Moysis, & aliorum quorundam, qui aliqua nomina diuina malè interpretabantur; & cùm aduersus eos duo argumenta protulisset, addidit: *Tertiò, quia hoc est contra intentionem loquentium de Deo.* Tantum roboris inesse Doctor Angelicus existimauit vsui, & acceptioni peritorum in nominibus ad Theologica dogmata adaptãdis. Obseruauit prædictum D. Thomæ locum ad rem nostram *R.P. Vincent. Iustinian. Antist. Ord. Prædicat. tract. de Immac. Concept.* §. 3. Habeant ergo aduersarij generale respõsum, non illis licere, aut integrum esse in hac controuersia magistros agere, aliquidve exponere, dicere, intelligere *contra intentionẽ loquentiũ de Conceptione.* Ipsi à *Cõceptionis* nomine se cauisse fatẽtur, & *infra nu. 22. sanctificationis* officiũ requirunt, non vt *Conceptionem* ament, aut colant, sed vt non reformident; at Virgo Immaculata *thesauros diligentium se repleat* sapientia, *Prouerb. 8.* Sed qui sunt, aut vbi inueniẽdi tam pretiosi thesauri? non difficilè designabimus. Festũ *Conceptionis, & creationis Matris Domini,* ad excutiendam formidinem mortis, inter maris procellas reuelatum est, *col. 2. Reg. sti*: Ecclesia *inuitat indulgentijs, & peccatorum remissionibus ad referendum gratias, & laudes de Virginis Mariæ mira Conceptione,* colum. 47. damnat asserentes *solam spiritualem Conceptionem, seu sanctificationem eiusdem Virginis à Romana Ecclesia celebrari,* colum. 107. eadem damnatione percutit *Prædicatores dicentes, mortaliter peccare, vel esse hæreticos, Immaculatæ Conceptionis officium celebrantes,* col. 110. quotannis solemniter recolit *sanctam Conceptionem Beatissimæ Virginis ex semine Abrahæ, & stirpe Dauid.* colum. 211. ex his fontibus hauriunt Ecclesiæ filij verum *Conceptionis* significatum: hæc & alia authentica instrumenta consulant aduersarij, aliquid fortasis inuenient, quod illos hactenus latuerit,

Vel quia nil rectum, nisi quod placuit sibi, ducunt:
Vel quia turpe putant parère minoribus, & quæ
Imberbes didicère, senes perdenda fateri.

13 PERGIT libellus. *Ante Gregorium tamen apud multos idem valuit vsus huius nominis, Cõceptio, quod Conceptio Immaculata.* Quæ est hæc tã odiosa in occultanda veritate solicitudo? Quæ adeò frigida, & despectus plena grauissimæ rei commemoratio? Quod scriptionis dedecus? Certum est, nemini vnquam in mentem venire potuisse, *Conceptionẽ* idem valere, quod *Immaculatam Conceptionem,* nisi ratione cultus *Conceptioni* ab Ecclesia exhibiti: quare necesse est tam latè patuisse hanc acceptionem, quam ipsum cultum, præsertim voluntarium, cum ante fæl. record. Pium V. nemo ad celebrandum festum *Conceptionis* B. Virginis teneretur, nec ante Gregor. XV. præceptum impositũ esset de non vtendo alio, quàm *Conceptionis* nomine: tunc ergo idem erat *Conceptio*, quod *Immaculata Conceptio*, non solùm apud multos, sed apud omnes, qui festum sub *Cõceptionis* nomine celebrabant, quid dicimus, celebrabant? immo verò apud ipsos, qui non celebrabant: ideò enim *sanctificationis* vocem pro *Conceptione* substituebant, quia inter *Conceptionem* festo celebratam, & *Immaculatam Conceptionem* discrimen verisimile inuenire non poterant, nec inuenient vnquam; quantumuis in omnem se partem versent, & fœcundum nouis interpretationibus pectus concutiant.

De Cõceptione Immaculata.

14 HANC enim assertionem ex communi Theologorum doctrina, Ecclesiæ praxi, & principijs, quæ ipsi admittunt, desumptam, semper habebunt cõtra se clamantẽ: *Conceptio vbicumque de cultu, & actibus religiosis agitur, idem est quod Immaculata Conceptio.* Cuius veritatis euidentes probationes ex instrumentis authenticis dedimus *Artic. 2. à num. 82. ad* 104. nunc autem eas, quæ apud aduersarios plurimum ponderis habere debent, in medium adducemus.

Conceptio in cultu diuino idẽ quod Immaculata Cõceptio.

15 OMNIVM grauissima ratio sic cõficitur. *Conceptio,* vt celebrata ab Ecclesia est idem quod *Conceptio sancta,* ergo est idem quod *Conceptio Immaculata.* Antecedens docet Ecclesia in 8. Responsor. Festi: nec dubitant aduersarij

Ex D. Thoma.

rij sermonem esse de physica, & intrinseca sanctitate, quam *D. Thom.* ab ipsis citatus *num.* 23. hoc eodem fundamento celebrationis festi, tribuit Natiuitati B. Virginis. Consequentia optima est: nam *sanctitas est perfecta munditia, vt Dionysius dicit cap.* 11. *de diuin. nominib.* verba sunt *D. Thomæ* 3. *p. q.* 27. *artic.* 2. *in corp* integra autem S. Dionysij Areopagitæ definitio sic habet: *Sanctitas igitur (vt more nostro loquar,) est ab omni scelere libera, & omninò perfecta, & omni ex parte IMMACVLATA puritas.* Quæ definitio nihil aliud est, quàm explicatio nominis, illa enim verba, *vt more nostro loquar*, interprete *Gregorio Pachymera in Paraphrasi*, denotant *externam nominis ethymologiã*: cùm sanctitas Græcè dicatur ΑΓΙΟΤΗΣ voce, cõposita ex nota priuationis A, & ΑΓΟΣ, impuritas, scelus, piaculũ, quasi ΑΑΓΙΟΤΗΣ, gemino AA in vnum longum, & aspiratum coalescente. Quare contra Diu. Dionysium, Diu. Thomam, ethymologiam, & receptũ loquendi morẽ, verbis ludere volunt, qui cum Cõceptionẽ B. Virginis sanctam fateri cogantur; an dici debeat *Immaculata*, vlio modo in quæstionem vertunt.

Effugiũ. 16 RESPONDENT primò auctores libellorum *infra d. nu.* 23. 24. & 25. sanctitatem, quam Ecclesia celebrat, debere esse indubitatam: vndè inferunt ab Ecclesia non celebrari *Conceptionem Immaculatam* in primo instanti, quia hoc non est certum, sed sub opinione positum. Hanc solutionem iam monuimus *Artic.* 2. *nu.* 150. esse manifestam petitionẽ principij: nunc ab aduersarijs quærimus, an seriò putent nullam sanctitatem celebrari ab Ecclesia, quæ non sit indubitata certitudine Fidei diuinæ? hoc enim innuere videntur *dicto num.* 23. ita scribentes: *Nunquam ergo dici potest ex Ecclesiæ sensu celebrari Conceptionem in primo instanti Immaculatam; hoc enim adhuc est indefinitum, atque ideo dubitationi subiectum.* Si ideo celebrari non potest sanctitas primi instantis, quia est *indefinita*, ergo sanctitas, quæ celebratur, definita est ipsorum iudicio;

Præcluditur.

definitio autem, cùm de dogmatum certitudine agitur, solet apud Doctores significare determinationem de Fide, nisi aliud ex antecedentibus, vel consequentibus colligatur. Quid dicere velint, ipsi viderint; omnem verò sanctitatem, quæ celebratur ab Ecclesia, esse Fide diuina certam, apertè falsum est: cùm Natiuitas B. Virginis celebretur, nec tamen sit de Fide B. Virginẽ fuisse in vtero sanctificatam. Legatur *Suar. to.* 2. *in* 3. *p. disput.* 3. *sect.* 1. & *disput.* 21. *sect.* 2. de Assumptione eiusdem gloriosissimæ Virginis in corpore, & anima, quã Ecclesia celebrat, cùm nõ definierit. Quid plura? Summum Pontificem errare nõ posse in canonizatione Sanctorum certissimum est apud Catholicos relatos à *Suar. disp.* 5. *de Fide, sect.* 8. *n.* 8. & *Ægid. de Præsent. lib.* 3. *de Præseruat. B. Virg. q.* 6. *artic.* 1. §. 9. *num.* 63. *pag.* 304. quibus adde *Castellin. de certitud. glor. SS. cap.* 4. & *Contelorium de canonizat. SS. cap.* 10. ex quo principio constat coli ab Ecclesia in sanctis canonizatis indubitatam sanctitatem; nec tamen omnes Catholici id tradunt tãquam dogma Fidei: immo multi expressè negant de Fide esse, de quorum numero est ipse *Suarez tum loco cit. tum lib.* 2. *contra errores Sectæ Angelic. cap.* 9. *nu.* 10. vbi non Fidei diuinæ certitudinem agnoscit, sed *quæ omne morale periculum, omnemque prudentem dubitationem excludit.* Si ergo aduersarij hoc tantùm asserunt, sanctitatem, quæ colitur ab Ecclesia, esse *certam, & indubitatam*, quamuis non de Fide definitã, non dissentimus: omninò enim asserimus piam opinionem certam esse, & omnem prudentem dubitationem excludere; oppositam autem esse toleratam, cui eadem Ecclesia prohibet notã hæresis, vel erroris affigere. Quomodo quod de Fide certum non est, sine formidine teneri possit, eos docebit *Ægid. de Præsent. lib.* 3 *q.* 6. *art.* 1. §. 12. *n.* 213. *pag.* 316. De gradu certitudinis piæ opinionis quid alij sentiant, retulimus *Art.* 2. *à num.* 209. de quo modò non laboramus, contenti posse dicere cum *Auctore Epist. ad Lugdunens. Ego quod ab Ecclesia*

clesia accepi securus, teneo, & trado. Imperite ergo aduersarij, vt cultum negent, ad examinandam aliundè certitudinem confugiunt; cum ex cultu certitudo à nobis colligatur. Examinent potiùs, an cultum solidè *toto Articulo secundo* probauerimus, an nostrũ, vel Ecclesiæ sensum tot Pontificiæ Constitutiones, totque ex eis consurgentia argumenta cõtineant; & non suis opinionibus cultum Ecclesiasticum metiri, sed ex cultu Ecclesiastico suas opiniones stabilire, & moderari discant.

Alia eua sio. 17 RESPONDENT secundò, *num.* 26. ab Ecclesia celebrari *Conceptionem sanctam*, nõ tamen *Immaculatam, quia vox, sancta, in sensu ab Ecclesia intento, tam primum, quàm secundum instans cõplectitur, siue vt abstrahit à primo, vel secũdo instanti; vox autem, Immaculata exprimit sanctitatem per negatiua, hoc est, per negationẽ cuiuscumq; maculæ: ideo videtur excludere maculam pro quocumque instanti, & per consequens minùs aptè, & minùs propriè ad vtrumque instans referri potest*. Sed hæc *In terminis implicat.* implicatoria sunt. Nam Conceptio est nomen instantis, vel rei, quæ perficitur in vnico indiuisibili temporis instanti, videlicet creationis animę in corpore, aut vnionis animæ, & corporis: vnde quodcumque epithetum, siue positiuum, siue negatiuum, (quæ distinctio hic omninò otiosa est.) *Conceptioni* addatur, ad illud vnicum instans necesse est determinari, vel de *Conceptione* non dici. Supponunt ergo aduersarij *Conceptionem sanctam* ex verbis Ecclesiæ, & ita verba explicant, vt faciant *Cõceptionem non sanctam*; extrema quippe huius complexi *Conceptio sancta*, in opinione piæ contraria cõiungi enuntiando non possunt, cum in re nunquam simul existant: quia in primo instanti non est sanctitas, in secundo non est *Conceptio*: ergo iuxta eorum explicationem celebrat Ecclesia *Cõceptionem sanctam*, prout abstrahit à sancta, & non sancta, quę est euidentissima implicatio. Vel, vt clarius dicamus, subdolè instillare videntur, non celebrari ab Ecclesia *Conceptionem* B. Virginis *sanctam* fuisse, sed B. Virginẽ, postquam cõcepta est, fuisse sanctam: quod est expressè contra doctrinam *D. Thomæ dicta q. 27. art. 1.* probantis Natiuitatem B. Virginis fuisse sanctam, quia celebratur ab Ecclesia: ex quo patet in sententia Angelici Doctoris sanctitatem, ex vi celebrationis festi, non solùm enuntiandã de persona, sed etiã de mysterio, cui speciale festum dedicatur. Incidunt præterea in errorem damnatum ab Ecclesia, de quo *colum.* 107. *Regesti*, & *Artic.* 2. *num.* 10. scilicet: *Ecclesia celebrat solam Conceptionem spiritualem, seu sanctificationem B. Virginis*: sanctitas enim B. Virgini collata post animæ infusionem, siue, vt ipsi loquuntur, in secundo instanti, nihil aliud est, quàm spiritualis Conceptio omninò à naturali separata; primũ verò instans naturalis Conceptionis iuxta eorum principia cùm non sit sanctum, celebrari non potest.

18 RESPONDENT tertiò, *num.* 27. *Etiã si idem esset sanctum, & Immaculatum, non sequitur, per hoc instans Conceptio dicitur sancta, ergo dici potest Immaculata. Ratio est, quia vox, sancta, neutri opinioni est alligata, & verè conuenit Conceptioni Virginis, pro eo instanti, quo fuit sancta: vox autem, Immaculata, est alterius opinionis protestatiua, &c.* *Vltima solutio.* In eodẽ luto hæret ista responsio, nomen *Conceptio* ad duplex *Nullius momenti.* instans referens, contra omnium etiam doctissimorum vsum, & publicam instrumentorum fidem, in quibus perpetuò legimus *instans*, seu *momentum Conceptionis*; si aduersarij duo Conceptionis instãtia legerunt, aut audierunt, proferant auctores, probent legitimam cõsuetudinem sui modi loquendi; vel explicent quid sibi velint illa verba, *conuenit Conceptioni pro eo instanti, quo fuit sancta*: nobis enim tam inexplicabilis videtur, ac si quis diceret, *duratio conuenit huic instanti pro hoc instanti, vel alio*. Frequenter quidem Doctores *Artic.* 1. relati nominant *primum instans Conceptionis*, nunquam tamen secundum: primũ autem dici quod vnicum est, vel pueri nouerunt, sicut constructionem intransitiuam, *primum instans Conceptionis*, id est, primum instans, quod est *Conceptio*

Apage

Apage leuifsimas minutias, quibus aduerfarij deprimunt maieftatem grauifsimæ difputationis, ficut olim eorum magiftri *adeò peccatum originale fuis exquifitis diftinctionibus extenuarunt*, (ait Illuftrifs. Catharin. difput. ad Trident. parte 1. colum. 62.) *vt penè fuaferint imperitis nihil mali effe, perinde ac fi ludus aliquis fit fub ira Dei conftitui, & mancipium effe diaboli*. Quod etiam de tripode pronuntiant, vocem, *fancta*, neutri opinioni alligari, vocem autem, *Immaculata*, effe alterius opinionis proteftatiuā, merum commentum eft, & *contra intentionem loquentium de Conceptione*, qui his vocabulis, *Munda, Sancta, Pura, Immaculata Conceptio* B. Virginis, eandem omninò rem exprimunt. & præferuationem à peccato originali proteftātur, vt probauimus *Art.* 1. *n.* 4. *& Art.* 2. *à n.* 116. & adeò proteftantur, vt fub quolibet prædictorum nominum, non folùm opinionem piam explicent, fed etiam voueant, & iurent. Vide *Regeftum col.* 334. 338. 342. 345. 372. 377. 496. in quibus, & alijs iuramentorum, votorū ve formulis, *fancta Conceptio* eandem vim proteftatiuam obtinet, ac *Conceptio Immaculata*. Si vox, *fancta*, neutri opinioni alligatur, cur piç opinionis impugnatores in fuis fcriptis non minùs fugiebant appellationem *fanctæ* quàm *Immaculatæ Conceptionis*? Audiant fui *Bandeli offitium, lect.* 9. *colum.* 231. *Regefti*. *Sanctitatem Conceptionis foli Chrifto fancto fanctorum tribuamus*. Miram inconftantiā! Cum *Conceptionem fanctā* in officio diuino non legebant, fanctitatem *Conceptionis* foli ChriftoDomino tribuendam affirmabant; nunc *fancta Conceptio* ipforum iudicio adeò nō æquat Virginē Chrifto, vt cum contractione peccati originalis verificari pofsit. Si vocabulorum fignificationes ita mutare licet, quæ controuerfia vnquā finietur? quid iftos conuincet, qui nihil firmum prçter fuam opinionē relinquunt? Nobis voces à maioribus confecratas in eodem vfu, & fenfu retinere, & fideliter depofitū cuftodire, pro lege inuiolabili habetur; nec *Immaculatā Conceptionē* à *fancta* difcernere vlla legitima inftitutione didicimus.

19 IAM verò vt confirmationem noftræ affertionis profequamur, ex eo patet *Conceptionis* vt fefto celebratæ, & *Immaculatæ Cōceptionis* nullum effe difcrimen, quod quicunque *Immaculatā Conceptionem*, fiue præferuationem B. Virginis à peccato originali negabant, feftum *Conceptionis* vnanimi confenfu reijciebant, apertè fentientes, apud Catholicos pro eodem accipi debere *Conceptionem* fefto celebratam, & *Immaculatam Conceptionem*. Habemus argumētum ex *Epiftola ad Lugdunenfes*, prorfus ad hominem infolubile. Nihil enim certius eft apud aduerfarios, quàm eius auctorem effe *S. Bernardum*, & manifeftè peccatum originale B. Virgini tribuiffe. Quò ergo plus auctoritatis illi Epiftolæ conciliare ftudent, & fuam fententiam expreſsiùs in ea contineri gloriantur, eò arctiori difficultatis nodo conftringuntur. Nam affertus *Bernardus*, vt feftum *Conceptionis* reprehendat prius feftum *Natiuitatis* cum Ecclefia admittendum cenfet, & quid ex eius celebratione colligendum fit, ita explicat. *Sed & ortum Virginis didici nihilominus in Ecclefia, & ab Ecclefia indubitanter habere feftiuum, atque fanctum firmifsimè cū Ecclefia fentiens in vtero eā accepiffe, vt fancta prodiret*. Et ne putaremus aliunde fumi firmifsimum Ecclefiæ fenfum de fanctificatione B. Virginis in vtero, quàm ex ipfa fefti celebrationē, fubdit *circa medium Epiftolæ. Fuit procul dubio Mater Domini ante fancta, quàm nata: nec fallitur omninò fancta Ecclefia fanctum reputans, & venerans ipfum Natiuitatis eius diem, & omni anno cum exultatione vniuerfæ terræ votiua celebritate fufcipiens*. Quæ verba probè callens Bandelus multum fententiæ fuæ incommodare, hunc locum ad litteram referens, tranfilijt, *vt col.* 247. *Regefti* obferuauimus. Deinde *Auctor Epiftolæ*, vt ab aduerfarijs intelligitur, (iam enim monuimus argumētari modò nos, non fimpliciter, fed ad hominem;) probat *Conceptionem* B. Virginis non fuiffe fanctam, fed in peccato originali,

Probatur adhuc affertio pofita n. 14 *ex impugnatoribus fefti Conceptionis*

Affertus Bernardus.

ginali,& tandem concludit. *Cum hæc ita se habeant, quænam erit festiuæ ratio Cõceptionis? quo pacto, inquam, aut sanctus asseretur conceptus, qui de spiritu non est, ne dicam de peccato est; aut festus habebitur, qui minimè sanctus est? libenter hoc honore gloriosa Virgo carebit, quo vel peccatum honorari, vel falsa induci videtur sanctitas.* Quid hoc testimonio, & discursu expressius? Si B. Virgo originale peccatum habuit, nulla est ratio festiuæ *Conceptionis*, iuxtà mentem asserti *Bernardi*: ergo pro eodē existimauit ritè,& secundùm consuetudinem Ecclesiæ celebrari *Conceptionem*, & *Conceptionem* esse *Immaculatam*. Notanda diligenter illa disiunctiua: *vel peccatum honorari, vel falsa induci sanctitas*, quā ille *Auctor* apertissimè explicuit, ex legitima celebratione festi *Conceptionis* colligi sanctitatem in eodem instanti, quo contrahitur peccatum; alioquin ipsum peccatū honorari videretur. Quod si quis ei obijceret celebrari sub nomine *Conceptionis* sanctitatem B. Virginis in vtero pro instanti, quo illam habuit; nōne diceret hoc non esse celebrare *Conceptionem*? diceret? immo dixit: nam ex festo Natiuitatis *firmissimè sentiebat Beatam Virginem in vtero accepisse, vt sancta prodiret*: ergo ad festum *Conceptionis* amplius requirebat, nimirum sanctitatem primi instantis, & consequenter *Conceptionem* vt celebratam non distinguebat ab *Inmaculata Conceptione*.

D. Thomas. 20 HVNC sensum Epistolæ ad Lugdunenses nemo melius intellexit, quàm *D. Thomas*,& ideo resolutoriè ait *quolib. 6. Artic. 2. Romana Ecclesia, & plurimæ aliæ considerantes* Conceptionem *Virginis in originali peccato fuisse, festum* Con*ceptionis non celebrant*. Et *in 3. dicto artic. 1. Virgo Beata fuit in originali peccato concepta: propter quod scribit B. Bernardus* Conceptionem *ipsius non esse celebrandam.* *Thomistæ, & alij.* Hac se ratione tuebantur olim grauissimi Theologi, quorum præcipua responsio ad argumentum pro pia opinione sumptum ex celebratione festi, erat, Romanam Ecclesiam festum *Conceptionis* non celebrare. Sic *Turrecremata*, (si ille verus auctor illius operis est, de quo infra ad *num. 38. lib.*) *in tract. de verit. Cõcept. parte 9. cap. 16. fol. 179 & par. 13. c. 8. fol. 268 B. Ioannes Dominicus Florentinus* S. Antonini magister, *Ioannes de Neapoli*, *Ægidius*, *Capreolus*, *Hugo Cardinalis*, apud *Catharin. lib. 2. pro Immac. Concept. pag. 58. & in alia disp. ad Trident. parte 1. colum. 102.* item *Aluarus Pelagius de planctu Ecclesiæ, artic. 52. lit. B.* si incorruptus est locus, iuxta paulò post dicenda *num 27.* immo *S. Bonauentura in 3. d. 3. parte 1. artic. 1. q. 1.* fuit enim hæc solutio, vt omnium modestissima, ita celebrioribus magistris valdè familiaris, eademque significationem nominis *Cōceptio*, in officio diuino esse *Conceptionē Inmaculatam* sine dubio concludit: ideo quippe à tantis Doctoribus negabatur *Conceptionis* festum legitimè introductum esse, quia sentiebant eo admisso sequi B. Virginis præseruationem. *Id quod* Catharinus posteriori ex citatis locis optimè infert, dicens. *Quid ergo ex hac responsione licet colligere, nisi quod omnes huius quæstionis resolutionem à facto Romanæ Ecclesiæ, quod nunc est notissimum, pendère confitebantur? Hugo* Cardinalis *manifestè, vbi ait Virginem originale peccatum contraxisse, ex eo inferebat, propterea eius* Conceptionem *non celebrari. Qui verò bonus est logicus, ab opposito consequentis necessariò colligit oppositum antecedentis*. Hæc ille.

21 DICENT tamen aduersarij, non benè colligi ex mente Doctorum, quos citauimus, celebrari *Conceptionem Immaculatam*, quia illi non solùm negarunt celebrationem festi, sed etiam festi sensum ita explicarunt, vt *Conceptionis* nomen facerent indifferens: quod patet ex *D. Thoma 3. p. q. 27. artic. 2.* expressè docente, quod *quia ignoratur quo tempore B. Virgo fuerit sanctificata, celebratur festū sanctificationis eius, potius quā Conceptionis*: ergo acceptio *Conceptionis* etiam vt celebratæ, pro *Immaculata Conceptione*, non erat recepta, nec communis, & cōsequenter à festi celebratione efficax argumentum non sumitur. Prædictam explicationem amplexus est *S. Bonauent. loco cit.* & plerique Thomistæ, eamque modò securissimè vt probabilem, im- *Obiectio*

mo

mo & certam vrgent aduersarij infra num. 24 libelli posterioris. Sed vehementer falluntur, si in hoc se Doctorem Angelicum, aut Seraphicum sequi putant, aut illam expositionem sensus festi posse iam sine errore sustineri. Nam D. Thomas (& eadem ratio est de alijs eiusdem æui scriptoribus,) nõ explicuit sensum festi ab Ecclesia Romana celebrati, sed tantùm tolerati, & permissi, vt constat ex euidentia rei, & obseruat magist. *Ioann. à S. Thoma* bis à nobis datus, *Artic. 2. num. 51. & in Regesto colum. 507*. Sed melius *Illustriss. Catharin. disp. pro Immac. Concept. ad Concil. Trid. parte 2. colum. 97* his verbis. *Dices: At B. Thomas retulit eam celebritatem ad sanctificationem à peccato. Fateor; sed hoc olim, quando locus erat interpretationi, ac coniecturæ; quia Romana Ecclesia necdum sensum suum declarauerat. Nunc autem cum sensum suũ verbis clarissimis, post tot disputationes, & hinc inde rationes matura consideratione discussas, in suis decretis declarauerit, præclusus est vobis hic omnes euadendi locus*. Multò magis præclusum diceret, si suo tempore vidisset præcipi à Sede Apostolica, ne quis in celebratione festi, alio, quàm *Cõceptionis* nomine vteretur. Nec particulares Ecclesiæ legitimè vnquam celebrarunt *Conceptionem* indifferẽtem, sed *Immaculatam*, vt probauimus *Artic. 2. num. 57. & 107. cum seqq.* Quia verò res adeò grauis eo tempore dubia erat tam iure, quàm facto, noluit D. Thomas sensum festi admittere, quem auctoritate Romanæ Ecclesiæ probare non posset, cui tantùm honoris meritò deferebat, vt *quidquid præter Dei, & Ecclesiæ institutionem, vel contra consuetudinẽ communem, quæ secundum * Augustinum pro lege habenda est, totum hoc reputandum esse superfluum, & superstitiosum*, egregiè docuerit, 2. 2. q. 93. artic. 2. Quam doctrinam reuereri debuissent, qui *sanctificationis festum* præter Ecclesiæ institutionem suis Kalendarijs adscripserunt, & non D. Thomę explicationẽ de festo tolerato, ad festum solemniter ab Ecclesia Romana receptum contra S. Doctoris mentem transferre. Ab eius ergo doctrina discessisse, hinc apertè constare videtur.

Soluitur

* *Epist. 86. to. 2.*

22 ILLAM autem explicationem, non vt à D. Thoma tradita est, sed vt modò ab aduersarijs defenditur, erroneam esse, & à Sixto IV. reprobatam, & damnatam, docent in terminis *Corduba in Quæstionar. lib. 1. q. 44. §. Sed cõtra hanc euasionem pag. 360. Vazq. to. 2. in 3. p. disput. 117. cap. 5. num. 68. Pitigian. in 3. d. 3. q. 1. artic. 5. pag. 140. §. Praterea omnes Sancti, &c. Ægid. de præsent. lib. 3. q. 6. artic. 1. §. 6. à num. 32. ad 36. pag. 296. Salazar cap. 33. nu. 4. pag. 291. Miranda in tract. Latino, q. 20. concl. 2. pag. 558. Granad. to. 1. in 3. p. controuers. 2. tract. 1. disp. 3. sect. 7. §. 3.* præter innumeros, qui eam vt falsam, & menti Ecclesiæ in celebrando festo contrariam impugnant, quamuis non omnes duplicem Extrauagantem Sixti IV. *Graue nimis* aut viderint, aut rectè, & distinctè citauerint: quod ne vltra accidat, satis nostro *Regesto* cauimus, *à colum. 106. ad 112. & Artic. 2. num. 5. & 20. cum seqq.* Ratio est, quantum capere possumus, euidens. Sanctificatio pro tempore indeterminato est sola Conceptio spiritualis, quia vt Conceptio naturalis celebretur debet coniungi sanctitas cum primo instanti animationis: ergo qui asserunt celebrari ab Ecclesia sanctificationem B. Virginis abstrahẽdo ab hoc, vel illo tempore, defendũt propositionem à Sixto IV. & Concilio Tridentino damnatam vt erroneam, scilicet, *Ecclesiam solam spiritualem Conceptionem, seu sanctificationem Virginis Mariæ celebrare*. Vide proximè dicta *num. 17. & Art. 2. à n. 7.* Nec eos aliquid iuuat illa limitatio, *potiùs celebratur sanctificatio, quàm Conceptio*, vel, *celebratur Conceptio in ratione sanctificationis*; quasi indicare velint se naturalem *Conceptionem* non excludere, licet per *sanctificationem* explicent; reuera enim assertionem damnatã sustinent, verbis tantùm mutatis, cùm *sanctificatio*, quam intelligunt, abstrahat à primo instanti animationis, & consequẽter à *Conceptione naturali*: ergo apertè dicunt celebrari *solam Conceptionem spiri-*

Explicatio pro bata de sensu festi Conceptionis.

spiritualem, contra Apostolicam decisionem. Hactenus de *Conceptionis* nomine, quo vtitur Ecclesia: modò audiamus quid aduersarij dicant de nomine *sanctificationis* quo ipsi olim vtebantur.

De nomine sanctificationis.

23 EORVM verba sunt. *Fratres Prædicatores, ad fugiendam omnem æquiuocationem, & melius propriam sententiam explicandam, vtebantur voce sanctificationis, & cauebant à nomine Conceptionis, quasi idem importaret Conceptio, & Immaculata Conceptio.* Vt *Immaculatæ Conceptionis* cultū extenuare, ita *sanctificationis* titulū nulla auctoritate suffultum, & suo arbitrio explicatum amplificare conantur. At ex æqua disputationum lege, neutri parti sperare licet, sibi credendum quantum verbis depresserit, aut extulerit, sed quantum probationibus effecerit.

Nō celebrabat olim festū sanctificationis totus Ordo Prædicat.

24 AC primùm meminisse illos oportebat vulgarissimi pronuntiati, quod inter dialectica rudimenta imbibitum omnes pro regula loquendi, & interpretandi habemus: *propositionem indefinitā æquiualere vniuersali*: quod etiam est Iuriscōsultorum axioma, *l. si pluribus, D. de legat.* & sæpe alibi; nec ignorare poterant hanc loquutionem, *Fratres Prædicatores cauebant à nomine Conceptionis*, omnes ita intellecturos, vt totum Prædicatorum Ordinem absque vlla temporum, vel personarum exceptione, à celebrando festo sub *Conceptionis* nomine abstinuisse affirmaretur. Hunc sensum si inficiātur, contra communissimam, & receptissimam consuetudinem loquuntur; si agnoscunt, falsum omninò proferunt. Habemus in nostro *Regesto column.* 235. *Horas B. Mariæ Virginis ad vsum Fratrum Prædicatorū* Parisijs excusas anno 1529. & in eis officium *Conceptionis*, vbi *Conceptio Virginis Matris Mariæ appellatur benedicta*, & apertè dicitur *ipsam gloriosam Virginem ante secula prælectam in Matrem Dei sine macula concipiendam, in conceptu præseruatam, sine labe conceptā.* Habemus *colum* 239. testem oculatum siue fuerit Raymundus Lulius, siue quispiam alius, qui refert se Auinnione interfuisse officio Vespertino *Conceptionis* B. Virginis in choro Fratrum Prędicatorum die 7. Decembr. Scripsit autem ille auctor circa annum Domini 1394. vt patet ex *Artic.* 1. *num.* 17. addito *Regesto colum.* 285. Habemus *Martyrologium, & Breuiarium* eiusdem Ordinis, *colum.* 478. & 479. *Regesti*, in quibus *Festum Conceptionis B. Virginis* cōtinetur, die 8. Decemb. quod nominatim in prouincia Bætica Ord. Prædicat. olim celebratum fuisse, testatur *Vincent. Iustinian. Antist. in adnot. ad vit. B. Ludouici Beltrani*, §. 18. Habemus denique, preter alios auctores prædictis locis nominatos, *Illustriss. D. Ambros. Cathar in. lib.* 1. *disputationis pro Immac. Concept. pag.* 8. sic cōtra Caietanum scribentem. *Ritum verò celebrandi omnium Ecclesiarum sub nomine Conceptionis, nam verè sub hoc nomine festum istud in vniuerso Christiano Orbe ab omnibus celebratur Ecclesijs, quem ritum iam communiter omnes Ordines (vt pareat,) receperunt, nostro dumtaxat excepto, qui etiam in hoc diuisus est, nam in toto Christianissimo Regno sub eo nomine, absque vllo scrupulo Fratres nostri eam celebrant solemnitatem: hunc, inquam, tam communem ritum, hic noster minus rationabilem esse contendit.* Et in alia *disput.* eiusdem argumenti ad Patres Cōcilij Trident. parte 2. colum. 110. *Quin & ipse noster Ordo secum minimè constat, cum Transalpini Fratres nostri Ordinis sapientissimè concedant, & morem vniuersalis Ecclesiæ sequantur sub nomine Conceptionis celebrantes: inter quos tamen non desunt doctissimi Patres, & Magistri, qui in lectione B. Thomæ Italis non cedunt.* Quomodò ergo libellorum auctores sine limitatione iactant *Fratres Prædicatores vsos esse nomine sanctificationis, & cauisse à nomine Conceptionis?* Si hæc illis ignota erant; quomodò causam defendunt, cuius ne vulgarem quidem cognitionem habent? Si nota; quomodò tam apertè fallere non verentur?

Festum sanctificationis nūquā fuit legitimum.

25 SED quid tandem suo *sanctificationis* festo, à pluribus, vel paucis recepto, elicere tentant aduersarij? quid faciūt lucri? an vt abusum, cuius memoriam sepelire debebant, vltrò fateantur, & Sedis Apostolicæ iustissimam indignationem prouocent? Ne dubitetur, abusus ille fuit, non legitima consuetudo, saltem post-

postquam Ecclesia Romana festum *Conceptionis* recepit: nulli enim sub alio nomine celebrare vnquam concessit; immo adeò dissonam in cultu diuino diuersitatem, pacis, & vnitatis amatrix semper abhorruit. Quid in Concilio Tridētino de hac re actū sit, memorat *Catharin. in Præfatione proximè citatæ disputationis*, consequenter ad ea, quæ *Artic.* 2. *n.* 205. ex ipso adduximus. *Nec defuerunt* (inquit) *qui hunc tractatum* (scilicet terminationem controuersiæ de Conceptione B. Virginis,) *in eum locum seruari volebant, cùm de celebratione festorum ageretur: qua in re nonnulli vigent abusus, (inter quos hic numerari debet,) meritò abolendi. Nam cum à quibusdam sub varijs nominibus & intellectibus dies ille festus celebretur, & summoperè ab omnibus pijs desideretur vniformitas; nemo profectò nisi schismatico exagitatus spiritu contradicere potuisset.* Hæc ibi. Et in ipsa disputat. parte 2. col. 109. *Ecclesia Natiuitatem celebrabat, in qua sanctificatio in vtero celebrabatur, sicut testatur B. Bernardus. Sic sanctificatio B. Ioannis Baptistæ honoratur, dum eius celebratur natiuitas. Nunquam ergo celebrauit sub nomine sanctificationis, sed dies ille infestiuus olim in Ecclesia transibat.* Et statim. *Festum autem sanctificationis postmodò superfluò est introductum ad æmulationem aduersus Ecclesiam, quæ sub nomine Conceptionis celebrabat.* Ecce abusum, quē Patres illi Tridentini aboleri cupiebant. Quod tunc desideratū est, perfecit Gregorius XV. prohibens omnibus, & singulis alio, quàm *Conceptionis* nomine vti: quam prohibitionem in *Regesto col.* 185. ad verbum dedimus; *Artic.* 2. *à nu.* 45. explicuimus, & infra denuò, vt aduersarijs respondeamus, ampliùs expendemus.

Aduersarios nihil authēticū proferre, vel adducere. 26 NEC proficient quidquam aduersarij confidentissimis suis affirmationibus, quas loco argumentorum adhibent, dum *num.* 22. ita scribunt: *officiū sanctificationis à Summis Pontificibus, & signanter à Iulio Tertio concessum, & approbatum fuit.* Proferant approbationē, exhibeant diploma Pontificum, vel concessionem scripto, aut voce factam, idoneis, & à suspicione alienis testibus confirment. Vidimus memorati Iulij Tertij litteras Missali Dominicano præfixas, in quibus nullum de festo, aut officio *sanctificationis* verbum legitur, nec clausula aliqua exceptionis, aut priuilegij à communi consuetudine Ecclesię in celebranda solemnitate *Conceptionis*. In promptu etiam est Bulla Clementis VIII. concedentis Ordini Prædicatorum vsum Breuiarij, & Missalis proprij, ad normam, & præscriptum Ecclesiæ Romanæ, seruato antiquo eiusdem Ordinis ritu: cuius concessionis vigore libri rituales tempore Reuerendiss. P. Hieronymi Xauierre Magistri Generalis, reformati, & excusi sunt. Probent, officium *sanctificationis* vnum esse ex antiquis Ordinis Prædicatorum, aut iuxta consuetudinem Romanæ Ecclesiæ, & Pontificis concessionem ad illud extendi non negabimus. Antiquus Ordinis vsus qualis fuerit, ex dictis modo *num.* 24. dignosci potest; immo *P. Ojeda, cap.* 7. *suæ informationis*, S. P. N Dominicū, & primos eius discipulos festum *Conceptionis* celebrasse, ex professo probandum suscipit. Quare *R. P. Lucas Vvading. in legat. sect.* 2. *Orat* 6. *tract.* 7. §. 2. *num.* 5. *pag.* 152 in illa officiorum reformatione, nec Clemētis VIII. mandatum, nec Cardinalis Baronij Comitiorum Generalium præsidis, in quibus prædictus Hieronymus ad generale magisterium assumptus fuit, instructionem seruatam esse iure conqueritur. Hæc omnia aduersarij dissimulant, obiecta non dissoluunt, vetera, & fidelissima instrumēta nihil morantur; & Apostolica auctoritate se aliquando festum sanctificationis celebrasse, etiam nunc intrepidè affirmant.

27 TENVIS quædam vmbra Romanæ consuetudinis obijcitur nobis ex Illustriss. D. *Aluaro Pelagio* Ord. Minor. Episcopo Siluensi *loco supra citato nu.* 20. disertè affirmāte, se vidisse, & audiuisse in Ecclesia sanctæ Mariæ Maioris *sanctificationis* officium, & in eodem festo concionem habuisse: quod testimoniū cum alijs vndecunque corrasis integrū *Nec testimoniū Aluari Pelagij eis fauere.*

adducitur *in libro de veritate Conceptionis, nomine Cardinalis Turrecrematæ parte 6. cap. 31. & parte 13. cap. 9.* sed dubiam allegationis fidē euincit noster *Vuadingus vbi supra, §. 3. num. 9. pag. 154.* ex emendatissimis codicibus manuscriptis Sfortiano, & Vrbinate, à quibus tota illa de festo *sanctificationis* additio prorsus abest; nec in Archiuis prædictæ Ecclesiæ, post diligentem inquisitionem, vllū eiusdem festi vestigium inueniri potuisse, sanctè testatur. Quem legationis locū ad verbum descripsit *Adrianus Moerbecius in Introductionibus Euangelicis* additis libro, quē nominauit, *Scala purpurea*, in festo Conceptionis, pag. 135. Sed quamuis Aluari testimonium indubitatum esset, nulla ex eo Romanæ Ecclesię cōsuetudo probari potest; cùm ibi æquè asseratur alias Ecclesias sub nomine *Conceptionis* celebrare, Sede Apostolica tolerante, quæ nondùm suum iudiciū interposuerat, vndè vnicuique in suo sensu abundare licebat. Postquam autem festum *Conceptionis* ipsa celebrare cœpit, reliquæ per Orbem Ecclesiæ communem magistram sequutæ sunt: nec quæ ritum alium amplectebantur, poterant à singularitatis, & abusus nota excusari. Nomen ergo *sanctificationis* in libros sacros absque legitima auctoritate, *Conceptionis* loco introductum, satis manifestè hactenus ostendimus.

28 AGE verò, quando festum *sanctificationis* tolerabatur, quo sensu celebrari volebat Ecclesia? quam in eo sanctitatem B. Virginis coli? Libellorum auctores sanè rotundè explicant. *Fratres Prædicatores* (inquiunt) *ad fugiendam omnem æquiuocationem, & meliùs propriam sententiam explicandā, vtebantur voce sanctificationis.* Verba certè deficiunt, quibus talia incunctanter pronutiantibus, pro rei merito responderi possit. Hæc enim tam libera proprij sensus confessio, Ecclesiæ Catholicæ reprehensio est. Si meliùs eorum sententia per verbum, *sanctificatio*, explicabatur, quā per verbum, *Conceptio*, meliùs illi sciunt, quàm Ecclesia, quæ opiniones in officio diuino explicari, aut reticeri debeāt.

De sensu festi tolerati sub nomine Sāctificationis.

Quo iure meliùs, aut peiùs suam opinionem in officio diuino explicabant? Malebant ergo Romanæ Sedis consuetudinem, ac doctrinam, quàm propriam sententiam periclitari. *Terribilis est locus iste,* (ait Catharin. initio secundæ partis disput. ad Trident) *& periculosum est in eum impingere, cum hic sit Petra.* Nomen, *Conceptio*, faciunt nobis indifferens; licebit ergo nobis vti nomine *Præseruationis* in diuinis officijs, vt meliùs propriam sententiam explicemus? Absit hoc à veris Ecclesiæ filijs, quibus nulla sententia, vel vox proprior est, quàm quæ ab Ecclesia eligitur, & designatur. Sentiebat olim *Augustinus*, vt aliquibus videtur ex eius *Epist. 57. ad Dardanum, to. 2.* aliter quàm communis sententia de sanctificatione Ioannis Baptistæ in vtero matris: nùm ideò nomen festi Natiuitatis eius in Ecclesia Hipponensi immutauit? hoc aptissimum exemplum adducit noster *Vuadingus d. §. 2. num. 7. pag. 153.* Accipe & aliud. *Auctor Epistolæ ad Lugdunenses*, quem aduersarij *S. Bernardum* esse non dubitant, manifestè dubius est de prædicta sanctificatione, *an valuerit aduersus originale peccatum?* his enim verbis dubitationē suam proponit: & cùm etiam dicat prodiisse ex vtero cum eadē sanctificatione, quam in vtero accepit; nullo tamen modò hæret circa celebrationem Natiuitatis Præcursoris Domini, propter Ecclesiæ auctoritatem: aliud enim est opinari, aliud colere, & quę manifestum est docere Ecclesiam, firmissimè tenenda sunt, quantumuis difficilia intellectui appareant. Videant ergo aduersarij, videant quicumque in hac causa iudices erunt, quo spiritu ducantur, qui apertissimo Ecclesiæ iudicio, tametsi non definitiuo, acquiescere detrectant.

29 NON Ergo mirum est, *Conceptionis* nomen ab Ecclesia datum horrentes, per vocem, quam sibi elegerunt, benè suam sententiam, falsò verò & prauè cultum Ecclesiasticum interpretari: nequit enim derelicto aquæ viuæ fonte, veritas ex cisternis dissipatis hauriri. Nunquam festum *sanctificationis* ex Ecclesiæ

Vera eius interpretatio.

clesiæ mente in sensu aduersariorum ce- lebratum esse, aut celebrari potuisse, iam pridem viri doctissimi animaduer- terunt, quos ad verbum referre operæ- pretium erit. *Illustriss. Catharin. lib. 3. pro Immac. Concept pag. 64.* ita scribit. *Nolo tamen latere quenquam, etsi nostri celebrent in Italia de sanctificatione, nihil tamen con- trarium veritati eos celebrare; quod mul- ti nesciunt. Non enim repugnat Conceptioni Immaculatæ sanctificatio, quæ tantò melior in ea fuit, quantò fuit Conceptio mundior, vt superius declaratum est. Verum est tamen, quòd celebritas Conceptionis magis expri- mit præseruationis prærogatiuam, cùm san- ctam fuisse Conceptionem illam significet, & sine peccato, eò quod ab Ecclesia coram Deo nō celebretur nisi res sancta, vt B. Thomas, & alij rectè testantur. Hoc autem non exprimit vox ipsa sanctificationis, licet nec repugnet: quod & valdè notandum est, ne quis putet ab Ordine nostro in Italia celebrari mendaciū, & contrarium celebrationi Conceptionis. Quod si esset, minimè esset ferendum, nec Spiritus sanctus hoc permitteret in cultu Dei.* Vtrũ non permisit, cùm *sanctificationis* B. Vir- ginis post contractionē peccati celebra- tores Ecclesiæ auctoritate se tueri non possint, & dissertè fateantur, se propriam sententiam explicuisse.

Ex Catharino.

30 *R.P. VINCENTIVS Iustinianus Antistius in additionibus ad vitam B. Bel- trani, § 3.* paucis rem absoluit. *Quamuis sanctificationis nomen sit valdè honorificum (siquidem Christus Dominus de seipso lo- quens ait,* Quem Pater sanctificauit, & misit in mundum;*) non tamen eo vtuntur Conceptionis amatores, vt magis declarent, quod in festo illius diei celebrare intendunt. Nec iam Breuiarium vllum Romanum, aut particulare alicuius diœcesis extat, quod in Kalendario apponat festum sanctificationis, sed Cōceptionis Dominæ nostræ.* Ecce nomē *sanctificationis*, adeò nō supponebat pec- cati lapsum, vt de ipso Christo Domi- no dici posset: nec vox, *Conceptio*, præ- lata est, quia aliud significabat, sed quia expressius.

Ex Iustiniano.

31 *R.P. ALPHONSVS Salmeron to. 13 p. 1. in Epistolas Pauli, disp. 52. pag. 640* longiori, sed valde proficua oratione, post adductū argumentū pro pia opinio- ne, ex *Conceptionis* festo, hanc obiectionē proponit, & soluit. *Quòd si contra hanc ra tionem aliqui obijciant: Nobis quoque Eccle- siæ auctoritate concessum celebrare de sancti- ficatione: at sanctificatio peccatum supponit: non minus ergo nostra propositio est vera, quàm vestra: Dicendum est. Nomen Concep- tionis priuilegium præseruationis apertius indicat, & sanctam Conceptionem fuisse do- cet. Nemo ergo credat contrarium celebrari ab alijs celebrantibus de sanctificatione, atque ab Ecclesia Romana celebratur; alioqui esset schisma horrendum, & intolerabile. Nec sem per sanctificatio supponit peccatū, vt in Chri- sto, de quo Ioan. 10. Quem Pater sanctifica- uit, & misit in mundum. Et de nobis dicitur Apocal. vlt. qui iustus est, iustificetur adhuc. Et 1. Cor. 6. Sed abluti estis sed sanctificati estis, sed iustificati estis. Est ergo propriè san- ctificatio, sancti effectio, siue illa sit in pecca- to, siue non, quemadmodum in hac celebratio- ne de sanctificatione accipiendum est, ne repug net nomini sanctæ Conceptionis, quæ vnum, & idem est. Nec refert, si quis ex B. Domi- nici familia dicat: Ego in corde meo credo, & intelligo de sanctificatione, quæ tollit pecca- tum. Sed nihil facit ad rem interna opinio tua, dummodò verbis illam non protesteris. Quemadmodum, & qui baptizat in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti, etsi cre- dat Patrem maiorem Filio, & Filium ma- iorem Spiritu sancto, verum Baptismum cō- fert; nec nocet internus error illi, qui suscipit Sacramentum, ne sit minus idoneè baptiza- tus. At verò si verbo aliquo externo formā vi tiaret, & sensū internū indicaret, vt dicēdo, in nomine Patris, & Filij minoris, & Spiri- tus sancti serui, nullū Sacramentū admінistra ret.* Prorsus rem acu tetigit, præterquā quod officium *sanctificationis* Ecclesiæ auctoritate concessum, dum non impug nat, admittere videtur. Sed in his facti quæstionibus, quæ ex specialium priuile giorū inspectione pendent, nulla sua cul pa, aut incuria falli etiam eruditissimos sæpè accidit. Nec in officium *Bandeli* inciderat, quod ex nostro *Regesto à col, 238.* & deinceps, apertè constat, non modò Ecclesia non concedente, sed etiā cum eius iniuria compositū, & recitatū.

Ex Salmerone.

32. R.P.

Ex Ægidio. 32 R.P. *ÆGIDIVS de Præsentatione, lib. 3. de Præser. B. Virg. q. 6. art. 3. §. 6. n. 34. pag. 329.* reprehendens dictū *Caietani* interpretantis festum *Conceptionis* de sanctificatione B. Virginis, siue fuerit mundatiua originalis culpæ iam contractæ, siue preseruatiua, ne illa contraheretur: subijcit. *Nec illum iuuat, quòd idem Sixtus IV & plures alij Summi Pontifices cum Tridentino permittant vnumquēque in hoc suo sensu abundare; quoniam hoc solùm intelligitur, vt vnusquisq; possit vnā, vel alteram opinionem sine nota hæresis amplecti: non verò vt possit asserere Romanam Ecclesiam Conceptionis festum approbare sub titulo sanctificationis, abstrahēdo ab hoc, vel illo modo sanctificandi; cum Romana Ecclesia satis, superque explicatum habeat, se festiuitatem illam instituisse, & fidelibus celebrandam proposuisse sub titulo ab omni labe Immaculatæ: cum quo optimè stat, quòd Ecclesia neutram controuersiæ partem, tanquam de Fide diffiniuerit, vt Artic. 1. §. 10. nu. 99. aduertimus: quare non erit excommunicatus, qui dixerit, Beatam Virginem peccatum originale contraxisse; incurret tamen excommunicationem, qui asseruerit Romanam Ecclesiam solùm celebrare sanctificationem in vtero, & spiritualem Conceptionem; non verò illius puritatem ab omni macula. Quod in hac materia est diligenter aduertendum, vt intelligamus Romanam Ecclesiam pro nostra pietate indubitanter stare.* Vide proximè dicta *num. 22. & Artic. 2. à nu. 6. ad 11.*

Vrgētur rationes 33 HÆC grauissimorum scriptorum testimonia non ideò adduximus, quia vllo modo aduersarios illis fidem adhibituros (licet maximam mereantur) speraremus; sed vt appareat quàm durè à Theologis eorū interpretatio de sanctificationis festo excipiatur, quàm cōtraria Ecclesiæ menti pronuntietur, & non ignorent se notam subire dissensus à Sede Apostolica in re grauissima, quā nullus Catholicus dissimulare debet, sed omni conatu repellere. Si ergo auctoritatem contemnunt, rationes expendant. Ecclesia Romana nemini concedit, aut concedere potest facultatem celebrandi contrarium eius, quod ipsa celebrat: atqui celebrat præseruationē B. Virginis à peccato originali, vt *toto Art. 2.* ex ipsis Apostolicis decretis ostendimus: ergo nemo ex eius auctoritate, & concessione celebrare vnquam potuit *sanctificationem* B. Virginis post peccatum originale contractum. Rursus Ecclesia damnat asserentes *solam spiritualem Conceptionem, seu sanctificationem B. Virginis celebrari*, vt patet ex supra dictis, *d. num. 22.* & locis ibi allegatis. At *sanctificatio* post peccati originalis cōtractionem, est sola spiritualis *Conceptio*: ergo nunquam ex Ecclesiæ mente, sed contra eius expressam sententiam celebrata est. Illud etiam ab aduersarijs declarari petimus, cum nomen *sanctificationis* absque controuersia sit indifferens; qua auctoritate eius vsum restrinxerint ad significandam emundationem à peccato contracto? cur in honorem Beatæ Virginis non admiserunt significationem nobiliorem? hæc enim nominis restrictio prorsus est *contra intentionem loquentium de sanctificatione*; & in cultu diuino nemini licuit eam vsurpare absque expressa declaratione Sedis Apostolicæ; multò minus contra apertissimam eiusdem Sedis mentem. Nos indifferentiam nominis *Conceptio* ex institutione festi *Conceptionis* tolli probamus, quia Ecclesia nihil celebrat, nisi sanctū: ipsi nec vsum legitimum nominis, *sanctificatio*, in diuinis officijs, nec significationem, qua suā sententiam explicari contendunt, vllo legitimo testimonio, aut ratione probant: iudicent ergo quicumque veritatem amant, vtri Sedis Apostolicæ vestigijs inhæreant, & doctrinam Romanæ Ecclesiæ, vel proprias opiniones sequantur.

Libellus

Libellus eod. num. 1. colum. 7.

Et ideò contenderunt fautores Immaculatæ Conceptionis apud eundem Gregoriũ vt præciperet omnibus, quòd incelebratione solemnitatis nõ alio, quàm Conceptionis nomine vterentur: quod Pontifex, vt cultus esset magis vniformis, cõcessit, innuens nomen Conceptionis esse de se indifferens ad vtramq; sententiam: quod vt magis etiam insinuaret, declarauit expressis verbis: per hoc nullũ præiudicium inferri alterutri parti; sed relinqui in eodem statu, ac terminis, quibus erat ante emanatum decretum.

DISCVSSIO.

Fautores

34 NOMEN *fautorum* ad conuitia pertinere videtur; quibus si aduersarij delectantur citra æmulum frui possunt sua voluptate. Nobis enim conuitia pro veritate pati gloriosum; repèndere indecorũ. Scimus apud Latinè loquentes *fautores* dici, qui causę siue bonæ siue malæ fauent, & frequentissimè accipi in meliorem partem. Sed nec ignoramus cum reipublicæ, & præsertim religionis mutatione, etiam mutari sermonis vsum, qui regula loquendi est. Humilitas veteribus Latinis nihil laude dignũ significabat, apud Christianos tamen nomen dedit præclarę animi virtuti. Contrà, hæresis vocabulũ quod Græco idiomate idem sonat ac electio, à nobis sine horrore audiri non potest. Consimilis de *fautorũ* nomine ratio est, quod vsus Ecclesiasticus assumpsit ad notanda turbulenta obsequia conspirãtium aduersus bonum commune, vndè in Pontificijs decretis, fautores hæreticorum, aut schismaticorũ legimus; fautores veritatis, aut pietatis non legimus. Certè aduersarij antiquissima non consectãtur: habent enim in suis libellis *importare* pro significare, *vota* pro suffragijs, & eiusdem generis plura; quod iudicium non vituperamus, ita enim loquuntur, vt intelligantur. Sed eò euidentiorem suspicionẽ præbent iniuriæ toti Orbi illatæ, quòd mirum Ecclesiarum, & gentium consensum, Principum ab ipsa Sede Apostolica laudatum studium despiciant, & legitimæ Ecclesiasticæ consuetudinis zelatores odioso fautorum nomine, vt tantam, qua obruuntur, auctoritatem deprimant, procaci garrulitate lacessant. Sed verborum pugnas omittentes ad rem veniamus, quæ ab eis non parùm obscurata, à nobis vera, & simplici narratione aperienda est.

35 IGITVR anno Dom. 1618. die 16. Decembr. Romam ingressus est Illustris. D. Antonius à Trejo Episcopus Carthaginensis ex Generali Ord. Min. prælato, cum munere Extraordinarij Legati à Philippo III. Rege Catholico ad Sanctiss. D. N. Paulum V. Pontificem Maximum, pro definienda de Fide pia opinione circa Immaculatã Conceptionem Beatiss. Virginis Marię. *Vvading. in Hist. huius legationis sect.* 1 *nu.* 37. *pag.* 29. *& num.* 38. *pag.* 30. *&* 31. vbi litteras Regis Catolici ad Pontificẽ verbo tenus, permultas verò Episcoporum, Ecclesiarum, Religionum, & Regnorum Hispaniæ summatim refert, atque inter eas, quæ à RR. PP. Confessarijs Regis, & Principis ex Ordine Prędicatorum missæ sunt, quibus aliæ doctissimorum Patrum eiusdem familiæ accedebant. In his omnibus litteris decisio huius controuersiæ per vltimam definitionem, humiliter à Sede Apostolica,

Legatio Philippi III. ad Paulum V. de cõtrouersia Conceptionis definienda.

nn

lica, & instanter petebatur: eaque ab Illustriss. Legato postulata fuit, vt constat ex eius ad Regem epistolam *ibid. n.* 53 *pag.* 40. Vide *Artic.* 2. *num.* 81. *&* 206. *& Regest. col.* 553.

36 MITTENDÆ legationis causa inter alias vrgentissima, & quæ sola maturare negotium coegit, fuit scandalorum extirpatio, quę per totam Hispaniam ab aduersarijs Immaculatæ Conceptionis seminabantur, adeò grauia, vt prudentissimorum, & doctissimorum animos percellerent, adeòque manifesta, & publica, vt amplius tolerari non possent, nec nisi vltima controuersię definitione eradicanda viderentur. Constat ex *sect.* 2. *Oratione prima eiusdem Illustriss. Legati ad eundem Sanctissimum, nu.* 16 *&* 17. *pag.* 52. item *Orat.* 3. §. 3 *pag.* 109 *& sect.* 3 *Oratione* 11. præcipuè §. 10 *pag.* 381 *&* §. 18 *pag.* 394. *Scandala orta ex opinione aduersariorum.*

37 INTER prædicta verò scandala numeratam esse, & quidem primario loco cultus diuersitatem, & celebrationem festi sub nomine *sanctificationis*, disertè, & clarè Summo Pontifici ab Illustr. Legato intimatū est, *d. Orat* 1 *n. 11. pag* 48 *& orat* 6. § 4 *pag* 157 enixè ab eo, Catholici Regis nomine petente, vt si vltimæ definitionis pronuntiandæ opportunum tempus nondum adesse, Spiritus sancti ductu, iudicaret; saltem præcipere dignaretur: *Ne quis vllatenus auderet affirmatiuam opinionem publicè, aut secretò docere, nec verbo, aut scripto vllo modo de ea agere: Et vt omnes vndique fideles eodem nomine, ac sensu quibus ab Ecclesia celebratur, colerent festum Conceptionis Beatissimæ Virginis.* Hic fuit susceptæ legationis scopus: has petitiones prædictus Cathagin. Episcopus per annum integrum, & quinque insuper menses, apud Sanctissimum ingeminauit, donec à Rege Catholico euocatus discessit ab vrbe maximo cum honore, tametsi re infecta, die 19. Maij, anno 1620. vt patet ex *sect.* 3. *post. tract.* 13. *pag* 425. Nec eò secius eadem supplicatio, & instātia cōtinuata est per Ducem Alburquerquiū, ordinarium eiusdem Catholici Regis in Curia Romana Legatū, vsque ad Pauli V obitum, qui incidit in diem 29. Ianuar. anni 1621. *Dissensus in celebrādo festo scandali occasio.*

38 DEINDE Gregorio XV. ad Summum Pontificatum assumpto die 10. Februar. eiusdem anni, idem Dux de negotio Immaculatæ Cōceptionis apud eum egit, & cùm dari in hac causa indices postulasset, æqua postulari Pontifex respondit: & quamuis Philippo III. è vita sublato die 31. sequentis Martij, paulisper piæ legationis prosequutio intermissa fuerit; breui tamē feruentiùs iussu Philippi IV. successoris redintegrata est: cuius, & aliorum è domo regia epistolas habes apud *Vvading. sect* 4. *à nu.* 20 *pag.* 437 & in nostro *Regesto, à colum.* 314. Denique Comes Montis Regis extraordinarius Legatus ab Hispania superueniens die 12. Martij, anni 1622. nouis instantijs omni conatu incubuit, obtinuitq; à Gregorio, vt Illustrissimi DD. Cardinales Congregationis sanctæ, & generalis Inquisitionis, de efficaci remedio scandalis adhibendo serio consulerent, & quidquid opportunè prouidendum censerent ad Sanctissimū referrent *Vvading. d. sect.* 4. *à n.* 28 *pag.* 441. *ad num.* 37. *pag* 445. *Prosequutio legationis ad Gregor. XV.*

39 POST tot instantias, & consultationes prodijt decretum, quod ad verbum dedimus in *Regesto, colum.* 183. & latè expendimus *Artic.* 2. *à num.* 43. *ad* 104. publica lætitia à Legatis, Principibus, Ecclesijs, & omnibus piæ opinionis defensoribus exceptum, vt ex *Vvading.* retulimus *ibid. num.* 55. & patet ex Epistolis *Regesto* insertis, *colum.* 187. 193. 278. *&* 318. *Decretū Gregorij*

40 EX hac fidelissima rei gestæ serie, plana, & perspicua decreti Gregoriani interpretatio innotescit; immo textualis, & indubitatus sensus: quem frustrà aduersarij detorquent, & compertissimę veritati tenebras offundere moliuntur. *Eius sēsus apertus.*

41 QVOD ergo dicunt: *fautores Immaculatæ Conceptionis contendisse apud Gregorium, vt præciperet omnibus, quòd in celebratione solemnitatis, non alio, quàm Cōceptionis nomine vterentur:* verum quidem est, sed abscissione eneruatū, dum præcipua *Quid petitum à Gregorio?*

cipua petitio, grauissimus petendi modus, & vrgentissimæ causæ sistuntur. Clarissimè enim Regum Catholicorũ Philippi III. & IV. Legati totius Hispaniæ nationis vnanimi consensu & Christiani Orbis acclamatione tam apud Paulum V. quàm apud Gregoriũ XV instarunt pro vltima definitione; & si ea negaretur, pro cultus vniformitate verbo, & sensu, & absoluta silentij impositione impugnatoribus Immaculatæ Conceptionis: vt scandala ab eis vbique seminata penitus, quoad fieri posset, tollerentur.

Quid & quare cõcessum? 42 NEC minore astu, præcipuum Pontificis motiuum prohibentis alterius nominis quàm *Conceptionis* vsum in festo celebrando, extenuant. *Concessit* (inquiunt) *vt cultus esset magis vniformis*: vtique, sed addendum est: vt omnes celebrarent idem quod celebrabat Ecclesia Romana in *Conceptionis* festo, scilicet *Conceptionem sanctam*, siue sanctitatẽ B. Virginis in primo instanti animationis, & eius præseruationem à peccato originali, vt hoc ipso *tractatu à num.* 13. concludentibus rationibus, & *Artic.* 2. *à num.* 49. ex ipsius decreti verbis, & tenore probauimus: quod remediũ amouendis scandalis, sacra Congregatio, & Summus Pontifex iudicauere consultissimum.

Rursus de nomine Conceptio. 43 IAM in elicienda ex decreto indifferentia nominis, *Conceptio*. planè aduersarij non modò veritatem, sed omnem veri speciem, & similitudinem deserunt. *Innuisse* Gregorium aiunt, *nomen Conceptionis esse indifferens*. Quomodò innuere potuit vllam in nomine festi indifferentiam, qui omnem in celebrando festo auferre voluit diuersitatem? Nonnè si nomen indifferens ad plura instantia collatæ gratiæ, & sanctitatis eligere voluisset, potius sub *sanctificationis* vocabulo, omniũ cõsensu, indifferẽti, festum celebrari imperasset: vt diximus *Artic.* 2. *num.* 53. & optimè *Vazq.* notauit *to.* 2. *in* 3. *p. disp.* 117. *pag.* 25. Sed quid in re tam manifesta, opus est subtilitatibus, aut coniecturis? Ipse Gregorius luce clarius suam explicat mentem, cuius verba sæpius repetere non pigebit. *Et insuper eadẽ sanctitatis sua; cum sancta Romana Ecclesia de Beatissimæ, & Intemeratæ Virginis Mariæ Cõceptione festũ solemniter, & officium celebret; omnibus, & singulis personis Ecclesiasticis tã secularibus, quàm cuiusuis Ordinis & militiæ regularibus mandat, ac præcipit, vt in sacrosancto Missæ sacrificio, ac diuino officio celebrandis, tã publicè, quàm priuatim nõ alio, quàm Cõceptionis nomine vti debeant.* Vbi, quæso, Gregorius innuit hãc ab aduersarijs excogitatam indifferentiam? Ecce nõ innuit, sed clarè præcipit, vt omnes Ecclesiam Romanam in colenda *Conceptione* sequantur: apud quam *Conceptionis* nomen nunquam fuisse indifferens, eiusmodi probationibus tum hic, à *num.* 13. tum toto *Articulo secundo* stabilimus, vt probationum nomen non mereantur, cùm res ipsa, quæ probatur, omnibus illis sit euidentior. Legant *prædicti Articuli, num.* 51. & 52. quid R. P. Ioannes à S. Thoma, & Illustriss. D. Franciscus de Araujo Prædicatoriæ familiæ magistri de hac cultus vniformitate sentiant, & an in ea aliquam inuenerint indifferentiam. Legant præterea *Auctorũ* testimonia *ibid. à num.* 57. descripta: videbunt veterum, & recentiorum in cultu explicando concordiam; & tantùm abesse vllam indifferentiam à Gregorio inductam, vt post eius decretũ, celebratio sanctitatis in primo instanti animationis, validissima roborata sit firmitate. Ad hæc: quæ scandala Gregorius auferebat orta ex diuersitate cultus, si cõtrarias significationes duorum nominũ, in vno, eodemque coniunxisset? ob quẽ fauorem illi ab Immaculatæ Conceptionis propugnatoribus gratiæ agerentur? Cur aduersarij decreti expeditioni, quod modo tam facilè in suam sententiam trahunt, tanto conatu restiterunt? Vide præcitatam legationis historiam, *pag.* 444. *num.* 35. Cur silentij impositionem quoad priuata sua colloquia relaxari curarunt, si propriam sententiã in ipso diuino officio exprimere per decretum licebat? Incredibile est, ea ipsa, quæ affirmant, sibi persuasisse; multò

magis

magis alijs persuadēda sperasse sed magna in re qualibet obfirmati affectus vis est, & à rationibus expendendis auocat, quibus nec assensus, nec confessio negari posset.

Obiectio aduersariorum.

44 OPPONVNT tamen difficultatem, vt ipsis videtur, grauissimam. *Declarauit* Gregorius *expressis verbis* per *hoc nullum præiudiciū inferri alterutri parti; sed relinqui in eodē statu, ac terminis, quibus erat ante emanatum decretum*; si autem iuberentur celebrare sub nomine determinato ad opinionem piam, magnum præiudicium illorum sentētiæ esset illatum.

Dissoluitur.

Quis in hoc scirpo nodus sit, omninò ignoramus; immo videntur aduersarij decretum Gregorij non legisse: nec enim dicerent, *expressis verbis declarasse*, *per hoc*, id est, per prohibitionē celebrandi sub alio, quàm *Conceptionis* nomine, *nullum inferri præiudicium*. Clausula de non illato præiudicio apponitur in decreto, post extensionem, & ampliationē ad priuata colloquia silentij opinionis asserentis Beatissimam Virginem fuisse conceptam cum peccato originali, quæ antea in actibus publicis tantùm prohibita erat. Postea subijcitur mandatum de non celebrando alio nomine, quam *Conceptionis*; nec in ea decreti parte, vlla est de præiudicio mentio: quod ex vsitata consuetudine Sedis Apostolicæ factum est.

45 OBSERVARE enim oportet, duplicis generis decreta in materia *Conceptionis*, à Summis Pontificibus prodijsse: & in alijs quidem *Immaculatæ Cōceptionis* cultores eximijs fauoribus cumulatos; in alijs verò de opposita opinione toleranda variè pro temporum diuersitate actum.

Notandū circa clausu à non illati præiudicij.

Cùm ergo agitur de *Conceptionis* cultu, præiudicij exceptio non admiscetur; sed contraria opinione omninò tacita & prætermissa, fauores absolutè auctoritate Apostolica conceduntur Sixtus IV. in Bulla, quæ incipit, *Cum præexcelsa, col. 46. Regesti*, amplissimas indulgentias largitur recitantibus, & audientibus officium *Immaculatæ Cōceptionis*: Innocentius VIII. & Iulius II. *colum. 113. & 125.* sub *Immaculatæ Conceptionis* aduocatione, Religionem Monialium instituunt: Vrbanus VIII. vt diximus *Artic. 2. num. 140.* aliam Equitum Religionem titulo *Conceptionis B. Virginis Immaculatæ* erigit, Bulla, quæ incipit, *Imperscrutabilis*. In his omnibus, & quàm plurimis alijs Pontificijs Constitutionibus ad venerationem *Conceptionis* Beatiss. Virginis spectantibus, de præiudicio contrariæ opinionis magnū silentium; cùm tamen non obscurè colligi possit, ex approbatione piæ opinionis, aliquod pręiudiciū oppositę inferri. Sed indignum est Apostolici culminis maiestate, cùm cultum religiosum suadet, aut præcipit, ad priuatorum opiniones respicere: nec præsumit sancta Sedes alicui honorem B. Virginis displicere, vt propterea præiudicij exceptionem in similibus concessionibus desideret. At quando Pontificia decreta ex professo diriguntur ad contentiones sedandas, & scandala amouenda, & conueniens iudicatur de opinione pię contraria, aut eius assertoribus durius aliquid statuere, adhibetur clausula præiudicij exceptiua; si enim non adhiberetur, videri meritò posset talem opinionem à Sede Apostolica omninò reprobari, & damnari. Quod ergo alij Pontifices in diuersis decretis fecerunt, hoc in vnico præstitit Gregorius XV. quia simul de scandalis auferendis & cultu reformando rescripsit: vndè in priori decreti parte clausulam de præiudicio addidit; in posteriori verò omisit.

46 RESPONDEBVNT fortè aduersarij, præiudicij exceptionem referendam esse ad vtramque decreti partem, argumento ex *cap. exijt, de verb. signific. in 6.* vbi ait Nicolaus III. *Et vtriusque iuris argumenta nos doceant, ea quæ in principio ad medium, & ad finem: illa verò quæ in medio ad finem, atque principium, & ea quæ in fine ad vtrumque, vel eorum alterum sæpe referri*: ergo probabile videtur declarationem de non illato præiudicio cadere super cultus vniformitatē, sicut super impositionem silentij, cum materia, & motiuum eadem sint, ordo verò, qui in clausulis apponendis seruatur, nō obstat.

Euasioni occurritur.

obstet. Sed nec doctrina illius decretalis nostro casui applicari potest, nec si applicaretur, vel minimũ aduersarios iuuaret. Ratio est, quia clausula Gregorij expressè restringitur ad ea, quæ præcesserant: hic enim est eius tenor. *Per hoc tamen sanctitas sua nõ intendit reprobare hanc opinionem, nec ei vllum prorsus præiudicium inferre, eam relinquens in eodem statu, & terminis, in quibus reperitur, præterquam quoad in supradicto fælicis recordationis Pauli V. & hoc suo decreto disposita.* Si autem aduersarij declarationem non illati præiudicij extendunt ad disposita, & disponenda, necesse est extendi etiam declarationis limitationem: & Pontificem declarare nullũ inferri huic opinioni præiudiciũ, præterquam quoad impositionem silentij, & vniformem festi celebrationem. Non est dissimulandum, in libello aliter legi prædictam clausulã, ac in textu decreti: nam verba libelli sunt: *Declarauit expressis verbis, per hoc nullum præiudicium inferri alterutri parti*; dicere deberent *alteri*, non *alterutri*, cùm decretum de sola aduersariorum opinione loquatur: nec poterat piæ sententiæ cauere de præiudicio, qui eam nouo fauore promouebat. Potest tamen hic lapsus transcribentibus tribui, non auctoribus; obseruatione autem dignus est, ne quis existimet Pontificem æquè de vtraq; opinione loqui, cùm tot modis pia ab ipso, & eius prædecessoribus anteponatur.

De statu & terminis contrariæ opinionis. 47 CONTEXTV decreti, sic vt iacet, proposito; ne aduersarij, difficultatem, quam maximam reputant, à nobis contemni querantur: aperiendi sunt status, & termini, in quibus eorum opinio à Gregorio relinquitur, vt hinc constet per clausulam de non illato præiudicio, statui non potuisse indifferentiam nominis *Conceptio*, de qua sunt adeò anxij. Quod vt explicetur, antiquiora Pontificum decreta, quanta res patitur breuitate, percurrenda sunt.

Six. IV. 48 PRIMVS Summorum Pontificum Sixtus IV. vtriusque partis assertoribus leges dedit, postmodum ab omnibus successoribus confirmatas. Is ergo in vtraque Constitutione, *Graue nimis, col.* 106 *&* 109 *Regesti*, hæc in fauorem piæ opinionis decreuit. Romanam Ecclesiam festum *Immaculatæ Conceptionis*, cum speciali, ac proprio officio celebrare declarauit. Assertiones eorum, qui affirmarent, Ecclesiam de *spirituali* dumtaxat *Conceptione, & sanctificatione* B. Virginis festum celebrare, & eos, qui tenerent eandem Dei Genitricem ab originalis peccati macula in sua *Conceptione* fuisse præseruatam, prout in officio approbato canebatur, hæreticos esse, aut peccatum mortale incurrere, vt falsas, erroneas, & à veritate penitus alienas reprobauit, & damnauit. Legentes pro veris libros prædictas assertiones damnatas continentes, & easdem pro concione, aut aliàs quomodolibet affirmãtes, excommunicatione, & æterna maledictione Summo Pontifici reseruata, ipso facto innodauit. Circa contrariam verò opinionem hoc solùm præcepit sub eadem excommunicationis sententia, ne vt hæretica damnaretur, nec eius defensores peccati mortalis reos esse quisquam affirmaret, cum id non esset ab Apostolica Sede decisum. Hæc est summa Extrauagantium, *Graue nimis*, in plano, & textuali earum sensu explicato, *Artic.* 2. *à num.* 6. de quo aliquid etiam dictum est, *num.* 209. Sequutæ sunt confirmationes Alexandri VI. & Concilij Tridentini, in *Regesto* datæ *col.* 117. *&* 163. quibus nihil noui de aduersariorum opinione constitutum est: nostra autem mirum in modum roborata, per egregiam illam declarationem non comprehendendi Beatam, & Immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem in decreto de peccato originali. *Alexãd. VI. Concil. Trid.* Statum ergo, & terminos contrariæ sententiæ, à tempore Sixti IV. ad Concilium Tridentinum, his verbis explicat *Chatharinus disput. ipsi Concilio inscripta, parte* 2. *col.* 111. cum Patribus sui Ordinis, loquens. *Amputatis, (& istud omni consideratione dignum est,) Romanam ipsam Ecclesiam, quam reliquæ omnes, vt par est, sectantur, postquam semel eam celebrationem ex certa scientia suscepit, & alijs suscipiendã tradidit, vlla ratione probare posse quidquid*

illi palam, vel priuatim aduersetur? Et ob eã causam, si vultis veritatem capere, non aliud expresso Pontificis verbo vobis indulgetur, quàm oppositam partem absque hæresis nota tenere, cum hoc vnum, quòd scilicet hæretici sitis, nõdum à Romana Ecclesia, & Apostolica Sede sit decisum. Hoc, inquam, vnicũ est, quod indulsit vobis Pontifex, vt vel ipse Spina ex verbis decretalis animaduertit. At quòd oppositum, vel prædicetis, vel doceatis, præsertim mittentes in publicum, (quod citra magnum scandalum, & infirmorum conturbationem fieri non potest,) nec permittitur vobis, nec stante illo decreto permitti potest: quoniam in Apostolicæ Sedis iniuriam, & spiritum eius, ad nutrienda zizania, & schismata redũdaret. Hæc Catharinus ad *sanctificationis* celebratores: ex quibus, & maximè ex Apostolicarum Constitutionum tenore, apertè habemus, statum & terminos sententiæ aduersariorum nullum alium fuisse, quàm permissionẽ eam defendendi absque nota hęresis, vel peccati mortalis; vniformitatem autem cultus sub *Conceptionis* nomine, semper fuisse iuxta mentem Ecclesiæ, post Sixti IV. Extrauagantes: quamuis ante Gregorium XV. expressum de ea re pręceptum non fuerit. Quod summoperè est obseruandum: vt constet nihil aliud fecisse Gregoriũ, quàm præcepto sancire idipsum, ad quod Sixtus indulgentijs inuitauerat, nec potuisse aliam *Conceptionem* intelligere, quàm *Immaculatam.*

Pius V. 49 POST Concilium Tridentinum, Pius V. gloriosæ memoriæ Pont. Max. grauissima illa Constitutione, *Super speculam*, apud *Regestum, colum.* 186. Sixti IV. prædecessoris statuto, ex certa scientia, & Apostolicæ potestatis plenitudine, confirmato, & approbato, relictaque cuique libera facultate opinandi huius controuersiæ quamlibet partem, prout vel magis pium, vel magis probabile iudicauerit; hæc insuper perpetuò obseruari præcepit, Ne quis in popularibus concionibus, vel vbicumque promiscua virorum, & mulierum multitudo conuenire solet, de huius controuersiæ alterutra parte disputet, rationibus, vel auctoritate propriam sententiam asserendo, & contrariam refellendo, aut impugnando. De hac ipsa quæstione nullus vulgari sermone scribere, vel dictare præsumat. Addit vtrique prohibitioni pœnam suspensionis à diuinis, & priuationis gradus, siue dignitatis, inhabilitationisque perpetuæ ad eadem, vel similia munera, ipso facto, absque noua declaratione. Denique permittit disputationes scholasticas pro vtraque parte; dummodò neutra veluti erronea prædicetur, seruenturque omnia, quæ à Sixto IV. statuta erant. In hac Pij V. Constitutione nihil prorsus fauoris contrariæ assertioni collatum est; nam libera opinandi facultas etiam à Sixto IV. relicta erat: verba autem illa, *prout vel magis probabile iudicauerit*, non indicant absolutã probabilitatem opinionis, sed tantùm aliqualem respectu eorum, qui ei adhæserint: quam explicationem esse communem Doctorum patet ex dictis *Art.* 2 *num.* 172. 211. 212. & 214. nec alia, nisi cum manifesta textus violentia adhiberi potest: illud enim verbum *iudicauerit*, ad opinantem perspicuè pertinet, non ad opinionem in se. Scimus *Gulielmum Estium to.* 3. *in* 2. *sent. dist.* 3. §. 3. *pag.* 12. editionis Parisiens. an. 1638. scribere ausum esse, *Pium V. iudicasse alterã sententiam*, (eã scilicet, quæ gloriosam Virginem à peccato originali liberat) *magis piam videri; alteram verò* (nimirùm, quæ B. Virgini peccatum originale tribuit,) *magis probabilem.* Sed verè ausum, nec sine Summi Pontificis iniuria, eius nomine, quod in Constitutione non legitur, retulisse, textus ipse clamat. De opinionum probabilitate modò non agimus, abundè enim sufficiunt, quæ ex varijs auctoribus adduximus *Art.* 2. *num.* 209. & *seqq.* sed de Constitutionis Pij V. syncera interpretatione; quam ab *Estio* adulteratam fuisse, tam est euidens, quàm minimè mirandum alios eiusdem auctoris excessus in hac materia reputari, quos infrà *numerum* 28. libellorum discutientes indicabimus. Quod verò attinet ad prohibitiones vulgarium disputationum in eadem Constitutione factas, perspicuum est inter fautores piæ opi-

opinionis numerādas esse. cùm Pius V. expressè testetur, se in his, quæ præcipit, decretis prædecessorū inhærere, & populorū scandalis occurrere, quæ semper ex affirmatiua sententia pullulasse; satis ostendimus *Artic. 2. num.* 3. 5. 16. 40. *&* 47. Patet etiam ex dictis *ibid. nu.* 35 *&* 130 *& in Regesto, colum.* 213. *&* 219 plus fauisse opinioni piæ Pium V, quàm Sixtum IV. nam præter confirmationem *Extrauag. Graue nimis.* festū *Conceptionis* Natiuitati æquale communi Breuiario sub obligatione inseruit, & proprii officij vsum Ordini Minorum concessit. Status igitur, & termini sententiæ aduersariorum, in quibus à Pio V. relicta est, hi fuerunt, ne damnaretur vt erronea; cùm pia opinio in officijs diuinis auctoritate Apostolica recitaretur.

Paulus V.

50 AD nouissima decreta veniamus. Paulus V. in Bulla, quæ incipit, *Regis pacifici, colum.* 175. *Regesti*, prædecessorum Constitutiones confirmans, pœnas aggrauauit: in decreto autem S. Inquisitionis *colum.* 180. aduersarijs piæ opinionis in actibus publicis silentium imposuit. Quia verò hæc quædam species damnationis videbatur, addidit sequentem declarationem. *Per huiusmodi tamen prouisionem sanctitas sua non intendit reprobare alteram opinionem, nec ei vllum prorsus præiudicium inferre, eam relinquens in eodē statu, & terminis, in quibus de præsenti reperitur, præterquam quoad supra dispositata.* Hæc est clausula, qua aduersarij opinionem suam adeò à præiudicio liberam volunt, vt toti Ecclesiæ grauissimum inferant ipsi præiudiciū, quasi cultus contrarios, & inter se pugnantes admittat. Cùm apertissimus decreti sensus sit; opinionem, cui silentium indicitur, non prædamnari, nullamve definitiuam sententiam contra eam proferri: *præiudicium* enim nihil aliud est, quàm *præcedens iudicium*, vt ex *S. Ambros. &* Caiet. ad illa verba 1. *Timot.* 5. vt hæc *custodias sine præiudicio.* rectè explicat *Dominic. Grauina to. 3 Catholicar. Præscript. lib.* 4. *controuer.* 2. *q.* 2 *artic.* 8. *dubit.* 2. *pag.* 394. in eo non audiendus, quòd neget constare causam, quæ Sedem Apostolicam mouit ad imperandam silentium; cùm Pontifex illā disertè exprimat, dicens: *Ex occasione assertionis affirmatiuæ in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus & actibus publicis, quòd eadem Beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali, oriuntur in populo Christiano, cum magna Dei offensa, scandala, iurgia, & dissensiones. Propterea volens huiusmodi scandalis ex debito sui muneris prouidere, decreuit, & præcepit, &c.* sequitur enim prohibitio eandem opinionem publicè docendi. Voluit ergo Pontifex auferre scandala non *passiua populi insipientis*, vt *Caietan tract. de Concept. cap.* 5. cui *Grauina* consensit, scribere non erubuit pro merito ab *Aegid. de præsent. lib.* 3. *q.* 9. *artic. vnico num.* 5 *pag.* 344. & alijs doctissimis perculsus. Sed mirum est, postquam Sedes Apostolica opinionem affirmatiuam ab ipsis scholis discedere iubet; adhuc esse, qui dicant solos pusillos ex ea scandalizari: quam grauissimam in omnes Academias iniuriam, & quoscumque Grauinas cum suis apologis de cygnis tacentibus. (nec enim illis canere per poetas licet, nisi morituris,) & hirūdinibus obstrepentibus, sine responso dimittimus: semel enim admonuisse sufficiat, piam causam Ecclesiæ auctoritate innixam, conuitijs fædandam à suis defensoribus nō esse. Itaque exceptionem de præiudicio solùm excludere definitiuam sententiam, perspicuum videri ex Pontificia limitatione *præterquā quoad supra disposita*; iam *Artic.* 2. *nu.* 42. obseruauimus. Certè Paulum non reliquisse opinionem aduersariorum in eodem omnino statu, & terminis, quibus antea erat, negari non potest: nam per decreta prædecessorum, eum statū, eosque terminos habebat, vt publicè defendi, & prædicari posset: quam libertatem decreto suo abstulit Paulus: vndè *exiguā eius probabilitatē non parum attenuatam*, ait *Vvading. d. Art.* 2. *citatus, n.* 212. *Salazar* autem *cap.* 43. §. 1. *pag.* 444. *per impositionem silentij in publicis actibus non parum illi derogatum.* De quibus, & similibus directè contrariam opinionem tan-

tangentibus, nihil proprio iudicio pronuntiemus. Cum verò fauores piæ sententiæ à Sede Apostolica collati, nō modò à Paulo in suo robore relinquantur, sed etiam expresse confirmētur, & pristina libertate in quibuscumque actibus publicis gaudeat, nihil circa eam innouatum esse constat manifestè. Opposita autem in eo statu, & terminis mansit, vt tanquam hæretica, aut erronea non damnetur; sileatur tamen in quibuscunque actibus publicis, vbi pia opinio liberè canitur, & prædicatur: nec præter hoc, vllum illatum est ei præiudicium, de *quo supra nu.* 39.

Gregor. XV. 51 DECRETVM Gregorij XV. cuius occasione hæc omnia dicuntur, extendit, & ampliat impositionem silētij ad priuata colloquia, & scripta, quia in eis etiam oriebantur scandala occasione opinionis affirmatiuæ: & apposita clausula de nō illato præiudicio eiusdem tenoris cum illa, quæ in præmisso Pauli decreto continetur, & à nobis exscripta, *num.* 46. Præcipit omnibus, ne in celebratione festi, vtantur alio nomine, quàm *Conceptionis*: quoad reliqua verò, prædecessorum Constitutiones confirmat. Status ergo, & termini, in quibus existit opinio aduersariorum post decretum Gregorianum, hi sunt. Damnari non potest, vt hæretica, aut erronea; nec de ea publicè, vel priuatim agi, seu tractari; & præterea nullū ei præiudiciū infertur. Insuper omnes, qui eam asserunt, celebrare tenentur festum, quod celebrat Ecclesia Romana, & sub eodē *Conceptionis* nomine. Quid nunc aduersarij, vel apparenter obijcere possunt, vt indifferentiam huius nominis, *Conceptio*, suadeant? Declaratum esse ab Apostolica Sede nullum ipsis inferri præiudicium? At quis dicit eorum opinionē esse damnatam, aut reprobatam? hoc enim est præiudicium, quod illi non inferri declarat Pontifex. Cogit autem Ecclesia, vt optimè *Illustriss. Araujo d. num.* 52. *Artic.* 2. citatus dixit, ad cultū nouo modo deferendum; non ad antiquum iudicium intellectus mutandum. Considerentur attentè sibi inuicem inhærentia Summorum Pontificum decreta, à Sixto IV. ad Gregorium: in illis omnibus approbatur festū *Immaculatæ Conceptionis* à Sixto IV. institutum eodem sensu, & verbis; contraria verò opinio nihil vnquam à Sede Apostolica obtinuit, quàm vt toleraretur: vnde ergo repetè piç opinioni in cultu adæquatur? ideo scilicet, quia tot scandalorum occasio erat, quæ Summos Pontifices ad eam à colloquijs hominum amandandam compulerunt, aut certè, quia eius assertores, nomen *sanctificationis* illegitimè vsurpatum, dimittere coacti sunt. Ob has nimirum causas, tanti faceret Sedes Apostolica paucorum iudicium, vt propterea cultum Romanum in Concilio Tridentino receptum, tam euidenti mutatione antiquaret. Ingentia conantur, & vltra vires; cùm possent assensus interni, & colloquiorum inter se libertate, quæ benignè ab Ecclesia conceditur, frui: nec enim post multarum noctium lucubrationes, ampliùs aliquid ex Apostolicis decretis elicient.

Libellus eod. num. I. colum. 7.

Et ad hoc rursus curarunt ijdem apud Vrbanum VIII. vt declararet festum celebrari, non pro Conceptione quomodolibet accepta, sed pro Conceptione Immaculata: quod constantissimè renuit Vrbanus, asserens, quod neque recedere à vestigijs prædecessorum debebat, qui vtramque opinionem in sua probabilitate reliquerant, nec affirmare poterat, Gregorium opposita, & inter se pugnantia protulisse. Quod si declarasset, nomine Conceptionis,

Imma-

Immaculatam Conceptionem intellexisse, declararet Gregorium sibimet fuisse contrarium: dum ex vna parte asserit, se nullum præiudicium inferre velle opinantibus Beatam Virginem in peccato conceptam; & ex alia parte plusquam notabile præiudicium ipsis inferret, iubendo quòd Ecclesia vniuersalis Conceptionem Immaculatam celebraret.

DISCVSSIO.

52 PRORSVS laboriosas partes in hac Apologia suscepimus. Quid enim laboriosius, quàm pugnando defatigari, cum nihil solidi videas, quo impetum dirigere possis, & vires in ventum effundere? Quare si aduersarijs propositum est dilutionis conatum in nugis consumptum deludere; vmbras ferro non diuerberabimus, sed eis solum, quæ aliquam argumentorum speciem habeant, operam impendemus. Quinam illi fuerunt ex fautoribus Immaculatæ Conceptionis, qui hac noua instantia Sedem Apostolicam compellarunt? à quo Catholico Principe, Prouincia, Ecclesia, vel Vniuersitate, id in mandatis habuerunt? qua forma, quibus verbis exposuerunt Sedi Apostolicę suum desiderium, & petitionem? quo testimonio constat Sedem Apostolicā id, quod ipsi referunt respondisse? Proferantur Acta, exibeantur instrumenta, quæ reliquis nostri Regesti bona fide adiungantur; nam quæ incertis rumoribus feruntur, facilè iuxta narrantiū affectum detorquentur, & in nulla causa, nedum in hac grauissima, fidem facere possunt.

53 ITA in hoc facto, quod in libello tangitur, euenisse, patet ex *Illustris. D. Francisco de Araujo, loco alias citato ex to. 1. in 1. 2. q. 81. artic. 3. pag. 323.* vbi probans per celebrationem festi *Conceptionis*, neminem cogi ad mutandam propriam opinionem, subiungit. *In cuius signum, Apostolica Sedes festum ipsum Conceptionis noluit sub nomine Immaculatæ, nisi tantùm sub nomine Conceptionis simpliciter indicere celebrandum. Etsi ad primū fuerit rogatus non segniter ab Excellentiss. Duce de Alcala Catholici Regis legato, ad pedum osculationem, & obedientiam præstandam, Romam misso, Sanctissimus Vrbanus VIII. renuisse fertur, ne saltem hoc præiudicio alteram opinionem negantem, contra suorum prædecessorum decreta maculares.* Vides omnia ad dubiam famam, & per vulgus sparsos sermones referri; cū tamen super Ducis prædicti petitionem, & Pontificis negationem, causa etiam, quæ ad negandum mouit, signatè reddatur, non sine magno veritatis discrimine: mentē enim legislatoris, quānis autentico scripto traditam, intelligere facilè nō est; eam vero ex aliorum relatione colligere volenti prorsus diuinandum.

54 NOBIS ex fide dignissimorum testium, qui tunc in vrbe aderant, asseueratione compertum est, prædictum Ducem a fæl. record. Vrbano VIII. petijsse, vt liberum, licitumque esset quibuscumque Ecclesijs, vel Ecclesiasticis personis, officium proprium Fratrum Minorum in festo *Conceptionis* recitare; nihilque aliud eo tempore apud Sedem Apostolicam actum: neq; hoc ipsum Regis Catholici, aut Hispanæ nationis nomine, sed valdè quidem cōmendanda, priuata tamen Ducis pietate. Nulla ergo declaratio de sensu festi, quod certum est *Sanctæ*, vel *Immaculatæ Conceptioni* Deiparæ Virginis dicatum, desiderata fuit, sed ius tantùm eligendi pro cuiusq; deuotione, hanc vel illam formulam diuini officij: in qua re nihil innouandum Vrbanus prudentissimè censuit, mirè enim exaltatur *Conceptio* Matris *Quid veri habeat?*

Dei, dum idem cultus illi, ac ipsius Natiuitati tribuitur, qui adeo eidem B. Virgini gratus est, vt post reuelationem venerali Abbati Helsino factam, nunquã defuerint Ecclesiæ, quæ aliquid ex Natiuitatis officio ad *Conceptionis* solemnitatem assumentes, vtrumquè mysterij pari prosequutæ sint veneratione. Vide *Artic. 2 num. 107. & 129. & Regestum co um. 2. 196. 201. 209. 212.* & alibi. Hanc antiquam consuetudinem à Pio V. firmius stabilitam, Vrbanus VIII. sanctè in sua Breuiarij reformatione conseruauit, retento legitimo vsu Ordinis Minorum, vt dubitari non possit, idem celebrari à tota Ecclesia sub nomine *Conceptionis Sanctæ*, quod celebratur à Seraphica Religione sub nomine *Conceptionis Immaculatæ*: nam Fratres Minores alio sensu celebrare Festum *Conceptionis*, quàm Ecclesia Romana celebrat, ne leui quidem suspicione affirmari potest, cùm officium, & festum à Sixto IV. Religio nostra, & tota Ecclesia simul acceperit.

Re'ponsum Vrbano ad scriptũ planè improbabile.

55 QVIDQVID verò Auctores libellorum de causis ab Vrbano allatis, quasi vel ex ipsius ore audiuerint, vel dicenti verba dictauerint, vt compendio loquamur, nullo modo credimus; & indignum esse, quòd à prudentibus credatur, constantissimè asserimus. Nec sibi ex negata fide illatam iniuriam aduersarij iure conqueri possunt, si se litigantes meminerint, & vel ethnici Principis exemplum imitari non grauentur, qui *testem se in iudicijs, & interrogari, & refelli, æquissimo animo patiebatur. Sueto. Aug. càp. 56.* Si principalis auctoritas in iudicio non præponderabat; quis sibi arrogabit in iuridicis actionibus, vltra authentica instrumenta, vel competentia testimonia, esse credendum? At saltem vmbram Pontificiæ grauitatis retinet, quòd ei ascribitur oraculum. *Renuit Vrbanus asserens, quòd neque recedere à vestigijs prædecessorum debebat, qui vtramquè opinionem in sua probabilitate reliquerant: neque affirmare poterat Gregorium opposita, & inter se pugnantia protulisse.* In nec à vestigijs suorum prædecessorum recessisset Vrbanus, si ita respondisset: nullus enim Summus Pontifex vnquam declarauit, *se vtramquè opinionem in sua probabilitate relinquere.* Vide proximè dicta, *num 49. & Artic. 2. num. 211. 212. &* 214. Tam parui momenti est declaratio Apostolica de opinionum probabilitate, vt tam oscitanter, aut affirmari, aut persuaderi debeat? Præclarus verò tot disputationum, constitutionum priuilegiorum, gratiarum, Decretorum Sedis Apostolicæ fructus, si post ducentos annos nihil amplius nos docuit, quàm vtramquè opinionem manere in sua probabilitate. Quòd de contradictione additur, multò est frigidius. Probent aduersarij Sixtum IV. sibi contrarium fuisse, dum festum, & officium Immaculatæ Conceptionis disertè approbat; & oppositam sententiam non esse damnatam, æquè expressis verbis testatur. Probent Concilium Tridentinum pugnantia scripsisse, dum Sixti Constitutiones confirmat, festum ab eo institutum celebrat; nec tamen sub anathemate Piam opinionem definit; sed tantùm B. Virginem in Decreto de peccato originali se nole comprehendere declarat. Eandem contradictionem in diplomatibus Alexandri VI. Pij V. & Pauli V. easdem Constitutiones confirmantium, si possunt, inueniant. Solus Gregorius sibi contradiceret, si Immaculatam Conceptionem celebrari præciperet, quia paucis singularitatem affectantibus abstulit officium *sanctificationis?* Quòd nam est hoc contradictionis genus: piè colere, quòd colunt omnes, etiamsi aliàs contrarium in mente retineas? Adi locum *P. Salmeron. suprà num.* 31. Et quòd attinet ad præiudicium, quòd iterum inculcant aduersarij, *num. 44 cum sequentibus.*

Li-

Libellus num. 2. colum. 7.

Quis ergo non videat diuersitatem status in acceptione huius nominis Conceptio, ante Gregorium XV. & post illum? Hæc igitur diuersitas in causa fuit, quòd adeò attentè post Gregorium curatum sit, quòd nullo modo adderetur titulus Immaculatæ, Conceptioni, sed Virgini; ita vt nec etiam recitatiuè hic titulus ipsi Conceptioni annecteretur. Cum enim satis compertum esset, aduersariorum intentum esse populis persuadere, Ecclesiam præseruationem diffinisse, dum voluit quòd omnes sub nomine Conceptionis celebrent, quasi apud Ecclesiam idem esset Conceptio, & Immaculata Conceptio, (iuxta prædictam vulgarem huius nominis acceptionem,) ne populi in hunc errorem inciderent, prudentissimè cautum est, quod sub Gregorij prædecessoribus non adeò cauendum erat, quia tunc licitum vnicuique erat vti, quo volebat, nec aderat præceptum, vt in Vniuersa Ecclesia, sub vnico Conceptionis nomine hoc festum celebraretur.

DISCVSSIO.

Mira confidentia.

56 ECCE summam rei probatæ acclamationem, propter quã vadimonium deseri possit. Quod antè affirmando, nunc vehementius interrogando efferunt tãta arte, vt siquis eis respōdere velit, ego non video, eorum oratio tanquã sydere afflata, viribus destituta concidat. Nihil enim proficit figurata interrogatio, *quis non videat?* nisi aduersæ partis disputatores respondeant, nullus *alieno quippè iudicio nemo miser est*, vt *Saluianus*, ait. Nos id respōdere non possumus, quia cũ *Augustino de vtilit. credendi, discimus à ratione nobis dari, vt intelligamus, à Fide vt credamus*: Quare nec videmus, quod rationibus ad intelligendum non nititur, aut testimonijs ad credēdũ.

Dictum non probatum.

57 ATTENTE curatum esse post Gregorium ne titulus *Immaculatæ* adderetur *Conceptioni*, ne recitatiuè quidē, dicunt aduersarij, vt pleraq; alia, sed non probant: quomodò enim hoc constare potest, cum ipse Gregorius Bullas Pontificias, in quibus titulus *Immaculatæ Cōceptionis* legitur, confirmauerit, & nec ipse, nec successor Vrbanus prædictum titulũ, aliquid scriptum in quo contineretur recitantes, prætermiserint? Sed quia respiciunt aduersarij ad Constitutionem Vrbani, qua erigitur Militaris Religio *Conceptionis*, de ea, infrà agemus, *num*. 68.

Grauis iniuria.

58 IAM quod addunt, vt *satis compertum: aduersariorũ intentum esse populis persuadere Ecclesiam præseruationem definisse*: vt modestissimè loquamur, grauis in Piæ opinionis assertores iniuria est. Extant scripta publicè edita post Decretũ Gregorij de instantia pro definitione facienda, à nobis nominatim allegata *Artic. 2. num. 206.* viuunt innumeri oculati testes, qui in Curia Regis Catholici adfuerunt, cùm de huius mysterij definitione petēda à Sede Apostolica tractaretur post Vrbani mortem, ipsique de hac re consulti respōderunt: scit vniuersus Orbis nihil frequentius à concionatoribus Piam opinionem docētibus inculcari, quàm assensum de præseruatione Matris Dei à peccato originali liberũ relinqui diuina prouidētia: *Vt quilibet obedat zelũ suũ*, sicut ipsa B. Virgo S. Brigitæ reuelauit, *colum*. 53. *Regesti*. Quomodò populis persuadent præseruationē esse definitam, qui in omniũ populorũ, conspectu adeò publicè, adeò ardenter expetunt, & omni conatu, ac solicitudine instant, vt definiatur? Manifestiora sunt hęc, quàm vt illustratione aliqua indigeant: in magnos, & doctissimos viros calumnia iactatur, qui non solùm ab illa liberi sunt, sed & plebem indoctam, ne in eiusmodi errorem labi possit, sua auctoritate, & frequenti admonitione retinent: immo adeò vulgo notũ est mysterium præseruationis nō esse definitũ, vt nulla admonitionis necessitas appareat. Quare nec vera causa subest, aut aut prudenter existimata cauendi à titulo *Immaculatæ Conceptionis*, eo quòd omnes sub vnico *Conceptionis* nomine celebrare teneantur: nam gradum certitudinis, quē hodie obtinet opinio Pia, ab ea festi celebratione obtinet, quàm solem-

solemniter admisit Ecclesia Romana: quæ vt dissonantiam in cultu sustulit, ita se controuersiam non definisse tã apertè docuit, vt à nullo fideliũ ignoretur. Indignũ profectò est honorẽ gloriosissimæ Virgini hactenus legitimè delatũ diminuere ob leuissimas suspiciones tũ receptæ pietati aduersantium, quos corrigi potiùs oportet, & communi Ecclesiæ sensui adhærere: *Turpis enim omnis pars est suo vniuerso non congruens*, vt ex Augustino refertur, *cap. quæ contra 8. distin.*

Sanctificationis festũ ab

59 QVOD etiam clariùs modò repetunt ante Gregorium *vnicuique licitum fuisse vti nomine quo volebat* in celebrando festo, iam supra impugnatum est *hoc tractatu à num.* 25. vbi apertè probauimus nunquam auctoritate Ecclesiæ Romanæ celebratũ festũ *Sanctificationis*. Illud igitur genus cultus *licitum* nullatenus fuit, sed illicitum, & inter abusus numeratum: quod idcirco Gregorius vltra non tolerandum censuit, ne legitimæ consuetudinis vim successu temporis præriperet: vt enim admonet Nicolaus Papa, *Cap. mala consuetudo, ead. d. incipiunt præuaricationes, & variæ præsumptiones celerrimè non compressæ, pro legibus venerari, & priuilegiorum more perpetuò celebrari.*

Ecclesia nunquã approbatum.

Libellus num. 3. colum. 9.

Vndè non mirum quòd aliqui Pontifices ab aduersarijs citati aliquando recitatiuè addiderint titulum Immaculatæ, ipsi Conceptioni.

DISCVSSIO.

Dissimulatio rationũ efficaciũ.

60 PERSISTVNT aduersarij in extenuando argumenta piæ opinionis; quòd eorum causam maximè deprimit: nam qui contrà disputantis rationes non integrè refert, responsioni se imparem haud dubiè fatetur. Dicunt non esse mirum Pontifices recitatiuè vsos esse titulo *Immaculatæ Conceptionis*; quasi illum nullibi enuntiatiuè, dispositiuè, aut approbatiuè, protulerint. Nos autem apertissimè ostendemus omnibus modis prædictum titulũ, in Põtificijs diplomatibus inueniri.

Quid sit proferre aliquid recitatiuè, enũtiatiuè, dispositiuè, & approbatiuè.

61 NE verò de acceptione particularum; quantumuis notissimæ significationis, possit esse contentio: in primis præmittimus, tunc aliquid dici *recitatiuè tantùm*, cum proferens præcisè refert quod ab alijs dictum est, non affirmando rectè nè an secùs dixerint, sed solùm quid dixerint, proponendo: Tunc autem dici aliquid *enuntiatiuè* (iuxta receptiorem modum loquendi, præsertim apud Theologos,) cum proferens verbis explicat suum proprium sensum: item tunc aliquid dici *dispositiuè*, cum statuitur, aut ordinatur quid faciendum, vel sentiendum sit: tunc denique dici aliquid *approbatiuè*, cùm id, quod profertur, rectè dictum esse affirmatur. Certum etiam est, hos quatuor modos aliquid proferendi posse in eadem loquutione coniungi: longè enim differt, dicaturnè aliquid *recitatiuè*, an *recitatiuè tantùm*: quia qui *tantùm recitatiuè* loquitur, alios loquendi modos excludit; at nihil impedit aliquẽ id ipsum, quod recitat, simul enuntiare, disponere, & approbare: vt patet innumeris exemplis; sed sufficiat vnicum ex *Matth.* 15. vbi Dominus ait: *Hypocritæ, benè prophetauit de vobis Isaias dicens: Populus hic labijs me honorat, &c.* Eadem oratione verba Isaiæ recitans, eaque suo nomine enuntians, rectam verborum applicationem disponens, ac statuens, & vt benè prophetata approbans. His suppositis: conueniunt nobiscum aduersarij, titulum *Immaculatæ Conceptionis* legi in Bullis Pontificum *recitatiuè*; nec negare

re possunt hunc honorem, qualiscumquè sit, non delatum à Pontificibus titulo *Sanctificationis* à nullo Pontifice hactenus adhuc recitatiuè vsurpato. Probandum ergo est, sæpè in scriptis Apostolicis vocari *Conceptionem* B. Virginis *Immaculatam*, non solùm *recitatiuè*, sed etiam *enuntiatiuè*, *dispositiuè*, & *approbatiuè*, quos modos aduersarij silentio inuoluunt, & nobis expendendos relinquunt.

Qui Pontifices protulerint titulum Immaculatæ Conceptionis *enuntiatiuè, & approbatiuè.*

Six. IV.

62 VSOS ergo Summos Pontifices titulo *Immaculatæ Conceptionis*, ex mente propria, & cum approbatiõne, manifestimum est. Sixtus IV. in posteriori Extrau. *Graue nimis* corpori iuris inserta, sic ait *colum.* 110 *Regesti*. Referens propositionem quorundam prædicatorum: *Eiusdem Immaculatæ Conceptionis officium celebrantes peccare grauiter*: postea eandem propositionem damnans subiungit: *Assertiones prædicatorum eorundem, & aliorum quorumlibet, qui affirmare præsumerent, eos, qui crederent, aut tenerent, eandem Dei Genitricem ab originalis peccati macula in sua Conceptione præseruatam fuisse, propterea alicuius hæresis labe pollutos esse, vel mortaliter peccare: aut huiusmodi officium Conceptionis celebrantes, seu huiusmodi sermones audientes, alicuius peccati reatum incurrere: vtpotè falsas, & erroneas, & à veritate penitus alienas, editosquè libros prædictos id continentes, quoad hoc auctoritate Apostolica reprobamus, & damnamus*. In hoc Apostolico Decreto posteriora verba *huiusmodi officium Conceptionis*, eandem vim habent, ac priora, *Immaculatæ Conceptionis officium*: tùm quia particula *huiusmodi* refertur ad propositionem anteà commemoratam, vt damnaretur: tùm quia præseruationem asserentes, quos defendit Pontifex, *huiusmodi officio* vtebantur, in quo *Conceptio* B. Virginis expressè prædicatur *Immaculata*. Itaque damnantur à Pontifice, qui dicebant, *Immaculatæ Conceptionis* officium recitantes peccare grauiter: ideo verò damnantur, vt ipse Pontifex initio extrauagantis dixerat, quia id affirmabant, *cùm Sancta Romana Ecclesia de Intemeratæ, semperquè Virginis Mariæ Conceptione publicè Festum solemniter celebret, & speciale, ac proprium super hoc officium ordinauerit*: ergo apertè defenditur contrà impugnatores titulus *Immaculatæ Conceptionis* ab Ecclesia non solùm approbatus, sed etiam in officio ab ipsa emanato traditus vt patet ex Constitutione, *cum præexcelsa*, *colum.* 47 & ex alia Leonis X. incipit. *Suprà gregem Dominicum*, *colum.* 138. *Regesti*, quam expendimus *Artic.* 2. *num.* 18 *colum.* 64. *Armament.* Ecce Sedes Apostolica titulum *Immaculatæ Conceptionis* enuntiat, approbat, à se profectum agnoscit, eo vtentes magnis anteà indulgentijs donatos, & nouis fauoribus allectos tuetur contra impugnatores, quos grauissimæ damnationi subijcit. Tam ergo verum est, *Immaculatæ Conceptionis* titulum contineri enuntiatiuè, & approbatiuè in litteris Apostolicis, quàm eum impugnantes assertiuè, immò motu proprio, & ex certa scientia damnari.

63 CÆTERVM, cùm prædicta Constitutio *Graue nimis* posterior *Alex. 6*
confirmata sit ab Alexandro VI. vt patet *colum.* 63. *Armament.* & *colum.* 117. *Regesti*. Item in omnium sententia à Concil. Tridentin. ex dictis *Concil.*
Artic. 2. *num.* 24. à Pio V. *Ibid. num* *Trid.*
36. & *in Regest. colum.* 168. à Paulo *Pius 5.*
V. *Ibid. num.* 37. & *in Regest. colum.* *Paul. 5*
175. & tandem à Gregor. XV. *Ibid.* *Gre. 15*
num. 45. & *in Regest. colum.* 183. perspicuum est, hos quatuor Summos Pontifices, ipsumquè Concilium Æcumenicum, enuntiatiuè, & approbatiuè titulum *Immaculatæ Conceptionis* suis diplomatibus, aut decretis inseruisse, vel pro inserto habuisse, dum Constitutionem, in qua enuntiatiuè, & approbatiuè continetur, inseruerunt, vel pro inserta habuerunt, omnia, & singula in ipsa contenta roborantes, & innouantes. Nulla sanè illustrior approbatio tituli *Immaculatæ Conceptionis* proferri, aut desiderari potest.

Innoc. 8. *& Iul.* 2. 64 HABEMVS tamē alias non minus graues, & expressas. Nam Innocentius VIII. & Iulius II. instituerũt Religionẽ Monialiũ ex vi regulæ, & proprij status colentium *Immaculatam Dei Genitricis Conceptionem*: Quem titulum dispositiuè contineri in Bulla institutionis nullo modo negari potest: quia regula, in qua titulus ipse, vt fundamentum illius modi viuendi continetur, dispositiuè inseritur Bullæ, approbatur, & confirmatur. De qua re plusquàm satis *Artic.* 2. *à num.* 147. diximus, vt nihil vlterius addendum supersit.

Leo. 10. 65 EXTAT in *Regesto, colum.* 141. concessio Leonis X. quæ hoc habet initium. *Pia Christifidelium, & præsertim Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ Virginis, Redemptoris nostri, & humanæ salutis auctoris Domini nostri Iesu Christi Genitricis honorem tendentia vota, ad exauditionis gratiam libenter admittimus, & fauoribus prosequimur opportunis.* Ecce expressam approbationem pietatis fidelium honorantium *Immaculatam Conceptionem.* Et vt clarius constet Pontificem approbatiuè loqui, subiungit petitionem sibi factam: *Cum itaquè sicut nobis exponi fecistis, &c.* Antea ergo nihil recitauerat, sed ex mente propria loquens titulum *Immaculatæ Conceptionis*, quo B. Virgo à supplicantibus colebatur, se fauoribus prosequi testatus erat. Excogitent aduersarij nouos litterarum tenores, aut clausulas, & explicent quibus verbis sibi satisfieri velint, vt titulus, quem impugnant, censeri debeat à Sede Apostolica approbatus; nobis enim nihil ad plenissimam approbationem deesse videtur, sed multa superabundare. Consideratione etiam dignum est aliud eiusdem Leonis diploma

Idem. in *Regesto, colum.* 164. incip. *Quia nuper accepimus, nonnulla in partibus Hispaniarum Monasteria Monialium Ordinis Immaculatæ Conceptionis Virginis Mariæ sub vestra obedientia diu, noctuquè Altissimo famulatum præstare, &c.* Hæc quidem verba recitatiua sunt, sed habent subiunctam approbationem, dum *eisdem Monialibus Conceptionis in eadem obedientia permanentibus* communicat Pontifex omnia, & singula priuilegia concessa, & concedenda, quibus Fratres Minores, Sanctæ Claræ Moniales, & sorores Tertij Ordinis gaudent. Fierinè hoc potuit sine approbatione modi viuendi sub famulatu *Immaculatæ Conceptionis*? Præter quàm, quod loquutio illa, *nuper accepimus*, magis referenda videtur ad notitiam habitam à Sede Apostolica de laudabili conuersatione dictarum Monialium, quàm de earum institutione, quæ ex Bullis Innoc. VIII. & Iulij II. non referebatur, sed supponebatur. Sicut ergo Pontifices communicationem priuilegiorum Religioni S. Augustini, Dominici, aut Francisci concedentes, indubitanter asserunt esse huiusmodi Religiones in Ecclesia, & iure titulis consuetis nominari: ita Leo X. priuilegia antiquiorum Ordinum ad Moniales *Immaculatæ Conceptionis* extendens, titulum nouæ Religioni collatum agnoscit, & vt legitimum approbat, & confirmat. De æquiualentia autem *Conceptionis, & Immaculatæ Conceptionis* suprà diximus hoc tract. *à num.* 14. & *Artic.* 2. *à num.* 84. *Sixtus IV. Alex.* 6. *Innoc.* 8. *Iul.* 2.

66 IAM verò omnes Pontifices, qui sub speciali forma, officia, in quibus *Conceptio* B. Virginis *Immaculata* dicitur, approbarunt, quid aliud dicemus, quàm de eodem titulo dispositiuè loqui? Nec enim opus est, vt hæc verba, *Immaculata Conceptio*, in litteris approbationis legantur: nimis morosus esset, & vocibus magis, quàm sensui addictus, qui id exigeret; inspiciendum potiùs est, super quid cadat Pontificia approbatio: cum enim officia, de quibus agimus, non solùm inscribantur de *Immaculata Conceptione*, sed ex professo destinata sint ad colendam B. Virginis præseruationem à peccato originali, idque sæpius repetant, modò conceptis verbis appellando *Conceptionem Immaculatam*, modò vtendo phrasibus æquiualentibus, quas *Artic.* 1. *num.* 4. *colum.* 30. recensuimus: quis dubitare poterit à Sum- *Pontifices officiorum Immaculatæ Conceptionis approbatores. Vrban.* 8. *piæ opinioni supra modum fauit.*

à Summis Pontificibus huiusmodi officia approbantibus, epithetum *Immaculatæ* approbari, vt additum *Conceptioni*, & quidem approbatione tanta, vt citra definitionem de Fide nulla maior desiderari posit? Sub his ergò terminis & Apostolicæ auctoritatis vigore approbauit cum indulgentiarum concessione officium Leonardi Nogarolij Sixtus IV. *colum.* 46. *Regesti*; item aliud compositum à F. Bernardino Bustio *colum.* 547. Officia propria Monialium Conceptionis in eodem *Regesto* ex parte relata *colum.* 142 *&* 220. præter memoratum Pontificem, & Alexandrum VI. *Ibidem* nominatos, Innocentius VIII. Bulla incip. *Inter innumera*, *colum.* 113. & Iulius II. Bulla incip. *Ad statum prosperum*, *cap.* 12. *de diuino officio*, *& oratione*, *colum.* 135. Legantur officia, expendantur Apostolicæ Constitutiones: nec poterit reuocari in dubium, titulum *Immaculatæ Conceptionis*, & mysterij cultū, quod his verbis Pia Opinio explicat, vt in officijs enuntiatur, ita in Constitutionibus dispositiuè & approbatiuè toti Ecclesiæ amplectendum proponi.

67 EST & alia series Pontificum eundem titulum *Immaculatæ Conceptionis* non recitantium, sed approbantium, & mirificis fauoribus prosequentium, variasque gratias B. Virginem à peccato originali præseruatam colentibus concedentium: quæ omnia *in Quarto Fundamento Artic.* 2. *à nu.* 170. latè tractauimus, indicatis etiam *Regesti* locis, vbi ipsæ concessiones habentur. Quarè si aduersarijs non videtur mirum, aliquos Pontifices aliquando recitatiuè addidisse *Conceptioni* titulum *Immaculatæ*; nobis valdè mirum videtur, hunc titulum ab aliquo impugnari, quem plurimi Pontifices enuntiatiuè, approbatiuè, & dispositiuè de cathedra loquentes, cùm Religiones instituerēt, officia diuina ordinarent, indulgentias, & alios fauores concederent, suis Apostolicis litteris sæpissimè inseruerunt.

Alij Pōtifices gratias concedentes vi ētibus titulo Immaculatæ Cōceptionis.

Libellus eodem num. 3. colum. 9.

Cæterùm non ita Vrbanus VIII. Gregorij successor, vt videre licet in Bulla, quæ incipit, Imperscrutabilis, *quæ erigitur Religio Militaris sub inuocatione* Conceptionis *Deiparæ, vbi nūquam titulus Immaculatæ adiungitur Conceptioni, sed Virgini, & hoc ex speciali mandato ipsius Vrbani VIII.*

DISCVSSIO.

68 QVID in illa Bulla videre licet, quod supra modum præseruationis mysterio, & Immaculatæ Conceptionis cultui nō faueat? Primò erigitur Religio sub inuocatione *Conceptionis*, & regula S. P. N. Francisci, Minorum stemmatibus cum Equestribus arctissimo nexu sociatis. Nonnè hoc satis est, vt intelligamus coli *Conceptionem Immaculatam*? quæ ergo alia *Conceptio* coleretur? an maculata? nefas dictu est, vel cogitatu; an indifferens? nihil vnquàm Ecclesia Romana coluit, nisi sanctum, purum, mundum, & immaculatum. Sed fortè ex eo indifferentia colligitur, quòd Religio Militaris *Conceptionis* cum Minoritana Familia commercium habet, & ab ea signum militiæ petit, accipiet enim indifferentem Virginis Conceptionem. *Nil intra est oleam, nil extra est in nuce duri.* Vide *Artic.* 2. *num.* 155. *&* 158. Secundò, additur perpetuò titulus *Immaculatæ* B. Virgini, cum ordine, & respectu ad eius *Conceptionem*: quo modo loquendi, piam opinionem signatissimè exprimi, osten-

ostendimus *ibid. num.* 159. *vsque ad finē Tertij Fundamenti:* & simul causam reddidimus, cur titulus *Immaculatæ* retineri debeat additus *Conceptioni;* quamuis eandem vim, & robur seruet, cum Virgini additur. Tertiò, Vrbanus in prædicta Bulla, erigit Religionem Militarem, iuxta petitionem Fundatorum, quos *Immaculatæ Conceptionis* cultum apertè postulasse constat ex eorum, & Pontificis verbis *ibid num.* 156. 157. *&* 158. adductis, & expensis. Quartò denique Pontifex Constitutiones ab eisdē Fundatoribus oblatas Apostolica auctoritate confirmauit, in quibus præseruatio gloriosissimæ Virginis luculenter asseritur, vt clausulæ à nobis dictis locis exceptæ testantur. Tot igitur rationibus manifestum efficitur, Religionem Militarem sub *Conceptionis* nomine venerari *Conceptionem Immaculatam*: quem esse vniuersalem fidelium sensum ex *num.* 154. *d. art.* 2. non minùs apertè intelligi potest.

Obiectionis solutio.

69 AT (inquiunt aduersarij) in prædicta Bulla *nunquam titulus Immaculatæ adiungitur Conceptioni.* Quid nos audimus? In hac Bulla tantum? Cur nō proferunt pro se, & contra nos, Constitutiones Sixti IV. *Cùm præexcelsa,* & priorem *Graue nimis,* in quibus *Conceptio* B. Virginis nunquam vocatur *Immaculata?* An vt titulus *Immaculatæ Conceptionis* legitimè vsurpetur, debet reperiri in omnibus Bullis Pontificijs? Vel argumentum ab auctoritate purè negatiua, vt in scholis loquimur, vllam vnquam apud doctos habuit efficaciam? Vrgebunt, se non argumentari ab omissione tituli, sed à transpositione: dum enim Vrbanus, nec epithetum *Immaculatæ* siluit, nec vnquam *Conceptioni*, sed Virgini adiunxit, indicasse videtur *Conceptionem* non esse appellandam *Immaculatam.* Hæc tamen serræ per eandem lineam reciprocatio æquè inualida est, & auctoritas semper negatiua manet; imò nec vim negatiuæ pro aduersarijs habet: quia epithetum *Immaculatæ* additum Virgini, cum de eius *Conceptione* agitur, non minus præseruationem significat, quàm titulus *Immaculatæ Conceptionis*, vt proximè dicebamus, & loco citato abundè probauimus. Adde Sixtum Quartum in vtraque Constitutione, *Graue nimis*, similiter epitheta transposuisse, *Immaculatam,* & *Intemeratam* Virginem vocando, quod & Cōcilium Tridentinum fecit; nec tamen hucusque inuentus est, qui suspicaretur per illa Decreta cultoribus *Immaculatæ Conceptionis* aliquid detractum; sed potius quidquid fauoris à Sede Apostolica acceperant, valdè confirmatū. Quarè cum modus loquendi, quo Vrbanus VIII. in Bulla *Imperscrutabilis* vsus est, nouus non sit, sed iam pridem Apostolicis scriptis familiaris, & ab omnibus intellectus, vt piæ opinioni fauens, & eius sectatoribus gratissimus, similiquè ab *Immaculatæ Conceptionis* impugnatoribus sedulò vitatus, qui non minùs *Immaculatam Virginem* appellare reformidabant, quàm *Conceptionem*, vt *d. Artic.* 2. *num.* 165. obseruauimus: petendum est ab aduersarijs, sua, vt argumenta depromant, nostra verò nobis relinquant, qui Romana Ecclesiā præeunte, & *Immaculatam Virginem*, & *Immaculatam Virginis Conceptionem* absque discrimine per quadringentos ferè annos cum vniuerso propemodùm Orbe Christiano venerati sumus.

70 QVOD additur *de speciali mandato Vrbani Octaui*, & in posteriori libello *num.* 35. *colum.* 21. vocatur *euidens experimentum*, nimirùm *cùm in aliqua impressione domi tunc facta, titulus Immaculatæ Conceptionis, vel per errorem, vel fraudem irrepsisset, sedulò mandante Papa emendatum fuisse*: eodem vitio laborat, quo multa ab aduersarijs proprio tantùm testimonio fulcita, & pro arbitrio in alienum sensum detorta. Vrbanus enim titulum *Immaculatæ Conceptionis* adeò abolere noluit, vt Reginæ Catholicæ *Immaculatam Conceptionem* non solum colenti, sed etiam vt definiretur instanter flagitanti, habitum benedictū Militiæ Christianæ miserit; & templi Patrum Capuccinorum B. Virginis *Conceptioni* dicati primum lapidē auspi- Mens Vrbani aperitur

cato

cato fecerit, tam singulari honore afficiens, quos *Immaculatæ Conceptioni* totum illum cultum impendere, ipsi erat notissimum. De vtroque Vrbani facto consule *Art. 2. num. 163.* Quid ergo nunc aduersarij ratiocinantur? Emendari præcepit Vrbanus mendum typographicum errore, vel fraude commissum; (nostri enim narratores dubijs relationibus delectari videntur;) nunquid ideo censuit *Conceptionem* B. Virginis non esse appellandam *Immaculatam*? Aut declarauit, *Conceptionis* nomen esse indifferens? aut iuxta eius mentem editum est Decretum de titulo *Immaculatæ Conceptionis* eliminando? Si Vrbani *speciale mandatum* cauit de auferendo epitheto *Immaculatæ* adiuncto *Conceptioni*, non solùm in sua Bulla, sed vbicunque nuper, vel olim egeretur: cur Decretū id ipsum præcipiens, coram eo conditum non est? Cur nihil ad eum de condendo, aut condito Decreto relatum? Cur actum, vel postulatum non est, vt ab eo confirmaretur? Cur (quod minimū erat,) eo viuente in lucem nō exijt? Dubitari certè non poterat de consensu Pontificis, qui adeo specialiter tituli abolitionem præceperat. Si autem illud *speciale mandatum* solummodo cōiunxit fidelitati transcriptionis, ne verba Bullæ inuerterentur, aut ab archetypo discreparent; quid aduersarij iactant, vel quid inde colligere possunt? Si vox, *Immaculata*, fraude, vel errore irrepsisset in Orationem post communionem officij Missæ, quo Fratres Minores vtimur, vbi tantùm legitur, *vt qui hodie Mariæ Conceptionem iubilando celebrant, &c.* nos ipsi, qui hunc titulum tantopere defendimus, eam summa diligentia ex omnibus exemplaribus deleremus; num ideò iudicaremur voluisse, vt nullibi *Immaculata Conceptio* caneretur? Sunt qui pietatis causa se signantes pronunticnt, *Per signum sanctissimæ Crucis*; alijs hæc pietas non placet, & cò fidelius orare volunt, quo simplicius, nihil aliud dicētes, quàm quod ab Ecclesia acceperunt, *Per signum Crucis*; num proptereà sanctissimæ epithetum alibi Cruci additū expungerent? Aut Crucem *vniuersis sanctiorem* toto mentis affectu cum Ecclesia non vocant? Sed ne illud quidem aduersarij cōsiderant, speciem esse honoris rem, quam colimus, nominare tantùm, & nullo prætereà adiuncto insignire, quasi nullum sufficiat ad exprimēdam excellentiam innumeris attributis dignissimam, quæ omnia significantiùs reticentur, quando in solo nomine cōpendio exprimuntur. Terminus enim, auctore Philosopho, breuis est definitio, sicut definitio terminus longus. Sic dicimus augendi honoris causa, Deus, Papa, Rex, fatentes nihil his nominibus posse superaddi maius. Id præcipuè obseruat Ecclesia in festiuitatibus Kalendario adscribendis, vbi nuda mysteriorum nomina perpetuò legimus, Natiuitatem D. N. Iesu Christi, vel B. Mariæ Virginis, Præsentationem, Annuntiationem, &c. Quæ tamen mysteria, vel in officiorum cōtextu, vel in alijs scriptis, magnificè epithetis ornantur, prout res exigit, & Ecclesiæ consuetudo præscribit. Idem prorsus nomini *Conceptionis* contigit, quod cùm Vrbanus per Decretum Gregorij consecratum reperisset, sublata libertate vtendi voce *Sanctificationis*, aut alia quacunque, quæ pro *Conceptione* substitui posset; prudentissimè censuit, *Conceptionis* mysterium ea maiestate nominandum, qua Ecclesia consueuit reliqua à se celebrata appellare: itaquè solum *Conceptionis* titulū Militari Religioni attribuit, vt quod iam sine adiuncto prolatum sanctitatē secum afferret, & ab omni macula puritatem. Ex quo velle colligere Pontificem *Immaculatæ Conceptionis* appellationi aliquid derogasse, mirum est, quàm a communi hominum sensu discedat; cum potiùs iure optimo colligi debeat, valdè Pontifici placuisse illud nomen honorificentissimis titulis ab omnibus decorari, quod ipso instituente, Religioni Militiæ Christianæ auspicatissimam aduocationem dedisset.

Libellus eodem num. 3. colum. 9.

Præterea, cùm ex officio Summus Pontifex prouidere debeat, ne aliqua doctrina, seu assertum aliquod reputetur Vniuersalis Ecclesiæ sensus, si de eius veritate dubitari posit, & oppositum ab ipso Pontifice tanquàm verum, & ab eadem Vniuersali Ecclesia tenendum posit definiri. Cùm igitur opinio præseruationis Deiparæ à peccato originali dubia sit, & oppositum posit ab Ecclesia definiri; & nihilominus Romani Pontifices iustis de causis indicauerint silentium imponere defendentibus Conceptionem in peccato originali, ita vt nec etiam in priuatis colloquijs cum sæcularibus liceat ipsis de hac materia differere: insensibiliter eò deueniret negotium, vt Vniuersa Ecclesia, præter Ordinem Prædicatorum, haberet veritatem præseruationis tanquàm certam, & ab Ecclesia definitam.

DISCVSSIO.

Qualis zelus aduersariorum pro Ecclesiæ auctoritate.

71 VALDE soliciti aduersarij videri volunt pro Ecclesiæ Catholicæ auctoritate; quàm labefactari frustra verentur propter pium fidelium consensum in articulo non definito; nihil intereà pensi habentes illam ipsam auctoritatem absque dubio grauissimè lædi, dum, vel minima suspicione, error, aut assensus falsi periculum timetur in amplectendo doctrinam, quamuis non definitam, manifestè tamen approbatam ab Ecclesia, in cultu diuino solemniter admissam, Religionum erectione, indulgentijs, & omnis generis fauoribus ad excelsum certitudinis gradum prouectam. Audiant igitur isti terrorum inanium seminatores *Illustriss. D. Ambros. Catharin. disp. pro Immac. Concept. ad Concil. Trid. parte 2. colum. 113.* sic eorum magistros alloquentem. *Desinite, igitur, trepidare timore, vbi iam sublatus omnis est timor: & cõsiderate ad Catholicam, & vobis opportunius seruientem sanctissimi illius Abbatis Bernardi sententiam: Ego, inquit ille, quod ab illa accepi, securus teneo, & trado. Accipite, & vos, vt securi teneatis, & tradatis; alioqui quis non iudicabit vos illius auctoritate, contra eiusdem auctoritatem abuti? Verùm, vt vos in angustum concludam, interrogo vos. Putatis nè in hac celebratione, quam Romana tradidit Ecclesia, & Tridentinum Concilium confirmauit, vllum esse peccatum, seu peccati periculum, an non? Si primum asseritis, eiusmodi assertio iam dudum ad perfrangendam eorum temeritatem, qui ita blasphemabant, securè damnata est ab illa Sede, in secunda Decretali,* Graue nimis, *vt falsa, & erronea, ac penitùs à veritate aliena. Et quicunque illam asserit, sententia prosternitur anathematis. Sin autem hoc asserere non potestis, nec audetis; quid ergo causæ asignari à vobis potest, cur in tam piam, & securam sententiã, cum reliquo Christiano Orbe non concurritis? Profectò non alia fingi causa potest, nisi quod saltem vestra repugnantia contestamini inesse peccatum sic celebrare, ac propterea turpissimè, & grauissimè peccare Ecclesiam Dei, quæ cùm sit mater omnium, & magistra, non solùm peccatum celebrando, peccat, verum etiam talem celebrationem pro-*

proponens alijs peccati materiam præbet. Itaque constituitis vosmetipsos censores, & iudices tantæ Sedis, & omnium Ecclesiarum, & Ordinum, & Vniuersitatum, quæ à vobis (vt nostis) apertè toto corde dissentiunt: nec Ecclesiæ definitionem, quæ hunc vestrum sensum iam dudum damnauit, tenetis: cuius sententiam, quam & Tridentina Synodus (vt diximus) comprobauit, contemnitis. Prorsus vrgens est, & in arctum concludens Catharini interrogatio, cuius vim effugere non possunt, qui doctrinam, vel assertum de B. Virginis Præseruatione ab Vniuersali Ecclesia speciali festo celebrata, in dubium reuocari posse contendunt.

Effugiū. 72 SCIMVS dicturos aduersarios, se non opponi doctrinæ, quam Ecclesia celebrat, nec vocare incertum, quod Sedes Apostolica colendo approbat; quin potius nole priuatas, & dubias opiniones illustri Ecclesiasticorum dogmatum titulo commendari. Sed quis *Præcluditur.* non videt eundem, quamuis tectiorem auctoritatis Ecclesiæ contemptum esse, si fateri renuas ab ea coli, quod ipsa se colere declarat, ac si palam quod ab illa colitur reijcias? Vtrouis certè modo arguitur Ecclesia mēdacij: vel quod sanctitatem falsam, aut incertam colat; vel quod explicans suum cultum, declaret quod reuera non sentit. Nam de facto ipso, id est, declaratione Ecclesiæ circa sensum festi *Conceptionis* nullum dubium est. An negabunt aduersarij, damnatos esse à Sixto IV. asserentes solam spiritualem *Conceptionem* à Romana Ecclesia celebrari? Vide *Artic.* 2. *num.* 11 *colum.* 59. & auctores ibi citatos. An officium speciale, & proprium de Immaculata Conceptione ab Ecclesia Romana emanasse? *Ibid. colum.* 60. An censores opinionis Piæ grauissima sententia percuti, quia quod Ecclesia colebat, ipsi vt hæreticum damnabant? lege eundem *Artic. num.* 32. *colum.* 72. An institutam Religionem, in qua expressè tria vota essentialia emittuntur *ob amorem, & seruitium Domini nostri, & Immaculatæ Conceptionis eiusdem Genitricis? Ibid. num.* 150. An in dubium vertent, hæc vt à nobis intelliguntur, ab omnibus ferè fidelibus, etiam doctissimis, pro compertis haberi? Fateantur ergo, nec frustrà dissimulent, se apertissimè asserere, dubitari posse de veritate doctrinæ, quam Vniuersalis Ecclesia festo instituto veneratur, in diuinis officijs canit, vt à se approbatam tuetur, & omnibus fidelibus inter religiosas obseruantias dignissimo loco amplectendam proponit.

73 IAM minimè mirari debemus duas illas tantæ molis assertiones, quarum prior est: *Cùm igitur opinio Præseruationis Deiparæ à peccato originali dubia sit;* altera autem, *& oppositum possit ab Ecclesia definiri*, ab auctoribus libellorum, non ingenti qualem exposcebant, conatu proferri, nullis probationibus confirmari, sed demitti velut in proximos. *Quàm magna ab aduersarijs asfirmētur sine vlla probatione.* Cùm enim assertiones his contrariæ Ecclesiæ auctoritate roborentur, necesse erat talia scribentibus, non modò efficacia, sed qualiacumque etiam argumenta deesse. Profunda ergo calliditate, quę nec tacere volebant, nec probare poterant, in medio absque rationum fulcris quasi suo pondere stantia reliquerunt, vt ab incautis tanquam axiomata suspicerentur, & sine trepidatione affirmantibus, assensus absque timore præberetur. Sed nihil confidentia fallacius, vbi veritas ad lapidem Lydium seriæ disputationis examinatur: iam enim *Artic.* 2. *num.* 211. 214. & 215. grauium Theologorum iudicia protulimus docentium opinionem Piam certam esse, & oppositam definiri non posse; nec in propria causa, quanquam, & communis, immò Ecclesiæ est, iudicum munus nobis arrogamus. Præcipua tantum fundamenta, quibus vtraque aduersariorum assertio impugnatur hoc loco per compendium indicare placet. Priori enim sic occurritur: Præseruatio Deiparæ à peccato originali colitur ab Ecclesia, ergo certa est, & non dubia. Posteriori autē, hoc modo. Ecclesia declarauit falsum, erroneum, & à veritate penitus alienum esse affirmare Piam opinionem esse hæreticam, vt patet ex vtraque Extrauag.

Graue

Graue nimis, *colum*.107.*&* 110. ergo non potest illam damnare, vt hæreticam, adeoque nec oppositam definire. Vide *d. Artic*. 2. *num*. 210. *&* 215. His & similibus rationibus in toto hoc opere, quidquid affirmamus confirmare conamur, & vt plurimum ex Apostolicis scriptis; quia in causa, cui Romani Pontifices tam seduiò incubuerunt, & tot Decretis auctoritatem conciliarunt, plus adhibere oportet fidei, quàm ingenij, aut eruditionis, ne coram cælesti luce acies humanæ mentis hebescat, & qui scrutator est maiestatis, opprimatur à gloria.

Ecclesia manifestè vult omnes Piæ opinioni adhærere.

74 QVARE si paululum aduersarij priuatis affectibus imperare velint, planè conspicient idipsum, quod tam molesta, & anxia cura illos discruciat, facillimè posse ad sedatiora consilia, & tranquillitatem inflectere: *Cùm ex officio* (inquiunt) *Summus Pontifex prouidere debeat, ne aliqua doctrina, seu assertum aliquod reputetur Vniuersalis Ecclesiæ sensus, si de eius veritate dubitari possit*. Tam ergo Pontifices sui officij oblitos existimāt, vt si doctrina, seu assertum de B. Virginis Præseruatione non esset Vniuersalis Ecclesiæ sensus, cum pro tali vbique reputari, & se coram, voce, scripto affirmari videant, adeò pernitioso, & latè patenti errori non occurrissent? Propter pauculas oues errantes intonuit Sixti IV pastoralis vox, successorum eius in Prima Sede validi clamores increbuerunt, Concilij Tridentini vigiles omnes copias classico excitarunt, & tot filios deceptos inuicem, & decipientes Pia Mater Ecclesia sine admonitione desereret? An minùs periculosum est Ecclesiæ tribuere dogmata, quæ ipsa nō docet, quàm illa, quæ docet, contemnere? *Ecce ego ad Prophetas ait Dominus, qui furantur verba vnusquisque à proximo suo. Ecce ego ad Prophetas, ait Dominus, qui assumunt linguas suas, & aiunt, dicit Dominus. Ierem*. 22. Cernis, quàm grauiter reprehendantur, qui proprios sensus in nomine Domini proferre audent? Omnes per Orbem particulares Ecclesiæ se Romanæ exemplo Præseruationem celebrare constantissimè credunt, vota de huius mysterij defensione, vt de re à Summis Pontificibus approbata emittunt, & aiunt, dicit Dominus, non quidem præcipiens, sed laudans, plaudens, & inuitans: si assumunt linguas suas, quo modo falsitatis non arguuntur? immo quomodo ad ita sentiendum, & loquendum, nouis quotidiè fauoribus inardescunt? nimirum hic est Vniuersalis Ecclesiæ sensus, hæc prouidentiæ ratio Spiritui Sancto, & Summis Pontificibus placet, omnes ad Piam opinionem alliicere, neminem cogere, hunc erga Matrem Dei honorem ideò non exigere, vt amplioribus præmijs remunerentur. Si apertissimè Summi Pontifices ex officio piè sentientes paterna benignitate fouent, Præseruationem doceri, honorari, defendi, vt doctrinam à se profectam in laude ponunt; longè absunt à prouidendo ex eiusdem officij debito, ne Præseruationis doctrina Vniuersalis Ecclesiæ sensus reputetur. Quā spem habere aduersarij possunt adducendi Pontifices ad *Immaculata Conceptionis* titulum auferendum, quem si amplecterentur, rem facerent ipsis Pontificibus gratissimam? Satis illis sit ad non impugnandum, quod abundè ad consentiendum etiam sufficeret.

Opposita propter scandala silentium indixit.

75 IN eo verò, quod sequitur, pleniorem, exactioremque referentium diligentiam desiderare cogimur. Dicunt enim: *Et nihilominus Romani Pontifices iustis de causis iudicauerint silentium imponere defendentibus Conceptionem in peccato originali, ita vt nec etiam in priuatis colloquijs cum sæcularibus liceat ipsis de hac materia differere*. Dum iustas causas tantùm in genere nominant, & à Pontificibus assignatas silent, fateri nolunt suam opinionem mysterium negare, quod Ecclesia solemniter colit. Nam Paulus V. & Gregor. XV in Decretis *colum*. 180. *&* 185. *Regestis* relatis disertè affirmant se imponere silentium ad euitanda *scandala, iurgia, dissensiones, & discordias; quæ in populo Christiano oriuntur cum magna Dei offensa ex occasione opinionis affirmatiuæ*. Si Ecclesia Piam opinionem non proba-

rer,

ret, vtrique parti, vt in alijs controuersijs facit, silentium imponeret, & scandala occasione alterius opinionis exorta non adeò graui prohibitione digna duceret. Simili arte extendunt aduersarij concessionem liberi colloquij ab eodem Gregorio sibi factam *inter se duntaxat, & non inter alios*, vt est in *Regesto, col.* 192. Non ergo tantùm illis illicitum est *de hac materia cum sacularibus differere*, sed etiam cum Regularibus aliorum Ordinum, quantumuis doctissimis: vnde intelligitur manifestè prædicta scandala non fuisse passiuorum, vt sæpè alias admonuimus, nec vllo modo Sedem Apostolicam opinioni affirmatiuæ fauere; sed eius assertoribus, quod expedire prudentissimè iudicat, ex indulgentia permittere. Hæc omnia obscurant aduersarij Decretis Pontificijs addentes aliquid, vel detrahentes: quo fit, vt iustè queri non possint, si in alijs, quæ referunt, & scripto authentico non roborant, fides à nobis eorum dictis non adhibeatur.

Piā opinionē in statu, quē modò habet, definitā iudicari nō posse.

76 EX eadem nota illa clausula, seu potius calumnia est: *insensibiliter eò deueniret negotium, vt Vniuersa Ecclesia, præter Ordinem Prædicatorum haberet veritatem præseruationis, vt certam, & ab Ecclesia definitam.* Quod ad certitudinem attinet, non est, cur aduersarij in coniecturis defatigentur: fatemur enim vltrò non solum eò sensim deuentum negotium, sed eò iam deuenisse, vt *Vniuersa ferè Ecclesia*, & in ea maior, selectiorquè Prædicatoriæ familiæ pars (nam loquutionem indefinitam libellorum subsistere non posse supra ostendimus *num.* 24.) *habeat veritatem Præseruationis tanquàm certam*; imò prorsus certam esse incunctanter asserat, vel facto testetur: qui consensus quantum valeat, nedùm ad prudentem persuasionē, sed in rigore Theologico, ex *Artic.* 2. *à num.* 188. petendum est. Vnde autem suspicantur, Vniuersam Ecclesiam habituram Præseruationis veritatem tanquàm definitam, eo solùm quòd titulus *Immaculatæ Conceptionis* retineatur? Fore aliquando definiendam, omnes non inani desiderio, sed grauissimis argumētis ducti speramus: & quo acrius studium à piè opinantibus pro definitione adhibetur, eo securiores de hac suspicione redduntur aduersarij. Vide dicta *hoc ipso Tract. num.* 16. An vniuersam Ecclesiam inscitiæ, & inobedientiæ damnare volunt, quasi nec veritatem quouis modo certam à definita de Fide distinguat, nec Pontificias Constitutiones apertè hunc articulum definitum non esse declarantes summa veneratione prosequatur, & seruet? Prætereà, cur timent, quod nē eueniat, in eorum potestate positum est? Nam *veritatē Præseruationis insensibiliter* (ita enim illis loqui placet,) *haberi tanquàm definitam*, nullo quantumuis vnanimi consensu cōtinget vnquam, si aliqui dissentientes non desint. Si legitimè factis tanta contentione resistunt; quomodo nondùm factis, nec etiam de longinquo imminentibus, quæ ipsis inuitis nequeunt fieri, commouentur? Mirabile enim prorsus est alios *Immaculatæ Conceptionis* impugnatores adeò contempsisse huius tituli vsum auctoritate Apostolica in officijs diuinis vbique vigentem, vt veritatem Præseruationis *persuasionem vulgarem, inuentionem humanam, vanam deuotionem, impietatem, hæresim* etiam post Sixti IV. Extrauagantes appellare non erubuerint, quod ex *Ambros. Cathar. in vtroque opere de Conceptione, Vuadingo in legat. sect.* 2. *toto Tract.* 6. *Ludouico Caruaialo in solut. obiect. contra Declamat.* & ex ipsis *Bandeli, Caietani, Spinæ*, cæterorumquè scriptionibus plus manifestè, quàm oporteret constare potest; nostros verò libellorum fabricatores ex eiusdem tituli manutentione definitorum dogmatum auctoritatem piam opinionem asserentes sibi arrogaturos calumnientur. Quid aliud hoc est, quàm defensores Virgineæ puritatis modò manifestis conuitijs incessere, modò nimia inuidia onerare, & vt Hieronymi verbis vtamur, *honorifica afficere contumelia*? Sed nec veritas præseruationis in Ecclesiæ Romanæ gremio conquiescens insurgentium tela formidat, nec

 ho-

honore aliundè conquisito indiget. Patiantur aduersarij approbatione Apostolica, quam hodiè obtinet, pacificè frui; & insensibilem definitionem, si expressa, & manifesta absit, minimè verebuntur.

Libellus eod. num. 3. colum. 9.

Cogitur ergo ipsa Ecclesia vti huiusmodi cautelis ad sustinendum opinionem adeò in sacra Scriptura fundatam, & omnium antiquorum Patrum, & Doctorum consensu firmatam.

DISCVSSIO.

Apostolica Decreta cautissima.

77 CVM Apostolica voce admoneamur, *cautè ambulare*, Ephes. 5. & *necessaria sit cautio ad prudentiam, vt sic accipiantur bona, quòd vitentur mala*, ex D. Tho. 2. 2. q. 49. art. 8. in corp. negari non potest, Decreta Summorum Pontificum, vt sunt prudentiæ plena, ita cautionibus, vel cautelis necessarijs pro negotiorum, & temporum exigentia, magna consideratione temperari. Si ergo Summi Pōtifices à Sixto IV. ad Gregorium XV. tot Constitutionibus in causa *Conceptionis* B. Virginis editis, quid de hoc mysterio loqui, quid tacere expediret, post longam experientiam, maturamquè deliberationem docentes, titulum *Immaculatæ Conceptionis* adeò non iudicarunt abolendum, vt & eo ipsi vsi fuerint, & eo vtentes eximijs sint fauoribus prosequuti: constat hanc, quam aduersarij cautelam vocant, corruptelam esse veri, & Apostolici iudicij, quod imprudentiæ tacitè damnant, dum aliquid ad prudentiam necessariū ei defuisse non obscurè indicant. Nec dicere poterunt mutatum esse rerum statum, & ideò nouis cautelis opus esse; nam vltima circa *Conceptionis* festum mutatio à Gregorio XV. facta est, qui titulum *Immaculatæ Conceptionis* in sua legitima possessione reliquit, nec circa eius vsum quidquam innouauit. Nullam post eius Decretum nouitatem vidimus, aut audiuimus, nullam causam vrgentem, nullam euidentem vtilitatem, quam requiri, vt mutetur, quod diu æquum visum est, egregiè asserit *D. Thom. 1. 2. q. 92. art. 2.* Quare hic etiam locum habet præclara illa *Vincentij Lirinensis* sententia, *lib. contra hæres. cap. 32. Christi Ecclesia sedula, & cauta depositorum apud se custos, nihil in ijs vnquam permutat, nihil minuit, nihil addit, non amputat necessaria, non apponit superflua.* Quomodo vtetur Ecclesia cautelis ad dimittendum, quod vt depositum cautè custodit, & custodiri præcipit? Cultum diuinum, vota religiosa, vigorem indulgentiarum, veritatem reuelationum, virtutem miraculorum: hæc enim omnia, conseruato *Immaculatæ Conceptionis* titulo, mirè firmantur, sicut eo de medio sublato non parum conuelluntur.

78 NEC sufficit aduersarijs dixisse, *Ecclesiam huiusmodi cautelis vti*, sed *cogi*, vt vtatur: quasi *per indirectum faciat, quod directè non permittitur*, vt Iurisconsulti loquuntur. *Card. Tuschus to. 1. vbi de Cautelis, concl. 162.* Quarè si libelli sententia aperto sermone proferri debet, hanc omninò vim habere videtur: Quia Ecclesia liberè, & palàm resistere non audet consensui populorum interpretantium *Conceptionis* Festum, erectionem Religionum, concessionem indulgentiarum, & alia Statuta, de Præseruatione B. Virginis à peccato originali contra eius mentem; cùm tamen opposita opinio Scripturæ fundamenta, & omnes antiquos Patres *Ecclesiæ constantia.*

pro se habeat: *cogitur cautelis vti*, vt illam *sustineat* æqua lance libratam: nec ad partem Piam vllo modo præponderante. Abiectè nimis (vberrimè enim pro rei indignitate, & sentire oportet, & loqui.) de inuicta, & diuinæ Ecclesiæ Catholicæ constantia sentit, qui eam existimat vlla humana vi adigi posse, vt de culto, & Religione præcipiat fidelibus, non quæ vellet, sed ad quæ cogitur. Quis Christi Sponsam è Regina mancipium fecit? Quis tyrannidum, hæresum, principum sæculi, & tenebrarum triumphatrici compedes iniecit? Si Piã opinionem non præferret, & oppositam aliter, quàm prohibendo, ne hæresis, aut erroris notetur, sustinere voluisset, cur se solam sanctificationem celebrare non declarasset? Imò cur declarasset, se non celebrare solam sanctificationem? A quo coacta fuit? An à Regibus, & Monarchis? Certè multo faciliora, & æquiora flagitare videbantur Carolus Magnus, & alij Principes, vt nimirum Symbolum Nicænum in Romana Ecclesia caneretur, & à sancta Sede antiquitatis tenacissima non semel repulsa petitio, sero tandem alio sæculo, nec nisi post multas consultationes, exaudiri meruit. Vide *Baron. ad an. 447 num. 22.* Ipsos Principes nostros enixissimè pro Præseruationis definitione instantes, nonnè videmus Pôtificiam seueritatem, multæ licet benignitati coniunctam, experiri? An coactio tribuenda exemplo aliarum Ecclesiarum? Sed supra ducẽtos, vt minimum, annos, Ecclesia Romana festum *Conceptionis* recipere cunctata est, vt agnoscamus consilij maturitatem, quæ nihil excogitari potest à coactione alienius. An consensui opinantium? At consensus in pia opinione firmitas ipsa festi celebratione nititur: quarè (si ita loqui liceret,) potiùs Ecclesiam sine præcepto coegisse, quàm ab alijs coactam affirmari posset. An deuotioni, vel pietati promiscuæ multitudinis? multò minus: cum hæc tam vniuersalis pietas, vt arbor tenera, minimum solo in quo primum plantata fuit, plurimũ vero Cælesti Agricolæ, eiusquè in terris œconomis debet: *neque enim qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat Deus*, 1. Cor. 3. Romana itaquè Ecclesia non inuita, neque coacta, sed consulto, sponte, diuinitus edocta Præseruationis cultum, quem antea permiserat, legitima ratione suscepit, auctoritate sanxit, magisterio extendit; nec potest ad cautelas cogi, quibus id in cultus obscuretur, aut in dubium vertatur.

79 SED attentè audiamus, quas causas aduersarij afferant adeò vrgentes, vt Ecclesiam cogere possint ad cautelam adhibendam de remouendo à *Conceptione* titulo *Immaculatæ*. *Cogitur* (aiunt) *Ecclesia vti huiusmodi cautelis ad sustinendam opinionem adeò in sacra Scriptura fundatam, & omnium antiquorum Patrum consensu firmatam.* Vtranque propositionem doctorum iudicio examinandam proposuimus *Artic.* 5. nunc autem id tantum ostendere volumus, frustra libellorum auctores se illis tueri ad cogendum Ecclesiam, vt cautelis ab ipsis excogitatis vtatur. Et quidem de fundamẽto in S. Scriptura post Concilij Tridentini declarationem, superuacua sollicitudo est, vt ex dictis *Artic. 2. à num.* 27. & iterum *num.* 209. cõstat. Cùm enim Synodus œcumenica vrgentiora S. Scripturæ loca, ad quæ respiciunt aduersarij, definiendo exposuerit, & apertè, dilucidè, simpliciter, remota omni cautela, declarauerit, *non esse suæ intentionis comprehendere Beatam, & Immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem;* contra intentionem Ecclesiæ facit, qui propter apparentes rationes ex sacris litteris desumptas, cautelis vtendum censet in exprimendo priuilegio Matris Dei à communi lege contractionis peccati originalis.

Defensu S. Scripturæ, & Patrum

80 DICET aliquis: aliud esse non comprehendere, aliud positiuè excludere, maximè in diuinis officijs: & illud sine cautelæ adhibitione factum à Cõcilio; hoc verò fieri non debere, ne opposita opinio damnari videatur. Sed hæc obiectio, nec vim Conciliaris decla-

Obiectio

Resp.

clarationis assequitur, nec aduersario-rum conatibus satisfacere potest, qui tam indifferens volunt esse nomen *Conceptionis*, vt ad neutram opinionem inclinet, & æquè B. Virginem comprehendentibus deseruiat, quod planè est contra Concilij mentem. Nec dubitari vllo modo potest, Concilium, vt declararet B. Virginem non comprehendi sub generali regula in S. Scriptura promulgata, habuisse efficacissimas rationes ad illam etiam positiuè excipiēdam; (quamuis à controuersia definiēda iustis de causis abstinuerit;) aliàs cōtra Scripturam errasset declarando non esse suæ intentionis comprehendere B. Virginem in lege diuina expressa, & vniuersalissima, sine competenti notitia singularis priuilegij, vt hæretici *d. num.* 209. citati impiè dixerunt. Ex tali ergo declaratione sequitur euidentissimè, nihil obstare loquutiones generales S. Scripturæ, non solùm ad non comprehensionem, sed ad positiuam exclusionem expressè, & in terminis enuntiandam, sub quibuscunquè clausulis non significantibus definitionem de Fide: (quam non exprimi per titulum *Immaculatæ* additum *Conceptioni* etiam in diuinis officijs, certum apud omnes esse debet ex dictis *hoc Tractatu, num.* 16. & alibi sæpè.) Ratio concludens est, quòd Concilium non obstantibus prædictis S. Scripturæ locis, confirmauit Extrauagantem posteriorem *Graue nimis*, in qua titulus *Immaculatæ Conceptionis* non tantùm enuntiatiuè continetur, sed in officio diuino approbatur, & contra impugnantes sub grauibus pœnis defenditur, vt expendimus *suprà num.* 62. Cautelæ ergo necessitas ex vi fundamenti in S. Scriptura adeò non probatur, vt hæc debeat reputari vna ex præcipuis causis retinendi titulum *Immaculatæ Conceptionis*, ne directè, vel indirectè insinuari videatur Ecclesiam aliquid contrarium Sacræ Scripturæ declarasse.

Mirabilis aduersariorum affirmatio.

81 QVOD verò attinet ad *omnium antiquorum Patrum, & Doctorum consensum*, tam excedunt manifeste aduersarij, tam nulla euidentis redargutionis formidine commouentur, vt miseratione digni essent; nisi asserto toties iugulato insultantes, (fidem quippè se facturos non sperant.) ratio exposceret magis vexatos, quàm contemptos dimitti. Testimonium indubitatum, ab omni exceptione, vel suspicione liberum, vnius saltem ex Patribus antiquis hucusque non protulerunt pro sua sententia, ac ne Principum quidem Theologiæ Scholasticæ (quos Doctorum nomine intelligere non dubitamus,) firma, & sibi constantia pronuntiata, vt *Artic.* 2. *à num.* 196. quantum satis est indicauimus: nec ignorant Sanctorum Patrum auctoritates in suorum libris coacervatas, fraudis, imposturæ, additionis, vel mutilationis, contorta denique expositionis ab egregijs scriptoribus grauissimè notari: quo ergo spectat, tam speciosa iactatio? quibus præmijs se vltrò adeò acribus, & meritis reprehensionibus exponunt? cur cautelam à se inuentam, primi ipsi talibus substructionibus, tam incautè produnt? nam si *omnis cautela in iure periculosa est*, teste *Card. Tuscho loco cit.* quid dicemus de illa, quæ in statu aliquo, etiam periculoso, à suis auctoribus collocari non potuit? Patrum consensui tantam molem super imponunt, quorum Patrum? omnium nimirum, vt ab ipsis sunt dispuncti, interpolati, vel discerpti. Et tantum tribuunt non Patrum dictis, sed suis interpretationibus, vt *Bandelus* (referre pudet, quod tacere non expedit;) *in solemni sua disput parte* 2. *ratione* 10. in hæc verba scripserit *Dicta Augustini, & aliorum Sanctorum Doctorum, maximè quando fundantur in Sacra Scriptura, in his, quæ pertinent ad Fidem, & ius diuinum, videntur esse præferenda constitutis Summorum Pontificum.* Addit post pauca. *Et ideo cum Augustinus, & alij Doctores Sancti, ac Summi Pontifices fundantes se in Sacra Scriptura promulgante ius diuinum, dicant B. Virginem in originali peccato fuisse conceptam, videtur ex prædictis sequi, quòd sententia Sanctiorum Doctorum in hac parte sit dictis, & constitutis*

tis quorumcunque præferenda. En quæ monstra pariat defensionis Scripturæ, & Patrum, proprio iudicio obfirmatum prætextum. Quis nos docebit in vero sensu Scripturas, & Patres intelligere, si Summi controuersiarum Iudicis in dubium reuocetur auctoritas? quæ patentior fenestra omnibus nouatoribus & hæresiarchis aperiri potuit? Horruit Sanctissimus fæl. record. Paulus V. dum hæc, & similia portenta è *Bandeli* libris sibi à Legato Regis Catholici referrentur, teste *Vuadingo sect.* 2. *post Tract.* 6. *pag.* 148. & prohibitos esse in Extrauag. *Graue nimis* à se, & alijs Pontificibus, & Concil. Trident. confirmata dissertis verbis docuit; impunè tamen pro veris legi, & teneri cōtra Apostolicas prohibitiones consensus omnium Patrum cum tanta veritatis iniuria, tam intrepidè iactatus non leuiter suadet. Obtestamur ergo Eminentissimos Cardinales, ac iudices nostros, & Sanctissimum Christi Domini in terris Vicarium, ne adeò perniciosos errores abolitione tituli *Immaculatæ Conceptionis* inualescere patiantur: satis enim ostendunt, qui eam moliuntur, Sanctæ Sedis Constitutiones titulum approbantes, vt omnibus Ecclesiæ Patribus contrarias, non minore ab ipsis peruicacia, quā simulatione impugnari.

Libellus num. 4. colum. 9.

Concluditur ergo, quòd non valet argumentum ex permissione ab Ecclesia facta ante Gregorium XV. & post illum: quia stabilitur per Gregorianum Decretum, quòd omnes nomine Conceptionis vtantur: curandum magis est, quàm anteà, vt hoc nomen maneat in sua indifferentia, & non vsurpetur vt antea pro Conceptione Immaculata, ne intelligatur Ecclesiam velle, quòd omnes sub Immaculatæ Cōceptionis nomine celebrēt.

DISCVSSIO.

Titulus Immaculatæ Cōceptionis *à Sede Apostolica, non solū permissus, sed cōcessus.*

82 ARGVMENTVM à concessione, institutione, statuto, lege Sedis Apostolicæ ante Gregorium XV. & inde orta consuetudine, vsuquè legitimo nominandi *Conceptionem* Deiparæ Virginis *Immaculatam*, nō modò semper validum, & efficax est; sed validius, efficacius, & inconcussi roboris, postquam idem Gregorius præcepit omnibus, vt non alio, quàm *Conceptionis* nomine vterentur. Quod ex hactenus dictis luce meridiana clarius cōstat. Nam Gregorius XV. idem festum, quod sub nomine *Conceptionis* antea celebrabatur, ad omnem Ecclesiam sine exceptione proferri voluit: vt quia in sensu nulla poterat esse diuersitas, nulla in vocibus audiretur dissonantia *suprà num.* 43. Festum autem ante Gregorium *Immaculatæ Conceptioni* dicatum erat, nec alteri mysterio, quàm sanctitati B. Virginis in primo instanti animationis legitimè vnquàm cultus delatus fuit, *num.* 13. *& seqq.* Concessæ sunt indulgentiæ recitantibus officium *Immaculatæ Conceptionis, colum.* 46. *Regesti, Artic.* 2. *num.* 175. Institutæ Religiones ad *Immaculatæ Conceptionis* honorem. *Ibid. num.* 146. Statuta, & leges à Summis Pontificibus conditæ contra tituli *Immaculatæ Conceptionis* impugnatores *in Regesto à colum.* 106. *ad* 111. *col.* 117. *&* 166. *cum seqq.* Cur ergo aduersarij solam permissionem huius tituli nobis relinquunt, cùm nostram consuetudinem legibus, & consti-

stitutionibus Apostolicis apertè comprobemus? Quas leges, & constitutiones per nouissimum Gregorij XV. Decretum roboratas indubitatè ostendimus, ideoquè ab illis omnibus concludens argumentum sumimus ad *Immaculatæ Conceptionis* titulum retinendū.

Aduersarij ad suam indifferentiā frustra redeunt.

83 QVOD addunt curandū magis esse post Decretum Gregorij, *vt nomen Conceptionis maneat in sua indifferentia;* cùm supponat indifferentiam, quam hoc nomen in cultu diuino nunquàm habuit, vt latè *suprà à num.* 14. stabiliuimus, imò Sedes Apostolica expresè declarauit; noua confutatione non indiget, nec est, cur satis de se molestam tractationem tot repetitionibus oneremus. Mens ergo apertissima Ecclesiæ est, vt omnes celebrēt *Conceptionem Immaculatam toto Art.* 2. Et hinc fit, aduersariorum conatum, non solùm ad difficillima, sed ad prorsus impossibilia ducere, cùm sensum festi *Conceptionis* ab omnibus per Orbem Ecclesijs, & magistra omnium Romana, sanctè per tot annos custoditum, & firmiter traditum, propter paucorum abusum aliquādiu toleratum, & tandem prohibitum, vt ex *num.* 25. constat, in dubium vertere, imò prorsus extinguere machinātur.

Libellus num. 5. colum. 9.

Dicunt auctores oppositæ sententiæ, iure cautum esse, nè in officio Ecclesiastico, seu Pontificijs Constitutionibus, addatur terminus Immaculatæ, cùm adhuc Ecclesia non definierit controuersiam. Cæterùm cùm eadem Ecclesia liberè permittat illis, quòd publicè, & priuatim possint de ea loqui, illamquè defendere; quod tamen prohibet alteri parti: cur non poterunt etiam illam typis mandare, & diuulgare, non quasi rem definitam, & certam; sed piam, & probabilem, &c.

DISCVSSIO.

Allegatio pro Pia opinione incerta fuit ac relata.

84 QVID à defensoribus tituli *Immaculatæ Conceptionis* in Vrbe fuerit allegatum, nobis nō liquet, nec ex aduersariorum relatione discere debemus, ne scientes, prudentesquè nos metipsos in retia, & plagas conijciamus. Vide suprà *num.* 24. 26 55. 59 75. & 81. Nec dubitare possumus, id allegatum fuisse, quod pro personarum, temporis, & status negotij conditione, plurimùm ad causam conducens à prudentioribus iudicaretur. Exigua vero hæc clausula à reliquo corpore scripti, vel sermonis abscissa, vt hoc loco ab aduersarijs ponitur, vel fortè supponitur, ad patrocinium piæ opinionis non pertinet, nec vt iacet, vel sonat, vllo modo à nobis admittitur, non solùm tanquàm totius defensionis robur, (quod aduersarij, dum in hoc priori libello nihil aliud afferunt, cui respondeant, existimare videntur;) sed nec, vt subsidiaria, aut ad aliquid vtilis; quin potiùs, vt prorsus noxia, & à veritate deuians, non minus, quàm allegatio contraria repellitur.

Nulla est lex prohibens titulū Conceptionis Immaculatæ.

85 *IVRE cautum esse, ne in officio Ecclesiastico, seu Pontificijs Constitutionibus, addatur terminus Immaculatæ*, duplicem sensum habere potest: nam *cautum* pro constituto, aut prohibito accipi solet, vt cùm dicitur, *hoc, vel illud Regio, aut Pontificio diplomate cautum esse*: qui sensus hìc sine dubio est falsus, nec enim

lege

lege aliqua, constitutione, vel præcepto, appellare *Conceptionem* Dei Genitricis *Immaculatam* prohibemur, cùm è conuerso sint leges, & constitutiones Apostolicæ hunc titulum approbantes, *suprà num.* 82. quibus solus Summus Pontifex derogare potest, *Art.* 4. *num.* 10. Assertum verò Decretum non iure, & legitimè proponitur, sed vehementibus subreptionis indiciis aggrauatum iacet, nec ad effectum obtinendum progredi potest: quæ indicia *d. Artic.* 4. recensuimus.

Nec ab illo cauens. 86 ALIVS sensus erit, si *cautum esse* significet *cautè prætermissum*, & hæc videtur mens vtentium tali loquendi modo, omni tamen probatione destituta, nec saltem verisimilibus coniecturis, sed sola diuinatione suffulta. Vnde enim constat, Summos Pontifices à titulo *Immaculatæ Conceptionis* cauisse, vt à re aliqua falsa, vel dubia, & incerta, vt apertè præseferunt verba illa *cùm adhuc Ecclesia non definierit controuersiam*? mirè constantes sunt aduersarij in confundendo certitudinem cum definitione, sicut inferiùs *rem definitam, & certam*, quasi synonima pronuntiant, cùm manifestè distingui debeant, vt proximè *num.* 80 dicebamus. Pontifices ergo, & in Bullis, & in diuino officio titulum *Immaculatæ Conceptionis* enuntiatiuè, & dispositiuè protulerunt, *suprà à num.* 62. absque controuersiæ definitione; nec vbicunque non legitur, per cautelã prætermittitur, *num.* 77. sed honoris causa, *num.* 70. In officio diuino, quod à Sixto IV. emanauit, nominatur *Conceptio Immaculata* optimo iure, & Sedis Apostolicæ concessione; Romano verò Breuiario in hac solemnitate vtentes appellant *Conceptionem Sanctam*, quod omninò æquiualens est, *num.* 17. Quomodò ergo dicere potuerunt *auctores piæ sententiæ, cautum esse, ne in officio Ecclesiastico, seu Pontificijs constitutionibus addatur terminus Immaculatæ*, cùm extent tot Pontificiæ constitutiones multoties confirmatæ, & in viridi obseruantia, eum terminum addentes, & approbantes, officiumque *Immaculatæ Conceptionis* indulgentijs commẽdatum publicè recitetur? Hic nos gradum figimus, hæc est nostræ defensionis, & prora, & puppis: nec nitimur sola *permissione* liberè prædicandi, & scribendi propriam opinionem; sed concessione, approbatione, institutione cultus diuini, & religiosi sub expresso titulo *Conceptionis Immaculatæ*, quem Sedes Apostolica chartis (vt Hispani loquimur) exequutorijs nobis tradidit, & aduersus hanc iustissimam possessionem perturbantes sub grauissimis pœnis defendit.

Libellus num. 6. colum. 9.

Ad quod dicimus, in præsenti non controuerti de impressione opinionis: sed inhærendo Decretis Pontificijs rescripsit sacrum Tribunal Inquisitionis, ne permittatur addi Conceptioni terminum Immaculatæ, ne videlicet per adiunctum epithetum distrahatur sensus huius nominis, Conceptio, quod de se indifferens est, a proprio significatu, idquè præsertim in impressione, quæ præsefert approbationem Ministrorum Sanctæ Sedis, Inquisitorum, scilicet, seu Magistri Sacri Palatij, quod non contingit in loquutionibus priuatis, nec etiam publicis.

DIS-

DISCVSSIO.

Affirmatio piæ opinionis liberrima est.

87 VTIQVE de pia opinione typis mandanda non est cōtrouersia, quia silentium aduersæ parti impositum dubitare non sinit valdè Sedi Apostolicæ placere, vt B. Virginis Præseruatio absque contradictione doceatur, scribatur, prædicetur, & per totum Orbem libris in lucem editis propagata fidelium mentibus altiùs infigatur. Quæ tam illustris Ecclesiæ Catholicæ de proprio sensu testificatio etiam euincit assertum, rescriptum nomine S. Inquisitionis, Decretis Pontificijs non inhærere, quia prohibet *Conceptionem* Dei Genitricis dici *Immaculatam*, quæ est magna restrictio libertatis asserendi publicè opinionem piam, ad quam Pontifices sub prædictis terminis enuntiandam etiam indulgentijs alliciunt. *Artic. 2. num.* 171. *&* 175. Sed ingens piaculum aduersatijs videtur, titulum *Immaculatæ Conceptionis* legi in impressione præseferente approbationem Ministrorum Sanctæ Sedis; cùm palàm sit, officia diuina, in quibus expressè colitur *Immaculata Conceptio*, approbata esse ab octo Summis Pontificibus, *in Regesto, colum.* 143. 144. 219. *&* 220. necnon post Decretum Gregorij XV. circumferri typis excussa cum subscriptione, & facultate RR. PP. Magistrorum Sacri Palatij Apostolici, *d. col.* 219.

Legum scrutatio modo adhibito laudabilis.

Libellus num. 7. colum. 11.

Vel ergo reuocanda est Gregorij XV. Bulla, vel omnia post ipsum acta, & præfata Bullæ inhærentia Decreta, prout est illud, de quo controuertitur, sunt omnino sustinenda, &c.

DISCVSSIO.

Decretū quibus Cōstitutionibus aduersetur

88 PRÆCLARVM dilemma, & æquitatis plena postulatio. Tota Ecclesia, paucissimis exceptis, celebrabat festum *Conceptionis*: sustulit Gregorius diuersitatem cultus illegitimè, & per abusum introductam: ergo vt hoc præceptum obseruetur, prohiberi debet titulus *Immaculatæ* ab eodem Gregorio in ipsa Bulla, seu Decreto renouante Constitutiones Sixti IV. confirmatus. Sed perpendendum acumen aduersariorum. Vel Bullam Gregorij reuocandam, vel assertum Decretum sustinendum dicunt, quasi Decretum non esset formalissima Bullarum Gregorij, & reliquorum prædecessorū reuocatio. Petant ergo simpliciter reuocationem omnium, quæ Sixtus IV. Alexander VI. Innocent. VIII. Iulius II. Leo X. Concilium Tridentinum, Pius V. Paulus V. Gregorius XV. & Vrbanus VIII. statuerunt, omnia enim à primo ad vltimum fauent titulo *Immaculatæ Conceptionis*, *Artic.* 2. *à num.* 16. 140. 160. 172. & petitionis compotes fient, si illis simul, & actoribus, & iudicibus esse liceat. Quod autem Decreta nominant plurali numero, auxesis videtur ad orationis amplitudinem; nos enim post Gregorium nullum aliud Decretum de *Conceptione* B. Virginis, quàm hoc ipsum, de quo controuertitur, editum scimus, aut audiuimus: nam concessio Fratribus Ordinis Prædicatorum facta, *colum.* 189. *Regesti*, ad præsentem disquisitionem non spectat.

Po-

Posterior supplex libellus num. 8. col. 11.

De titulo Immaculatæ tribuendo Beatissimæ Virgini, non autem Conceptioni, Decretum extat Sanctæ Romanæ Inquisitionis, cuius arcana consilia obsequi fideles debent, non scrutari.

DISCVSSIO.

89 DECRETA legitima, & obsequium exigunt, & scrutationem non excludunt: nam diuina mandata in Sacris Scripturis tradita legimus *in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi*, 2. Cor. 10. & tamen habemus Dominicam admonitionem, *Scrutamini Scripturas*, Ioan. 5. Quin & illum ipsum *intellectū*, qui à veris obedientibus in captiuitatē redigitur, postulabat Dauid, vt *legem Dei scrutaretur*, Psal. 118. Nimirùm scrutatio eorum, quæ præcipiuntur, si modum teneat, vt alij virtutum actus, laudabilis est, scilicet, si ad rectè intelligendum, non ad plusquàm oportet, sapiendum adhibeatur. Scimus *de legibus non esse iudicandum, sed secundùm ipsas*, cap. in istis, dist. 4. ipse tamen *Augustinus*, ex quo canon ille desumptus est, ita faciendum esse *ibidem* docet, *cum leges fuerint institutæ, & firmatæ*, idest, vsu receptæ: *leges* enim *instituuntur, cùm promulgantur, firmantur, cum moribus vtentium approbantur*, vt statim explicat *Gratianus*, addens exemplum notissimæ Constitutionis Telesphori Papæ, quæ quia vsu recepta non fuit, reos transgressores non facit. Sed hæc consideratio aliena à nostro instituto est. Nec enim de legitimo mandato admittendo, sed de legitimitate Decreti probanda quæstio vertitur, quam dissimulant aduersarij affirmatione sibi consueta, & imperiosa, *DECRETVM EXTAT*, magnum ad victoriam momentum in audacia positum esse, ex Plutarchi placito existimantes.

90 CONFIDENTISSIMA sanè vox, quæ iustis, & prudentibus legislatoribus placere non potest, *obsequi fideles debent, non scrutari*. Ergo nec humili supplicationi locus erit, etiamsi constet legitimè Decretum editum, & legitimè quoque promulgatum? Certè ex iusta causa preces ad legislatorem transmitti posse, vt legem reuocet, & donec iterùm de eius voluntate constiterit, obligationem suspendi, æquissimum à sapientibus iudicatur. *Suar. lib. 4. de legib. cap. 16. à num. 5. Panormitan. Felin. & alij ad cap. 1. de treuga, & pace, Ancharran. consil. 214. Castrius lib. 1. de lege pœnali, cap. 1. argum. ex c. p. si q. ãāo, de rescript. & cap. cùm teneamur, de præbend.* Iusta autem causa, imò causæ iustissimæ hìc interueniunt, cùm omnia iura clament, nihil cum scandalo faciēdum, quod grauissimum ex asserti Decreti executione oriturum extra controuersiam est, *suprà Artic. 4. à nu. 18. & hoc Tract. num. 36. 75. & 77. in fine.* Præterea, quæ iustior causa supplicationis, quàm ingens aliqua difficultas ex nouis legibus emergens? Quis neget prudentissimè dubitari posse, an tanti vigoris sit Decretum, vt deroget Constitutionibus, *Cum præexcelsa*, & *Graue nimis* corpori Iuris insertis, & à Concilio generali confirmatis? vt immutet, imò penitùs euertat statum Religionis Monialium à Sede Apostolica institutum? *Art. 2. num. 150.* Prætermittimus reliqua sæpissimè inculcata. Harū grauissimarum difficultatum pōdere pressos ad Summum Pōtificem supremum legislatorem recurrere necessarium est, vt mentem suam nobis aperiat, & quid

Quæcunque leges supplicatione admittunt.

vu le-

tenendum, quid fugiendum sit, claue scientiæ à Christo Domino sibi tradita referet, vel claudat. Permittant ergo nobis aduersarij diligentem asserti Decreti scrutationem, vt legitimum esse scientes, & de Sedis Apostolicæ mente plenè instructi, politico legum regimini tanquam animata, & ratione vtentia instrumenta subijciamur, *obsequiumquè* nostrum non imprudens sit, sed *rationabile*, iuxta Apostolicam obsecrationem, *Rom.* 12.

Libellus eod. num. 8. colum. 11.

Hoc tamen nonnullos parùm considerasse, porrectæ scripturæ, ac libelli supplices satis, superquè manifestant.

DISCVSSIO.

Iusta, & prudens defensio.

91 IAM *num.* 84. testati sumus, harum scripturarum, vel libellorum, nec exemplum vllum, nec certam notitiam ad nos peruenisse. Facilè tamen ex hoc aduersariorum libello intelligimus, titulum *Immaculatæ Conceptionis*, tam consideratè defensum fuisse, quàm præcipitanter, & subreptitiè impugnatum. Omnia enim, ad quæ respondere aduersarij conantur, firmissima sunt, & causas iustissimas continent petendi declarationem subreptionis asserti Decreti, & eius, qualitercunque confectum fuerit, reuocationem. Lucem amamus, causam strictissimo iure, quod ad nos attinet, examinari poscimus, & iudicio Eminentissimorũ Cardinalium, Sedisquè Apostolicæ sisti pro magno beneficio ducimus.

Libellus eod. num. 8. colum. 11.

Et licet ea sit Eminentissimorum Patrum sapientia, & huius supremi Senatus auctoritas, vt ea, quæ vniuersali lege decernunt, nec impugnatorem admittant, nec indigeant propugnatore; aliqua tamen Fratres Ordinis Prædicatorum in eiusdem Decreti, & solidæ veritatis obsequium expendenda humiliter proponunt, vt subindè colligatur, quàm valida sint, quæ pro eodem Decreto infringendo congesta fuère.

DISCVSSIO.

Asserti Decreti propugnatores subreptionis reos se produnt.

92 HÆC non iudicialia, sed declamatoria sunt. Quod si aduersarijs placebat, vbi nuda veritas exigitur, rhetoricari; cur aduersatiuæ orationis leges neglexerunt? Suspensos iudices relinquunt, dum Decreta supremi illius Senatus, *nec impugnatorem admittere, nec propugnatore indigere fatentes*; *proponunt tamen aliqua expendenda*, nulla reddita causa, quæ ipsos impulerit ad proponendum aliqua, quibus opus non esse, & agnoscunt, & affirmant. Itaquè in superfluis dicendis occupantur, quæ Tertullianus non minùs vitanda esse, ne dican-

dicantur, censet, quàm contraria. Benè quippè institutæ mentes Deum, & Naturam sequutæ nihil frustrà faciunt. Ne igitur manifestus hiatus in adeò elaborato libello legentes offendat, sic videtur expleri, & complanari posse. *Licet ea sit Eminentissimorum Patrum sapientia, & huius supremi Senatus auctoritas, vt ea, quæ vniuersali lege decernunt, nec impugnatorem admittant, nec indigeant propugnatore; aliqua tamen* nonnulli, qui clanculum subreptitij Decreti auctores fuisse dicuntur, nunc autem, vt legitimũ defendere apertè contendunt, *in eiusdem Decreti, &c.* Nihil nobis occurrit germanius ad mentem aduersariorum, quamuis illorũ verbis minùs aptè cohæreat.

93 FERANT ergo patienter, si scripti de industria obscurati sensum assequi non possimus: quod enim *solidæ veritatis obsequium* sibi tribuunt nisi per ironiam dicatur, captum nostrum omninò superat; *quàm verò valida sint, quæ pro eodem Decreto infringendo congesta fuère*, simplicissimè acceptum *solidam* profert *veritatem*, cui siquis repugnare pergat, *Obliquis sermonibus vtũtur.*

—— *fragili quærens illidere dentem,*
offendet solido, ————

vt non strophis è medio triuio petitis, sed solidissimis probationibus effectũ arbitramur.

Libellus num. 9. colum. 11.

Recolendum primò, quòd in re, de qua agitur, plura pro temporũ circumstantijs à Summis Pontificibus statuta fuerunt, vt à diffinitione abstinentes, & vtramquè sententiam in gradu probabilitatis relinquentes, excitatas fidelium turbas prouidè componerent.

DISCVSSIO.

94 DVAS hic solidas veritates, tametsi minùs solidè propositas agnoscimus: Alteram, *plura pro temporum circumstantijs à Summis Pontificibus statuta*; addendum verò est, statuta hæc, quamuis plura fuerint, omnia piæ opinioni impensè fauisse, *suprà num. 88.* Alteram, ea edidisse Summos Pontifices *à diffinitione abstinentes*: verissimè dictum; dummodo simul indubitatè asseratur, Præseruationem B. Virginis, à cuius definitione Summi Pontifices abstinuerunt, religioso cultu, indulgentijs, & huius generis honoribus ab eisdem dignam iudicatam, & reipsa affectam, *toto Art. 2.* Nescimus verò, quisnam Põtificum illis in aurem instillauerit duplicem finem à se præstitutum in publicandis Constitutionibus de Conceptione B. Virginis, *vt vtramque sententiam in gradu probabilitatis relinquentes, excitatas fidelium turbas prouidè componerent.* Vbi legerunt vtramque sententiam in gradu probabilitatis relictam? Nec vllo modo putent se verbis æquiualentibus expressisse, quod sanctæ memoriæ Pius V. Bulla incip. *Super Speculam*, ita declarauit: *Liberam cuique facultatem relinquentes opinandi huius controuersiæ quamlibet partem, prout vel magis pium, vel magis probabile esse iudicauerit*: longè enim differre *opinionem aliquam in sua probabilitate relinqui*, & *relinqui facultatem opinandi, quod quisque magis probabile iudicauerit*, satis constat ex dictis *hoc Tract. num. 49.* nec ignorare poterant libellorum auctores, quomodò prædicta clausula communiter à Theologis intelligeretur. Compositio autem turbarum ab aduersarijs excogi-

Scopus Pontificiarum Constitutionum perperã ab aduersarijs explicatur

cogitatur ex proprio capite, non ex Statutis Pontificijs, qui semper dicunt se occurrere scandalis ortis occasione opinionis affirmatiuæ, vt *ibid.* & alibi millies admonuimus.

Libellus num. 10. colum. 11.

Antè Decretum fæl. record. Gregorij XV. de officio recitando sub nomine Conceptionis, retenta à Dominicanis voce sanctificationis, ex nominum distinctione inferebatur opinionum distinctio, ita vt Conceptio præseruationem apud eius vocis assertores importaret; sanctificatio verò alteram sententiam exprimeret: itaquè tunc idem erat apud illos dicere, Conceptio, ac Immaculata Conceptio: & Fratres Prædicatores à nomine Conceptionis, & Immaculatæ Conceptionis æquè abstinebant.

DISCVSSIO.

Propositiones à nobis suprà probatæ. 95 HIS omnibus plenissimè in superioribus responsum est. Quarè tantùm indicabimus, vndè illorum, quæ ab aduersarijs affirmantur, confutatio peti debeat: quod frequenter in huius posterioris libelli discussione faciemus; nam præter quædam parerga, vt oculi à præcipua specie auertantur, admixta, totus antè dictorum repetitionibus absoluitur.

Prima. 96 VOCEM *sanctificationis* in cultu diuino nunquàm consensu expresso, vel tacito Sedis Apostolicæ vsurpatam *Conceptionis* vice, sed illegitimè, & per merum abusum, probauimus *num.* 25. 26. & 27.

Secũda. 97 EX hac Ecclesiæ toleratione nullatenus colligi potuisse diuersitatem opinionum propter nominum diuersitatem, sed sub alterutro nomine vnum, & idem Præseruationis mysterium semper celebratum, liquet ex dictis à *num.* 28 *ad* 33.

98 IDEM significasse *Conceptionẽ*, & *Immaculatam Conceptionem* in officio diuino ex mente Catholicæ Ecclesiæ, probatum manet à *num.* 15. *ad* 22. *Tertia.*

99 EOS, qui æquè abstinebant à nomine *Conceptionis*, & *Immaculatæ Conceptionis*, perspicuè sensisse cultum ab Ecclesia legitimè institutum soli *Immmaculatæ Conceptioni* dicari, constat ex *ibid.* dictis, *num.* 19. & *seqq.* *Quarta.*

Libellus eod. num. 10. colum. 11.

Vndè Sixtus IV. Pontifex, vbi damnat impugnantes recitatores officij Leonardi de Nogarolis, nihil de titulo ab auctore imposito solicitus fuit: intentum enim Pontificis fuit, vt illa sententia non damnaretur, nec officium illud recitantes mortaliter peccare putarentur; cui deinde cætera Summorum Pontificum Decreta, ad vtriusque sententiæ probabilitatem seruandam peculia-

culiariter directa adhæserunt: sed cùm adhuc contentiones exardescerent, affirmatiuè opinantibus à Paulo V. silentium indictum est.

DISCVSSIO.

Approbatio Apostolica tituli Immacul. Cōcept.

100 SIXTVM IV. solicitum non fuisse de titulo *Immaculatæ Cōceptionis*, qui non solùm legitur in ipsa inscriptione, sed in corpore officij, quod disertè Summus Pontifex affirmat à se emanasse, in Bulla, *Cùm præexcelsa, colum* 47. *Regesti*, & præsertim (quod summæ approbationis est.) in oratione ad omnes horas canonicas assignata, cum tanta Apostolicæ auctoritatis iniuria affirmari nobis videtur, vt rei grauitate deterriti iudiciū dictæ propositionis doctioribus reliquerimus. Vide *Art.* 5 *num.* 22.

Quanta, & qualis fuerit.

101 QVOD autem sequitur, *intentum Pontificis fuisse, vt illa sententia non damnaretur, nec Officium illud recitantes mortaliter peccare putarentur*, mirum est à Theologis scribi potuisse, qui vel tenuiter in Ecclesiasticorum Decretorum lectione versati fuerint. Legimus, exempli gratia, in *Concil. Tridēt. sess.* 6 *can.* 5. *Siquis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum, & extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imò titulum sine re, figmentum denique à Satana inuectum in Ecclesiam; anathema sit*. Et ibid. can. 8. *Siquis dixerit gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores peiores facere; anathema sit*. Item sess. 7. can. 3. de Confirmatione. *Siquis dixerit iniurios esse Spiritui Sancto eos, qui sacro Confirmationis chrismati virtutem aliquam tribuunt, anathema sit*. Quis vel per somnium dixit, aut cogitauit, intentum Concilij in his Decretis fuisse, vt liberum arbitrium non censeatur amissum, & extinctum, aut rem esse de solo titulo: vt non affirmetur, gehennæ metū peccatores peiores facere: nec chrismati virtutem tribuentes iniurios esse Spiritui Sancto? Damnantur quidem hæreticorum blasphemiæ; sed intentum Concilij multò altius, & nobilius est, asserere scilicet, & tueri Apostolicam doctrinam de libero arbitrio, iustificatione, & Sacramētis, contra errores ab Ecclesiæ hostibus seminatos. Instituerat Sixtus IV. officium *Immaculatæ Conceptionis* à se, vt Summo Pontifice emanatum; (sæpius hoc repetimus, quia videntur aduersarij per contemptum nominare officium Leonardi de Nogarolis, exemplo *Bandeli parte* 2. *solemn. disput. ratione* 21. *in fine*,) concesserat indulgentias Festi Corporis Christi illud officium recitantibus, & audientibus: solemnitas *Immaculatæ Conceptionis* Deo, & eius Vicario fauentibus vbique celebrabatur. Quis crederet inueniendos esse inter Catholicos, qui adeò solidam pietatē, quasi parum esset non amplecti, manifestè impugnarent? Inuenti sunt tamen vaniloqui, seductores, propria scientia inflati, qui, & in vulgus spargerent, & libris mandarent has propositiones: *Asserentes B. Virginem sine originali peccato fuisse conceptam, hæretici sunt; Immaculatæ Conceptionis officium recitantes grauiter peccant*. Eas Sixtus IV. damnauit; quodnam fuisse dicemus eius intētum? ipsam damnationem? at dānatio quædam actio est, & de eius fine à Pontifice intento interrogamus. Is planè fuit conseruatio doctrinæ, & solemnitatis à Sede Apostolica traditæ, & promulgatæ. Egitnè primum Sixtus IV. de *Conceptione* B. Virginis in Extrauagantibus *Graue nimis*, an olim, cùm festum, & officium proprium instituit? Quod ergo antè approbauerat, postea defendit, & sub anathemate impugnari prohibuit.

Decretorū haud syncera allegatio

101 REPETVNT deinde aduersarij, *Decreta Pontificum directa fuisse ad*

ad vtriusque sententiæ probabilitatem seruandam: Et, *cùm contentiones exardescerent, affirmatiuè opinantibus silentium inditum esse*; nec nos repetere grauabimur, ea ad quæ ipsi dicunt Decreta directa esse, in Decretis non inueniri. Vide proximè dicta, *num.* 94.

Libellus num. 11. colum. 13.

Demùm (quod Spiritus Sancti assistentiam Summo Pontifici in Ecclesiæ regimine mirè demonstrat,) dùm aduersarij sub Gregorio XV. summo conatu partis affirmantis præiudicium exquirunt, Decretum prodijt vtramque sententiam in sua probabilitate confirmans: cuius vigore Fratres Prædicatores nomine Conceptionis sanctificationem intelligunt, aduersarij Præseruationem.

DISCVSSIO.

Orationis, quæ fit nomine Ecclesiæ, auctoritas.

102 SPIRITVS SANCTI assistentia mirè absque dubio elucet in omnibus, quæ Summus Pontifex è Petri cathedra pronuntiat, aut decernit, præcipuè cum publicam orādi formam fidelibus præscribit: *Nam quid oremus sicut oportet, nescimus; sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* Rom 8. De auctoritate publicæ orationis nomine Ecclesiæ factæ recole dicta *Artic.* 2. *num.* 137. Defensores piæ opinionis, ne in orando per ignorantiam erraremus, ad Petri successorem accessimus, sicut olim vnus ex discipulis ad Christum, *Luc.* 11. & diximus ad eum: *Domine, doce nos orare*. Qui respondit nobis: *Cùm oratis, dicite, Deus, qui per Immaculatam Virginis Conceptionem, dignum Filio tuo habitaculum præparasti, quæsumus, &c.* Hoc oraculum velut ex ore Dominico prolatum accepimus, nec experimentum quærimus eius, qui in suo Vicario loquitur, Christus. Si aduersarij miras demonstrationes habent, vt magis, ac magis in credenda assistētia Spiritus Sancti ad Summum Pontificem firmemur, proferant bona fide, nam *Decretum confirmans vtramque sententiam in sua probabilitate*, hucusque nullum *prodijt*, nec *cuius vigore* possit intelligi *nomine Conceptionis* aliud, quàm *Præseruatio*, quæ etiam nomine *Sanctificationis* intelligebatur, vt suprà à *num.* 28. probauimus. Quod verò aiunt, *summo conatu exquisitum præiudicium partis affirmantis*, finem Hispanicæ legationis non explicat, effectum autem ex ea cōsequuturum diminutissimè attingit. Nam Legatus Regis Catholici piam opinionem de Fide postulabat definiri, in hunc finem summo conatu tendebat, & mittente, & eo, qui mittebatur dignum; qui si obtentus foret, pars affirmans non præiudicium, sed vltimum damnationis iudicium accepisset.

(·.·)

Li-

Libellus num. 12. colum. 13.

Hoc igitur Decreto syncerè, & vt iacet, inspecto, quo directè omnibus iniungitur, vt in officio non alio, quàm Cõceptionis vtantur nomine; falluntur, qui putant Dominicanos tantùm ligari, vt à nomine Sanctificationis abstineant. Decretum Vniuersalis Ecclesiæ Pastoris est, omnes instruit, omnibus præcipit, & omnes voces præter Conceptionem excludit.

DISCVSSIO.

Vsus nominis, Cõceptio omnibus.

103 GRAVISSIMVM iugum imponunt nobis aduersarij, quod nec nos, nec patres nostri portare potuimus, vt Gregorij Decreto obtẽperemus, & in diuino officio nõ alio, quàm Conceptionis nomine vtamur.

penses te exilio damnant, & ego illos, inquit, mansione. Nimirum *philosophus gloriæ animal*, vt Tertullianus dixit, siue, vt Hieronymus, *mancipium* facilius solum vertebat, quàm sententiam, & æquanimitatis ostentator coactionis notam regerebat in alios. Præcepit aduersarijs Sedes Apostolica vocem suã dimittere, & nobis nostram retinere: ò amabilem violentiam præceptũ Summi Ecclesiæ Pastoris est, omnes ligat, *& vincula eius alligatura salutis*, Eccli. 6.

Lex quomodo generalis.

104 EA sine dubio legis natura est, vt non vnum, aut alterum, sed omnes subditos comprehendat, *lex enim commune est præceptum*, l. 1. D. de legib. & *iura non in singulas personas, sed generaliter constituuntur*, l. iura, D. eod tit. *canonum statutum ab omnibus custodiri* debet, c. 1. *de Constitutionib.* communis, scilicet, est obligatio ad id, quod statuitur propter bonum commune, *D. Th.* 1. 2. q. 90. *art.* 2. Sed quia *lex propter trans-*

est lex posita, sed iniustis, 1. Tim. 1. libenter eam obseruantes dirigit, repugnantes cogit. Vide *Vazq disput.* 166. *cap.* 2. Nec eo animo, hoc dicimus, vt nobis iustorum laudem arrogemus, aduersarijs verò iniustorum, aut transgressorũ appellationẽ imponamus: cultus enim vniformitatem, quæ Sedi Apostolicæ placuit, non putamus cuiquam displicere; sed æquo animo pati non possumus Decretum in fauorem partis piæ emanatum, *Art.* 2. *nu.* 54. *& hoc Tract. num* 37. 38. *&* 39. nobis, vt transgressoribus obiici, nam *quod ob gratiam alicuius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum*, c. 61. de regul. iur. in 6. Vide infrà *num.* 106. *& seqq.*

Libellus num. 13. colum. 13.

En ergò temporum distinctio necessariò attendenda, siquidem aliquando idem erat dicere apud plures Conceptio, & Immaculata Conceptio; & post Gregorium non idem sonat: ac proinde, quæ de Sixto IV. alijsquè Pontificibus antè Gregorium XV. afferuntur, quoad titulum Immaculatæ Conceptionis, anachronismi fallaciam continent.

DIS-

DISCVSSIO.

Nūquā Ecclesia cultum tribuit nisi rei sanctæ.

105 DISTINGVANTVR tempora, ipsi temporum articuli, & momenta ad vnguem computentur, & subducta ratione assignetur, quo sæculo, anno, vel die cultum instituerit Romana Ecclesia, & festum dicauerit rei non sanctæ, aut aliquid celebrauerit nisi ratione sanctitatis, *fixa, & perpetua consuetudine*, vt ipsimet aduersarij dicũt *num.* 23. Quomodo ergò potest esse locus anachronismis, si antè, & post Gregorium celebratur in Ecclesia festum *Conceptionis*? Nam *Conceptio* in cultu diuino, velint nolint aduersarij, semper fuit, est, & vsque in finem sæculi erit *Conceptio Immaculata. Artic.* 2. *à num.* 84. *hoc Tract. num.* 13 *cum seqq. nu.* 55. & 83. Quod si loquantur de verbali ipsius tituli vsu, constat etiam ex dictis suprà *num.* 63. titulum *Immaculatæ Cōceptionis* à Gregorio XV. in eodem Decreto, quo præcipit omnibus non alio nomine, quam *Conceptionis* in festo vti, fuisse expressè approbatum. Videant ergò, ne chronologica consectantes Theologiæ solidæ obliuiscantur, cui, vt reginæ ancillas, cæteras quascunque facultates obsequi oportet, & inseruire.

Libellus num. 14. colum. 13.

Ex quo patet, quòd præcipuum aduersariorum argumentum desumptum à concessione officij Nogarolis facta à Sixto IV. tantum abest, quòd vrgeat post Gregorium XV. quòd imò hisce temporibus officium illud videtur non esse ampliùs recitandum, quia expressè alio vtitur, quàm Conceptionis nomine, hoc est præseruationis, & Immaculatæ Conceptionis: cùm enim actus priores corrigantur per posteriores; Gregorij XV. Decreto abrogata huiusmodi concessio videtur & per consequens pœna aliàs pro temporis exigentia vsum dicti officij improbantibus imposita. Sic argumentum rem ita euincens.

Num. 15.

Nomen Conceptionis, quo ex Decreto Gregorij vti debemus, compatitur in vtente * *sententia negante Immaculatam; ergo non est nomen, cui apponendum sit adiectiuum Immaculatæ: ergò si dixerim Conceptio Immaculata, vtor alio nomine, quàm Conceptionis: ergò si recitem officium Nogarolis, Decretum Gregorianum frango.*

* Fortè, *sententiam negantē.*

DIS-

DISCVSSIO.

Sixti IV. Extrauagãtes firmißimæ

106 PVDET ad tàm futiles argutias respondere. Sed multò magis dolet, Sedis Apostolicæ auctoritatem adeo inanibus fucis palàm contemni. Si enim per Decretum Gregorij, Extrauagantes Sixti IV. apud omnem posteritatem venerabiles, pœnæque in eis contentæ abrogantur; quid restat, nisi, vt propositiones ibi reprobatæ impunè affirmentur? Dicant, peccare grauiter *Immaculatæ Conceptionis* officium recitantes, falua res est, quamuis millies postulentur apud iudices Bãdelli sectatores, missi abibunt, quin, & risu soluentur tabulæ. Nec dicant libellorum auctores, se hanc Extrauagantiũ derogationem non asserere, sed sub dubitatione proponere; quæ enim causa subest in dubium reuocandi valorem Constitutionum toties confirmatarũ? quomodò tot Summorum Pontificũ, & Concilij Tridentini luminibus non obstruunt? Et ipsemet Gregorius quid in eodem nouissimo Decreto confirmaret ex Sixti Constitutionibus, si cẽsuras aduersus impugnatores officij *Immaculatæ Conceptionis* abrogasset? nam hæreticam dici piam opinionem ideo etiam sub grauissimis pœnis prohibet, quia Romana Ecclesia de Conceptione B. Virginis festum solemne celebrat, & speciale, ac proprium officium ordinauit. Adde, quod libellus post propositam subdolè dubitationem, *argumentum rem euincens* magno boatu iactat. Sed ò boni, vestrum euincens argumentum, nec rem, nec speciem probabilis rationis habet, ac ne responsione quidem dignum est.

Officium Sixti IV. & cõmune Romanũ in re idẽ.

107 ASSVMATVR idem argumentum euincens contra officium Romanum Nomen *Conceptionis*, quo ex Decreto Gregorij vti debemus, compatitur cum sententia negante *Conceptionem* Dei Genitricis *Dignißimam*, & *Sanctam* ergo non est nomen, cui apponenda sint adiectiua *Dignißimæ*, & *Sanctæ*: ergo si recitem officium Romanũ, Decretum Gregorianum frango. Quid vitij habet hæc collectio? an laborat etiam anachronismi fallacia? nonnè hodiè canitur in omnibus Ecclesijs *Conceptio* B. Virginis Mariæ *Dignißima*, & *Sancta*? nonnè eximia dignitas, & sanctitas reuera negatur ab his, qui non tribuunt B. Virgini gratiam in primo animationis instanti? Quid autem difficultatis habet *Conceptioni* cultum nouo modo exhibere, iudicio intellectus non mutato, vt *Illustrisſ. Araujo, Art. 2. num. 52. col. 85.* datus notauit? Quarè sciant aduersarij, nostrum præcipuum argumentum non sumi præcisè ab approbatione officij specialis, quod à Sixto IV. emanauit; sed à festi institutione, cuius vis eadem est, sub quacunque officij formula celebretur, vt sæpissimè diximus & propter sequentes libelli clausulas apertiùs demonstrabimus.

108 AT quàm subtilis illa textus Decreti Gregoriani enucleatio! *Officiũ illud videtur non esse ampliùs recitandum, quia expressè alio vtitur, quàm Conceptionis nomine, hoc est, præseruationis, & Immaculatæ Conceptionis.* Os hominum! Omnibus prohibuit Gregorius alio, quàm *Conceptionis* nomine vti, ne duplex nomen id eiusdem mysterij cultũ cum manifesta dissonantia, imò, & cum scandalo assumeretur: idipsum omnes vniformiter seruamus post illegitimum *Sanctificationis* festum antiquatum; hinc autem colligere, Gregorium sustulisse epitheta honorifica *Conceptioni* adiuncta, nihil aliud est, quàm affectui habenas laxare, & patientia legentium abuti. Cur enim potius epithetum *Immaculatæ* auferretur ex vi Decreti, quàm *Sanctæ*, & *Dignißimæ*? Cur illa clausula, *eam ab omni labe præseruasti*, & non illa, *Conceptio gloriosæ Virginis Mariæ ex semine Abrahæ*? nam *Conceptio* naturalis B. Virginis sine præseruatione festiua esse non potest, quia non sancta, vt ex *Auctore Epist. ad Lugdunenses* nimium sæpe inculcauimus. Si eandem sanctitatem

Quid prohibuerit Gregorius?

 diuer-

diuersis modis in alio, & alio officio exprimere antè Gregorium licebat, vndè repentè illicitum est factum? Nomē *præseruationis* in nostris officijs non habemus, quamquàm habeamus æquiualentes loquutiones, vt est ipsa vox, *Conceptio*, sensu Ecclesiæ Catholicæ; quod aduersarij adeò de vocibus soliciti obseruare debuissent.

Libellus num. 16. colum. 14.

Nec valet, quod dicitur, alios Summos Pontifices post Sixtum IV. atque etiam Sacrum Concilium Tridentinum Sixti IV. Constitutiones confirmasse: scopus enim confirmationis est, vt neutra opinio censuræ subdatur, non autem, vt officium Nogarolis confirmetur: & quod præcipuè attendendum est, implicat, confirmationem Gregorij cadere sub his, de quibus ipse aliter expressè disponit.

Num. 17.

Semper Tridentinum Concilium nihil aliud intendit, quàm vtranque partem controuersiæ indefinitam relinquere, & contentionum occasiones resecare, sub pœnis à Sixto IV. taxatis; non autem approbare voluit officium Nogarolis.

Num. 18.

Hoc patet euidenter: nam san. mem. Pius V. dum officium Nogarolis in reformatione Breuiarij in officium Natiuitatis commutauit, profitetur expressè in Constitutione, Quod á nobis, &c. *se Concilio Tridentino inhærere: itaquè recessisset potius à Concilio, si Concilium præfatum officium confirmare voluisset.*

DISCVSSIO.

Approbatio Cōcilij Tridentini. 109 MIRAS nostrorū dissertatorum delitias! Valdè illos angit officium Nogarolis, cuius *ordinationem piam, deuotam, & laudabilem* Summus Pontifex dissertè appellauit, & indulgentijs prosequutus est in Constit. *Cum præexcelsa*, *colum.* 47. *Reges*, a se etiam *emanatum* clarè ibidem testatus. Hanc Constitutionem, probabilissimū & ferè certum est à Concilio Tridentino confirmatam, *Art.* 2. *num.* 22. & 24. *colum.* 66. Sed de hac re quisque statuat, vt volet, nihil moramur confirmationes, vbi nulla derogatio profertur, nec locum habere potest, vt explicabimus.

110 SCOPVM confirmationis ab aduersarijs admissæ expendamus, quem aiunt esse, *vt neutra opinio censuræ subdatur.* Optimè. Sed cur prohibuit Sedes Apostolica, piam opinionem cēsuræ subdi? Audiantur millies, & vltrà *Eius scopus.*

verba

verba Extrauagantis *colum.* 109. *Regesti. Sanè cum Sancta Romana Ecclesia de Intemeratæ, semperquè Virginis Mariæ Conceptione publicè festum solemniter celebret, & speciale, ac proprium super hoc officium ordinauerit, nonnulli, vt accepimus, affirmare non erubuerunt, eiusdem Immaculatæ Conceptionis officium celebrãtes peccare grauiter, &c.* Damnat Sixtus IV. impugnatores festi, & officij ab ipso instituti, hanc damnationem Pius V. & reliqui Pontifices cum Concilio Tridentino confirmant: ergo approbant officium illud speciale, vt pium, laudabile, & à Sede Apostolica profectum. Nec Gregorius aliter circa hoc disposuit, quidquid aduersarij nihil non affirmantes securissimè pronuntient: nam prohibitio vtendi alio nomine, quàm *Conceptionis* non tollit epitheta *Conceptioni* superaddita, vt discussione præcedenti ex ipso Romano officio planum fecimus; imò epitheta viu recepta validius confirmat, cùm nomen *Conceptio* in cultu diuino prorsus æquiualeat *Immaculatæ Conceptioni, Artic.* 2. *à num.* 84.

Dictæ approbationi Pius V. non derogauit.

111 AT (inquiunt aduersarij) Pius V. illud idem officium à Sixto IV. publicatum in officium Natiuitatis commutauit. Quomodò commutare potuit vnum in aliud, si vtrumque erat in vsu iuxta consuetudines varias Ecclesiarum, neutrum verò sub præcepto? supra *num.* 54. An si officium Sixti IV. Breuiario reformato inseruisset, officium Natiuitatis *Conceptioni* adaptandũ non esse declarasset? Selegit ex omni officiorum copia vnum, & reliquis antiquius, & Præseruationis mysterio aptissimum, cum alia officia eandem vim haberent, nec possent simul ab eisdem recitari. Videatur omninò *Artic.* 2. *à num.* 129. *colum.* 118. & obseruatio ibi citata ex *Regesto, colum.* 211. Quodcunque ergo officium Pius V. vt ordinarium designasset, Tridentino Concilio inhæsisset, cuius confirmatio, & declaratio in illa sess. 5. Sixti IV. Constitutiones in eodem robore, quod anteà obtinebant, reliquit, quod in eis damnabatur damnans, quod præcipiebatur, aut prohibeatur, denuo præcipiens, aut prohibens; quod absque præcepto approbabatur, vt pium, & indulgentiarum concessione dignum, in eodem gradu commendans, & approbans. Omnia hæc aduersarij confundunt, nec approbationem, quam officium Sixti IV. à Concilio Tridentino habuit, distinguunt ab obligatione illud recitandi, quam, nec Sixtus, nec Concilium imposuerant, & ideo Pius V. saluis vtriusque Decretis, designauit aliud officium satisfactorium in communi Breuiario, quo omnes priuilegium non habentes vti tenerentur.

Ecclesia Rom. in cultu tribuẽdo firmissima.

112 EX hac indistinctione oritur fallax, & vitiosa aduersariorum collectio, qua rectè, si non manifestè suadere nituntur sensum Festi *Conceptionis* cum officio mutatum; quod non solùm improbabile est, sed etiam Apostolicæ Sedis auctoritati non parùm detrahit, vt optimè explicat cõtra Medinam *Ægidius de Præsent. lib.* 3. *de Præseru. Virg. q.* 5. *art.* 6. *§.* 5. *num.* 25. *pag.* 294. *& num.* 26. *&* 27. *pag.* 295. *Suar. to.* 2. *in* 3. *p. disp.* 3. *sect.* 5. *Vazq. disput.* 117 *cap.* 5. *num.* 70. *Valent. to.* 4. *disput.* 2. *q.* 1. *punct.* 2. *pag.* 493. *&* 494. & plurimi alij. Intolerabile prorsus est, Ecclesiam Catholicam leuitatis insimulari, vt modò Præseruationem celebret, modò *Conceptionem* indifferentem, quod & per se indignissimum esset, & euidentissimis instantijs repellitur. Non admisit Pius V. in suo Breuiario reformato festa B. Annæ, & S. Rochi; nùm ideò, vt *Suarez citatus* obseruat, aliquid detraxit eorum sanctitati? In multis Ecclesijs legebatur ante Pium V. hæc Oratio in festo Assumptionis B. Virginis, quam affert *Catherin. lib.* 3. *de Immac. Concept. pag.* 84. *Veneranda nobis, Domine, huius diei festiuitas opem conferat salutarem, in qua Sancta Dei Genitrix mortem subijt temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, quæ Filium tuum Dominum nostrum de se genuit incarnatum Qui tecum, &c.* An ob sublatam, vel non admissam huiusmodi oratio-

tionem in communi Breuiario, dicere quis audebit, non celebrari ab Ecclesia Assumptionem Dei Genitricis in cælum, in corpore, & anima? Longè ergo differt officij proprij designatio, quæ quotidiè iustis de causis reformatur, à scopo, & sensu Festorum, quem Ecclesia Romana, vt magna cum maturitate, & examine suscipit, ita semel susceptũ suprà firmam petram fundata non deserit, nec mutat.

Sixti IV. indulgẽtiæ ad officiũ speciale nõ coarctantur.

113 ET vt clariùs constet, nihil ex officiorum varietate Præseruationis cultum diminui: non solùm asserimus antè, & post Sixtum IV. sanctitatem primi instantis summa vniformitate celebratam esse; sed etiam indulgentias à Sixto concessas, ratas, validasquè permanere colentibus *Immaculatam Conceptionem* ex mente, & sensu Ecclesiæ Catholicæ, quacunque officij formula vtantur. Ita sentiunt, & expresse docent *Valentia vbi suprà, Ojeda in sua Informat. fol. 64. col. 2. Auila de censur par. 5. disp. 4. sect. 2. dub. 9. pag. 277. Henriq. lib. 13. de excommunic. cap. 47. n. 4. Hierony. Roderic. in comp. regular. resolut. 30. n. 8.* & alij. Fundamentum est, quod concessio Sixti IV. quamuis in cortice, & sono verborum officij specialis ordinationem respiciat; tamen attẽta ratione, quæ est anima legis, facta fuit intuitu celebrationis illius mysterij ex præscripto Ecclesiæ Romanæ, quæ secundùm substantiam eadem manet, licet officiũ varietur: adeo verum est, sub vtraque recitandi forma eundem inuariatum cultum frustrà aduersarijs renitentibus perseuerare.

Libellus num. 19. colum. 15.

Additur, quòd expuncto à Romano Breuiario officio prædicto, gratis euulgatum est idem officium à Pio V. viuæ vocis oraculo Fratribus Minoribus fuisse concessum; nunquam enim huiusmodi oraculi legitimum protulerunt, aut proferre possunt documentum: imò ex oraculi propriorum officiorum illius Ordinis inspectione euidenter concluditur, concessionem Pij V. non includere Nogarolis officium: sed aliquot annis à morte Pij V. transactis prodijt priuata quædam impressio dicti officij oraculo prædicto insignita. Ex quo colligi potest, quàm facilè pietatis prætextus imposturas pariat. Nec enim à defuncto Pontifice oraculum prodire poterat, qui dùm viueret, noluit, officium illud tanquàm ex Apostolicæ Sedis auctoritate recitari.

DISCVSSIO.

Cõuitiorum cõtẽptus.

114 HÆC pura puta cõuitia sunt modestis omnibus inuisa, rationibus destitutorum signa, & à veritate armatis silentio despicienda. Quod si fescennina è plaustro fundentibus amœbæa occinere vellemus, immane quantum à nobis nullo negotio superarentur! Itaquè officium *Immaculatæ Conceptionis* à Breuiario Romano *expunctum*, (noua res, pro expũcto abijci, quod tangentium manus adeò acriter pungit) *oraculum gratis euulgatum*, *imposturas prætextu pietatis*, surdis auribus prætervehimur. At quale illud acumen, & quàm dextrè vibratum telum! non potuisse oraculum prodire à Pontifice

tifice mortuo, qui viuens recitari officium noluerat; scilicet, si dum viueret, officium approbasset, poterat oracula edere in eius fauorem etiam post mortem. Non satisfaciunt aduersarijs nostris testes omni exceptione maiores *colum.* 219 *Regesti* à nobis producti nō publicæ, & approbatæ editiones, non manifesta ratio in eodem *Regesto colum.* 213 tradita, non aliorum Pontificum indulta, præcipuè Pauli V. *colum.* 174. concedentis recitationem officij, quod incipit, *Sicut lilium, &c.* singulis sabbathis, vt nunc quoque sanctè obseruamus: nihil horum eis satisfacere potest, dum ipsum Pium V. rediuiuum non sistimus; accipiant ergo compendiosius responsum, instrumenta à nobis, qui in possessione sumus, allegata redargutioni obnoxia nō esse, quamdiu euidenter non constiterit de falsitate. *Artic.* 4. *num.* 12.

Libellus num. 20. colum. 15.

Reliquæ verò assertæ Summorum Pontificum concessiones, cùm oraculum Pij V. supponant iuxta petentium suppositionem, huius defectu obreptionis vitio laborare videntur: quæ quanti ponderis sint, Eminentiæ vestræ dignentur expendere.

DISCVSSIO.

Cōcessiones legitimæ. 115 ASSERTÆ tantùm concessiones? imò legitimæ, verissimæ, omni prorsus suspicione carētes: non euincitur tanta res sola aduersariorum affirmatione; applicentur nostris concessionibus octo illa vrgentissima subreptionis indicia *Art.* 4. singillatim enumerata & expensa. Quem petitionis tenorem nobis obijciunt in suppositione oraculi Pij V. fundatæ? nam quæ ad Paulum V directa fuit, *d. colum.* 174. *Regesti*, longè aliam causam his verbis exhibet: *propter eximiam deuotionem, quam totus Ordo habet in Deipara Virginis Immaculatam Conceptionem:* hæc autem causa, & narratiua, eique adiunctæ preces adeò veritate nituntur, vt Apostolico testimonio antè annos centum pronuntiato fulciantur, in *Reges. colum.* 130. Quod quanti ponderis sint, Eminētissimos Dominos suppliciter, & enixè rogamus, vt expendere dignētur.

Libellus eod. num. 20. colum. 15.

Hoc vnum, quod ad rem attinet, religiosissimè obseruandum videtur, nè expressè ab Apostolica Sede officium Immaculatæ Conceptionis approbetur, eiusquè titulus excudendus concedatur; nisi, & Gregoriano Decreto, & alteri controuersiæ parti præiudicium illatum velint.

DISCVSSIO.

Fauores Sed Apostol. absolutissimi.

116 TAM officium, quàm Titulus expresè multoties sunt approbata, vt ex proximè, & suprà ad *num 3 libell.* dictis luce clarius conspicitur, & cùm vtrunque religiosissimè fuerit hactenus obseruatum, nullo Religionis prætextu infirmari potest. Præiudicij exceptioni non est hìc locus, quam Sedes Apostolica nunquàm adhibuit in fauoribus piæ opinioni concedendis, *hoc Tract. num.* 45.

Libellus num. 21. colum. 15.

Sub initium Pontificatus rècol. mem. Vrbani VIII. id validissimè conquisitum fuit magnorum Principum coaceruatis instantijs, vt & festum, & officium Immaculatæ Conceptionis concederetur quæcunque tunc de Sixto IV. alijsquè allata sunt, nunc ipsissimis penè vèrbis refricantur, vt facilè inferri posit, petitionis variari prætextum, non sensum. Post adhibitas consultationes, summa Decreti fuit, nihil agendum in alterius sententiæ præiudicium, & ideo nihil omninò fuit concessum.

DISCVSSIO.

Petitio corã Vrbano 8.

117 NEC validissima conquisitio, nec coaceruatæ Principum instantiæ tunc interuenerunt, nec de festo aliquid actum est, nec à Sede Apostolica responsum, nihil agendum esse in alterius sententiæ præiudicium, vt ex syncera facti narratione *num.* 54. exposita liquet. Sed familiare aduersarijs est de suo loqui; nostra industria in testimonijs conquirendis tota desudat, alienorum scriptorum parua ingenij laude, magna tamen cum fide compilatores agimus. Nec araneæ apibus præponentur, quod telarum fila in fabricantibus, mella verò in floribus nascantur. Vndè mirum non est, eadem semper ipsissimis verbis à nobis refricari, cùm loquamur de scripto legis, & palàm absque prætextu *Immaculatæ Conceptionis* venerationem profiteamur. Nostri aduersarij semper aliquid noui instar Africani soli parturiunt, modò festum, modò festi sensum negantes, modò *Sanctam Conceptionem* non admittentes, modò *Immaculatam*, quamuis *Sancta* sit, inficiantes. Via, scilicet, regia vnica est, semitæ multæ.

Libellus num. 22. colum. 15.

Annotanda secũdò insignis, quæ fit æquiuocatio: quod enim aliquãdo fidelium pietati quoad officium Immaculatæ Conceptionis permissum est, imò, & concessum, (nec enim Conceptionis vocabulum reformidamus pro ijs temporibus, quibus etiam officium San-

Sanctificationis à Summis Pontificibus, & signanter à Iulio Tertio concessum, & approbatum fuit,) pro sensu Ecclesiæ Catholicæ firmatur, Ecclesiæ consuetudinis titulo confidentissimè decoratur: & quàm strictè, & rigorosè sumatur ab ipsis, patet, dum Sanctorum Patrum auctoritati disertè præfertur: quæ si attentiùs inspiciantur, ita rem describunt, vt Immaculatam Virginis Conceptionem tam Ecclesiæ auctoritate definitam supponant.

DISCVSSIO.

Æquiuocationum remotio.

118 QVÆ iudicio aduersariorum reputatur insignis æquiuocatio, reuera est argumentum conuincens, vt faciiè ex fundamentis toto Articulo Secundo, & hoc Tractatu iactis ostendemus, sublata priùs æquiuocatione, circa quam aduersarij perpetuò hærent, & vt longissimè à se repellere videātur, in nos reijciunt. Putant enim, vsum tituli *Immaculatæ Cōceptionis* præcisè à nobis defendi propter concessionem officij specialis, in quo prædictus titulus expressè continetur; quod si faceremus, vteremur sanè ratione validissima, tum, quia illud officium toti Ecclesiæ, vt pium, & laudabile traditū à Sixto IV. fuit: tum, quia multa festa propria celebrat ex concessione Sedis Apostolicæ Seraphica Familia, (sicut aliæ particulares Ecclesiæ vel Religiones,) quæ tametsi lege vniuersali statuta non sint, sed priuilegio; iure tamen optimo ab eorum celebratoribus retinentur, nec sine manifesta iniuria in sua pacifica possessione turbari possent. At de *Conceptione* B. Virginis, non est apud Fratres Minores speciale festum (quod aduersarij intelligere nolunt.) sed officium tātùm; id enim celebramus, quod tota Catholica Ecclesia, quamuis sub diuersa officij formula, & hac Ecclesiastica consuetudine titulum *Immaculatæ Conceptionis* tuemur.

Consuetudo Ecclesiæ Catholicæ stabilitur.

119 ITAQVE asserimus, in Ecclesia esse legitimam consuetudinem celebrandi solemni festo Præseruationē Beatissimæ Virginis Mariæ Matris Dei à peccato originali Hoc confidentissimè pronuntiamus; nec enim quantalibet confidentia vitiosa esse potest, quæ successorem Petri fideiussorem habet, sed valdè laudabilis. Imò, vt aduersarij ampliùs mirentur, non contēti sumus nomine consuetudinis, quæ propriè *est ius quod pro lege suscipitur, cum deficit lex*, C. *consuetudo, dist.* 1. nos autem habemus, & consuetudinem & legem. Vtrāque probauimus *d. Art.* 2. relege, si placet, præcipuè *num.* 6. 15. 57 *& deinceps, item num.* 107 *&c.* & instrumenta *ibid.* ex *Regesto* allegata, quæ conuincunt, celebratam esse *Conceptionem* B. Virginis in sensu præseruationis à particularibus Ecclesijs ad minus ante quingentos annos, à Romana verò antè plus minus trecentos. nam *Concilium Basileense* anno 1439. *consuetudinem celebrandi Sanctam Virginis Conceptionem, tam per Romanam, quàm per alias Ecclesias*, vocat *antiquam, & laudabilem*: cui testimonio nemo inficias ierit, tribuendam esse auctoritatem historiæ authenticæ, ne dum illi fides derogatur, Ecclesia Romana, vt nouitatum fautrix notetur. Eandem *consuetudinem* sub hac expressa voce, & sensu adstruunt validissimè *Baccon. in* 4. *d.* 2. *q.* 9. *art.* 3. *D. Catharin. lib.* 3. *de Immac. Concept. paulò post init.* §. *Adijcitur & quintum testimonium, &c. noster Cordub. in Quæstionar. lib.* 1 *q.* 44. *concl.* 6. §. *Secundò, quia, pag.* 359. *Mauritius Hilaret. in homilijs Aduent. homil.* 30. *pag.* 381. *Ægid. de Præsent. lib.* 3. *q.* 6. *Art.* 1. §. 4. *n.* 21. *pag.*

pag. 293. *Salazar cap.* 34 *num.* 1. *pag.* 295. & quis non? Omnes ſcriptores *Art.* 1. relati, qui piam opinionem defendunt, *Eccleſiæ conſuetudine* aduerſarios premunt; an aliquid noui nunc audiunt, quod illos tantoperè velut inauditum commoueat? vbi tam diu eorum peregrinatæ ſunt aures? nec enim pia opinio latiùs patet, quàm eius probatio ex Eccleſiæ ſenſu, & conſuetudine.

Et expreſſa lex. 120 CÆTERVM præter antiquam, & legitimam conſuetudinem, habemus Apoſtolicam legem expreſſam, non quidem præcipientem, Præſeruationis myſterium teneri, vt certum Fide diuina; ſed prohibentem interpretari ſenſum Feſti *de ſola ſpirituali Conceptione, vel ſanctificatione,* & conſequẽter declarantem, Feſtum celebrari ab Eccleſia Catholica in honorem B. Virginis à peccato originali præſeruatæ. *Art.* 2 *num.* 8 9. 10. 11. *col.* 58. Quam legem, & officij ſpecialis inſtitutionem attendens *Illuſtriſ. Catbar.* hunc titulum parti ſecundæ ſuæ diſputationis ad Cõcil. Trident. appoſuit. *Pars ſecunda, in qua oſtenditur, omnes fideles teneri ad celebrandum diem feſtum Immaculatæ Conceptionis B. Virginis ſub ipſomet Immaculatæ Conceptionis titulo, & iuxta ſenſum Pontificio Decreto expreſſum.* Non erat quidem tunc præceptum celebrandi; ſed non celebrandi aliter, vel alio ſenſu, quàm a Sede Apoſtolica conceſſum, aut permiſſum eſſet; quod tranſgrediebantur nonnulli ex celebratoribus *Sanctificationis*, quantumuis conceſsionem, & approbationem Sedis Apoſtolicæ, & nominatim Iulij Tertij iactent; quod iam *num.* 26. reiectum eſt. Poſtquàm autem fæl. record. Pius V. feſtum Conceptionis ex libero obligatorium fecit, & Gregor. XV. aliud nomen præter *Conceptionem* prohibuit, omnes tenentur ad celebrationem *Sanctæ*, vel *Immaculatæ Conceptionis* iuxta diuerſas recitandi formulas ab Eccleſia legitimè approbatas: nam conſuetudo eadem eſt, tam ſub dictis nominibus, quàm ſub alijs à ſenſu Eccleſiæ non diſcedentibus, qui ſi peruertatur, iam conſuetudo in abuſum migrabit, & Auguſtiniana ſententia ad partes vocanda, *In Euangelio Dominus, Ego ſum, inquit, veritas; non dixit, ego ſum conſuetudo,* c. qui contempta, diſt. 8.

Auctoritas legitimarũ cõſuetudinum. 121 QVOD autem aduerſarij ægre ferunt, *conſuetudinem Eccleſiæ ſtrictè & riguroſè ſumi, & Sanctorum Patrũ auctoritati diſſertè præferri*; abſtineant, oramus, ab ira, & indignatione, cùm quod in nobis reprehendunt, à *D. Thoma* didicerimus, 3 *p. q.* 68 *artic.* 10. & 2. 2 *q.* 10. *art.* 12 cuius verba ſunt, *Dicendum eſt, quòd maximam habet auctoritatem Eccleſiæ conſuetudo, quæ in omnibus imitanda eſt; quia & ipſa Doctorum Catholicorum doctrina ab Eccleſia auctoritatem habet: vndè magis ſtandum eſt auctoritati Eccleſiæ, quàm Auguſtini, vel Hieronymi, vel alterius cuiuſcunque Doctoris.* Nec loquebatur Angelicus Doctor de conſuetudinibus Eccleſiæ ſub præcepto ſtabilitis, ſed abſque determinatione, vſu tantùm receptis: ſubdit enim: *Hoc autem Eccleſiæ vſus nunquàm habuit, quod filij Iudæorum parentibus inuitis baptizarentur.* Imò non ſolùm Romanæ Eccleſiæ conſuetudines, ſed particularium Eccleſiarum, inſignium, multorumquè Doctorum ſententijs præferendas eſſe fatetur *Caiet.* 3. *p. q.* 74. *art.* 1. *propter auctoritatem* (inquit,) *Spiritus Sancti gubernantis Eccleſiam; nam ob ſimiles particulares conſuetudines, venerabiliter ſuſtinent Theologi, plures Sacerdotes conſecrare eandem hoſtiam.* Quæ etiam videtur mens *D. Thomæ*, qui 2. 2. *q.* 93. *art.* 1. *ad* 3. ait, *diuerſas Eccleſiæ conſuetudines in cultu diuino in nullo repugnare veritati*, ac proindè ſeruandas eſſe. *Quis enim ferat* (verba Concil. Mileuit. II. cap. 8.) *orantem, & non hominibus, ſed ipſi Domino mentientẽ?* Hæc cò pertinent, vt Eccleſiaſticæ cõſuetudinis vigor agnoſcatur, quamuis introductæ præter, aut contra mentem Sanctorum Patrum; cuiuſmodi nõ eſſe cultum *Immaculatæ Conceptionis*, ſed ipſis Patribus valdè conformem, patet ex dictis *Art.* 2 *num.* 197. 198. & 199.

Epiſt. ad Lugdun. De perpet. virginit. Virgin. 3 *p. q.* 27. *art.* 1.

Principium firmiſsimũ.

Conſuetudo à nobis aſſerta, certiſſima. 122 SCIMVS, in ore habituros aduerſarios, ſe omnem auctoritatem deferre conſuetudinibus Eccleſiaſticis, negare

negare tamen hanc, quam nos asserimus, Ecclesiæ consuetudinem. Sed nõ videmus, quid deficiat, vt legitima consuetudo probetur, cum perspicuum sit ex *hoc Tract. num.* 20. & 21. D. Thomam, & reliquos antiquos Doctores nihil expectasse ad sustinendam præseruationem, nisi festi *Conceptionis* cultum in Ecclesia Romana: quo per tot annorum centurias stabilito, suprà D. Thomam, D. Bonauẽturam, aliaquè Theologiæ lumina sapere volunt, qui vt Catholicæ Ecclesiæ sensum, & Summi Pastoris vocem agnoscãt, aliquid prætereà expresſius, aut euidentius adhuc desiderant.

123 QVOD aiunt, nostras rationes attentius inspectas *Immaculatã Conceptionem* ab Ecclesia definitam supponere; nunquam credemus profectum ab attenta inspectione perspicacis oculi, sed transuersum intuentis, & fascinantis, cui vicini agri à Domino benedicti vero etiam vberiores fructus apparent. At à nobis quidquid Petri Successores in opinionem piam contulerunt, cum gratiarum actione suscipitur, negata dona non vi extorquentur, quin & inter beneficia numerantur. De quo bis iam diximus *suprà num.* 58. & 76. *Definitionis præsumptio nobis immeritò imposita.*

Libellus num. 23. colum. 15.

Sed Ecclesiæ Sanctæ fixa est, & perpetua consuetudo colendi non nisi certam, & indubitatam sanctitatem: quod pro comperto habent S. Bernardus, S. Ildephonsus, & S. Thomas, qui hac vnica ratione Natiuitatem Virginis Sanctam fuisse tradunt, quia Ecclesia ab antiquo eam celebrat; nunquam ergo dici potest ex Ecclesiæ sensu celebrari Conceptionem in primo instanti Immaculatam, hoc enim adhuc est indefinitum, atque adeò dubitationi subiectum. Qui aliter dixerint, videant, quomodò hæreticorum os obstruere valeant, qui aduersus infallibile Ecclesiæ iudicium calumnias ingeminant.

DISCVSSIO.

124 FIDELIS sermo, & omni acceptione dignus hoc loco ab aduersarijs nostris è sacratisſimo Patrum thesauro depromitur, qui Angelis, & hominibus desideratam *Conceptionem* gloriosisſimæ Virginis Mariæ SANCTAM fuisse, sicut eius fælicisſimam Natiuitatem, adeò efficaciter suadet, vt iudicium præoccupet, simulquè intellectum cum affectu rapiat. Per purisſimas illas cælo receptas mẽtes, per miracula illa sanctitatis, & eruditionis Bernardũ, Ildephonsum, Thomam, per quidquid in cælis, & terra Sanctum est, obsecramus, & obtestamur nomine aduersarios, re fratres, vt in adeò solida Sanctorum Patrum, sua, & nostra doctrina conquiescant; nec dubitent affirmare Præseruationem Beatiſ. Virginis ab originali peccato, cuius vident solemniter celebrari à Catholica Ecclesia Conceptionem.

125 SED ex animo nobis deinde rantibus pacificè, & amicè eos compellare armati occurrunt, & ipsos Patres, quos pacis sequestros habemus, aduersus nos concitant, quasi cum tota antiquitate bellũ geramus. Quid enim sibi volunt hæc verba? *S. Bernardus, S. Ildephonsus, & S. Thomas, hac vnica ratione* *Vndè probatur sanctitas Natiuitatis B. Virginis?*

tione Natiuitatem Virginis Sanctam fuisse tradunt, quia Ecclesia ab antiquo eam celebrat. Legantur loca ab aduersarijs ad oram libelli notata; nunquàm inuenietur ex antiquitate festi probata sanctitas Natiuitatis, sed absolutè ex festi celebratione. S. Ildephonsus ita scribit to. 7. Bibliot. PP. edit. Colon. an. 1618. pag. 449. colum. 1. A. *Beata Virgo nisi in vtero matris sanctificata esset, minimè eius Natiuitas colenda esset. Nunc autem, quia ex auctoritate totius Ecclesiæ veneratur, constat eam ab omni originali peccato immunem fuisse, per quam non solùm maledictio matris Euæ soluta est, verùm etiam, & benedictio omnibus condonata.* Quæ sententia, (vt obiter dicamus,) ex Natiuitatis festo non modò sanctificationem colligit, sed etiam Præseruationem, vt accuratè expendit *Salazar cap. 21. à num. 12. & cap. 36. à num. 1.* S. Bernardus, quem aduersarij agnoscunt auctorem Epist. ad Lugdunenses. *Ortum Virginis didici in Ecclesia, & ab Ecclesia indubitanter habere festiuum, atque Sanctum, firmissimè cum Ecclesia sentiens in vtero eam accepisse, vt sancta prodiret.* S. Thom. illo art. 1. *Sed contra est, quòd Ecclesia celebrat Natiuitatem B. Virginis: non autem celebratur festum in Ecclesia, nisi pro aliquo Sancto: ergo B. Virgo in sua Natiuitate fuit sancta: ergo in vtero sanctificata.* Vbi latet illa aduersariorum additio, *ab antiquo*? An Ecclesiæ Romanæ auctoritas in festorum institutione minor est nostra ætate, quàm fuerit antiquitùs? aut subiacet mutationibus sæculorum firmitatis æternæ verbum, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi*? Mat. 27. Nouitatum omnium Sedes Apostolica acerrima inimica est; nec potest periculosior excogitari nouitas, quàm eius infallibilis iudicij contemptus prætextu antiquitatis.

Festa recentiora eiusdem auctoritatis cũ antiquis

126 IMPETVM cohibeant aduersarij, & patienter audiant: versamur enim in re grauissima, quæ perfunctoriè tractari non debet. Cùm quæstio agitabatur de festo Conceptionis admittendo, Ecclesia Romana illud non celebrante, optimum argumentum ab antiquitatis reuerentia sumi poterat: vnde assertus Bernardus seuerè initio Epistolæ Lugdunenses admonet. *Miramur satis, quòd visum fuerit hoc tempore quibusdam vestrum voluisse mutare colorem optimum, nouam inducendo celebritatem, quam ritus Ecclesiæ nescit, non probat ratio, non commendat antiqua traditio*, & quæ sequuntur, notissima enim sunt: omnia autem eo spectant, vt sine Romanæ Ecclesiæ consensu nouæ festiuitates non recipiantur. Postquàm verò Ecclesia Romana festum aliquod admisit, antiquitatis eruendæ cura historijs relinquitur; at Theologis tàm firma ratio suppetit, ac si festum ab ipso Apostolorum tempore originem duceret: nam Ecclesiam in rebus ad cultum diuinum spectantibus errare non posse, Catholicum, dogma est, quod eximiè, vt cætera elucidat noster *Castr. lib. 13. adu. hæres. verbo, Sancti.* Num Epistolæ ad Lugdunenses Auctor vehementi antiquitatis zelo flagrans, in asserenda sanctitate Natiuitatis B. Virginis, ad antiquitatem prouocauit? Imò imprudentissimus fuisset, si cùm de festo iam recepto agebatur, eo argumento vsus esset; sciebat enim festum Natiuitatis B. Virginis in Ecclesijs Galliæ antè ducentos annos, & fortè pauciores, nõ celebratum, vt *Baron. in Not. ad Martyrolog. Rom. die 8. Sept. colligit ex Capitularibus Caroli Magni, & Ludouici Pij, & ex Concil. Mogunt. an. 813. can. 36.* Sed nec tempore S. Augustini cœperat illa solemnitas, vt ex eius *serm. 21. & 22. de Sanctis* probat *Baron. ibid.* Non ergo Lugdunensium reprehensor auctoritatem festorum annis metiebatur; sed Spiritus Sancti assistentia fretus dicebat: *Ego quod ab Ecclesia accepi, securus teneo, & trado.*

127 CVR iam aliquem ampliùs detineat ab antiquitate petita excusatio? Æquè antiquum est nobis festum Cõceptionis, ac erat asserto Bernardo festum Natiuitatis: sex enim sæculis, & quod excurrit, vt Bernardus ab Augustino, nos ab ætate Venerab. Abbatis Helsini

Antiquitas festi Cõceptionis.

Helfini diftamus. Patres Concilij Bafileenfis *in Regef. colum.* 21. confuetudinẽ celebrandi Sanctam Virginis Conceptionem, *antiquam* vocarunt: liceret nobis, fi vellemus, poft ducentos, & amplius annos dicere antiquifsimam. Sed habemus teftimonium antiquitate maius, auctoritatem Patris familias, cui traditæ funt claues regni cælorum, vt proferat de thefaurofuo nouo, & vetera.

Comparatio inter festa Natiuitatis, & Conceptionis.

128 CONFVGIVNT ad confuetas latebras aduerfarij. *Nunquàm* (inquiunt) *dici poteft ex Ecclefiæ fenfu celebrari Conceptionem in primo inftanti Immaculatam: hoc enim adhuc eft indefinitum, atque adeò dubitationi fubiectum.* Quod Præferuationem B. Virginis, quia non eft definita, dubiam faciunt, *fuprà num.* 16. confutatum eft. Nunc illos rogamus, an celebretur ex Ecclefiæ fenfu Natiuitas B. Virginis in primo inftanti *Immaculata*? An à SS. Ildephonfo, Bernardo, Thoma didicerunt myfteria, quæ celebrat Ecclefia partiri in varia inftantia; ac non potiùs quidquid ad myfterij celebrati perfectionẽ conducit, fateri Sanctum? Illi enim ex Natiuitatis fefto, fanctitatem B. Virginis non folùm nafcentis, fed in materno vtero adhuc manentis certò ftatuunt. Si ergo Natiuitas, quæ cùm fine motu non fiat, nec fine temporis mora fieri poteft, tota propter celebrationẽ fefti fancta indubitatè nominatur: multò meliùs *Conceptio*, quæ indiuifibilis mutatio eft, & in vnico inftanti perficitur, tota *Immaculata* dici debet, ne (nam nihil medium eft.) dicatur tota maculata, & videatur Ecclefia, eodem afferto Bernardo tefte, honorare peccatum.

Permiffio contrarij affenfus non obeft certitudini cultus.

129 QVID ad hæc vlteriùs habebunt, quod refpondeant? Dicent vtique; nec enim aliud poffunt. Liberum nobis affenfum relinquit Ecclefia, quid tum? ergo Ecclefia non celebrat, quia fub præcepto ad credendum non cogit? Satis alibi pluriès hanc euafionem præclufimus: fed loci opportunitate inuitati, fubfidio aduocemus eum, qui præftò nobis in hac controuerfia effe folet, *Illuftrifs.* Catharinum *lib.* 2 *pro Immaculat. Concept. pag.* 61 ita fcribentem. *Sed aiunt quidam: Non fumus hæretici, fi non fequimur in hoc fenfum Ecclefiæ: cautum eft enim, ne quis nos hærefis nomine damnet, fi aliter fapiamus, quàm illa receperit. Non nego. Sed illa, vt pia, & fuauiffima mater, non confueuit repentè vinculis præceptorum filios aftringere, ne fortè ad contumatiam, & rebellionem prouocaret. Sic enim (vt Auguftinus eleganter dixit) multitudinibus per fchifmata, & hærefes pereuntibus plerumque fubuenire folet: piorum autem filiorum non eft in omnibus expectare præceptum & interim eius indulgentia, & benignitate abuti, idque ad elationis fuæ malum conuertere, quod ipfa tolerat propter pacis bonum.* Hæc ille, & alia fumma eruditione, & iudicio.

Hæretici quomodò cõfundendi?

130 NEC Catharini libros patiuntur nos aduerfarij è manibus dimittere molefta, & meritò reticenda obiectione. *Qui aliter dixerint, videant, quomodò hæreticorum os obftruere valeant, qui aduerfus infallibile Ecclefiæ iudicium calumnias ingeminant.* Meliùs fibi confuluiffent, fi hunc fcopulum à Pia opinione remotifsimum filentio declinaffent; fed quia omnium, quæ quouis modo dicunt difcufsionem fufcepimus, en *Catharinum* pro nobis rurfus refpondentem *difp. pro Immaculat. Concept. ad Concil. Trident. parte* 1. *colum.* 102. his omninò verbis. *Reuera hic vnus eft in Fide noftrà lapfus grauifsimus, & præcipuum periculum, fi Romanæ auctoritatem Ecclefiæ finimus apud nos periclitari. Hinc enim, vt eleganter fcribit B. Cyprianus, fchifmata, & hærefes oriuntur, quia vnus in Ecclefia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Iudex vice Chrifti non cogitatur. Quod fi patimur, ò Patres, hanc perfuafionem inualefcere, & apud eos etiam vigere, qui fe maximè Catholicos profitentur, certè (quod cum dolore dico, dicam tamen, quia veritas eft) Lutheranæ fectæ, immò communi omnium hæreticorum errori pernitiofifsimè fauemus. Nam in hanc Petram in omni fuo dogmate impingunt, omnia refpuentes, quæ ab ipfa fiunt fine Dei verbo (vt aiunt) expreffo.*

Quid

Quid si quis obijciat illos minùs irrationabiliter, quàm vos in hac parte loqui? nihil enim non certum admitti volunt in cultu Dei: quod quidem sapienter dicitur propter periculum idololatriæ; quo stante, in eo solùm aberrant, quod nihil certum esse arbitrantur etiam ab Ecclesia probatum, nisi fuerit verbo Dei, & in scripturis expressum, ideoquè totam Ecclesiæ faciem deturpant. Vos autem dum in ijs ordinãdis, atque instituendis aberrare posse Romanam, & Vniuersalem Ecclesiam existimatis, ac de facto in hac celebritate aberrare cõtẽditis, incertum nobis omnem diuinum cultum redditis, & nutantem facitis Christianam Fidem, quam præcipuè in diuino cultu profitemur, atque protestamur. Minùs autem insipienter erraretis, nullos penitùs cultus admittendo, quos Ecclesia instituit absque Dei verbo expresso (vt habet Lutheranum dogma) quàm illos admittendo, fateri simul posse eos esse mendaces, vt cuique liceat ad libitum, vel admittere, vel negare absque Fidei nostræ præiudicio, & scandalo. Mauult enim penitus non coli Deus, qui summa est veritas, quàm mẽdacibus coli cultibus, aut incertis. Hactenus Catharini verba, quæ libellorum auctores dicent in se nõ conuenire, cùm fateantur ab Ecclesia non coli, nisi indubitatam sanctitatem. Sed animaduertant id se affirmare, vndè apertè sequitur, quod Catharinus impugnat. Nam Præseruationem B. Virginis dubiam vocant, quam coli ab Ecclesia ex manifesta ipsius Ecclesiæ declaratione adeò fixum est omnium mẽtibus, vt qui neget, scandala grauissima vitare non possit, quod pijs, & Catholicis sufficere debebat, vt suam opinionem ex animo delerent; nedùm, vt piã in dubium non vocarent. Quarè desinant soliciti esse, quomodò *Immaculatæ Conceptionis* cultores hæreticorum os obstruere valeant; obstruunt enim Ecclesiæ auctoritate, cui si omnes vnanimiter consentiamus, insultantes hæreticos non timebimus: *hac est* enim *Petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ*, ait August. Psal. contra part. Donati.

Libellus num. 24. colum. 17.

Tom. 2. lib. 3. c. 16. de cultu Sanctorum.

Rectè Bellarminus Chemnitio respondens argumenti, nos celebrare, quod nescimus, dum fatemur controuersiam de Conceptione adhuc indecisam: Obiectum (ait,) primarium cultus in hac celebritate esse primam gratiam Virgini collatam, abstrahendo à tempore, vel instanti, quo collata fuerit: quod hausit ex D. Thoma docente celebrari officium Conceptionis in ratione sanctificationis eius facta in vtero matris: quia enim incertum est, quo die, quovè temporis momento eius sanctificatio facta sit, rectè Ecclesia memoriam eius agit die anniuersario Conceptionis. Non instituuntur ab Ecclesia festiuitates iuxta has, vel illas, quæ falli possunt, opiniones. Sanctitas ergo dubia, & in opinione posita non proponitur colenda: primò enim, & per se respicitur obiectum cultus, secundariò verò populorum pietas.

3. p. q. 27. art. 2. ad 3.

DISCVSSIO.

Hæreticorũ calumniæ, & mẽdacia cõtra piam opinionem.

131 SEMPER quidem aduersarij miris affirmationibus probationum curam abijcientes causam nostram agunt, sed tunc maximè, cum aliquid ex alienis scriptis producunt: videntur enim curam exscribendi amanuensibus suis relinquere, sibi vt magistris iudicium reseruare. Vel in hoc vno Cardinalis Bellarmini loco, quàm apparet. Libros non suos, nec tumultuaria lectione dignaril In primis *Bellarminus lib. illo 3. de cultu Sanctor. cap.* 16. Chemnitij non meminit, nec illi respondet: nam *to. 4. lib. 4. de amiss. grat. cap.* 15. vbi piam opinionem strennuè defendit, (fuerat enim Societatis Iesu professor: vide *Regest. colum.* 543) longè alia argumenta ex Chemnitio adducit: nimirum pro Præseruatione B. Virginis nõ posse afferri Scripturas, aut traditionem, aut Patres, sed solas reuelationes, & miracula; & Pontificios, cum nouos articulos Fidei cõdere volunt, non curare verbum Dei scriptum vel traditum. Hæc omnia contra festum Natiuitatis B. Virginis obijci possent, & ab omnibus Catholicis solui debent. Deinde *cap. 16. & 17.* calumnias, & mendacia Chemnitij recensens, quod hic aduersarij referunt, nõ habet. Quorsum ergo Chemnitij mentionem admiscuerunt?

Obiectio hæreticorũ à Bellarmino adducta: & eius prior solutio.

132 SECVNDO: illa obiectio, *nos celebrare, quod nescimus, dum fatemur controuersiam de Conceptione adhuc indecisam*, apud Bellarminum non legitur, sed hoc modo: *Apud nos etiam non est certum, an B. Virgo sine peccato originali concepta fuerit. Ecclesia enim vtramque opinionem permittit; ergo saltem dubium est, an rectè hoc festum celebremus.* Nostri aduersarij, cum dicunt *controuersiam esse indecisam*, videntur perpetuò intelligere non esse definitam de Fide, vt colligitur ex *num. præceden.* & in hac significatione vtuntur Summi Pontifices nomine *decisionis*, *in Regesto colum.* 111. *&c.* quod similiter posset obijci contra celebrationem Natiuitatis B. Virginis: non est ergo argumentum fideliter relatum. Tertio, responsio Bellarmini non est, quam libellus refert, *Obiectum primarium cultus in hac celebritate esse primam gratiam Virgini collatam, abstrahendo à tempore, vel instanti, quo collata fuerit*: nihil horum Bellarminus; sed duplici via occurrit argumento facto: Prior est: *Ecclesiam habuisse occasionem instituendi hoc festum, quia maior pars Ecclesiæ piè credit IMMACVLATAM CONCEPTIONEM.* Hæc solutio est verissima, & coincidit cum septimo nostro fundamento iacto *Artic. 2. à num* 189. nec quisquam negabit consensum maioris partis fidelium in opinionem piam occasionem præbuisse Ecclesiæ ad festum instituendum accedentibus alijs motiuis Sacræ Scripturę, Patrum, Reuelationum, Miraculorum, & Rationum. Quem Ecclesiæ fidelium consensum ipse Bellarminus mirificè promouit inserens Catechismo puerorum à Sede Apostolica approbato immunitatem B. Virginis à peccato originali, eamquè adeò colligens ex verbis Salutationis Angelicæ, GRATIA PLENA, de quo *supra in hoc Armament. colum. 178. & in Regesto, colum.* 329.

133 POSTERIOR Bellarmini solutio est: *Fundamentum huius Festi præcipuum non esse Immaculatam Conceptionem, sed simpliciter Conceptionem Matris Dei futuræ, qualiscunque enim fuerit illa conceptio, eo ipso quòd conceptio fuit Matris Dei, singulare gaudium affert mũdo eius memoria, &c.* Hanc solutionem se in nullo auctore legisse, ex his, qui negant Cõceptionem Virginis fuisse Immaculatam, affirmat *Ægid. de Præsent. lib. 1. de Sanctificat. Virgin. quæst. 2. Artic. 3. §. 5. num. 31. pagin. 14.* certè ex D. Thoma sumpta non est, vt volunt aduersarij: quod eorum dictũ inter

Solutio alia relata tantũ à Bellarmino, nõ probata.

illa, quæ ab eis in hac clausula fideliter non citantur, quarto loco numeramus. Sed nec Bellarminum ex mente propria prædictam solutionem adhibuisse satis verisimile videtur, de quo iudicent alij. Eam verò tantò faciliùs pro instituto nostro impugnabimus, quòd aduersarij saluis suis principijs nullo modo ei adhærere possunt.

Reijcienda, vt cõtraria doctrinæ D. Thomæ, & Patrũ. 134 REPVGNAT igitur prædicta solutio argumento præcipuo, quo Catholici omnes cum SS. Ildeph. Bernar. & Thoma *suprà num.* 125. citatis colligunt sanctificationem B. Virginis in vtero, ex eo quòd Ecclesia celebret eius Natiuitatem; posset enim responderi, si illa doctrina probabilis esset, qualiscunque fuerit illa natiuitas, esse cultu dignam, quia fuit natiuitas Matris Dei futuræ; cum S. Ildephõsus expresse dicat, nisi B. Virgo in vtero fuisset sanctificata, eius natiuitatem celebrandam non esse. Repugnat etiam doctrinæ communi, & certę SS. Patrum, & Doctorum asserentium, nullum festum celebrari ab Ecclesia, nisi ratione sanctitatis in ipso mysterio, vel facto, cui specialis solemnitas consecratur. Hæc est indubitata mens *Augustini serm.* 113. *de Sanctis*, *to.* 10. in die natali B. Cypriani. *Quid est hoc fratres? quando natus, ignoramus: & quia hodie passus est, Natalē eius hodiè celebramus; sed illum diem non celebraremus, etsi nossemus: illo enim die traxit originale peccatum; isto autem die vicit omne peccatum.* Nec contentus tradidisse causam celebrationis, subdit exclusionem alterius cuiuscũque causę. *Vndè nos celebraremus Natalitia eius, nisi esset pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius?* Habemus itaquè vniuersalem regulam omnibus festiuitatibus applicandam, vt applicarunt *D. Thom. loco cit. D. Bonauent. in* 3. *dist.* 3. *q.* 1. *ad* 4. & doctissimi quique Theologi, quæ egregiè firmatur ex consuetudine Romanæ Ecclesiæ, cuius auctoritate nullum festum fuit vnquam celebratum in memoriam facti, vel status, sub quo persona, quam cultu prosequitur, non fuerit sancta: ideoquè non admisit festum Conceptionis B. Ioannis Baptistæ, quod est in Kalendario Græcorum, die 23. Sept. vt optimè obseruat *Ægid. de Præsent. vbi suprà*, qui etiã *lib.* 3. *q.* 6. *artic.* 1. §. 7. *num.* 37. *& seqq. cum Cordub. in Quæstionar. lib.* 1. *q.* 44. *pag.* 361. *colum.* 1. *Suario to.* 2. *in* 3. *p. sect.* 5. & alijs adeò certum iudicat ex Sixti IV. Constitutionibus, & officio ab ipso instituto celebrari ab Ecclesia *Conceptionem* B. Virginis, quia fuerit *Immaculata*, vt oppositum *errorem* appellet *num.* 38 quem festi sensum apertissimè deduximus ex officio Romano *Art.* 2. *n* 131. & 132. *colum.* 119. nec potest aliam explicationem admittere nomen *Conceptionis Sanctæ* ab Ecclesia præscriptum, eò vel maximè, quòd eodem modo tribuatur Natiuitati, quam non appellari *sanctam* ob solam destinationem ad munus Matris Dei, sed propter gratiam habitualem apud omnes Catholicos indubitatè, & firmissimè creditur.

135 HINC constat ex diametro opponi doctrinæ D. Thomæ solutionem, quam aduersarij ex ipso haustam persuadere volebant. Interpretationem verò de cultu *Conceptionis* in ratione sanctificationis, vt contrariam declarationi Ecclesiæ reiecimus *suprà hoc Tract. n.* 21. & 22 nec eam à D Thoma probandam fuisse, si suo tempore Ecclesia Romana festum Conceptionis celebrasset, fatetur *R. P. Ioan. à S. Tho. in Regesto citatus colum.* 505. quò magis miramur solutionē D. Thomæ, & sibi ipsi manifestè aduersantem, vt probabilem posteà proposuisse *colum.* 508. *Mẽs D. Thomæ.*

136 DE festiuitatum institutione non iuxta opiniones, quæ falli possunt, cum aduersarijs conuenimus, & difficultati, quam ex hoc principio contra verum sensum festi *Conceptionis* eliciũt, abundè in superioribus satisfecimus. Quin & sæpissimè ostendimus frustra obiectum primarium cultus à populorũ pietate separari, cum nihil aliud populi piè credant, nisi quod ab Ecclesia colli sciunt, & ex Ecclesiastico cultu in opinionis piæ veritate confirmeatur. Vide *Idem obiectũ cultus, & pietatis fideliũ in festo Cõceptionis.*

Art.

Art. 2. *colum.* 64. *n.* 17 *cum antecedentibus, & consequentibus, & colum.* 175 *nu.* 191. Sed prætermittenda non est ingẽs aduersariorum confidentia, qui *populorum pietatem*, quam contra se citant, adeò non reuereantur, vt ei cultum *Immaculatæ Conceptionis* extorquere conẽtur; cum *S. Augustinus Art.* 2. *num.* 189. *colum.* 174. citatus affirmare non dubitauerit, se consensu populorum, & gentium, in Ecclesia Catholica teneri.

Libellus num. 25. colum. 17.

Quarè necessariò dicendum est, sanctitatem Conceptionis B. Virginis, quæ colitur in Ecclesia Catholica, & iuxta sensum Ecclesiæ Catholicæ non esse illam, quam aliqui in primo instanti ponunt, nec illam, quæ ab alijs ponitur in secundo instanti: quia vtrunque dubium, & opinabile est, & à parte rei aliter se habere potest; sed est illa sanctitas pro instanti illo quo verè fuit sancta.

DISCVSSIO.

Piæ opinionis ab auctoritate, & ratione robur

137 SI quoties aduersarij eadem repetunt, de integro refellẽdi sunt, redit nobis labor actus in orbem, cui nunquàm exhausti satis est. Quarè ad *num.* 16 *& huius Tract. & Artic.* 2. *à num.* 210. *colum.* 174. Lectorem remittimus. Quã verò pulchrè simulata in referendis opinionibus securitas! *aliqui ponunt*, *ab alijs ponitur*. Non si ars ipsa velit, aliquid mollius, aut expolitius perficere posit; quasi nesciant, qui hæc scripsère, ab altera parte stare Summos Pontifices, Ecclesiam, & orbem vniuersum: ab altera paucos in angulo latitantes, & Apostolicæ Sedis imperio silere iussos. Quod in *Conceptione* naturali propriè dicta, id est, fœtus animatione duo instantia inueniunt, paradoxum est *dicto num.* refutatum: at cum secundum instans immediatè primo succedere non posit (nec enim eos à Lyceo ad porticum transiisse credimus,) necessariò fit, si B. Virgo in primo instanti sanctitatem non habuit, per aliquod tẽpus peccato subiacuisse. Scimus, quo tendant arguta hæc, vel si malunt ipsi, subtilia. Nimirum, vulgus ista reconditiora non capit, nec populorum pietas, (quã sola nos confidere iactant,) de vnius instantis sanctitate solicita est. Sed eam, quæ in Matrem Dei præparabatur, per aliquod tempus mancipium diaboli fuisse; iræ filiam, Deo exosam, & secundùm præsentem iustitiam ad pœnam æternam damnatam, vera erga Christum Dominum, & Sanctissimam eius Genitricem pietas reputat indignissimum: hoc omnes quantumuis rudes percipiunt, & intelligunt: pro hac ignominia à Matre Dei auferenda, Sacra Scriptura, Sanctis Patribus, Sede Apostolica, cœtu fidelium, cælo denique, & terra plaudentibus, totis viribus laboramus.

(∴)

Li-

Libellus num. 26. colum. 17.

Ex his corruit argumentum à verbis responsorij desumptum, quicunque celebrant tuam Sanctam Conceptionem, *facta vi, quòd idem sit sanctum, & immaculatum, vt inferatur, Ecclesiam celebrare Conceptionem Immaculatam, quia celebrat Sanctam. Vox sancta in sensu ab Ecclesia intento, tam primũ, quàm secundum instans complectitur, siue vt abstrahit à primo, vel à secundo, & cùm sit terminus positiuus, sufficit, vt in altero instanti verificetur; vox autem Immaculata exprimit sanctitatem per negatiua, hoc est, per negationem cuiuscunque maculæ: ideo videtur excludere maculam pro quocunque instanti, & per consequens minùs aptè, & minùs propriè ad vtrunque instans referri potest.*

DISCVSSIO.

De vocibus, Sancta, & Immaculata.

138 HÆC nimis puerilia sunt, & *num.* 17. in transcursu profligata. Sed *eò tandem rem adductum* cũ Nazianzeno orat. in laudem Athanasij dolemus, *vt periculum esset, ne Orbis terrarum fines cum syllabis à se inuicem distraherentur, & abrumperentur.* Si *Sanctum, & Immaculatum* idem significant, quamuis diuerso modo, qua ratione potest hæc diuersitas instantia variare, cum vtrunque enuntietur de vno indiuisibili *Conceptionis* instanti? Quid ad hoc refert, per positiuanè, vel per negatiua sanctitas exprimatur? Aliud esset, si de epitheto *Immaculatæ* tribuendo B. Virgini ageretur: tunc enim maiorem proculdubio vim habet vox *Immaculata*, quàm vox *Sancta*; cæterùm hoc, etsi (vt putamus) non libentissimè nobis concedunt aduersarij, nec miraremur eos vtrique loquutioni repugnare, si possent, cùm in alterutra agnoscere teneantur *Conceptionem Immaculatam*. De quo, *Art. 2. colum.* 147. *à num.* 161.

Libellus num. 27. colum. 17.

Sed etiamsi idem esset sanctum, & immaculatum, non sequitur, per hoc instans Conceptio dicitur sancta, ergo dici potest Immaculata. Ratio est, quia vox sancta neutri opinioni est alligata, & verè conuenit Conceptioni Virginis pro eo instanti, quo fuit sancta. Vox autem Immaculata est alterius opinionis protestatiua: quod probatur ad satietatẽ ex ipsa aduersariorum scriptura, & ex eorum supplici libello, vbi clarissimè per Immaculatam Conceptionem, sententiam, quam ipsi tuentur, intelligunt,

&

& cuius definitionem hisce artibus saltem indirectè extorquere contendunt. Itaquè vox Immaculata cuius vsum petunt, non se habet indifferenter ad vtrunque instans, sicut vox sancta: ideò antè controuersiæ definitionem ab illa voce abstinendum, vel certè non est positiua Ecclesiæ probatione promenda.

DISCVSSIO.

Protestatio, & firmitas tenentium piam opinionem.

139 NEC vocem *Sancta*, nec vocem *Immaculata*, esse indifferentem ad vtrunque instans, sed vtrauis piam opinionem exprimi ac protestari, *num.* 18. probauimus. Nec, dum nomen *Conceptionis* retineatur, quod aduersarij magis ex officio diuino sublatum vellent, quàm nomen *Immaculatæ*, vlla potest indifferentia ad plura instantia propter epitheta excogitari. In magno verò flagitio deprehensi sumus, qui per *Immaculatam Conceptionem*, sententiam, quam tuemur, intelligere clarissimè conuincamur; clarius, quàm aduersarij vellent, hoc crimen fatemur: nec aliam fuisse vnquam prædicti tituli significationem, tam apud piæ opinionis propugnatores, quàm apud eius impugnatores, *Art.* 1. prolixissimè & sine modo ostendimus. Quod si tam illustris veritatis probationes aduersarijs satietatem ingerunt, & stomachum mouent; cur hanc molestiam a se non depellunt, cùm facillimè possint? cur contentiones non vitant? cur saltem eas moderatè non exercent? nobis enim ex eorum præscripto res agenda est, & omnia negātibus, omnia obtrudenda. *Immaculatā Conceptionem* inuocare, quàm defendere malemus; eius tamen qualiscunque tractatio adeò nos fastidio non afficit, vt auidiorem semper orexim exciret B. enim Virgini illa verba ex *Eccli.* 24. adaptat Ecclesia: *Qui edunt me, adhuc esurient: & qui bibunt me, adhuc sitient.*

Pia opinio nō est de Fide.

140 DE opinionis piæ definitione extorquenda nunquàm cogitauimus: vide *num.* 123. Sed quod in nos iacitur, libenter condonamus; videant aduersarij, quàm reuerenter de Sede Apostolica loquantur, quæ definitionē petentes, pietatis ergo verbis amplissimis collaudauit *Art* 2. *col.* 193. *n.* 208.

Vsus tituli Immaculatæ a definitione non pendet.

141 CONSILIVM, siue potiùs oraculum, quod cum supplices agere deberent, magna auctoritate fundunt: *Antè controuersiæ definitionem ab illa voce abstinendum, vel certè non est positiua Ecclesiæ probatione promenda*; serò nimis, & post rem factam adhibetur. Eant nunc, & de nobis querantur, quod probationes ingeminemus ad satietatem. Antè controuersiæ definitionem ordinatum, & positiuè approbatum est ab Ecclesia officium proprium *Immaculatæ Conceptionis*, *colum.* 46. 138. & 172. *Regest.* Antè controuersiæ definitionem instituta, & positiuè approbata est ab Ecclesia emissio votorum essentialiū Religionis ob amorem, & seruitium *Immaculatæ Cōceptionis*, ibid. col. 129. Antè cōtrouersiæ definitionē Breuiarium *Immaculatæ Conceptionis* positiuè approbatū, & cōfirmatū est à quatuor Sūmis Pontificibus *ibid col.* 142. Antè cōtrouersiæ definitionē indulgētiæ concessæ sunt tùm aliàs, tum à Paulo ob recitationē Antiphonę *Hæc est virga, in qua nec nodus originalis, &c* & Orationis, *Deus, qui per Immaculatā Virginis Conceptionē, &c.* ibid. col. 175. Positiua hæ sunt approbationes Ecclesiæ, & plures aliæ, quas omittimus, vocis *Immaculata*, à qua isti censores iudicant abstinendum, donec controuersia definiatur, nec volunt ratum esse, quod Summi Pontifices controuersiam non esse definitam simul declarantes, maturè decreuerunt. Itaquè venenum latet in illis verbis, *vox Immaculata, cuius vsum petunt*; quasi scilicet nouum aliquid petamus, & non simus in legitima possessione, Apostolicorūq; Decretorū obseruationē tueamur, iuxta dicta, & probata *Art.* 3.

Libellus num. 28. colum. 17.

Indulgentiarum concessiones obijciunt, non secùs ac si illæ controuersiam dirimerent; argumentum decantatum: cui occurrit Gulielmus Estius Doctor Duacensis dicens, indulgentias non esse concessas opinioni, sed pietati.

DISCVSSIO.

Argumentum ab indulgentijs.

142 INDVLGENTIARVM concessiones non secùs aduersarij abijciunt, ac si nihil omninò probarent; & tamen argumentum decantatum, misera, & deplorata solutione ostendunt esse efficacissimum. Quid enim minùs Theologicum illa futili distinctione, *indulgentias non esse concessas opinioni, sed pietati?* An nesciunt sententiam de *Immaculata Conceptione* piam opinionem vocari? opinionem quidē, quia est assensus intellectus infra Fidem diuinam, (in hoc enim tantùm sensu opinio dicitur, nō propter formidinem adiunctam, ex *Artic.* 2. *colum.* 195. *num.* 212.) piam verò, quia imperatur à pio affectu voluntatis. Cùm ergo indulgentiæ concessæ sint actibus formalissimè protestantibus Præseruationem B. Virginis, certum est, concessas fuisse opinioni, & pietati simul, siue piæ opinioni, aut Immaculatam Conceptionem *piè credentibus, & colentibus*, vt eruditè *Suarez* dixit *eod. Artic. colum.* 160. *num.* 174. relatus, vbi hunc indulgentiarum sensum, *à n.* 171 stabiliuimus. Ægerrimè aduersarij semper tulerunt opinionē de *Immaculata* Virginis *Conceptione* prçclaro *Piæ* titulo insigniri, cuius loquutionis antiquitas constat ex *D. Bonauen. in* 3. *dist.* 3. *artic.* 1. *q.* 1. *ad* 4. *& Concil. Basileensi colum* 21. *Regesti*, & approbatio Sedis Apostolicæ ex *Constitut. Cùm præexcelsa, col.* 47. Hinc *Bandeli* horridi clamores: *Positio, quæ dicit, B. Virginem non contraxisse peccatum originale, non est pia, sed impia, cap* 35 *&* 38 *solemn. disp. parte* 1. *& Caietani: Sententia docens, Virginem sine originali peccato conceptam, continet pietatem, non veram, sed existimatam: habet pietatem, sed non secundùm scientiam. suprà Art.* 2. *col.* 198. *n.* 214. Libellorum auctores pietatem nobis concedunt, sed ab opinione separatam, contra indulgentiarum tenorem, expressè concessarum actibus piæ opinionis protestatiuis, vt dictum est.

143 QVID ex hoc argumento ab indulgentiarum concessione sumpto efficere velimus, aduersarij vltra modū extollunt, vt vltra modum etiam depri- mant: *non secus*, (inquiunt.) *ac si controuersiam dirimerent.* Vtram controuersiam? duæ enim sunt, alia de Præseruatione B. Virginis, alia de vsu legitimo tituli *Immaculata.* Priorem intelligere videntur; de illa enim numero antecedenti dixerant, non esse definitam; nunc verò nobis, vt aliàs tribuunt per concessionem indulgentiarum facere piam opinionem de Fide. Obliti sunt, aut dissimulant, hanc imperitiam, nostram nō esse, vt ex indulgentijs certitudinem Fidei diuinæ colligamus; sed eorum, qui tempore Pauli V. & Hispanicè legationis, numismata Virginis imagine, & epigraphe *sine peccato originali* sculpta, ideò prohibenda censuerunt, quia indulgentiæ à Sanctissimo absolutè concessæ, illis applicari possent, vndè articulus Præseruationis definitus euaderet. Hos solidè confutat noster *Vvading. in Histor. eiusdem legat. sect.* 3. *tract.* 3. *pag.* 199. *à num.* 7. Magnum veritatis indicium est, quòd mediæ viæ insistens ab vtroque latere extremis opinionibus

Eius efficacia.

bus imperatur, quas æquè declinat, & ab impugnatoribus secura tritum iter non deserit. Hinc propter indulgentias definitio timetur, illinc eas ipsas indulgentias opinioni non cōcedi clamatur: quò se vertent *Immaculatæ Conceptionis* assertores? an dum in alteros impetu feruntur, alteris nudum latus præbebūt? cautiores sunt; statariam pugnā ineunt, & clypeo Apostolicæ auctoritatis vndiquè protecti iuncea tela excipiunt, piam opinionem ex concessione indulgentiarum non definitam, sed euidenter oppositæ prælatam, & vt veram ab Ecclesia receptam constantissimè sustinentes.

Probat titulum Immacul. Cōcept.

144 SI ergo aduersarij de posteriori controuersia loquuntur, fatemur per indulgentias dirimi; ex vi enim concessionis earum approbatur positiuè, & stabilitur firmissimè vsus tituli *Immaculatæ Conceptionis*, cum indulgentiæ expressè concedantur à Sede Apostolica colentibus B. Virginem, & eius à peccato originali Preseruationem sub prędicto titulo, & verbis: quod sine approbatione opinionis piæ, vt veræ fieri non potest, nam pietas fidelium hunc assensum imperat omni formidine seclusa, & quatenùs imperās à Summis Pontificibus laudabilis, & remuneratione dignissima iudicatur. Dicet fortasse aliquis, volūtatis actum perfectè honestum esse posse, quamuis iudicio falso ex ignorātia inculpabili orto nitatur, vt accessum Iacobi Patriarchæ ad Liam, *Genes*. 29. Sed hoc ad rem nō est: Pontificia enim approbatio, & pietatem, & iudicium comprehendit, cùm indulgentiæ ipsi opinioni concedantur, vt probauimus, nec cōcessæ fuerint, nisi post maturam, & exactissimam controuersiæ discussionem, ex dictis *Artic*. 2. *num*. 165. *col*. 171.

De Guilielmo Estio.

145 HÆC ad occurrendum aduersariorum solutioni, & sufficiunt, & superabundant. Sed quia scribentibus apologiam id negotij datur, vt nihil sine responsione prætereant, addamus aliquid de *Guilielmo Estio Doctore Duacensi*, cui aduersarij solutionem suam acceptā ferunt, nec tamen eum vsquequaque fideliter citant; ille enim ita scripsit in 3. *dist*. 3. § 3. *column*. 12. *Porrò indulgentiæ non opinioni, sed deuotæ illius festi celebrationi concessæ sunt*; quasi scilicet Sixtus IV. aliam festi deuotam celebrationem indulgentijs donet, quàm cultum *Immaculatæ Conceptionis*, aut Cōcilium Tridentinum, & pro tempore succedētes Pontifices aliud cōfirmauerint. Sed de hoc nimis multa iam diximus. At Estij distinctio tametsi falsa, inter opinionem, & festi celebrationem versabatur; nostri autem aduersarij in ipso festo *obiectum cultus à populorum pietate* discernunt, *suprà num*. 24. Cur ergo, vt Estium contra nos proferant, pro *festi celebratione*, *pietatem* substituunt? Nam ex verbis Estij tota festi celebratio sub *Conceptionis* nomine, (scripsit quippè superiori sæculo, sanctificationis festo nondum antiquato) nostra esse videtur; quam aduersarij violenta interpretatione vtrique sententiæ communem faciunt. Sed quid Estius senserit, non tāti est: nec famæ hominis eruditi, qui scholas Theologicas, & Sacras Litteras cū laude tractauit, aliquid volumus detractum; quia tamen aduersarij *infra num*. 41. votorum ponderationem minantur, & vnum Estium suo iure toti Academiæ Duacensi præponent, exceptiones illi perspicuas opponimus, quibus in causa *Immaculatæ Conceptionis* nō modò suffragium ferre, sed & idoneum testimonium dicere prohibeatur. Adeò manifestè in iudicando de vtraque opinione modum excessit. Primò, opinionem piæ contrariam censet *magis probabilem* ex Constitutione Pij V. textum Pontificium apertè detorquens, vt expendimus *suprà hoc Tract*. *n*. 49. Vide *Art*. 2. *num*. 214 *col* 197. Secundò, auctoritatem D. Augustini nolentis admittere vllam quæstionem de B. Virgine, cùm de peccatis agitur, interrogando effert contra receptam lectionem, & totam eius vim eneruare conatur. Tertiò, ab opinione pia ipsam pietatem auferre nō obscurè satagit, vt attentus lector intelliget ex locis S. Bernardi, & S. Bonauē-

turæ

turæ ab eo citatis, quos de consuetudine à Romana Ecclesia non approbata loquutos, aduersus ipsam Ecclesiam inuitos, & reluctantes trahit. Quartò dissertis verbis affirmat, exceptionem B. Virginis à peccato originali, *nec Scripturæ, nec traditioni antiquæ satis consentaneam inueniri*: vide *Art*. 2. *colum*. 181. *&* 194. Quintò, quasi Concilij Tridētini censorem ageret, ait, in Synodo Florentina comprehensam fuisse B. Virginem sub generali regula peccati originalis, legatur *idem Artic. num*. 28. *col*. 69. Egregium pro suis patronum inuenerunt aduersarij contra argumentum indulgentiarum; sibi habeant in causæ suæ detrimentum, quæ nulla ratione potest manifestiùs traduci, quàm si defensionibus a modestia, & pietate alienis indigere credatur.

Libellus num. 29. colum. 17.

Nouimus equidem in huiusmodi concessionibus, titulos Ecclesiarum, confraternitatum, &c. supponi, non diligenter exquiri. Siquis colligeret, & in argumentum redigeret indulgentias obtentas titulo epistolæ à Messanensibus B. Virgini Mariæ adscriptæ, iam non esset inter apocrypha reijcienda, si hæc auctoritas vrgeret.

DISCVSSIO.

Nostrarū indulgentiarū tenor expeditur.

146 QVID hoc ad nostrum argumentum? An cum de indulgentijs agimus, titulos Ecclesiarum, aut confraternitatum in medium adducimus? Legatur quartum fundamentum Articuli Secundi, à *colum*. 157. & instrumenta ex Regesto ibidem allegata, nullum de Ecclesijs, vel confraternitatibus verbum inuenietur, peculiarem enim probationem conficiunt non minùs concludentem, de qua vide *Art*. 3. *num*. 14 *&* 16. *colum*. 212. Sed locus Theologicus ab indulgentiarum concessione aliter, vt res ipsa exigit, à nobis expenditur: nec enim in eo vim facimus, quòd Ecclesijs, aut confraternitatibus *Immaculatæ Conceptionis* indulgentiæ concedantur, sed in eo, quod ad earum effectum obtinendum designētur à Summis Pontificibus actus expresse protestatiui piæ opinionis, nec quomodocunque, sed re maturè examinata, partibus auditis, negotio acerrimè omnibus modis discusso, & sententia pro Præseruatione B. Virginis, nō quidem definitiua, sed approbatiua solemniter pronuntiata. Id, quod ex *d. Art*. 2. *num*. 3. *colum*. 55. *&* *num*. 175. *colum*. 161. manifestissimum est. Quid ergo ad rem facit, si aduersarij, qui omnia sciunt, *nouerint in huiusmodi concessionibus, titulos Ecclesiarum, confraternitatum, &c. supponi, non diligenter exquiri*? hoc illis concedimus quoad argumentū indulgentiarum; (quamuis re vera titulus *Immaculatæ Conceptionis* Apostolicæ Sedis auctoritate, & Ecclesijs, & confraternitatibus attributus sit:) at actus, quibus indulgentiæ signatè conceduntur, quis dicere audebit à Summis Pōtificibus non inquiri diligentissimè? alias non veram, sed existimatam pietatem fidelibus in materia Religionis traderent amplectendam. Audebunt dubitare cum *Bandelio parte* 2. *solemn. disput. ratione* 21. aduersarij, an Sixtus IV. viderit *Immaculatæ Conceptionis* officium, quod à se emanatum, & ab Ecclesia Romana ordinatum ipse expressis verbis affirmat? *colum*. 47. *&* 109. *Regesti*. Illi igitur officio, quod non supponebat, sed instituebat, & ordinabat,

bat, indulgentias impartitus est, cuius exemplum reliqui Pontifices *in Regesto, à col.* 599. numerati, vt in festi celebratione, sic in concessione indulgentiarũ sequuti sunt: nec minorem eis iniuriam irrogaret, qui diceret, non inquisiuisse diligenter de operibus, quorum intuitu indulgentias concessère, quàm si assereret, non curasse de inquirẽda sanctitate, cuius cultui specialem solemnitatem dedicabant.

Indulgẽtiæ sacelli Messanensis. 147 OPPONVNT aduersarij, omninò præter rem, instantiam de indulgentijs concessis à Sede Apostolica titulo Epistolæ B. Virginis ad Messanenses; cui æquiuocationi, (nec enim obiectio, aut argumentum dici potest,) vt occurramus, id principio protestamur, nos de illa Epistola iudicium non ferre, nec enim spectat ad nostram causam disquirere, authenticanè sit, an apocrypha; hoc solùm asserimus, ex tenore concessionis indulgentiarum nullam prorsus obtinuisse approbationem, & argumentum hic à paritate nullum esse: quod vt oculis pateat, exemplum litterarum Apostolicarum subijcimus acceptum ex *Notitijs Ecclesiar. Siciliens. D. Rochi Pirri Abbatis Netini, Panormi excusis an.* 1630. *pag.* 379.

Diploma Sacello B. Mariæ de Litterio concessum.

Cõcessio Pauli 5. 148 P*AVLVS PAPA V. Vniuersis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis salutem, & Apostolicam benedictionem. Ad augendam fidelium religionem, & animarum salutem, cælestibus Ecclesiæ thesauris pia charitate intenti, omnibus vtriusque sexus Christi fidelibus pœnitentibus, & cõfessis, ac sacra communione refectis, qui Ecclesiam Metropolitanam Messanensem, & in ea suam capellam* B. Mariæ de Litterio nuncupatam, *in tertia die mensis Iunij, à primis vesperis vsque ad occasum solis diei huiusmodi, singulis annis deuotè visitauerint, & ibi pro Christianorum Principum cõcordia, hæresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium suorum peccatorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Ijs verò, qui in singulis festis B. Mariæ Virginis dictam Ecclesiam, & capellam piè visitauerint, & vt præfertur, orauerint quo die præfatorũ egerint, centum dies: ac ijs, qui Litanijs eiusdem B. Mariæ in dicta capella singulis sabbathi diebus recitandis, seu decantandis deuotè interfuerint, & vt præfertur, orauerint, quo die id egerint, centum dies de iniunctis, seu aliàs quomodolibet debitis pœnitentijs, in forma Ecclesiæ consueta relaxamus, præsentibus ad septennium tantùm valituris, &c. Datum Romæ apud S. Mariam sub annulo piscatoris, die* 15. *Ianuarij*, 1616. *Pontificatus nostri anno* 11. Præsentata Panormi 29. Februarij, 1616.

Cōcessio Vrbani 8.

149 HVIC concessioni consimilis est alia Vrbani VIII. 17. Maij, an. 1626. expedita, & ab eodem auctore memorata *pag.* 381.

Latum discrimē inter has, & nostras concessiones.

150 EX pręfato ergo tenore cō stat apertissimè, indulgentias Sacelli Messanensis non esse concessas credentibus, aut affirmantibus illam Epistolā à B. Maria Virgine scriptam, sicut concessas probauimus asserentibus, & colentibus *Immaculatam Cōceptionem*. Supponit itaquè Pontifex esse sacellum, seu capellam *B. Mariæ de Litterio nuncupatam*, nec de huius tituli veritate aliquid statuit, aut determinat, sed simplici recitatione transigit. quæ quidem censenda est per honorifica, vel saltem nullum honorem diminuens, nec auferens; quia tamen qui recitat, nihil ex mente propria dicit, frustra hinc iudicium Sedis Apostolicæ de prædictæ Epistolæ auctoritate venabimur. Quod optimè citatus Abbas intelligens, in operis indice hanc clausulam apposuit: *Indulgentiæ Sacello B. Mariæ concessæ Epistolam non sacrant* & ad paginas suprà relatas lectorē remittit. Conferantur modò ex altera parte concessiones *Immaculatæ Conceptionis* cultoribus factæ. *Omnipotētis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, auctoritate Apostolica, hac in perpetuum valitura Constitutione statuimus, & ordinamus, quòd omnes, & singuli Christi fideles vtriusque sexus, qui Missam, & officium Conceptionis eiusdem Virginis gloriosæ iuxta piam, deuotam, & laudabilem ordinationem dilecti filij magistri Leonardi de Nogarolis Clerici Veronēsis Notarij nostri, & quæ desuper à nobis emanauit, Missæ, & officij huiusmodi institutionem in die festiuitatis Conceptionis eiusdem Virginis Mariæ. & per octauas eius deuotè celebrauerint, & dixerint, aut illis horis canonicis interfuerint, quoties id fecerint, eandem prorsus indulgentiam, & peccatorum remissionem exinde consequantur, quam iuxta fælicis recordationis Vrbani IV. in Concilio Viennensi approbatas, & Martini V & aliorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum Constitutiones consequuntur illi, qui Missam, & officium, & horas canonicas in festo Corporis Christi, &c. colum.* 47. *Regest.* Vide *Artic.* 2. *colum.* 126. *num.* 139. & alias concessiones locis indicatis: quæ si vt par est, expendantur, eam maiestatem Apostolicæ approbationis, eum diuinæ auctoritatis fulgorem oculis objiciunt, vt etiam defendere pudeat, quæ vel summa veneratione non satis pro dignitate honorantur. Erit nunc quoque, qui dicere audeat, Ecclesiam non diligenter exquisisse, quod tam superuenerabiliter colendum decernit? Nobis nedum dubitatio, sed ipsa defensio indigna Sedis Apostolicæ celsitudine videtur, è cuius non modò manifestis Decretis, sed etiam nutibus pendemus.

Libellus num. 30. colum. 19.

Imò, quod propiùs ad rem nostram accedit, dum actu aduersus titulum Stellarij Immaculatæ Conceptionis Apostolica Sedes dignis de causis insurgit, confraternitates delet, & publicum eius exercitium pœnaliter prohibet, innumeræ extorquentur indulgentiæ; ergo Stellarij confraternitates auctoritate Ecclesiæ firmantur simul, & abrogantur? hæc magis vrgent, vbi de expressè vetitis agitur. In cōtrouersia de Cōceptione Ecclesia Mater piam fouet intentionem vtriusque partis opinantium sine præiudicio veritatis: & non intellectum assensus, sed volūtatis pios motus spiritualibus fauoribus prosequitur.

DIS-

DISCVSSIO.

De Stellario B. Virginis.

151 NOVA res & tanta verborũ mole digna, inter duas confraternitates dissidium ortum esse, & superiorum auctoritate compositum. Habent aduersarij præclarum campũ, & latè patentem, vbi declamantes rerũ potiantur, & affectus vehementiores tentent. Sunt enim illa penè tragica: *Apostolica Sedes insurgit, delet, prohibet, extorquentur indulgentiæ.* Colligant se, & vicissim lenissimè audiant: indicio suo perijt sorex. Si Sedes Apostolica aduersus titulum Stellarij *Immaculatæ Conceptionis* insurgeret, nullas indulgentias concederet, quas extortas dici inter conuitia numerandum est. Nihil ergo à re nostra remotiùs recedit, nec minùs vrget: firmantur enim ab Ecclesiâ opera pietatis; abrogantur verò (ne cum aduersarijs de vocibus contendamus,) quæ æmulationes, & tumultus alere possent. Stellarium ipsum quomodò Sedi Apostolicæ displiceret? An quia B. Virginem *corona stellarum duodecim* insignitam, Apocal. 12 totidem Angelicis Salutationibus inuocat? An quia cuilibet earum quaternario vnam orationem Dominicam præmittit, pro eximijs Virginis priuilegiis, quibus ab Æterno Patre, vt Filia, à Filio, vt Mater, à Spiritu Sancto, vt Sponsa decorata est, gratias agens? Quæ pulchrior distributio?

Fœminei tu sola chori pulcherrima Virgo.
Vna Dei pariter Filia, Sponsa, Parens.

An quia oratione *Immaculatæ Conceptionis* ex officio diuino accepta parua hæc corona absoluitur, vndè, & inditũ Stellario nomen? Hoc nimirum aduersarios angebat, hoc compulit, vt sacerrimis Sanctissimi Rosarij armis contra Stellarium abuterẽtur; cùm Rosarium ipsum *Immaculatæ Conceptionis* defensoribus corde sit charius, & præcipuis rosarum balsamo suauiorum propagatoribus vtrâque manu plaudant. Valeant igitur hæc contentiosa, quæ nihil ad causam conducunt, & coniunctis animis Beatissimam Virginem nouis subinde modis omnes certatim honoremus.

Quomodò se gerat Ecclesia ergà vtrãque opinionem.

152 SED antequàm ab hac clausula discedamus, annotare oportet vnã, & alteram propositionem, quam non admittimus, ne silentium pro consensu quis interpretetur. Itaquè illa verba: *Ecclesia piam fouet intentionem vtriusque partis opinantium,* nulla probatione, aut saltem coniectura niti constanter affirmamus: nam Ecclesia aliam quidẽ partem opinantium manifestè fouet, aliam verò tantùm tolerat quoad internum assensum, & priuata inter quosdam opinantes colloquia. Quod autem sequitur: *Ecclesiam voluntatis pios motus, non assensum fauoribus prosequi*, suprà num. 142 impugnatum est: & constat assensui fauere, dum pio motui assensum imperanti apertè sine dubio fauet.

Libellus num. 31. colum. 19.

Subditur approbatio voti quarundam Monialium sub titulo Immaculatæ Conceptionis, sed idem respondemus, approbationem, scilicet, ad vouentium pietatem referri, non ad titulum, quem Pontificum diplomata continent recitatiuè tantùm, non verò dispositiuè: nec inconuenit approbari Religionem particularem, quæ erga piam, & probabilem opinionem deuotionem gerat,

non

non enim aliquod falsum approbatur, dum pius modus viuendi, non modus opinandi, comprobatur.

DISCVSSIO.

Argumentum ab institutione Religionis grauissimum.

153 NIMIS contemptim de re grauissima agunt libelli auctores, cùm vel hoc vnicum fundamentum ad defendendum titulum *Immaculatæ Conceptionis* tanti sit roboris, vt qui illud impugnare velit, solidissima Theologiæ principia euertat. Expendantur à veritatis amatoribus *ex nostro Secundo Articulo à nu.* 140. *colum.* 127. *& colum.* 132. *à num.* 147. & iudicent docti, an Sedes Apostolica instituens Religionem Monialium Conceptionis, piam opinionem non solùm expressa, sed insigni approbatione communierit: & an titulus *Immaculatæ Conceptionis* recitatiuè, vel dispositiuè in Pontificum diplomatibus contineatur. Verba enim aduersariorum, *nec inconuenit, &c.* ad possibilitatem respiciunt, quæ, vt in Scholis dicere solemus, est res ampla; examinetur, quid Summi Pontifices de facto instituerint, & approbauerint: clarissimè apparebit institutionem Religionis Monialium ab Innoc. VIII. & Iulio II. factam substantialiter approbationem tituli *Immaculatæ Conceptionis* includere.

Libellus num. 32. colum. 19.

Magna vis fit in eo, quòd Summi Pontifices quomodocunque aliorum, vel pietati, vel opinioni obsecundantes, titulum Immaculatæ Conceptionis in suis Bullis admiserunt, quamuis recitatiuè, non tamen illi definitiuè adhærendo: quare ergo titulum eundem non admittet Summus Pontifex Innocentius X. nihil tamen definiendo, & ita opinantium pietatem tantummodo piè fouendo? quæ totius obiectionis summa videtur.

DISCVSSIO.

Approbationes Apostolicæ solènissimæ à nobis allegantur.

154 QVIDQVID aduersarij ex libellis supplicibus defensorum tituli *Immaculatæ Conceptionis* recitant, nobis pro non dicto, vel non recitato habetur: nec enim, quod non legimus, defendere, aut impugnare possumus, nec quod nostræ causæ obest, propter aduersariorum testimonium, vt verum recipere. An ergo totius huius obiectionis summa ad recitationē tituli *Immaculatæ Conceptionis* in Bullis Pontificijs rectè, & integra fide redigatur, examinabunt, qui tunc causam egerunt; nos verò magnam vim in eo facimus, quòd Summi Pontifices non quomodocunque, sed approbatiuè, & dispositiuè titulum *Immaculatæ Conceptionis* toti Ecclesiæ tradiderunt in cultu diuino, erectione Religionum, concessione indulgentiarum, approbatione Reuelationum, & Miraculorum, alijsquè summæ auctoritatis actibus. Hæc est nostræ defensionis summa *Artic.* 2. & 3. his titulis stabilitur legitima nostra possessio. Vide etiam dicta *suprà hoc Tract. ad num.* 3. *libelli prioris, initio.*

Li-

Libellus num. 33. colum. 19.

Sed & nos interrogando obiectiones soluemus. Antiquiora repetentes, nouem enumeramus Romanos Pontifices, qui nec recitatiuè, nec dubitanter, sed assertiuè, & clarè doceant, Beatissimã Virginem in originali peccato fuisse conceptam.

DISCVSSIO.

Nouus locus ab auctoritate.

155 IO triumphe! Euge strennui vestræ causæ propugnatores, in cuius conspectu, vel iura ipsa conticescant! Non modò interrogando obiectiones soluistis; (id enim perfacile,) sed & rem factam habetis, si vel vnum Romanum Pontificem profertis, qui assertiuè doceat, Beatis. Virginem in originali peccato fuisse conceptam. Iam vos auidè audituri expectamus, cauete, ne spem nostram frustremini, & priuatorum hominum scripta pro Apostolicis Sanctionibus noua argumentandi ratione obtrudatis. Recolantur, quæ diximus *Art.* 2 *num.* 197. *colum.* 182. Hac lege, & conditione, ad trientem numeri Pontificum ab aduersarijs destinati, quem solum appendunt, inspiciendum accedamus.

Libellus eod. num. 33. colum. 19.

Damus pro nunc Innocentij Secundi verba. Eua siquidem sine culpa producta, sed filios produxit in culpa; Virgo autem gloriosa, fuit quidem in culpa producta, sed Filium sine culpa produxit. Innocentij III. Spiritus Sanctus priùs in Virgine venerat, quando in vtero matris animam eius ab originali peccato mundauit. Innocentij V. Beata Virgo fuit in vtero matris sanctificata, non ante animationem, quia tunc gratiæ capax non erat, nec in ipsa animatione, quia tunc originale peccatum non contraxisset, & sic non eguisset vniuersali Christi redemptione, quod non est dicendum: sed piè considerandum est, quod citò post animationem, vel ipsa die, vel hora, non tamen ipso momento à peccato fuit per gratiam mundata, & sanctificata; aliter fuisset æqualis puritatis cum Christo: hoc non est dicendum.

DISCVSSIO.

Aduersariorum obiectiones.

156 HOC igitur erat, quod hactenus nos suspēsos detinuit? hem! delusi sumus, & ex fulgore fumum erumpentem oculis nostris in festum patimur; certè aduersarij se nobis verba dare non negant. Si hæc sunt Pontificū decreta, vbi Apostolicæ maiestatis, & modestiæ consuetum exordium, *Innocentius Episcopus seruus seruorum Dei*? Si non sunt voces Successorum Petri de cathedra loquentium, sed proprij ingenij partus, quos viri docti non ex Pontificali auctoritate, sed suo sensu, & iudicio ediderunt; cur eorum recitatione paginæ complentur? Sed obliti eramus apologiæ onus, quod sustinemus; subeundum est, & ad omnia, quæ quomodolibet dicuntur, respondendum.

Earum solutio.

157 AD primam, & secundam auctoritatem producimus verbo tenus solutionem *Ægid. de Præsentat. lib. 3. de Præseruat. B. Virg. q. 4. Artic. 2. §. 2. nu. 145 pag 237. Secundo loco* (inquit) *pro eadem opinione referri potest Innocentius III. ex anno 1200. serm. de Assumpt. Virg. paulò post principium, in hæc verba.* Eua fuit sine culpa producta, sed produxit in culpa: Maria autem fuit in culpa producta, sed sine culpa produxit: *Quæ verba Bandellus falsò tribuit Innocentio II. cum apud Innocentium Tertium loco citato expresiè inueniantur; Innocentius autem Secundus nullos scripsit sermones. Adducuntur etiam à Bandello eiusdem Innocentij verba serm. de Purificat. B. Virginis.* Spiritus Sanctus prius quidem in Virgine venit, quia in vtero matris animam eius ab originali peccato mundauit. *Posterior tamen locus non satis conuincit, Innocentium approbasse B. Virginem in peccato originali fuisse conceptam: etenim ex doctrina D. Thomæ sæpè relata, is, qui per gratiam liberatur, ne culpam aliquam incurrat, dicitur ab ea mundari. An verò ex priori loco sufficienter conuincatur? non satis patet: sunt enim, qui eum intelligant de culpa radicaliter, & quoad debitum, vt sit sensus:* Maria fuit producta in culpa, *idest, cum obligatione, & debito culpæ: ego tamen puto ea esse intelligenda de culpa formaliter, & actu contracta: vndè non negarē Innocentium III ex parte aduersariorum stare* Hactenus Ægidius, qui posteriori libelli auctoritati plenè satisfacit; circa priorem hæret, quam noster *Acernensis* dissoluit *lib. 2. cap. 28. num. 2. pag. 289.* Obseruandum verò est, illam priorem auctoritatem probabilissimè censeri posse suppostitiam: quia Innocentius totus est in concinnandis præclaris antithesibus inter Euam, & Mariam, dicens inter alia: *Illa dicta est Eua, huic dictum est, Aue, quia per hanc mutatum est nomen Euæ. Aue, inquit, Gratia plena, Dominus tecum. Quasi diceret, illa fuit plena peccato; sed tu plena gratia: illa fuit maledicta in mulieribus; sed benedicta tu in mulieribus.* Hæc, & plura huiusmodi Innocentius, quæ quantum Præseruationi faueant, doctus lector expendet: cùm præsertim *in hymno de Christo, & Maria*, ita B. Virginem alloquatur: *Eia rosa sine spina*: quæ signatissima loqutio munditiam originalē luculenter exprimit. Quorsum ergo inter Virgineas laudes culpæ tantus encomiastes meminisset? Vndè *in serm. de Purificat.* vbi eædem antitheses ad verbum repetuntur, illa assutura ab aduersarijs citata omninò nō legitur. Et *Hippolyth. Marraccius in Pontificib. Marian. cap. 51. fol. 89.* totum sermonem transcribens, illa verba omisit, quia fortè Codicem incorruptiorem habuit. Quod ne de nihilo dictum videatur, *Cardin. Bellarm. in Script. Eccles. & Possevinus in Apparatu, to. 1. pag. 806.* scripta Innocentij III. adulterata fuisse, apertè contestantur.

158 PATET ergo, aduersarios hoc loco grauem reprehensionem incurrisse. Primò, quia ex vno, & eodem Innocentio duos faciunt ad augendum Pontificum numerum contra Virginis puritatem. Secundò, quia cùm Innocentius II. nullos scripserit sermones, vt constat, præter *Ægidium citatum, ex Baron.* *Notātur allegationes parū synceræ.*

*Baron.to.*12.*an.*1130. *Yepes to.*7.*hist. Ord. S. Benedicti fol.* 231. *Leone de S. Thoma in Benedictina Lusitana*, *tract.* 1. *fol.* 214. *Posseuino suprà*, & alijs, qui indices contexuerunt; ipsi sermonem de Assumptione, & verba, quæ non dixit, ei adscribunt. Tertiò, quòd ex illa phrasi, *ab originali peccato mundauit*, à Virgine contractum peccatum originale colligant: quæ expositio multis erroribus viam patefacit, cùm Patres eodem, aut simili modo loquendi vtantur agentes de Beatissima Virgine tempore Incarnationis, & quoad peccata actualia: de quo, ne actum agamus: vide *Ægid.lib.* 3.*q.*4 *art.*2.§.1.*num.*102.*pag.* 228. & *Salazar.cap.*41.*can.*4.*pag.*393. vnde validissimum argumentum ab auctoritate Patrum pro pia opinione sumitur, quorum dicta de B. Virginis sanctificatione, aut emundatione, semper ad Præseruationem ob assignatam causam referri debent.

Vis veritatis. 159 AD tertiam auctoritatem, quæ est Innocentij V. agnoscimus verum, & legitimum Pontificem anno 1276. Canonicè electum, & ex sacro Prædicatorum Ordine ad Archiepiscopatum Lugdunensem, Cardinalatum Hostiēsem, Summum deniquè Pontificatum assumptum; negamus tamen tempore Pontificatus, quæ in libello allegantur scripsisse. habentur enim *in* 3.*sent.dist.* 3. quæ Commentaria, cùm esset solemnis Magister Parisiensis, elaborauit, vt citatur *in libello Turrecrematæ*, *parte* 6. *cap.*29. sub nomine Petri de Tarantasia, quod illi antè Summum Pontificatum fuit. Tantùm verò absumus ab existimando piæ opinionis veritatem eleuari ex dissensu Doctorum, qui postea ad Petri Sedem ascenderunt, vt ex hoc ipso non parum roboratam censeamus: nam qui oppositam in scholis, & scriptis editis defenderant, si fauore Apostolico dignam iudicassent, aliquo indicio animū suum ostendissent; quod nullus vnquàm fecit, vt ex *Iustiniano* diximus *Artic.*2.*num.*173. *colum.* 159. Cui prudentissimæ cogitationi intentus *Illustris. Catharin. disput. ad Trident. parte* 2.*colum.*95. ita suos olim consodales alloquitur. *Qui ante Sixtum IV. præsertim, & vestri Ordinis Pontifices, & alij erga Ordinem optimè affecti, cur alterā partem, cui tunc plurimi fauebant, cum iam in controuersiam res deducta esset, pro vestra opinione non determinarunt? Nōnè vos necessariò cogimini fateri digitū Dei hic adfuisse?* In aduersarios ergo tela cōtra nos iacta reuertuntur, & tam illustri diuinæ prouidentiæ documento, quid inter scholasticam opinionem, & Pontificale rescriptum intersit, de cælo iudicatur. Quid enim conciliat auctoritatis opinionibus auctorum superaccrescens dignitas? Claruit proauorum memoria in Academia Louaniēsi eximius Theologus Adrianus Florentius doctrinæ, & pietatis merito anno 1522. ad Summum Pontificatum euectus, & Adrianus VI. nominatus, cuius plurimæ sententiæ ab eo, dùm priuatus ageret, libris mandatæ passim liberrimè impugnantur: in quo genere illud est ad memoriam insigne, quòd cum *in* 4. *sent. Tract. de Sacram. Confirmat. artic.* 3. acriter defendisset Summum Pontificē simplici Sacerdoti administrationem Sacramenti Confirmationis committere non posse; idem ipse in culmine Apostolico constitutus Ministris Prouincialibus Ordinis nostri apud Indos hanc facultatem delegauit, facta etiam subdelegandi potestate, vt referunt *Veracrucius in Comp. priuileg. Emm. Roderic.to.*1.*qq.regul.q.*19.*art.*3.*Suar.to.*3. *in* 3.*p.disp.*36.*sect.*2.§. *Hæc verò.* Cedente nimirùm humano labore comparata sapientia Ecclesiæ vsui, & approbatæ consuetudini. Monemus etiā, de Doctoribus Parisiensibus antè Scotum certò statui non posse, quid in cōtrouersia *Immaculatæ Conceptionis* ex mente propria protulerint, publico enim sensui seruiebant, pia opinione nondum in lucem hominum educta, nec solemni Vniuersitatis decreto roborata, de quo in *Regesto*, *colum.* 74. & 546. *B. Virgo iuxta piā opinionē verè redempta, nec Christo D. æqualis.*

160 ADHVC tertia hæc auctoritas sub magnifico nomine Innocētij V. la-

latens discussionem exposcit: habet enim duo argumenta adiuncta, quæ aduersarij quasi aliud agentes in medium proiciunt. *Si B. Virgo originale peccatum non contraxisset, non eguisset vniuersali Christi redemptione*: Et, *fuisset æqualis puritatis cum Christo*. Parum in hac controuersia profecerunt, qui putant, veteres Doctores huiusmodi rationibus motos esse, vt gloriosæ Virgini peccatum tribuerent, cum antè præopinionis, & Marianæ puritatis vindicem SCOTVM, facillimis solutionibus sint eneruatæ; sed exceptio à generali regula Ecclesiæ auctoritate firmanda erat, & omnes, quid de *Conceptionis* festo Romani Pontifices statuerent, prudenter expectabant, *suprà hoc Tract. nu.* 20. Quin, & Scotus ipse cautissimè sententiam suam asseruit, quam modestiam eius lectione tenuiter imbuti formidinem interpretantur; quasi verò vis, & efficacia doctrinæ vitium aliud æquè oderit, ac audaciam, & persuadere nequeat, nisi modestiæ bellum indicat. Sed ad rationes. Videantur in primis, quæ ex *D. Thoma, & eius discipulis* de redemptione præseruatiua, & modo, quo attributa Dei negatiua creaturis communicari possunt, adduximus *in Regesto. colum.* 500. & 527. Audiatur & *Caietanus*, sed integer, vt à *Catharino* citatur *disput. ad Tridentin. parte* 1. *colum.* 19. *Additis in eodem zelo à nobis negari Christum esse suæ Matris Redemptorem. Et hic iterum parcat vobis Deus, qui rursus hanc nouam calumniam tam insignem, & quàm manifestissimam zeli nomine obtenditis, cùm maximè clara, & aperta voce prædicemus, Filium non solùm suæ Matris Redemptorem, sed præcipuo, eximio, & singulari modo Redemptorem.* Et infrà. *Ob istam causam Caietanus, ne deriderentur Fratres nostri Ordinis, hanc ipsorum miseram fallaciam, & falsum zelum, & (quod animaduertendum est valdè) ex B. Thomæ doctrina his veridicis verbis corripere studuit.* Si peccatum originale, inquit ille, vel in actu, vel in necessitate habendi illud quis non incurreret, non egeret redemptione, quod hæreticum esset dicere. Sed si omnes obnoxij sunt peccato originali ex ipsa sua generatione, sufficit ad indigentiam redemptionis. Neque enim solùm redemptione indiget actualiter captiuus, sed etiam obnoxius captiuitati. Et hæc benè notabis tu, Thomista, ne nimio zelo non secundùm scientiam accensus erronea dicas, quæ non sunt erronea, cùm de Beatis. Mariæ Virginis Conceptione disputas, aut prædicas. *Hæc ille in suos ab ipsa vi dilucidæ veritatis coactus. Conqueror in nouis Lugdunensium impressionibus subdolè à nescio quibus temerarijs sublata fuisse ex Commentarijs Caietani primùm illa verba*: ex ipsa sua generatione: *quæ ad declarationem nostræ propositionis plurimùm faciebant. Deinde totum illud*: & hæc benè notabis tu, Thomista, *& cætera, quæ citaui.* Addit *Catharinus colum.* 23. solutionem alterius obiectionis. *Non æquamus ergo Virginem Filio vllo pacto. Nam dùm illam minimè cecidisse asserimus, non id eius naturæ attribuimus, sed diuinæ beneuolentiæ, Christi gratiæ, ac meritis, vt semper emineat ipse, cuius stat verissima illa sententia: Beatius est dare, quàm accipere. Et hoc vidit ipse Caietanus vester, & testatum vobis reliquit, videlicet hac nostra positione Virginem ipsi Filio non æquari, sed sub illo in eminentissimo gradu constitui.* Hæc ex multis in eandē sententiam ex Catharino seligere placuit, non vt argumentis occurreremus, quæ seipsis concidunt, sed si fortè ab aduersarijs obtinere possemus, vt nos suorum magistrorum discipulos esse patiantur.

Li-

Libellus num. 34. colum. 19.

Quarè ergo Sanctiſs. D. N. Innocentius X. Innocentios prædeceſſores (quomodocunquè loquuti fuerint,) laudabiliter non ſequetur? Quidquid pro reſponſo afferatur & noſtram, & ipſorum obiectionem ſoluet. Status quæſtionis, temporum diſcretio, contentio inter fideles, poſteriora Pontificum Decreta attendenda ſunt. Hæc loquendi formulas prudenter, ac prouidè moderantur, atque præſcribunt.

DISCVSSIO.

Piæ opinionis patrocinium

161 NON *eſt contentus noſtro, ideſt, humano more loqui*, dicebat contra neſcio quem *S. Heronym.* Id ipſum in noſtros aduerſarios probè conuenit. Nam ad obiecta reſpōdere commodè poſſe docti, & intelligentis viri eſt; *quidquid* vero *pro reſponſo afferatur*, dicta ſcilicet, & non dicta expugnaſſe, *Attingit ſolium Iouis, & cæleſtia tentat.* Quid ſi pro reſponſo afferamus, nos eſſe cultores *Immaculatæ Conceptionis*, & habere huius tituli legitimam, & authēticam conceſsionem: nunquid hoc, & ipſorum, & noſtram obiectionem ſoluit? Sed vera reſponſio eſt Sanct. D. N. Innocentium X. non poſſe Innocentios prædeceſſores ſententiam aduerſariorum approbando laudabiliter ſequi, quia in conſeruando *Immaculatæ Conceptionis* titulo habet omnium prædeceſſorum exempla, quæ ſequatur; in auferendo verò nullum.

Vndique cõmendatur.

162 AT dicent: nos inſtabamus allegantibus magnam vim habere exempla Pontificum, quomodocunque loquuti fuerint. Audimus. Sed quid hoc?

Hoſpes nunc alius mihi, quàm paulò ante videris.

Argumentum erat, vt retuliſtis, *Summos Pontifices, quomodocunque aliorum, vel pietati, vel opinioni obſecundantes titulum Immaculatæ Conceptionis in ſuis Bullis admiſiſſe*: huic vt occurreretis, tenebamini teſtimonia proferre Pontificum quomodocunque loquentium, ſed *in ſuis Bullis*; cum ergo nihil ex Bullis Pōtificijs protuleritis, quomodo & adductas, & excogitabiles reſponſiones ſoluitis? *Status quæſtionis, temporum diſcretio, contentio inter fideles, poſteriora Pontificū Decreta*, omnia hæc nobis apertè fauet: quia *quæſtionis ſtatus* nullam vnquam mutationem habuit; ſed ſemper controuerſia fuit de primo inſtanti animationis, vt *Artic.* 1. oſtendimus: *temporum diſcretio* trimembris eſt, antè Sixtum IV. poſt Sixtum IV. & poſt Gregoriū XV. quam *ibid.* ad teſtimonia Doctorū proferenda diligenter obſeruauimus: ex qua obſeruatione illud lucri fecimus, vt apertè conſtaret, piam opinionem poſt Doctoris Subtilis, & euidentiùs poſt Sixti IV. ætatem continuis incrementis vires adquiſiſſe: *contentio inter fideles* ex parte fauentium puritati Virginis *pia & laudabilis* Apoſtolicis ſcriptis prædicatur, *colum.* 47. & 130. *Regeſt.* & ſępè alibi; ex parte verò contrariū opinantium Summis Pontificibus iudicibus *occaſio ſcandalorum* ſemper fuit, *Regeſt. colum.* 110. 118. 180. & 185. Denique *Pōtificum Decreta* à prima Sixti IV. Conſtitutione ad nouiſsimam Gregorij XV. piam opinionem commendant, extollunt, validiſsimè promouent. *Regeſt. à colum.* 46. *ad* 180. *Armament. à colum.* 55. *ad* 109. *& colum.* 159. Hæc loquendi formulas prudenter, ac prouidè moderantur, & titulum *Immaculatæ Conceptionis*, dùm eum aſſer-

tiuè,

tiuè, & dispositiuè enuntiant, vt pium, verum, & legitimum præscribunt.

Recensio Summorũ Pontificũ Innocentiorum.

163 PLACVIT aduersarijs Pontifices Innocentios quauis arte ad se trahere, quasi adscititij nominis blandimentum Apostolicum pectus Sanctiss. D.N. Innocentij X. concutere, aut inflectere posset: industriam laudamus, & faustissimum omen, (si ita loqui licet,) arripimus; nihil enim ad B. Virginis innocentiam tuendam Pontifice Innocentio contingere potuit optabilius. Hanc itaquè vtilitatem aduersarijs acceptam feramus, & omnes præfati nominis Summos Pōtifices breuiter percurrentes, ex singulis titulo *Immaculatæ Conceptionis* defensionem paremus.

Innocen. I.

164 INNOCENTIVS I. à *Bandello in offic. de Sanctificat. colum.* 227. *&* 255. *Regesti*, *necnon in disput. solemni fol.* 27. *&* *à Petro de Vincentia in suo Indiculo fol.* 6. & alijs contra Præseruationem B. Virginis allegatur. Sed *ex toto lib.* 1. *S. August. contra Iulian.* cuius tempore Ecclesiam rexit, nempè an. Dom. 402. cōstat, nihil aliud docuisse, quàm transfusionem originalis peccati contra Pelagium. Hunc ergo Pontificem in Concilio Numidię Pelagianam hæresim damnantem iure in fauorem piæ opinionis nominare possumus, nam generalis peccati lex, quātũuis generaliter pronuntietur, nunquā intelligitur B. Virginē cōprehēdere, vt Concil. Trid. sess. 5. pro se, & alijs omnibus Concilijs declarauit. *Art.* 2. *col.* 69. *n.* 28. Nec dissimulāda est Bādelli fraus, qui locū Innocentij I. ex *Epistola* citat, cum id apud Augustinum non legerit, nec in eius *Epistolis Decretalibus to.* 1. *Concilior.* extent verba, quæ Bandellus adduxit: imò nec omnino conueniant cum adductis ab Augustino, vt conferendi laborem suscipere volenti patebit.

Innocen. II.

165 SVCCESSIT longo interuallo in Sede, & nomine Innocentius II. an. 1130. ab aduersarijs inuitus in suas partes attractus, vt proximè *num.* 157. exponebamus. Quod si verisimilibus coniecturis fides adhibeatur: cum Sacra Religio Præmonstratensis à Calixto II. antè decennium erecta esset, *Artic.* 2. *colum.* 132. *num.* 146. probabilissimum videtur ab eo cum suis priuilegijs, & cultu *Immaculatæ Conceptionis* confirmatam. Ita enim fieri solet, vt Ordines recens instituti Summorum Pontificum auctoritatem, qua se tueantur, & instanter implorent, & benignè obtineant. Perijsse credimus vetustatis iniuria multa præclara tantæ rei monumenta, aut in archiuis monasteriorum delitescere; quibus quidem nostra causa minimè indiget; indigent verò illi, quibus concessa sunt, vt tantò plus in Virginea puritate asserenda laborasse tota Ecclesia cognoscat.

Innocen. 3. 4. 5. & 6.

166 INNOCENTIVS III. electus an. 1198. in his, quæ sine dubio eum scripsisse constat, quamuis vt priuatum Doctorem, ad piam opinionem maximè accedit; supposititia verò, aut suspicione laborantia, ne lectione quidē digna sunt, multò minus imitatione. Innocentius IV. an. 1243. creatus, eo nomine Virgineę puritatis cultoribus valde commendatur, quòd festum Natiuitatis B. Virginis solemnius fecit, & cū octaua celebrare fortè primus instituit, vt non sine causa primus auctor illius solemnitatis creditus sit. *Ciaccon. lib.* 2. *de vit. Pontific. pag.* 565. *Baron in Not. ad Martyrolog.* 8. *Sept.* Magna inter hæc duo mysteria affinitas est, adeò vt ex solo festo Natiuitatis Præseruatio à peccato originali à S. Ildephonso colligatur, *suprà nu.* 125. de quo lege *Salazarum cap.* 36. Nobis sufficiat, Sedem Apostolicam per Natiuitatis celebrationem ad Conceptionis cultum admittendum viam strauisse, & Innocentio IV. magnam huius pietatis partem deberi. Innocētius V. vt subtilis disputationis ita egregij Pontificis leges impleuit, & priuatas opiniones memorabili exemplo Ecclesiasticis consuetudinibus postponendas docuit, quod aduersarios imitari consultissimum esset. De Innocentio VI. an. 1352. creato nihil nobis, quod ad præsens institutum pertineat, compertum est, quamuis sermones aliquos ab eo editos ex Possemino, & alijs sciamus.

DE

Innoc. 7 167 DE Innocentio VII. qui an. 1404. ſedere cœpit, ſcribit *Hippolyt. Marracc. in Pontificib. Marian. cap. 68. fol. 139.* in hæc verba. *Ita erga Sanctiſsimam Matrem Dei Mariam deuotus extitit, ac in particulari erga eius abſque originali peccato Conceptionem ita piè fuit affectus, vt Doctorem quendam Theologum nomine Ioannem Monteſonem, qui in ſuis concionibus in peccato fuiſſe conceptam auſus eſt prædicare, inſtante ad hoc Parisienſi gymnaſio de Conceptionis articulo ſemper benemerito, rigidè puniuit, & vt palinodiã caneret, coercuit.* Vide *Regeſ. colum.* 556. *Lucerum diſcur. 1. cap. 5. de Concept. Lezanam in Apolog. cap. 13. Ægid. de Præſent. lib. 3. q. 5. art. 6. §. 5. num. 28. pag.* 295. *Mirand. q. 17. fol. 389. & Innocentio VII. coæuum Alanum Doct. Pariſ. Tract. de Concept.* Errores autem Ioannis de Monteſono extant inter articulos Pariſijs damnatos in multis editionibus Magiſtri Sentent. decimus vero, vndecimus duodecimus, & tertius decimus ſpectant ad B. Virginis Conceptionem. Vides ergo, quale patrocinium apud Sedem Apoſtolicam pia opinio ante Sixtum IV. inuenerit, & quibus honoris gradibus, humana contradictione, & ſcandalis ſuperior ad pacificã poſſeſsionem, quæ fruſtra adhuc impugnatur, perducta fuerit.

Innocen. 8. & 9. 168 SEQVITVR Innocentius VIII. electus an. 1484. inter præcipuos *Immaculatæ Conceptionis* patronos ſine dubio numerandus. Huius auctoritate primum Monaſterium Monialium *Conceptionis* ſub Ciſtercienſi Regula, cingulo tamen Fratrum Minorum, habitu coloris cæleſtis, & *Immaculatæ Cõceptionis* officio nouis Monialibus attributo, erectum eſt, inſigni prorſus tituli noſtri approbatione, & æterna Franciſcanæ Familiæ laude. *Artic. 2. colum.* 132. *num.* 147. Eundem Pontificem Sixti IV. Extrauagantes confirmaſſe referunt *Vvading in legat. ſect. 2. orat. 8. §. 5. num. 2. pag. 219. Marracc. ſuprà cap. 76. pag. 160. & Tamaius in addit. ad vit. S. Epitacij.* De eius erga myſterium *Immaculatæ Conceptionis* affectu legẽdus *Torres lib. 4. cap. 7. fol. 332.* Innocentius IX. duorum menſium Pontifex an. 1591. ſolum ſui deſiderium pijs omnibus relinquere potuit; ſuum tamen ciuem, & Doctorem Bononienſis Vrbs, & Academia, vt viuentem inter piæ opinionis aſſertores vidit, ita tanto filio, & parente glorioſa, iugi, & ſemper victura memoria celebrabit. Vide *Regeſt. colum.* 470.

169 AD Sanctiſ. D. N. INNOCENTIVM X. numerando peruenimus, ab anno 1644. Petri nauiculæ clauo præpoſitum, in diuturnum, vt exoptamus, & fœliciſsimum Pontificatum. Qui Apoſtolici Nuncij munus in Hiſpania gerens, *Immaculatam Conceptionem* eiuſque cultores honorificentiſsimis & fauoribus, & reſcriptis proſequutus, in operibus ſuis in o Domini lætabitur, & titulum ſæpius conceſſum nunquam aboleri patietur. Producimus exempli gratia eius Apoſtolicas Litteras in hac Curia expeditas 14. Kal. Sept. an. 1628. quarum inſcriptio eſt: *Diſcreto viro Superiori Monialium Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ Regalis nominatæ Ordinis S. Franciſci de Obſeruantia Ciuitatis Toletanæ. &c.* Nihil certè cogebat *Immaculatam Conceptionem* nominare, cùm *Conceptionis* vocabulo illius Religionis monaſteria vulgo intelligantur; ſed ex affectu ea appellatio profecta eſt: vnde ad titulum *S. Mariæ Regalis* additur *nominatæ*, vt loquutio recitatiua agnoſcatur, titulus verò *Immaculatæ Conceptionis*, vt libentiſsimè, ita nulla additione coarctatus profertur. Dedit tunc opinioni piæ Summus Pontifex futurus, quod potuit, nunc cùm poſsit omnia, concedet, quod B. Virginis honori, & Eccleſiæ ædificationi expedire videbitur. Id pro comperto habemus, non æquo animo laturum Ter-maximum Pontificem ſibi quaſi ex Prædeceſſorum exemplo proponi, vt faueat aſſerentibus maculatam fuiſſe illam *Conceptionem*, quam ipſe veriſsimis Romanorum Pontificum exemplis inſiſtens, toties appellauit *Immaculatam*. *Innoc. X*

Li-

Libellus num. 35. colum. 21.

Habemus euidens experimentum nullatenus prætereundum. Erigitur à fæl. record. Vrbano VIII. Religio Militaris sub inuocatione Conceptionis Deiparæ, instantibus Ducibus Mantuæ, & Niuern. Quoties titulus exprimitur in Bulla incip. Imperscrutabilis, *diligentissimè cauetur, vt verbum Immaculatæ iungatur Virgini, non autem Conceptioni: & cum in aliqua impressione domi tunc facta, titulus Immaculatæ Conceptionis, vel per errorem, vel fraudem irrepsisset, sedulò mandante Papa emendatus fuit, & recollecta, vt probè intelligamus, Vrbanum noluisse in præsenti statu quæstionis vti Immaculatæ Conceptionis titulo non tantùm dispositiuè, sed nec etiam recitatiuè, nec prædictorum Ducum pietatem referendo; cum tamen Iulij II. Leonis* X. *Sixti IV. non ignorasset exempla.*

DISCVSSIO.

Tituli Immaculatæ Cōceptionis *firmitas.*

170 OPTIME faciunt pulchra bis, & ter repetentes; nec nos volumus adeo euidens experimentum pro pia opinione præterire, vt *supra numerum tertium prioris libelli discutientes, & Art. 2. à num. 153. col. 138.* perspicuis argumentis ex ipsa Bulla, & Religionis Militaris institutione petitis, non solùm patefecimus, sed etiam (si id doctis censoribus videatur,) demonstrauimus. Assequi autem cogitando nō possumus, quis quæstionis status impedire valeat simplicem recitationem tituli toties approbati: imò (vt verum absque ambagibus eloquamur,) quis iste status, quæ ista quæstio est? *Ij soli faciunt quæstionem:* (verba sunt Illustris. Catharini lib. 1. pro Immac. Concept. pag. 7.) *nisi enim illi se opponerent, iam decisa esset, nec esset quæstio.* Quid nobis obijciunt Bullā Vrbani, cuius & minimos apices veneramur; Constitutiones vero tot Summorum Pontificum expressè titulum *Immaculatæ Conceptionis* concedentes, ne arguantur despicere, in sensu recitatiuo, textu ipso, & ratione reclamantibus, exponunt? An festi, & officij diuini institutio, Religionum erectio, indulgētiarum largitio fieri possunt à Summis Pontificibus nihil aliud, quàm aliena recitantibus? Si hæc ergo exempla Vrbanus VIII. non ignorabat, quomodò reprobaret titulum in cultu, & religiosis actibus solemniter admissum? Hæc nimirùm tendunt aduersariorum machinæ, vt Ecclesiæ auctoritas sit arundo vento agitata, & hodiè euellat, quod heri plantauit. Nec talia cum stomacho dicimus, sed ex solida veritate: quidquid enim aduersarij contra titulum *Immaculatæ Conceptionis* iactant, aut probant, eius vsum hæreticum esse, aut omninò nihil probant: nam si huius tituli vsus, nec S. Scripturæ, nec SS. Patribus contrarius est, cur in honorem B. Virginis, Ecclesia fauente, non admittatur? Audiant iterùm *Catharinum lib. 2. eiusdem operis, pag. 35.* liberè cum ipsorum magistris expostulantem. *Statuit iam olim Ecclesia (vt isti volunt,) quòd hæc assertio, quæ poneret, B. Virginem esse ab originali immunem, est hæretica. Sic*

enim

enim aiunt & Zosimum, & Innocentium Pontificem Romanum determinasse. Quamobrem proculdubiò hæretici putandi essent, quicunque illam tenerent. Et rursum Sixti Decreto decisum est huiusmodi assertionē, quæ diceret asserentes assertionem prædictā esse hæreticos, esse falsam, & erroneam, & penitùs à veritate alienam, cum Romana Ecclesia ipsius Diuæ Virginis Immaculatā Conceptionem receperit celebrandam. Vide monstrum, quod contingit ijs hominibus, vt fateri cogantur Ecclesiam vnam, quod iam semel, vt hæreticum damnauit, iterum, vt Catholicum recepisse, & quæ olim destruxerat, denuò ædificasse. & inuenietur simul in eius sermone fidem nobis tradente modo est, modo non est, & hodie vnum, & cras aliud. Sed quis vnquàm hoc vidit in Ecclesia Dei, & quomodò staret ita in seipsam diuisa? Hæc verissimè in temerarios illos censores Catharinus; quæ si nolunt aduersarij nostri sibi applicari, eos ne imitentur, contradictiones inter Apostolica Decreta ne quærant, ne *Immaculatæ Conceptionis* titulum ab Ecclesia stabilitum, ab eadem Ecclesia persuadere velint abrogatum: alioquin, quorū facta sequantur, eorum notam subituros nullatenus dubitent.

Libellus num. 36. colum. 21.

Hinc patet Decretum imò Decreta à Sacra Congregatione sub eodem Summo Pontifice Vrbano VIII. emanata circa titulum hunc non esse aliquorum priuatum inuentum, quod nonnulli ausi sunt suspicari; sed ipsius Summi Pontificis rem Apostolico Zelo expendentis mandatum.

DISCVSSIO.

Decretū subreptitium.

171 PLVRA Decreta de hac re prodijsse nobis, nec lectū, nec auditum, vt diximus *num.* 88. nisi in libellis aduersariorum; qui si vnum authenticum, & legitimè publicatū ostenderent, longè diuersam defensionis viā iniremus; nunc autem contra subreptitium Decretū reclamamus, nec solùm suspicari audemus fuisse aliquorum priuatum inuentum, sed vehementissimis indicijs probamus, & penè euincimus *Art.* 4. *& hoc Tract. n.* 6 his, qui nō satisfecerint, verbis Apostolicum zelū prætexere poterunt, reipsa *zelum amarū* exercent, *& contentiones, Iac.* 3.

Libellus num. 37. colum. 12.

Recentiora ergo ex vtraque parte sequenda sunt; nam si vetusta reuoluantur, plura multò pro Fratrum Prædicatorum, hoc est, Sancti Thomæ sententia, quàm pro opposita extabunt, quæ modò reticentur, cum de principali quæstione non agatur: nec nos ad apocryphas Apostolorum definitiones, ad confictas reuelationes, ad somniata miracula, ad Bullas adulteratas recurrimus.

DISCVSSIO.

Controuersiæ de titulo, & de Præseruatione connexæ sunt.

172 QVA mercede in recentioribus, aut vetustis eruendis defatigantur? cuius finis gratia testimonia congerunt? an vt de principali quæstione, quam se omittere dicunt, ex professo disputent? an vt titulum *Immaculatæ Conceptionis* de medio tollant? Si prius illud in mente habent, vt planè habere ex libellorum allegationibus constat, quomodò apertius Decretis Apostolicis silentium affirmatiuæ parti imponentibus contradicere possunt? Si hoc posteriùs tantum, cur Patres antiquos, cur Scripturas nobis obijciunt? Fateantur ergo vtriusque quæstionis indiuiduam affinitatem, & vnam ex alia tam indissolubili nexu pendere, vt vel de vtraque silẽdum sit, vel de vtraque disceptandum. Hæc sola ratio aduersarios à contentione suscepta retrahere posset, cùm negare nequeant controuersias ab Ecclesia ob fidelium scandala resecatas, tituli impugnatione euidentissimè suscitari. Absit à veris Ecclesiæ filijs adeò noxia confidentia, vt remedium præsentius, aut medicinam efficaciorem, quàm ipsa adhibuerit, aliundè petendam existiment: aut, quod longè deterrimum esset, vt quæ Ecclesia oleo fouit, & alligauit vulnera, iterùm disrumpant, & acrioribus medicaminibus exponant; palliatas quippè curationes Ecclesia nescit, & vt sapienter Sophocles dixit, *non medici prudentis est, vbi sectione opus est, mederi carmine.*

Frustra obtẽdunt aduersarij antiquitatẽ.

173 QVÆ verò appellant aduersarij recentiora, & vetusta? aut quas res intelligunt, cùm dicunt, *quæ modo reticentur*? Vtinam non solùm, quæ reticent, sed hanc etiam suam reticentiam modestè reticuissent, aut omnia simpliciter proferrent. Nam tacere ex animo volentibus nullis verbis est opus; qui de silentio loquuntur, silentium soluunt. Miri sunt isti rhetorum nostrorum flosculi, vt nec pugnam dimittant, nec suarum virium imbecillitatem fateantur. Sed *ad populum phaleras; ego te intus, & in cute noui.* Sententia, quam defendunt, nec est Ordinis Prædicatorum, nec Sancti Thomæ, sed paucorum, qui olim ab Angelico Doctore prudentissimè scripta contra Ecclesiæ sensum detorquent. *suprà num.* 22. *& in Regesto colum.* 507. 509. 537. Si vetusta reuoluantur antè exortam controuersiam, inuenientur Patres, aut non repugnantes, *Artic.* 2. *num.* 198. aut apertè fauẽtes, *ibid. num.* 199. aut Scholæ Principes dubitantes, *ibid. num.* 201. Et plura multo pro sua sententia firma, & constantia testimonia veterum, siue Patrũ, siue Scholasticorum nunquam aduersarij proferent, sed paucissima, nisi omnia interpretandi, imò deprauandi ius sibi sumant, vt tam ipsos, quàm ipsorũ magistros fecisse *suprà num.* 403. 408. *Art.* 5. *n.* 15. *& in Regesto à col.* 240. designatis locis, & auctoribus docuimus.

Qualiter & de quibus cẽseant?

174 EXTREMA huius clausulæ verba, quæ definitiones, reuelationes, miracula, & Bullas insectantur, quod ad nos attinet, vt reliqua conuitia contemnimus; iniuriam verò, quæ pietati, & veritati infertur, *Art.* 5. *num.* 24. legitimis iudicibus expendendam reliquimus.

Li-

Libellus num. 38. colum. 21.

Basileensem conuentum in hac parte meritò respuimus: nec decet Romanam Sedem accipere formulam ab acephalis, qui illud ipsum decretum in odium defensorum Romanæ Ecclesiæ tulerunt, vt protestatur Cardinalis Turrecremata in summa de veritate Conceptionis ad calcem.

DISCVSSIO.

De Concilio Basileensi.

175 SYNODVS Basileensis, cùm decretum edidit de Conceptione gloriosissimæ Virginis Mariæ, illegitima quidem erat, & acephala; non tamen *in hoc meritò respuenda*. Primò, quia non debet respui auctoritas grauissima tot virorum dignitate, & eruditione insignium opinionem piam approbantium: præsertim cum antè discessum Legatorum Sedis Apostolicæ de hac re tractari cæptum sit, quod nemo negat, & ex ipso Turrecrematæ libro perspicuum est. Habemus ergo ex decreto Basileensi consensum magnæ partis Episcoporum, Ecclesiarum, & populi Christiani, magni procuidubio ducendum. Ita *omnes Doctores col. 22. Regesti in obseruat.* allegati. Secundò, quia Decretum illud cõditum non fuit in odium defensorum Romanæ Ecclesiæ, quidquid aduersarij sine probatione dicant; potius enim declarãt Basileenses se inhærere consuetudini Ecclesiæ Romanæ, in quo eam merentur fidem, quam quælibet authentica historia: vide *Suar. to. 2. in 3. p. disput. 3. sect. 5.* & quæ suprà diximus *num. 119.* Tertiò, quia quidquid in illo decreto continetur, Ecclesia Romana reipsa approbauit, excepto nomine *definitionis*, de quo *Art. 2. num. 205. colum. 190.* Quartò, quia Synodus illa propter schisma, non propter hæresim Catholicis omnibus displicet, *& in his, quæ ad Pontificem non spectant, magnam habet auctoritatem*, vt ait *Suarez loco citato*, & constat ex ipsis Concilij Actis. Quintò, quia soli aduersarij *Immaculatæ Conceptionis* in illud Concilium acerrimè, & vltra modum inuehuntur; reliqui enim scriptores, quamuis vt schismaticum reijciant, sine aliquo honore nominare non sustinent. In quo Caietanum liberè exultantem grauissimis verbis compescuit Catharinus *lib. 1. de Immac. Concept pag. 7. Basileensi* (inquit) *Concilium, quod idem quoque determinarit, synagogam Satanæ vocat, cùm tamen Concilium illud multæ Catholicæ Ecclesiæ, ipsa etiam Romana tacente, & consentiente, hac saltem parte suscipiant, & venerentur. Et hic vnus homo tãtum verbum contrà pronunciare tam audacter non dubitat. Quod nunquam Romani Pontifices ausi sunt, ad quos tamen eam vocem emittere, si conuenisset, potiùs pertinebat. Quin ipsemet Eugenius IV. aduersus quem nonnulla in eo Concilio tractata, & acta sunt, illud Concilium se venerabiliter suscipere, & eius acta professus est. Similiter, & Nicolaus V. proprijs Decretis, & confirmatione, eius Concilij acta comprobauit, quanquam non omnia, id est, ea, quæ contra Romanum Pontificem gesta sunt, quibus ipsi sunt aduersati. Et nunc huius quæstionis gratia tantùm, quam tamen ij solum faciunt quæstionem, (nisi enim illi se opponerent, iam decisa esset, nec esset quæstio,) audimus priuata sententia talem synodum Synagogam Satanæ pronunciari. Quantò modestiùs si dixisset non se astringi huius Concilij auctoritate, quàm appellando synagogam Satanæ eos, quorum neminem tandem condemnauit Ecclesia, sed pro Catholicis semper habuit.* Hæc sanè magni

ni ponderis sunt, vt facilè intelligi possit non tam acephalorum decretum, quàm piæ opinionis approbationem, vbicunque legatur, respui ab aduersarijs.

Liber Turrecrematæ de Concept. quando, & à quibus editus?

176 VT autem videant à nobis in testimoniorum allegatione nudam veritatem spectari, non abnueremus fidem Basileæ gestorum ex libro Turrecrematæ integerrimi viri petere, si incorruptus, & vt ab auctore scriptus est, ad nos peruenisset. Sed cùm post centum, & ampliùs annos à F. Bartholomæo Spina interpolatus, & opera F. Alberti Duimij de Catharo editus fuerit Romæ apud Antonium Bladum, an. 1547. quos constat in aduersando piæ opinioni manifestè modum excessisse, nihilquè aliud illa editione procurasse, quàm vt mysterium Præseruationis, cui ex Concilij Tridentini declaratione Sessionis V. anno præcedenti celebratæ, scilicet 1546. noua lux affulgebat, qua possent obscurarent, nullam liber Turrecrematæ, qui modo circumfertur, auctoritatem obtinet, nec Conceptionis veritas, quam titulus splendidè pollicetur, ex illo scripto hauriri potest. Huius libri editio mouit Illust. Ambrosium Catharinum tunc Episcopum Minoriensem, qui prædictæ Sessioni interfuerat, vt ad eandem Synodum Tridentinam *disputationem pro veritate Immaculatæ Conceptionis* dirigeret: in cuius operis præfatione ita scribit. *Hæc igitur in Synodo cùm tractarentur, ecce nouus liber, imò vetus à situ, & carie iam semiesus eripitur, qui non multò post typis excusus in lucem prodijt. Libri eius argumentum erat contra Immaculatam B. Virginis Conceptionem, cuius auctor inscribitur Cardinalis de Turrecremata, cùm nõdum tamen esset Cardinalis, sed adhuc frater sub Ordine Prædicatorum constitutus. Editionis autem eius libri promotor F. Bartholomæus Spina eiusdem Ordinis, & Sacri Palatij Magister, & * nescio quis eius discipulus. Ille enim Spina eodem discipulo teste, qui epistolam præfatoriam ad eum librũ adscripsit, zelo fidei totus incensus magno labore librum ab erroribus expurgari, & publicari curauit, quem extrema ægritudine præuentus vix perficere valuit. quod totus liber ita vitio scriptoris erat corruptus, vt alicubi minùs intelligibilis videretur. Horum igitur, hoc est, Spinæ, & discipuli summa diligentia, & solerti opera tandem est candori pristino restitutus: quin etiam tot insuper (eodem discipulo teste) adiecta, & mutata, vt iam queat homo mediocri prudentia præditus olfacere eum librum non tam esse Turrecrematæ, quàm Spinæ. Licet enim vir ille doctus, & pius, & de Christiana Republica optimè meritus, sibi eo tempore licitum esse putauerit, vt talia scriberet, quando nondùm in perspicuo positus erat Ecclesiæ sensus, nemini tamen dubium esse debet, quin si præsenti nostra ætate viueret, & videret cui parti in Ecclesia faueat Spiritus veritatis, id iam minimè auderet, nec ea in publicum venire pateretur, quæ ipse, re minus trita, anteriori tempore elucubrasset: id quod in secunda parte operis polliceor me non omninò proteruis facilè ex illius sententijs persuasurum.* Quod pollicitus est, sedulò præstitit in secunda disputationis parte, quam de tota re plenè instrui cupientes magno cum fructu legent; nunc quid de illius editionis promotoribus post pauca in eadem præfatione subijciat audiamus.

** Hoc figuratè, & per contemptũ dictum est: nam F. Alberti nomẽ, de quo supra, in editione legitur, quã vidit Catharinus.*

Quid legatur in prædicti libri calce?

177 *NON enim* (prosequitur Catharinus,) *paris sunt, & eiusdem fidei, & auctoritatis, quæ ille Turrecremata dixerit, & quæ Spina de suo temerè adiecerit, aut subtraxerit, aut immutauerit. Cuius rei clarum omnibus debet esse istud indiciũ, quod hic Spina in calce illius libri,* (hinc perspicitur, quam fidẽ mereatur, quod aduersarij ex eiusdem libri calce desumunt,) *quinquaginta, & octo errores, & eos quidem non quoslibet, sed errores in fide subnotauit ab hac conclusione exorientes, videlicet B. Virginem absque originali peccato conceptam. Quo in loco pium, & prudentem lectorem dari mihi vehementer exopto, qui ab hoc solo pronunciato agnoscat, quàm facilè hic vir verè Spina potuerit quidquid libuerit pronunciare, cùm quinquagies, & octies hæreticos nos, qui eam sententiam sequimur, deprehenderit. Hæc, Sanctissimi Patres, scribuntur, hæc publicantur,*

cantur, & mordicùs à quibusdam defenduntur, & tamen non secus, ac si nullius momenti essent, tolerantur. Non huc afferã probra illa, & contumelias, quas ille dignus tali magistro discipulus aduersus Patres Sacrosanctæ Synodi in ea epistola arrogantissimè (ne quid duriùs dicam,) congessit. Arguit enim eos immoderatioris audaciæ, ac petulantis inscitiæ, vt qui cùm se noscerent apud doctos Theologos minoris esse existimationis, istis nouitatibus captarint auram popularium, atque ideò non veriti sint facere verbum de hac re. Quis autem sibi vnquam persuadere potuisset fore, vt generale Concilium in tantum, ac tam seuerũ censorem esset aliquando incursurum? Hucusque Catharinus: ex quibus, & ipso Turrecrematæ nomine edito libro vbi omnia prædicta reperiuntur, cognoscimus, quos testes aduersarij in hoc iudicium adducant, & quibus se patrocinijs tueantur, nihilquè contra Acta Concilij Basileensis ex Turrecremata hoc quidem opere depromi posse; quem modestissimè de pia opinione loquutũ suadet approbatio Reuelationum B. Brigittæ in eodẽ Concilio ab ipso scripta, quibus gloriosissimæ Virginis à peccato originali Præseruatio tanta claritate confirmatur. Vide *Regest. col.* 39.

Libellus num. 39. colum. 21.

*Cum Patribus Græcis sentimus omnino Immaculatam Conceptionem Virginis, sed iuxta relatum Menologium editum à Genebrardo, quod si videatur, æquiuocationem ostendit. Conceptio Virginis ponitur 2. die Martij, nono verò Decembris ponitur Conceptio B. Annæ. Conceptionem ergo actiuam, qua Christum Virgo concepit, quis neget Immaculatam? Sed vbi agitur de Conceptione passiua, qua in vtero Sanctæ Annæ Virgo fuit cõcepta, Menologij auctoritas, vel * inutilis est, vel deprauata.*

**Fortè, mutila.*

DISCVSSIO.

De Menologio Græcorum.

178 FRVSTRA persistunt aduersarij in obscuranda, vel oneranda causa quæstionibus minimè necessarijs: quid enim refert ad legitimum vsum tituli *Immaculatæ Cõceptionis* Menologij Græcorum auctoritas, vel deprauatio? Nos habemus, & festum *Conceptionis* passiuæ B. Virginis, & festi sensum ab Ecclesia Romana receptũ, & fidelibus traditum; si Græci in festo, & sensu cum suo capite conueniunt, seipsos magis, quàm nostram causam commendabunt; sin verò dissentiant, corrigendi sunt, non explicandi: de recentioribus loquimur; veteres enim Patres Græci, esto festum Conceptionis B. Virginis, sicut Natiuitatis non agnouerint, mysterium Præseruationis non minùs expressè, quàm Latini docent, de quo infra. Quòd si piæ opinionis, & tituli *Immaculatæ Conceptionis* propugnatores aliquid ex Græcorum menologio in subsidium aduocarunt, id studium, nec vituperamus, nec laudamus. Quomodocunque sit, libellorum auctores extra rem manifestè digredientes consectabimur, & eis de Græcorum festo breui sermone satisfaciemus.

Festi Cõceptionis origo apud Græcos.

179 IN PRIMIS non credimus eos negaturos à Græcis celebratum esse festum Conceptionis passiuæ B. Virginis antè quingentos, & ampliùs annos. In hoc enim omnes conueniunt cum *Baronio in Not. ad Martyrolog. Rom. die* 8. *Decembr.* quamuis apud Græcos po-

hhh stridie,

stridie, id est, nona die eiusdem mensis celebretur. Extat à nemine in dubium reuocata *Constitutio Emmanuelis Imperatoris inserta à Theodoro Balsamone Commentario in Nomocanonem Photij*, *Tract.* 7. *cap.* 1. vbi inter dies solemniter colendos ita legitur: *Nono Decembris, vtpotè quòd in eo peragatur Conceptio castissima Matris Dei Nostri.* Imperare autem cœpit Emmanuel anno 1143. De hac ergo festi *Conceptionis* in Ecclesijs Græcis antiquitate nulla est controuersia; quin potiùs probabilissimè dici potest, & ferè certò affirmari, circiter annum nongentesimum iam festum Conceptionis apud Græcos celebre fuisse, cùm idem Baronius testetur, in Manuscripto Bibliothecæ Sfortianæ, num. 65. inueniri *sermonem Leonis Imperatoris de Conceptione B. Mariæ*, qui omnino est Leo VI. sapiens cognominatus, cuius alia eiusdem generis scripta recenset *Baron. to.* 10. *Annal. an.* 911. in quem incidit Leonis mors, imperij autem initium in annum 886. potest autem festi Cõceptionis origo, vel ad ipsum Leonem referri, vel ad eius patrem Basiliũ Macedonem, quem Menologium auxisse, *Baronius* obseruat *ad dictum an.* 886. *num.* 14. Itaquè cum Græcorum Menologium, sicut & Romanum Martyrologium sæpiùs auctum fuisse constet, superuacua cura distineremur, si ad S. Ioannis Damasceni sæculum, qui anno 740. claruit, & præcipuus Menologij auctor laudatur, festum *Conceptionis* extendere vellemus, nec enim ex festi antiquitate, sed ex eius legitima celebratione, & vero sensu à Romana Ecclesia sub anathemate declarato argumẽtum sumimus. Si cui hæc examinare expediat, aut placeat, legat *Salazar. cap.* 35. §. 3. *num.* 21. *pag.* 305. & eius obiectionibus respondentem *Illust Serranum lib.* 2. *cap.* 10. *pag.* 155.

Quotimodis hoc festum à Græcis nominetur?

180 DE verbis, seu formula, qua in Menologio hoc festum adscribitur, variant exemplaria, & auctores. Versio Genebrardi, quem citant aduersarij, in edit. Lugdun. ex officina Iuntarum, an. 1592. sic habet die 9. Decembr. rubris litteris *Conceptio B. Annæ, Dei & Domini aula*: concedere vero tenentur hoc modo loquendi denotari Conceptionẽ actiuam, qua Beatissimam Virginem in vtero concepit; quamuis prædicta Genebrardi editio nõ habeat die 25 Martij, *Conceptio Virginis*, vt ipsi affirmant, sed, *Annuntiatio Virginis Deiparæ Dominæ nostræ*. In editione Menologij opera Henrici Canisij festum *Conceptionis* sic annotatur: *Commemoratio Conceptionis Sanctæ Annæ Matris Deiparæ Mariæ.* Alij, vt *Biuar. ad Chronic. Dextri. an.* 308. *Comment.* 1. *num.* 9. legunt cum epitheto, *Conceptio mirrina B. Annæ*. Ab Emmanuele Imp. iam diximus appellari *Conceptionem Matris Dei*. Vndè probabilis redditur lectio, quam ex codicibus Græcis profert *Galatinus lib.* 7. *de Arcan cap.* 5. recitat *Vazq. to* 2. *in* 3 *p. disp.* 117. *cap.* 5. *in fine*, & defendit contra Salazarum *Serranus loco cit.* secundum quam in ipso Menologio appellatur B. Virgo πρὸς συλλήψεως ἁγνή: quod verti potest, *à Conceptione, Sancta.* Propterea credimus aduersarios dixisse auctoritatem Menologij inutilem esse, vel deprauatam; sed vt deprauatam concedamus, (nec enim Menologij auctoritate indigemus,) inutilem tamen nemo iure dixerit, cùm editiones omnes in celebratione festi *Conceptionis* passiuæ B. Virginis conueniant, quamuis discrepent in adiunctis: nostra autem probatio semper procedit à *Conceptionis* cultu, quo sanctitas B. Virginis in primo instanti animationis honoratur.

Quo sensu sit celebratũ?

181 HVNC fuisse sensum festi Conceptionis B. Virginis, vel B. Annæ apud Græcos, non indiget probatione: nec enim vllum vestigium dissensus eorum à Latinis in hac re à quoquam est animaduersum. Solum ergo illi negabunt Græcos celebrare Præseruationẽ, qui Ecclesiam Romanam suam mentẽ tam apertè explicantem intelligere nolunt. Argumentum à festo Conceptionis B. Ioannis Baptistæ, quod in Menologio adscribitur die 23. vel 24. Sept. soluit *Salazar d.* §. 3. *in fine*. Sed longè diuersam fuisse rationẽ vtriusque festiuitatis,

nitatis, vt solidissimè pedem figamus, inde patet, quod Ecclesia Romana, quæ non cōsueuit celebrare nisi rem sanctã, vt docet *D. Thom. 1. p. q. 27. art. 1.* cōceptionem S. Ioannis Baptistæ, vt in peccato factam à cultu exclusit; *Conceptionem* autem Dei Genitricis in suam Kalendarium admisit, eo ipso testata fuit, & rectè celebrari à Græcis, vtpotè Sanctam, & Immaculatam.

Patres Græci Præseruatione docent.

182 DETEGAMVS modò aduersariorũ artificium, qui dicunt se *cum Patribus Græcis sentire omninò Conceptionem Virginis Immaculatam*: vt persuadeant testimonia Patrum Græcorum, quæ in fauorē *Immaculatæ Conceptionis B. Virginis* adduci possunt, de Conceptione actiua explicandas. Non tamen meminerunt etiam apud Patres Latinos *Conceptionis* nomen sæpissimè ad concipientem referri, non ad prolem, vt vel modica lectione imbuti sciunt: exēpla peti possunt ex *Salaz. d. cap. 35. §. 2. nu. 16. pag. 303. & B. uario vbi suprà.* Num ergo ideo sentiret cũ Patribus Latinis *Immaculatã Virginis Conceptionem*, qui tātũ in Cōceptione Verbi ab omni macula gloriosam Virginem eximeret? Audiant ergo nonnullas Græcorum Patrum auctoritates, vt appareat, an de actiua Conceptione intelligi possint.

S. Dionysius.

183 ET ne integras Græciæ bibliothecas excutiamus quã curam, & laudabiliter susceperunt multi, & nũquam deerunt, qui in honorē Matris Dei quotidiè studiosiùs exerceant: ex singulis sæculis ab initio Ecclesiæ ad festi institutionē, singulos Patres ætatis suæ vocē ferentes adducemus; idē enim cæteri sentiunt, donec solemnitas *Conceptionis* omnes auctoritates superans communi consensu recepta est. Ex primo itaquè sæculo damus *S. Dionysium Areopagitam epist. ad Apost. Paulũ*, sic de B. Virgine scribentē. *Perspexi, atque proprijs oculis intuitus sum Deiformē, atque super omnes cælicos spiritus Sanctissimã Matrē Christi Iesu Domini Nostri.* Quod *Deiformē* appellat Dei Genitricē, omniũ diuinorũ attributorũ, quatenùs creaturæ cōmunicari possunt, expressionem continet, adeoquè puritatis in tota latitudine, vt *D. Thomas* docuit *in 1. dist. 44. art. 3. ad 3.* Sanctitas verò super Angelos excellens cōprehendit creationem in gratia: quæ liquis profundius expēdat, & Dionysiũ simul affirmantem, verum Deum illã se crediturum fuisse, nisi diuinis documentis admoneretur; piaculum profectò est dubitare aliquam à se excogitabilem munditiam tam stupendo diuinæ gratiæ prodigio denegasse.

184 EX secũdo sæculo testimoniũ dicat *S. Iustinus Martyr*, vel quisquis fuerit, coæuus scriptor, *q. 136.* ad Orthodoxos. *Perspicuũ est Christi Matrem debuisse hac maternitate beatã prædicari: nam Dei sermonē audire, & exequi, virtutis est, animæ què puræ, quæ tota ad Deum spectet.* Quomodò anima per excellentiã pura, totaquè ad Deũ spectans, cuius in hanc vitam ingressus impurus, & à Deo alienus fuisset? Et ne putaremus de Incarnationis tēpore, id est, de actiua Conceptione hæc intelligenda, subdit, *Christus volebat ob hanc virtutē prædicari matrem suam, per quam virtutē illa id assequuta fuisset, vt Virgo Mater fieret.* Virtutem Matre Dei dignam summam intelligere necesse est, ne si gratia Præseruationis desit, Dei Filium Matrem eligere meliorem potuisse affirmemus, eiusquè vel potentiam, vel amorem angustissimis terminis circumscribamus: quam rationem efficacissimam, & concludentem grauissimi Theologi iam dudum censuerunt. *S. Iustinus.*

185 TERTII sæculi testis sit *S. Gregorius Thaumaturgus serm. 1. de Annuntiat.* pulchra similitudine B. Virgini à prima origine coæuam sanctitatem declarans. *Aue gratia plena, vitis semper vigens, quæ animas glorificantium te lætificas.* Verè semper vigentem vitem, & *fructificantem suauitatem odoris*, Eccli. 24. Virginem nominare nō possumus, si vt primùm ex generis humani plantario excisa est, statim emarcuit, & omni gratiæ virore destituta, vt sarmētũ inutile, & aridũ mæstitiã prius, quàm lætitiã mũdo intulit. Et ser. 3. de eodē mysterio. *Missus est seruus incorporeus ad Vir-* *S. Gregorius Neocæsariensis.*

Virginem inuiolatam, missus est à peccato liber ad corruptionis, seu labis expertem. Hoc sanè testimonium, vel auditum tantùm, nec expensum, interexpressissima Virgineæ puritatis à corruptione, & labe, mente, & corpore vndequaque liberæ numerari debet.

S. Athanasius. 186 QVARTO sæculo præstò nobis adest Ecclesiæ columna *Athanasius*, Angelicam illam Salutationem, *Gratia plena, splendidissimum, ac capacissimum hymnum* vocans, quo scilicet omnia, quæ ab omnibus creaturis excogitari possunt in Virginem elogia, multaquè alia soli Deo nota continentur. Tam ad miraculum ergo splendida, & capacia verba *serm. de Deipara, to. 3.* attentè perpendens, talia dicere compulsus est. *Spiritus Sanctus in Virginem descendit cum omnibus suis essentialibus virtutibus, imbuens eam gratia, vt in omnibus gratiosa esset: atque idcircò gratia plena cognominata est, eo quòd adimpletione Spiritus Sancti omnibus gratijs abundaret & virtute Altissimi obumbraretur quam virtutem per omnia tempora conceptus eam habuisse confido, & post conceptum eam retinuisse.* Magnifica prorsus hæc sunt, & maiestate plena, quæ valdè cuiuscunque modi sanctificandi exceptione deprimeretur: adeò enim Virginis sanctitatē sine modo, & mensura (aliarum creaturarum comparatione) intelligi voluit Athanasius, vt quia de conceptu, vel conceptione actiua loquutus erat, quasi aduersariorum obiectioni occurrens, continuò adiecerit. *Neque enim id temporarium in Virgine accidisse opinor, sed per omnia tempora hoc illi datum fuisse: quemadmodum, & nunc in præsentia, & in æternum vsque habet hæc Virgo sibi obūbrantem virtutem Altissimi.* Nihil dici potuit, vel ad rem nostram aptius, vel ad persuasionem efficacius.

Proclus Ciziceenus. 187 INTER quinti sæculi clarissimos scriptores eligimus *Proclum Episcopum Ciziceenum*, non modo ob testimonij perspicuitatem, sed quia illud dixit in Concilio Ephesino, vt in *homilia* tunc ad Patres habita legitur. *Ex vtero Virgineo prodijsse summum illud Numen, nihil quidquam polluit, quam enim citra vllam sui labem formauerat, ex hac quoque nulla macula contracta processit.* Obseruandum est, verba illa, *citra vllam sui labem* planè ad Deum referri, vt ex ipsa phrasi & verbis antecedentibus cōstat, quæ breuitatis causa omittimus. Egregia puritatis Virginis in eius formatione, vel conceptione amplificatio, quæ tanta fuit, vt Deus humaniùs velut artifex consideratus, nullam in tam mūdo vase formando sordium adhæsionem vereri, aut indè aspersam labeculam trahere potuerit. Magnum ergo momētum iudicio Patrum ad defendendam maternitatem diuinam (qui erat illius Concilij scopus) affert Virginis Præseruatio, qua Deo prępararetur assumēda caro mūda, Immaculata, purissima, & sanctissimæ à primo instanti animæ sociata, talis, inquam, materia, *quasi Deus* (vt Tertullianus aduersus Hermogem scribit,) *potuit eguisse, sui potius, quàm alieni egens.* Hoc est Procli argumētum à congruitate, quod nobiliores Theologi optimum iudicarunt: & hinc intelligent aduersarij ex dignitate Matris Dei prudentissimè suadere vtranque Virginis *Conceptionem*, passiuam, scilicet, & actiuam fuisse omnibus modis *Immaculatam*.

188 E sexto sæculo habemus *Anastasium Synaitam* Patriarcham Antiochenum *lib. 6. anagogic. contemplat.* originalem innocentiam clariùs, quàm nos modò possemus, Virgini tribuentem. *Anastasius Synaita.* *Quis mihi, dic quæso, aut ex hominibus, aut ex dæmonibus audebit dicere, quòd ea, quæ est eiusdem simul cum Deo essentiæ, (quod ad carnem attinet.) non sit ad imaginem, & similitudinem eius, qui est ex ipsa natus? Quomodò est enim Mater eiusmodi Filij, non ferens in se integram, & illæsam fœtus sui imaginem?* Integra, & illæsa imago Filij Dei originalem fœditatem non admittit.

189 NEC minùs apertè *Hesichius Hierosolymitanus* septimo sæculo eandē veritatē testatus est, Orat. 2 de S. Maria Deip. *Ecce Virgo quædam mulierum egregia, gloria luti nostri, quæ Adamum pudore,* *Hesichius Hierosolymitanus.*

pudore, & Euam comminatione liberauit, quæ audaciam serpentis abjciat, quam cōcupiscentiæ fumus non attigit, neque vermis voluptatis eam læsit. Si expressiora requirimus, nunquàm ad scientiam veritatis perueniemus. *Pudor Adami, audacia serpentis, concupiscentiæ fumus*, quid aliud sunt, quàm originale peccatum, vel illud consequentes fœditates? Has B. Virginem abscidisse quomodò verè dici posset, si ipsa cùm primùm creata est, primi parentis pudibunda labe obruta, à serpente infecta, & concupiscentiæ fumo saltem in actu primo obscurata à Græcis Patribus crederetur?

S. Ioannes Damascenus. 190 OCTAVO sæculo floruit *S. Ioannes Damascenus* Præseruationis B. Virginis locupletissimus assertor: cuius illud est inter cætera, Orat. 1. de Natiuit. Mariæ. *Natura gratiæ cedit, ac tremula stat progredi non sustinens. Quoniam itaque futurum erat, vt Dei Genitrix, ac Virgo ex Anna oriretur, natura gratiæ fœtum anteuertere minimè ausa est, sed tantisper expectauit, dum gratia fœtum suum produxisset.* Et ne de sola sanctificatione in vtero loqui existimaretur, adiecit. *O beatos Ioachim lumbos, è quibus immaculatum semen effluxit! O præclaram Annæ vuluam, in qua tantis incrementis formatus fuit sanctissimus fœtus!* &c. Quis hæc legens, de mente Patrum Græcorum circa *Immaculatam* Virginis *Conceptionem* dubitare audeat?

Theophanes Abbas. 191 CONSONAT his faustissimis vocibus noni sæculo splendor *Theophanes Abbas in suo hymno de Annuntiat.* vbi illa cecinit præclara. *Inuenisti gratiam apud Deum, quam inuenit nulla alia quæpiam, ò IMMACVLATISSIMA. Tibi gratia est data, ò Dei Genitrix diuina, tibi omnis creatura clamat: O Dei Nympha, tu enim sola Mater Filij prælecta es Immaculata.* A fonte vtiquè repetit B. Virgini collatam gratiam, ab ipsa nimirum in Matrem Dei prælectione, vt in tantam dignitatem assumenda, ab ipsa prima formatione *Immaculatissima* prodiret.

Leo VI. Imp. 192 DEVENIMVS tandem ad decimum sæculum, quod viuendo attigit *Leo Imp.* eius nominis Sextus inter Orientales, non sine causa post Patres allegandus, quia primus ex Græcis, quorum superlit memoria, integram orationem *Conceptionis* B. Virginis mysterio dicauit. Vtinam illam videre licuisset: non dubitamus apertissimè Præseruationem ibi contineri, euidenti indicio ex alia eiusdem Imperatoris *Orat. de Incarnat.* ita Virginem alloquentis. *Cum adhuc in lumbis paternis contineretis, progenitor tuus clamabat: Audi filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui. Audisti verè, ò Filia, commonitionem, & oblita es populi tui, & sortis, domusquè paternæ Sortis videlicet illius, quam Eua progenitrix tua toti generi distribuit, infinito illo affectuum, passionum, & animi perturbationū cumulo quasi hæreditario reiectio; at nihil horum tu in animum tuam intulisti.* Miserę huius hæreditatis expers B. Virgo non fuisset, si in peccato originali conciperetur: affectus enim illos perturbationes, & passiones in actu primo, vt diximus, dum peccato, & peccati fomiti subiacebat ex paterna domo, & origine traxisset. Hactenus Patrum Græcorum successionem continuasse sufficiat, vsque ad illud nimirum tempus, vel circiter, quo eos in festi *Conceptionis* cultu habemus cum Ecclesia Latina consentientes.

193 VIDEMVR aduersarios audire mussitantes, multa à nobis encomiastica, & concionatoria loco iuridicarum probationum adducta. Sed animaduertant, apud illos quasi maiorum gentium Theologos, qui de B. Virginis puritate ita dissetebant, vt nec timerēt, nec timerentur, laudationes potius, & elogia suppetere, quàm contentiosa pronuntiata; nec enim rem dubiam cōfirmabant, sed certam extollere conabantur dicendo: in epidictico itaquè genere, non iudiciali versabantur. Quare in hac, & huiusmodi nouis controuersijs non tam singulæ auctoritates, quàm omnes vna cum temporum concatenatione expendi debent: quæ effi- *Testimonia Patrū quomodò expendēda.*

caciores apparebunt cõsiderantibus nihil ex altera parte, nisi generalem doctrinam de transfusione peccati originalis afferri, obstaculum Concilij Tridentini declaratione sublatum. Simul obseruent scopum à nobis præfixum non fuisse testimonia Patrum Græcorum pro pia opinione congerere; sed illis ostendere nostras probationes Menologio deprauato, aut actiuæ *Conceptionis* æquiuocatione non niti: cùm tot sententiæ à Græcis Patribus scriptæ adeo passiuam *Conceptionem Immaculatam* persuadeant, vt sine magno molimine, & sæpè violentis expositionibus declinari non possint.

Libellus num. 40. colum. 21.

Imperiti concionatores discant hæc populis licenter obtrudere; sed frequenter in sancto officio temeritatis pœnas luent. De doctis viris iudicium ferant alij: non ideò eorum conciones approbantur, quia non expressè damnantur.

DISCVSSIO.

Iniuria in Côcionatores.

194 ETIAMNE supplicibus ad tribunal stantibus, & per libellos supplices causam dicentibus, cēsoriam virgulam arripere licet? Probè verò; opportunum, & euidentissimum hoc indicium est, quo *Art*. 5. stabilita, iustior comprobatur recusatio. Sed qui isti censores, aut vnde profecti? cur nec imperitorum licēter dicta, nec suas ipsi censuras huic scripto inseruerunt, vt de rectitudine iudicij Eminentissimi Cardinales certiores redderentur? Excutiantur tabularia, informationes super hoc articulo confectæ exhibeantur, aut eas præsentādi coram iudicibus nō suspectis locus pateat, adsitquè libertas: constabit, apud nostros censores, quotquot *Immaculatam Conceptionem* defendunt, imperitos esse. Vide *d. Artic. num.* 13. *colum.* 240. Sed in his, quæ subijciunt, quàm verè hoc in eos dicatur, abundè ostendunt.

Libellus num. 41. colum. 21.

Vniuersitatum, Doctorum, aliorumquè opinantium obijcitur multitudo; sed vota ponderanda sunt, non numeranda, nec populorū consensus diffinitiones Fidei facit, vel cogere potest, vt fiant.

DISCVSSIO.

Vniuersitatū auctoritas.

195 ILLVSTRISS. Catharin. *lib.* 2 *de Immac. Concept. pag.* 49. *Quod etiam addit idem Caietanus, quòd iste concursus, & consensus Vniuersitatum, & populorum nihil habet probabilitatis nisi apud indoctos; quid mereatur pro responso alij viderint. Hæc enim verba latè significant, quòd Vniuersitates, & quicūque in hanc sententiā conueniunt, indocti sunt; & illi soli sapiunt, qui contra tenent. Sed hoc effutire est, non probare.* Aliquid ergo si non verisimile, saltem tolerabile aduersarij dicant, si secum, vt cum disputantibus, vel litigantibus agi volunt: nam vt ait ille, *Negligere est satius, perdere quod nequas.*

196 POPVLORVM consensus sua capita, & pastores sequentium quāti facien- *Populi cōsensus.*

faciendus sit, diximus *Art. 2. colu. 174. num. 189. & seqq.* Vide præcipuè *num.* 195. & 204.

Suffragiorũ numeratio 197 ILLA propositio: *vota ponderanda sunt, non numeranda* vt hic ab aduersarijs applicatur, dignissima est, quæ à doctis, & Catholicis seriò examinetur. Quid verius, aut sanctius proferri potest, quàm. *Verbum Domini manet in æternum?* Et tamen Nouatores, dum se solos Verbi Domini custodes, & interpretes iactant, iudicium Ecclesiæ contemnunt. Vota, seu suffragia legitima in omnibus congregationibus numerantur, & secundùm maiorē partem suffragiorum negotium deciditur: quod etiam in Concilijs Generalibus seruatur; nec, remota fraude & dolo, Decretum hucusque in Ecclesia factum est à Summo Pontifice, vel eius legatis Concilio præsidentibus cum minoris partis consensu. Lege *Bellarmin. to. 1. Controu. lib. 1 de Concilijs cap. 18.* Cum ergo pia opinio toties à Sede Apostolica post maturam discussionem, & votis legitimis auditis, sit fauoribus promota, & quidem non solum maximis, sed omnibus, qui absque oppositę damnatione desiderari possunt, *Art. 2 num. 4. 19. 39. & 43* diligenter exquiratur, an Ecclesiæ praxi resistant, qui absque vlla restrictione in causa *Immaculatæ Conceptionis* votorũ ponderationē prætexũt, & absolutè numerationē reijciũt.

Libellus eod. num. 41. colum. 21.

Baron. ad ann. 359. n. 42. & 49. *Ariana hæresis ferè in omnes inualuit, & teste S. Hieronymo, ingemiscens totus Orbis Arianum se esse miratus est. Sub Pontifice B. Stephano, tota ferè Ecclesia, duobus tantùm, vel tribus Episcopis resistentibus, in anabaptismum abijt; quia tamen non adfuit Summi Pontificis consensus, in quo infallibilitatis priuilegium residet, Ecclesia non errauit.*

DISCVSSIO.

Exẽpla extrarẽ. 198 CONVITIA in auctoribus remanent, sicut honor in honorante. Sed quorsum hæc exempla? An opinio pia indiget aduersariorum patrocinio? nec enim nos ipsi efficaciorem consequentiam inferre possemus. Summi Pontificis consensus, in quo infallibilitatis priuilegiũ residet, præferēdus est multitudini contraria sentientium; ergo approbatio Religionum, & institutio officiorum diuinorũ sub expresso titulo *Immaculatæ Conceptionis*, in quibus Pontifex non potest errare, *Art. 2. num. 137. & 145.* præferri debet paucorum dissensui, quibus ad euitanda scandala silentium impositum est. Hoc nimirum nostris aduersarijs apprimè conuenit, quod Dauid in spiritu canebat: *Sagittæ paruulorum factæ sunt plagæ eorum.* Psal. 63.

199 AD exempla ipsa veniamus, quandò aduersarijs tam manifestè extra causam diuagari placet. Vt probent Arianam hæresim ferè in omnes inualuisse, imperitissimè adducunt locum S. Hieronymi: illi enim, qui mirati sunt se esse Arianos, eo ipso Ariani nunquam fuerant, quod vel ex *Baronio, eodem anno, n. 34.* discere poterant, vel ex *Bellarmino to. 1. lib. 3. de Eccles. cap. 16.* loquebatur Hieronymus de Patribus Concilij Ariminensis, qui nimis incautè cum Arianis agentes consenserunt ablationi vocis ὁμοούσιον, quasi omnes in asserenda æqualitate Filij cum Patre conuenirent, & leui vnius voculæ iactura controuersiæ componerentur. Columbæ ergo simplicitate præditi, serpentis prudētia destituti in laqueum venātiũ inciderũt: cũque Ariani vbique *Locus S. Hieronymi de Arianis.*

iacta-

iactarent Fidē Nicænam Arimini damnatam ſerò fraude ſe circumuentos queſti ſunt, *& ingemiſcens Orbis terrarũ*, ideſt, magna Orbis pars, non *totus Orbis*, vt in libello legitur, (quanquam variantibus manuſcriptis hanc additionē aduerſarijs non imputamus.) *Arianum ſe eſſe miratus eſt*, abuſiuè, ſcilicet, vel impropriè: comperit dolens ſe Arianis partibus per imprudētiam fauiſſe. Quo ergo plus extollit Hieronymus per hyperbolen ingemiſcentium, & mirantiū numerum, eo expreſsiùs declarat ingentem fuiſſe multitudinem Catholicorum, quæ fortè Arianos ſuperabat, tametſi hæretici Imperatorum potentia præualerent. Hæc pro veritate dicta ſint, ad cauſam inutiliter; ſiue enim multi, ſiue pauci Pontifici Romano adhærentes falſam doctrinam nunquàm amplectentur: nec nos ex populorum plauſu dumtaxat argumentū ſumimus, ſed ex plauſu approbato, & laudato à Sede Apoſtolica. Vide loca proximè indicata *num*. 191.

De Anabaptiſtis

200 QVOD dicunt *ſub Pontifice Stephano totam ferè Eccleſiam, duobus tãtùm, vel tribus Epiſcopis reſiſtentibus, in anabaptiſmum abijſſe*, expreſsè contradicit *S. Auguſtino lib. 3. contrà Creſcon. cap.* 3. de eadem re, & tempore, ſic loquenti. *Proinde, ſi omninò iam credendum ſit quinquaginta Epiſcopis Orientalium id eſſe viſum, quod ſeptuaginta Afris, vel aliquãtò etiam pluribus contrà TOT MILLIA EPISCOPORVM, quibus hic error in toto Orbe diſplicuit, &c.* Et Vincentio *Lirinenſi in Commonit. adu. propban. hær. nouit.* vbi relata anabaptiſmi origine ab Agrippino Epiſcopo Carthagin. S. Cypriani prædeceſſore, ſubdit. *Quæ præſumptio tantùm mali inuexit, vt non ſolùm hæreticis omnibus formam ſacrilegij, ſed etiam quibuſdam Catholicis occaſionem præbuerit erroris. Cum ergo vndique ad nouitatem rei cuncti reclamarent, atque OMNES QVAQVAVERSVM SACERDOTES pro ſuo quiſque ſtudio reniterentur, tunc beatæ memoriæ Papa STEPHANVS Apoſtolicæ Sedis Antiſtes cum cæteris quidem collegis ſuis, ſed tamen præ cæteris reſtitit.* Pluribus teſtimonijs opus non eſt, tùm ob talium teſtium dignitatem, tùm quia quicunque allegari poſſunt ex Auguſtini fonte veritatem illius narrationis hauſerunt. Et facilè ab his, quæ huiuſmodi ſunt, annotandis oculos auerteremus, niſi obſtaret iuridica defenſio: cumulantur enim iuſtiſsimi tituli recuſationis adiungendi allegatis *Artic.* 5 *num.* 15 *colum.* 241.

Argumẽtũ validum pro opinione p.a.

201 PRÆBENT etiam nobis aduerſarij validiſsimum argumentum in hac ipſa anabaptiſmi hiſtoria, & Stephani Papæ facto Epiſcopis Africanæ prouinciæ vigore Apoſtolico reſiſtentis, ad eos directo diuino illo reſcripto, & totius Eccleſiaſticæ doctrinæ compendio: NIHIL INNOVETVR; NISI QVOD TRADITVM EST, ſcilicet, ſeruetur *ex S. Cypriano, Epiſt. ad Pompei.* Cernis, quanta ſolicitudine ſubueniat Sedes Apoſtolica gregis fidelium neceſsitati, cùm à Pontificibus prouinciarum, vel Concilijs nationalibus aliquid contra Eccleſiaſticas traditiones, vel Romanæ Eccleſiæ Fidem, aut conſuetudinem decernitur. Quæ cura Pontificibus Romanis incũbit vrgentior? ſi ſal euanuerit, in quo ſalietur? quis emendabit minorum Pōtificum errorem, niſi Pontifex Maximus, qui errare non poteſt, Chriſto D. pro eius Fide, ne vnquam deficiat, orãte, & pro ſua reuerentia exaudito? Cōferantur modò inter ſe cauſæ, & perſonæ. Patres Africani iubebãt baptizatos ab hæreticis rebaptizari cōtra Eccleſiæ traditionem, moti apparentibus locis ſcripturarum, quæ *vnam Fidem* eſſe docent, *vnum baptiſma*. Nunc tota ferè Eccleſia piè, & indubitanter credit, & colit Præſeruationem B. Virginis à peccato originali: hanc pietatem cōſonam eſſe cultui Eccleſiaſtico docuit Concilium Baſileenſe communiter in hoc receptum: eam ſanctionem ſub grauiſsimis pœnis obſeruari præcepit Concilium Prouinciale Auinnionenſe, *in Regeſto colum.* 45. approbauit Synodus Cæſaraugſtana *colum.* 283. Synodus verò Compoſtellana etiam Præſeruationis

tionis defensionem iurauit, *colum.* 721. Concilium Oxoniense omnibus his antiquius *Conceptionis* festum publica auctoritate recepit, *col.* 721. Tridentinum Oecumenicum sua declaratione piam sentētiam, & Præseruationis cultum altius infixit. Ecclesia, Vrbes, Prouinciæ, Religiones, se obsequium Deo, & eius Matri præstare arbitrantur, si *Immaculatam Conceptionem* prædicent, venerentur, firmissimè credant, votis & iuramentis profiteantur. Denique aduersarijs nos omnes perniciosissimo errore teneri, S. Scripturæ, & veteribus Conciliis opponi: demus à Romanis Pontificibus nihil horum, quæ geruntur, probari: An post quingentos annos expectabant duos libellos supplices fraudibus plenos, vt laboranti Ecclesiæ succurrerent? An tot prouinciæ, & tot Episcoporum millia falsam doctrinam quasi ab Ecclesia traditam tenere, docere, & publicè colere paterentur? Certè cùm ratione insanimus, qui tam illustrem veritatem defendimus, & aliter contra eius impugnatores, quàm legibus, & strictissimo iure agere cunctamur.

Libellus eod. num. 41. colum. 23.

Nihilominus mirum est, quò in huius quæstionis ardorem ducti fuerunt Patres Salazar, & Valentia aliàs expendendi, vna cum ijs, quæ de maiore, vel minore opinionum probabilitate tanguntur; præsentis enim inspectionis non sunt.

DISCVSSIO.

De Patribus Salazaro, & Valentia.

202 QVID scripserunt Patres Salazar, & Valentia, nisi quod & totus Orbis clamat, & Sedi Apostolicæ non semel propositum est, piam opinionem esse in statu proximo definitionis? *Artic.* 2. *num.* 191. 192. & 217. Quidquid assertores Virgineæ puritatis dixerint, aduersarij cùm libuerit, expendant, habent domi statēram, eam sumant in manus; sed caueant, ne pondera sanctuarij corrigere tentent. Illud quoque valdè animaduertant, ne habeant in sacculo duo pondera, maius, quo suos auctores, minus, quo alios omnes expendant: nam *pondus, & pondus, mensura, & mensura, vtrunque abominabile est apud Deum.* Prouerb. 20.

Aduersarij incōstantes.

203 SED cur nunc tam religiosè ab expendendo abstinent, & *quæ non sunt præsentis inspectionis* dimittunt? Scilicet præsentis inspectionis erat causa Arianorum, & Anabaptistarum, Menologium, Stellarium, Innocentiorum Pontificum catalogus. Et cùm dicant *num.* 37. recentiora ex vtraque parte sequenda esse, omnes antiquos Patres, ipsam Sacram Scripturam commouent, de traditionibus, reuelationibus, miraculis censuram, & sanè seuerissimam exercent. Ipsi legum suarum & conditores sunt, & violatores, ea modo figunt, modò refigunt: hoc minùs mirandum in his, qui simul & actores, & testes, & iudices esse volunt. De maiori, vel minori opinionum probabilitate securi sint; vnam quippè ex duabus opinionibus, de quibus loquuntur; nunquā Sedes Apostolica expressè, & absolutè probabilem nominauit. *suprà num.* 49. & 55.

Libellus num. 42. colum. 23.

Agitur pracisè de titulo Immaculatæ, non Conceptioni, sed Virgini annectendo, ex Decreto Sac. Congregationis ad mentem Gregorij XV. & Vrbani VIII. quod tamen hoc argumento adhuc impugnatur. Si licet scribere, & typis mandare propositionem hanc, B. Virgo fuit immunis à culpa originali; *quare non liceat scribere hæc verba,* Conceptio Immaculata? *vel sensus est idem, vel non? assignetur ergo in quo differunt: sin minùs, decretum reuocetur.*

DISCVSSIO.

Ratio nostræ defensionis.

204 NON eandem rem nos, & aduersarij agimus. Nos agimus præcisè de tribuendo titulo *Immaculatæ* tam *Conceptioni*, quàm Virgini, quia vtrunque approbatur, & conceditur in Bullis Pontificijs: nec petimus, vt decretum reuocetur, sed vt declaretur subreptitium fuisse. Paritate inter propositionem, & titulum nullatenus nostram causam tuemur: potuit ab aduersarijs & obiectio, & solutio inueniri; potuit ab *Immaculatæ Conceptionis* defensoribus opportunè pro re nata hæc ratio inter alias allegari: vtrũ fuerit, qui nec iudicio illi adfuimus, nec acta eius habemus, statuere non possumus. Nostra ergo defensio est, legitimè, iustissimè, omnibus, quæ de iure, vel facto desiderari possunt, firmitatibus, explicari, defendi, scribi, coli piam opinionem, siue per propositionem, siue per titulum, quia vsus tam propositionis, quàm tituli, expressè, & in terminis est à Sede Apostolica concessus. Vide *Argumentum Oper. paulò ante Art. 1. colum. 27. & suprà dicta, hoc Tract. num. 62. cum seqq.* Itaquè non colligimus, nec probamus tituli vsum per aliquem discursum, vel consequentiam, quamuis aliàs esset optima; sed asserimus titulum ipsum esse in hac materia primum principium à Summis Pontificibus toti Ecclesiæ, citra definitionẽ de Fide, traditum. Quæcunque ergo aduersarij de propositionis, & tituli discrimine ex vulgaribus Logicorum officinis proferunt, vt tenuissimis filis non phrygionum opus, sed telas araneæ cõtexant, extra causam sunt, & sine vllo responso præteriri poterant. Præstemus tamen bona fide, quam polliciti sumus integrorum libellorum per singulas clausulas discussionem.

Libellus num. 43. colum. 23.

Sed respondemus, hæc duo differre in modo significandi. Propositio enim, quæ affirmat, vel negat, indicat sensum, vel opinionem priuatam proferentis; terminus verò complexus, præsertim verò epithetum, seu attributum, importat Principis, vel Vniuersitatis approbatiuum consensum: vt cùm dicimus, Magnus Dux, aliud concipitur, quàm si dicatur, hic dux est magnus: vel Sua-

rez

rez est magnus Doctor, aliud sonat vox, magnus, quàm vbi dicitur, Albertus Magnus: enuntiatio indicat sensum enuntiantis; simplex prolatio illius termini, Magnus, indicat communem, & approbatum consensum: habet ratione modi significandi energiam quandam, & est antonomaticè dictum. Ita si liberè scribatur, Conceptio Immaculata, facilè censeri potest, ex communi, imò ex Ecclesiastico consensu statui veritatem illius partis controuersiæ, quod antè definitionem omninò fugiendum est; hoc autem in propositione non contingit, vt dictum est, quia refertur ad priuatam scribentis sententiam: ideò rationabiliter vnum admittitur, & aliud prohibetur.

DISCVSSIO.

De discrimine propositionis & tituli.

205 MIRABILES argutiæ, & vel ad Cleanthis lucernam elucubratæ! Quis autem crederet tam subtiles dissertatores nihil probaturos? Si eam omnia eis concedere velimus, tutissimè possumus, dempta illa censoria admonitione: *quod antè definitionem omninò fugiendum est*, quam si ipsi non fulciunt, nec expectabunt, vt nos ruentem sustineamus. Si è conuerso eligamus omnia negare: nihil solidi videmus, quod obstet, præter vniuersalissimum pronunciatum, *hæc duo differre in modo significandi*, quod etiam de duobus propositionibus eiusdem idiomatis, vel duobus titulis eandem rem exprimentibus dici posset. Vtroque ergo modo cauillationes amouebimus, altero, quid nobis concesserit Sedes Apostolica; altero, quàm nulla sit aduersariorum impugnatio, declarantes.

Prior solutio.

206 IVXTA priorem viam, libentissimè fatemur, & grato animo agnoscimus, piæ opinioni, & eius assertoribus à Sede Apostolica concessam esse expressionem mysterij Præseruationis cum omni illa approbatione, & solemnitate, quam aduersarij ex titulo oriri volunt. *Terminus complexus,* (inquiunt) *præsertim verò epithetum, seu attributum importat Principis, vel Vniuersitatis approbatiuum consensum.* Optimè: admittamus hoc principium. Ex eo sic argumentamur. Qui habent approbatiuum consensum Principis, vel Vniuersitatis circa aliquam doctrinam, seu assertionem, ius legitimum obtinent ad eam explicandam, non solum enunciando, sed etiam per modum epitheti, attributi, aut tituli: At assertores piæ opinionis habent approbatiuum consensum Principis, & Vniuersitatis circa Præseruationem B. Virginis à peccato originali: Ergo & ius legitimum ad explicandã Præseruationem, tam per modum enũciationis, quàm per modum epitheti, & tituli. Maior est aduersariorum, qui hæc duo omninò iudicant æquiualentia: aliquid exprimi per modum tituli, & importare cõsensum approbatiuum Principis, vel Vniuersitatis. Consequentia optima est, nec ex vllo capite redargui potest. Itaquè discursus concludens erit, si minorem probemus: quam sic ostendimus, prius de Principe, deinde de Vniuersitate. Institutio officij diuini, erectio Religionum, & concessio indulgentiarum sunt consensus approbatiui supremi Principis Ecclesiæ, scilicet Pontificis Maximi, circa id, quod est de substantia officij diuini, Religionum, & indulgentiarum: sed de substantia officiorum diuinorum, Religionum, & indulgentiarum, quæ à Pontifice Maximo prodierunt, est expressio formalissima piæ opinionis, *Artic. 2. num. 8. 9. 11.*

11. & 12. *item num.* 105. & 146. *cum seqq. denique num.* 175. Ergo per huiusmodi institutiones, erectiones, & concessiones habet pia opinio consensum approbatiuum Principis. Quod attinet ad Vniuersitatem, si hoc nomine intelligant aduersarij Congregationem, cui Princeps præsidet, habemus approbatiuum consensum Concilij Tridentini, *eodem Artic.* 2 *num.* 24. Congregationis DD. Cardinalium, *ibid. num.* 39. & 45. Si intelligant Vniuersitatem populi fidelium, is apertè nobiscum facit, *ibid. à num.* 189. si quamlibet Vniuersitatem, idest, Communitatem, Ecclesiã, Religionem, Vrbem, Academiam: ferè omnes Orbis Christiani proferre possumus. Vide *Regest. à colu.* 322. *ad* 561. & *rursus à colum.* 561. &c. Nota, hunc nostrum discursum ad concessa ab aduersarijs præcisè respicere: quarè in eo nondùm expendimus concessionem tituli *Immaculatæ Conceptionis* à Sede Apostolica; sed demonstramus sequi ex aduersariorum doctrina, tituli vsum legitimum esse ex consensu approbatiuo piæ opinionis à Principe, vel Vniuersitate emanato, quamuis titulus in terminis nunquàm concessus fuisset.

Quàm efficaciter asseratur ab Ecclesia Præseruatio.

207 COLLIGVNT præterea ex vsu tituli *energiam quandam, & antonomaticè dictum.* O ingens absurdum, propter quod vitandum, meritò vsus tituli *Immaculatæ Conceptionis* prohibeatur! Solo nè titulo exprimitur mysterium Præseruationis cum energia, & per antonomasiam? Si Ecclesia approbat piam opinionem, vt ostendimus: agnoscit vtique in B. Virgine priuilegium singulare, & puritatem, qua nec puræ creaturæ contingere, nec sub Deo potest intelligi maior. Quomodò ergo tanta dignitas, & excellentia sine magna energia explicabitur? Vel hæc ipsa S. Anselmi sententia, *Decuit Virginem ea puritate nitere, qua maior sub Deo nequit intelligi*, nonnè habet summam efficaciam? nihil enim aliud est energia. Quid illis cogitari potest magis energeticum? *Omnes moriemini, quia in Adam peccauistis, quid habes Esther eleuata in populus? Ego sum frater tuus, noli timere, non morieris: non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est.* Profectò & regale solium, & placidum Regis vultum, & virgam auream, & Reginam solutam legibus, vnicumque afflictæ gentis suæ præsidium, ipsis oculis subijcere videntur. Nec tamen hæc adeò magnifica cum elogio Romani officij de energia certent: *Conceptio gloriosæ Virginis Mariæ ex semine Abrahæ, ortæ de tribu Iuda, clara ex stirpe Dauid.* A semine gloria, à stirpe claritas, à regali tribu nobilitas, tristis parens Adamus longè ablegatus, quem etiam frigidissimum affectum non accendant? è cuius mente seruitutis peccati memoriam non elimineut? Quæ verò energia grauissimæ Sixti IV. Cõstitutioni defuit? *Cùm præexcelsa meritorum insignia, quibus Regina cælorum Virgo Dei Genitrix gloriosa, sedibus prælata æthereis, syderibus quasi stella matutina prærutilans, deuotæ considerationis indagine perscrutamur: dignum, quin potiùs debitum reputamus, vniuersos Christi fideles, vt de ipsius Immaculatæ Virginis mira Conceptione Omnipotenti Deo gratias, & laudes referant, indulgentijs, & peccatorum remissionibus inuitare.* Nihil à multis sæculis audiuit Orbis his verbis efficacius: quæ ciuitates templis, templa populis, animas lætitia, concionatorum ora laudibus, cælum nouis gaudijs repleuerunt. Iam de Præseruatione B. Virginis antonomaticè, quàm multa dicuntur! *Lilium inter spinas, Vnica columba, Vna perfecta*, & sexcenta huiusmodi; quæ omnia aboleri deberent, si propter energiam, & antonomasiam titulus *Immaculatæ Conceptionis* abolitione dignus censeretur.

Titulus nõ exprimit definitionẽ.

208 QVOD addunt: *si liberè scribatur Conceptio Immaculata, facilè conferri potest, ex communi, imò ex Ecclesiastico consensu statui veritatem illius partis controuersiæ*: aliquid continet æquiuocationis propter verbum *statui*: nam vel significat *definiri, aut pro definita haberi*, vel tantùm *reputari certam, & prudenter indubitatam.* Prior sensus minimè timendus est, quidquid aduersarij calumnientur:

tur: omnes enim fideles sciunt neutram huius controuersiæ partem esse definitam de Fide: posterior est verissimus, & facilius, fortiusquè colligitur ex festi celebratione, quàm ex libera scriptione tituli. Vide *suprà hoc Tract. num.* 16.

Instātia apertissima.

209 VNDE autem probant, vel confirmant id, quod statim subijciunt? *quod antè definitionem omninò fugiendum est.* Nouam Logicam condiderunt, vt discrimen propositionis, & tituli amplificarent iuxta cuius leges inferri possit conclusio in præmissis nec contenta, nec insinuata. Dixerant, *titulum Immaculatæ Conceptionis importare Principis, vel Vniuersitatis approbatiuum consensum, energiam, antonomasiam, veritatem illius partis controuersiæ:* ex his directè inferendum erat, fugiendum esse vsum tituli antè approbatiuum consensum Principis, vel Vniuersitatis cum energia, antonomasia, & declaratione illius partis controuersiæ, vt veræ. Si autem titulus definitionem Fidei non exprimit, cur est antè definitionem fugiendus? Sed maius malum hic latet, quàm vitiosa consequentia: infertur grauis iniuria consuetudini Ecclesiasticæ, quam *num.* 2 a aduersarij, vt liberiùs impugnent, absolute negarunt: Sixto IV. qui titulum *Immaculatæ Conceptionis* in diuinis officijs recitari concessit, & huius piæ, & laudabilis institutionis censores damnauit: Alexandro VI. Leoni X. Concilio Tridentino, Pio V. Paulo V. Gregorio XV. qui omnes Sixti Extrauagantem confirmarunt. Recolantur, quæ suprà disseruimus *num.* 63 *&* 66. Innocentio VIII. & Iulio II. qui sub expresso titulo *Immaculatæ Conceptionis* Religionem erexerunt, *in Regesto num.* 113. *&* 129. *Artic.* 2. *à num.* 147. reliquis denique Summis Pontificibus, qui colentibus *Immaculatam Conceptionem* amplissimas gratias, & fauores largiti sunt, *in Regesto, colum.* 599 *& deinceps.* Nunquàm mirari desinemus, imò semper vehementiùs mirabimur, extitisse inter Catholicos, qui scribere auderent, *omninò fugiendum esse antè definitionem* id ipsum, quod tot Summi Pontifices amplectendum, colendum, protestandum, antè definitionem docuerunt.

Posterior solutio.

210 HACTENVS ostendimus, ex aduersariorum argutijs nihil contra legitimum tituli vsum inferri posse, etiamsi omnia, quæ circa discrimē propositionis, & tituli inutiliter excogitarunt, verissima essent: Modò ex altera via *num.* 199 proposita examinandum est, an solidè vim propositionis, & tituli expenderint, vt *rationabiliter illa admitti, hic verò prohiberi possit.*

Tituli nō semper indicāt cōmunē approbationem.

211 DICVNT, *propositionem indicare sensum, vel opinionem priuatam proferentis; epithetum verò, seu attributum, Principis, vel Vniuersitatis consensum.* Hoc discrimen prorsus commentitium est, & nec apparenti saltem ratione, aut loquendi consuetudine suaderi potest. Quid enim compertius, quàm Principis, vel Vniuersitatis consensum exprimi per propositionem; per attributum verò vel titulum etiam antonomaticè vsurpatum, opiniones priuatas? Plena sunt Concilia Decretis, Iura legibus Ecclesiasticis, Imperatorijs & Regijs: hæ omnes Principis, & Vniuersitatis approbatiuum consensum exprimunt enuntiando, non attribuendo, aut epitheta solitaria vsurpando. Contra, tituli, & antonomatica attributa frequentissimè iuxta priuatorum opiniones pro cuiusque studio, vel affectu conferri solent. Certè S. Cyprianus Tertulliani libros lecturus, nihil aliud, teste *S. Hieronymo in Catalogo,* notario dicere solebat, quàm, Da Magistrum; nec ideo *Magistri* epithetum conueniebat Tertulliano ex Principis, vel Vniuersitatis consensu, sed ex S. Cypriani priuata æstimatione, qui multa se ex Tertulliani lectione discere, illa antonomasia ingenuè fateri volebat; cuius etiam non paucas sententias in suos libros ad verbum transtulit. Atheniensis Aristides cognomen Iusti iudicio multorum obtinebat, pluribus reclamantibus, qui etiā suffragijs ostracismi euicerunt, vt in exilium ejceretur. Non scribimus declamationes, nec epithetorum originē,

aut licentiam examinamus; quæ nemo nescit tam facilè imponi, quàm rumores feruntur; & temerè in semetipsos legem iniquam aduersarij sancirent, si quidquid antonomaticè dicitur, tanquā ex publica approbatione vsurparetur. Quid attinet senescentis mundi, quasi pueri balbutientis verba formare? Propositio in communi vsu in hoc ab attributo differt, quod per propositionē nihil aliud indicatur, quam rem ita esse, vel non esse; attributum addit rei eminentiam, vel saltem appropriationem inter alias eiusdem generis & siue simplex enunciatio, siue antonomatica expressio per attributum, possunt aut proferentis opinionem, aut Vniuersitatis cōsensum indicare; nec ex vario modo significandi auctoritas publica stabilitur, sed ex lege, decreto, aut consuetudine legitima, quibuscunque verbis cōcipiatur. Quis nos prohibeat, si SCOTI doctrinam in subtilitatibus scholasticis sequi volumus, (nec enim in probabilibus semper ratio exigi debet, aut reddi potest, cùm auctore Philosopho opinio sit acceptio propositionis immediatæ non necessariæ;) eum appellare Principem Theologorum, & alterum Augustinum? Num ideo hæc epitheta exprimunt cōsensum vniuersalem? Sēpernè propositiones intra limites probabilitatis remanebunt; de titulis verò, vel epithetis dissentire nunquàm licebit? Planè ad ridicula dilabemur, si discrimen probabilitatis expers impugnare pergamus. Maneat pia opinio in eo gradu, quo à Sede Apostolica collocata est; ex epitheto nanque, vel titulo nihil ei certitudinis accrescit, nisi quia tam titulus, quam propositio eius protestatiua, in Bullis Pontificijs approbatiuè, & in officijs diuinis solemnissimè legitur.

Titulus an sit antonomaticus?

212 IAM quod de antonomasia ex Grammaticorum schedis aduersarij excutiunt, non videntur satis intellexisse. Quid enim titulo *Immaculatæ Conceptionis* cum antonomasia? Tunc antonomaticam fieri loquutionem magistri dicendi nos docent, cum solum epithetum loco nominis proprij ponitur, ita vt nomine tacito, cui attributum conuenit, nihilominus res, de qua loquimur, intelligatur. Sic dicimus, Apostolus, Protomartyr, Philosophus, Vrbs, non minus apertè res declarantes, quam si Paulum, Stephanum, Aristotelem, Romam nominaremus. Si ergo solitariè scribatur, vel pronuncietur hoc epithetum *Immaculata*, vel dubij hærebimus, vel potiùs B. Virginem significari censebimus, quàm Conceptionem: vndè titulus, quem per aduersarios retinere licet, plus est antonomaticus, vel propius accedit ad antonomasiam, quàm ille, quem impugnant. Huc spectant, quæ diximus *Artic.* 2. *à num.* 161. *colum.* 147. De energia nunquam probabunt maiorem inueniri in duobus tituli verbis, quàm in omnibus propositionibus Præseruationem exprimentibus quarum aliquæ *num.* 200. recitatæ sunt. De *consensu Ecclesiastico, & fugiēdo vsu tituli antè definitionem* sufficiunt dicta *num.* 202. *&* 203. nam & consensus Catholicæ Ecclesiæ àdeò euidens est, vt luce tituli non indigeat, & definitio etiam titulo admisso à nemine sine expresso Decreto præsumi potest; multò minùs stantibus tam manifestis declarationibus Sedis Apostolicæ de non definita controuersia.

213 OMNIA ergo, quæ in hac discussione aduersarijs respondimus, ad hoc dilemma reducuntur. Vel titulus *Immaculatæ Conceptionis* explicat opinionem piam meliùs, quam propositio, vel non. Si dicas cum aduersarijs auctoritate præstare titulum propositioni, retinendus est titulus, quia quantumuis propositionis vim adaugeat, non exprimit veritatem de Fide, & est expressè à Sede Apostolica concessus: si verò affirmes, id quod res habet, titulū & propositionem æquè esse expressiua vnius eiusdemquè veritatis, *nulla est rationabilis causa, cur vnum admittatur, & aliud prohibeatur.*

Summa vtriusq; solutionis.

Li-

Libellus num. 44. colum. 23.

Discrimen hac ratione suadetur. Nam termini sunt principia sermonum: in principijs autem omnes conueniunt. Quæ ergo proferuntur per modum termini, videntur omnem controuersiam excludere. Itaquè absolutè Conceptio Immaculata vniuersalem acceptionem significaret, vel supponeret Conceptionis in primo instanti Immaculatæ; ita autem omnes sentire nedùm falsum est, sed ex singulis Pontificum Decretis liberum aliter opinari.

DISCVSSIO.

Sophisma detegitur.

214 HOC reliqui erat, vt à logicis ad sophistica aduersariorum oratio deuolueretur. Termini sunt principia, siue elementa, ex quibus componitur sermo, non principia certa, & inconcussæ veritates, de quibus dubitare vel aliter sentire non licet; imò implicatio est terminos dici principia in hac posteriori acceptione, nam principium in quo omnes conueniunt, sermo quidam est, nimirum propositio euidens indemonstrabilis. Accipiamus hos terminos complexos. *distinctio virtualis, distinctio formalis, Sacramenta physicè effectiua, subsistentia absoluta, relatio extrinsecus adueniens*, & alios infinitos: quis negabit huiusmodi terminos esse principia sermonum, & in propositionibus, vt vera extrema collocari? Sed nunquid omnes in eo, quod per illos significatur, conueniunt? hæc futilia sunt. Illud grauissimum, quod asserat libellus, ea, *quæ proferuntur per modum termini, omnem controuersiam excludere*; cum in posteriori Extrauagante Sixti IV. *colum.* 110. *Regesti*, & legatur *Immaculata Conceptio* per modum termini, & simul declaretur controuersiam de *Immaculata Conceptione* nondùm esse ab Apostolica Sede decisam. Et quamuis (quod falsissimum est,) Pontifex titulum *Immaculatæ Conceptionis* in illa Cõstitutione non approbasset, euidentissimè ex eius tenore infertur prolationem opinionis piæ per modum termini non excludere omnem controuersiam, cum Pontifex prohibeat contrariam opinionem hæreticam dici, titulum verò saltem permittat. Nec potest aduersarijs limitatio suæ affirmationis per verbum, *videntur*; nam veritates adeò exploratæ sub nullo prætextu, vel schemate in dubium reuocari debent.

Libellus num. 45. colum. 23.

Imò dato, & non concesso, quòd non differant propositio, & titulus quoad sensum; adhuc tamen locus est illam permittendi, hunc verò prohibendi: quod euidenter probamus. Differunt idiomate tantùm, non sensu, hæ duæ propositiones: B. Virgo non contraxit maculam originalem: La B. Vergine non ha contratto la macchia originale; *ex Decreto tamen Pij V. prima propositio scribi potest, non autem secunda. Verba Pij sunt hæc.*

Nemo

Nemo de hac ipsa quæstione cuiusuis pietatis, aut necessitatis prætextu, vulgari sermone scribere, vel dictare præsumat. *Sola ergo idiomatis differentia sufficit, vt Pontifex ex duabus idem omninò sonantibus propositionibus, alteram permittat, alteram vetet ad vitandas rudium, & simplicium contentiones ita ad eundem finem permittuntur quidem impressiones propositionis negatiuæ, sed titulus Immaculatæ Conceptionis prohibetur; nam licet esset idem vtriusque sensus, alia tamen est ratio tituli, quem & rudes omnes intelligunt, præsertim in librorum titulis oculis omnium peruijs, qui facilè ex eorum approbatione, & impressione controuersiam decisam putabunt, & verè deciperentur.*

DISCVSSIO.

Idiomatis diuersitas. 215 DE propositionis, & tituli discrimine statuant aduersarij, vt ipsis videbitur: dent, concedant, negent, ædificent, & destruant; in omne momentum paratos defensores, & arma è vestigio ex Armamentario educenda inuenient. Probationem euidentem expendamus. Diuersitas idiomatis sufficit ad prohibitionem, ergo & indifferentia inter propositionem, & titulũ. Exactè, rotundè nil suprà. Hæc etiam collectio euidens erit iudicio aduersariorum: diuersitas idiomatis sufficit, vt textus S. Scripturæ vulgaribus linguis imprimi, aut legi prohibeatur, ergo & differentia inter propositionem, & titulum sufficiet, vt propositiones contentæ in S. Scriptura, lingua Latina, vel Græca recitentur, tituli verò eundem sensum exprimentes ijsdem linguis non permittantur. Formã probationis euidentis euidentissimè redargui hoc exẽplo, & instantia patet. Nunc materiam argumenti examinemus.

Quid prohibuerit Pius V. 216 QVASI compertum pronũciant aduersarij, illicitum esse lingua vulgari asserere Præseruationem B. Virginis ab originali peccato. Nec vident, quotam, & quàm nobilem Ecclesiæ partem transgressionis Decretorum Apostolicorum arguant; cùm notissimum sit, Episcopos, Capitula, Ciuitates publicè in templis sermone patrio, & vulgari, coram tota populi multitudine, vota emittere de *Immaculata Conceptione* tenenda, & defendenda: doctissimos Concionatores hanc ipsam votorum emissionem commendare, extollere, & suadere. Hæc illos parũ mouebunt, & aliter, quàm ipsi explicent, Constitutionem Pij V. intelligentes pro vulgo reputabunt. Inspiciant ergo litteratè, vel grammaticaliter verba, quæ citant, & ea ab antecedentibus non separent. Sic enim Pius V. loquitur. *Statuimus, & ordinamus, quatenùs nemo cuiuscunque ordinis, gradus, conditionis, vel dignitatis existat, in popularibus concionibus, vel vbicunque promiscua virorũ, & mulierum multitudo conuenire solet, de huius controuersiæ alterutra parte disputare, rationibus, vel doctorum auctoritate asserendo propriam sententiam, & contrariam refellendo, aut impugnando: vel de hac ipsa quæstione, cuiusuis pietatis, aut necessitatis prætextu, vulgari sermone scribere, vel dictare præsumat.* Potuitnè clariùs Sanctissimus Pontifex exprimere, se nihil aliud prohibere coram promiscua multitudine, vel quomodolibet lingua vulgari, quàm formales, & scholasticas disputationes de hac materia? ideò non dixit, nemini licère de alterutra opinione loqui; sed, *de hac ipsa quæstione scribere,*

re, vel dictare: id est, quæstionem in terminis discutere, *asserendo, refellendo, impugnando*, quasi libros controuersiarum scriberet, aut lectiones è cathedra dictaret. Hæc est plana, & textualis expositio communi doctissimorum Theologorum consensu, praxi & consuetudine firmata: ea verò, quæ ab aduersarijs traditur, improbabilis, & textui manifestè contraria. Vide inter alios scriptores, *Granad. de Immacul. V. Concept. disput. 3. cap. 33. fol.* 100. *Ægid. de Præsentat. lib. 3 quæst. 9 num. 5. pag.* 344. *& Bonacin. to. 3 disput. 2. quæst. 3. pun. 34. proposit. 4. pag.* 248. Vnde sæpissimè repetere cogimur, illos in hac causa idoneos iudices, vel testes non esse, cùm simplicem opinionis piæ recitationem ingentis criminis loco habeant, & Decretis Apostolicis violentè intellectis ad seminanda scandala abutantur, vt Regij Procuratores iustè, & nimis verè conqueruntur *Art. 5. num. 13. colum.* 240.

217 EIVSDEM notæ, & illud, quod libellus subjcit: rectè titulum prohiberi *quem & rudes intelligunt, & facilè ex librorum approbatione controuersiam decisam putabunt* Hæc seriò affirmari, & coram augustissimo purpuratorum Patrum Senatu allegari, quis non miretur? Vbi isti adeò rudes, qui omnia, quæ in librorum titulis impressis, & approbatis legunt, de Fide esse putent? Euidentiùs constare nequit hæc ab affectu proficisci, non à ratione Quam vero apertissimè sciant etiam rudissimi, controuersiam non esse decisam, diximus *suprà num.* 58. *Titulorũ qualis auctoritas?*

Libellus .num. 46. colum. 25.

Animaduertendum etiam obiter, quòd quæ imprimuntur, requirunt superiorum approbationem: itaquè res impressa non nihil ponderis, & auctoritatis ex imprimendi facultate sibi comparat, præsertim in Vrbe, vbi Magister Sacri Palatij est immediatus minister Summi Pontificis; extra Vrbem Inquisitores sunt Apostolicæ Sedis delegati. Quæ ergo imprimenda concedunt, non definiunt quidem de Fide, sed ita roborant, vt ex Apostolicæ Sedis auctoritate publici iuris facta censeantur: nec ignari tantùm, sed etiam viri docti in hac materia paulò feruentiores, quid argumenti non sumerent ex Romana impressione, si ex his, quæ concionatores in Sacello Pontificio loquuntur, sibi ipsis non leuiter blandiuntur?

DISCVSSIO.

Approbatio eorũ, quæ typis excudun tur.

218 OPPORTVNA digreſsio, in qua obiter proponatur negotium operoſius, quàm ſit totius rei ſumma vtroque libello comprehenſa. Cur autem tanta induſtria ex profeſſo laborarunt in quærendo diſcrimine tituli à propoſitione, ſi tandem obiter dicturi erant, expedire, ne aliquid Romæ publicetur ad *Immaculatam Conceptionem* ſpectans? Nec illis obijciemus ſcripta à factis diſcordare: egregiè enim vtraque conueniunt, vt ex proximè indicata Regiorum Procuratorum querela perſpici poteſt. Maximas autem eis gratias agimus, quòd nos in hac digreſſione docuerint, Magiſtrum Sacri Palatij non definire de Fide, quæ imprimenda concedit. Quod ſi immediatus miniſter Summi Pontificis, ad pedes Eminentiſsimorum Cardinalium ſedens, vetetur tantam illam ſuam auctoritatem interponere titulo *Immaculatæ Conceptionis* excudendo, quem & in Bullis Pontificijs, & in officio diuino ab Apoſtolica Sede approbatum non ignorat; ſaltem prædeceſſorum in eodem munere ſequi non dedignetur exẽplum, qui prædicti tituli imprimendi in ipſa Vrbe Roma ſæpè facultatem fecerunt. *Regeſt. colum.* 219. Quæ in Sacello Pontificio de B. Virginis Præſeruatione dicuntur, omnibus pijs impensè placent; ſicut ſiquid ex aduerſo proferatur, prudentibus diſplicere debet, vel exemplo ſcandaloſæ concionis habitæ coram Sulthani Armeniæ filio, anno 1322. de qua in *Regeſto, colum.* 721. Illa verò ſelectioris venuſtatis, *paulò feruentiores, & ſibi ipſis blandiuntur*, ſiue dicteria ſint, ſiue conuitia, viderint, qui tales floſculos amant; ad nos certè nihil pertinère ſcimus.

Contra ...

Libellus num. 47. colum. 25.

Si in hac materia decretum Sacræ Congregationis ad magni Principis inſtantiam reuocetur, vel infirmetur; obedientia, quam in reliquis conſimilibus decretis exigit eadem Sacra Congregatio, fortaſsè minuetur: hoc enim exemplo improbus quiſque de eorum firmitate, vel reuocabilitate poterit dubitare.

DISCVSSIO.

Modeſtiſſima de aſſerto Decreto dubitatio.

219 DECRETVM non promulgatum, & adeò vehementer de ſubreptione ſuſpectum, nec propriè loquẽdo indiget reuocatione, nec magnoperè deſiderat magni alicuius Principis inſtantiam; quæ tamen nunquàm piæ cauſæ deerit ob Virginis honorem, vt Eminentiſsimi Cardinales pro maturitate, & prudentia, qua omnia decernunt, vel decreti, (ſi opportunum iudicetur,) nullitatem declarent, vel denuò negotium diſcuti, narrataquè verificari concedant: & ſeuerè caueant, ne illegitima, & ſpuria decreta, aut ita propoſita, vt pro illegitimis prudentiſsimè haberi poſsint, tantæ Congregationis auctoritatem præferentia impunè in poſterum priuatorum artibus publicentur. Hæc poſtulatio nedùm obedientiam non minuit, quin potiùs Sacratiſſimo Tribunali debitum obſequium firmiſsimum facit; nec ab improbis pro-

proficisci potest, sed à subiectissimis filijs, qui sciunt Sedem Apostolicam, à mandatis etiam legitimis ob emergentia scandala exequendis, subditos paternis admonitionibus auocare. *Artic.* 4. *num.* 20.

Libellus num. 48. colum. 25.

Et si titulus vniuersaliter interdictus, postmodùm in iudicio contradictorio concederetur, iam tubis inflatis victoriam principalem canerent ij, qui vel inuito Summo Ecclesiæ Præside victores esse contendunt.

DISCVSSIO.

Contentiosa oratio.

220 IN extremo libello velut in vasis fundo grauiora conuitia hæsisse videntur. *Victoria principalis* nulla alia esse potest, quàm definitio de Fide: repetunt ergo aduersarij grauissimam calumniam contra defensores *Immaculatæ Cóceptionis*, iam suprà ab ipsis *num.* 2. tam intrepidè iactatam, quàm à nobis ipsius veritatis luce facillimè depulsam. Victorias in hoc certamine, Summo Ecclesiæ Præside fauente, permultas, & illustres pia opinio retulit; nullam tamen eius assertores arroganter canũt; sed gloriosissimæ Virginis patrocinio semper adscribentes, nunquàm memorant in laudem propriam, quamuis libentissimè assumant, vt non contemnendam defensionis partem. Modò victis, & fractis aduersarijs ignobiliter non insultant; possessionem suam legitimam à Sede Apostolica concessam tuentur: quo conatu nihil cogitari potest iustius, aut modestius. Nec pati debent Decreta Sedis Apostolicæ labefactari asserto decreto, quod quale quale sit, vniuersale certè nõ fuisse, eius tenor apertè clamat *Artic.* 4. *num.* 3. examinatus.

Libellus num. 49. colum. 25.

Demùm hoc humillimè subijcimus: in re tam graui sola dubitatio sufficere potest, vt nihil vlterius innouetur; maximè cùm nihil præter decisionem agendum supersit.

DISCVSSIO.

Quo sensu iustũ sit nihil innouare?

221 SI litigantes, qui sunt in legitima possessione, peterent nihil innouari, humiles fortasse videri possent; at pacificæ, & diuturnæ possessionis turbatoribus quid aliud conueniat, quàm calliditas demissis verbis contecta, nec dissimulata? Iudices pro stipitibus habent, qui hæc petere audent: quasi dicat alieni prædij, vel iurisdictionis inuasor, postquàm manifestam vim intulit; satis est contentionum, nihil innouetur, graue est negotium, & in quo dubietas sola ad supersedendum sufficiat. Ita ne? sine cultu iustitiæ pax? Dubitatio sola sufficere debuerat aduersarijs, vt à redintegranda cõtrouersia abstinerent, nec enim quantumcunque suæ opinioni addicti negare poterunt, argumenta, quæ ab assertoribus opinionis piæ ex tot Apostolicæ Sedis Constitutionibus, gratijs, & fauoribus, ipsoquè totius Reipublicæ Christianæ consensu

ſenſu eliciuntur, ſi minùs valerent ad perſuadendum, eſſe potentiſsima ad dubitandum. In dubio autem non ſolùm poſsidentis potior conditio, ſed Eccleſiæ iudicium ſequentium laudabilior, & ſecurior cauſa eſt. Cumque fateantur nihil agendum ſupereſſe præter deciſionem, & controuerſiam, quæ totum Orbem tot ſæculis in partes diſciſsit, diuina Romanorum Pontificum ſapientia eò deductam cernant, vt ſi ipſis expedire videatur, poſsit per definitiuam ſententiam terminari; prudentiſsimè feciſſent, ſi eam denuò ad carceres reuocate conati non eſſent, quaſi nihil hactenùs de re tanta à Summis Eccleſiæ Paſtoribus conſultum, aut prouiſum fuiſſet. Id quod olim grauiſsimè hanc ipſam cauſam agens Illuſtriſ. Ambroſ. Catharin. acri vir iudicio, & dignus, qui piæ opinionis ſuo ſæculo vindex audiat, aduerſarios admonuit: & cum ſuam eruditiſſimam diſputationem appoſitiſsima ad rem noſtram peroratione clauſerit, eius verbis Tractatum noſtrum abſoluemus, eadem dicentes, quia meliora non poſſumus.

Illuſtriſ. & Reuerendiſ. D. Ambroſij Catharini Epiſc. Minorienſis adhortatio ad Immaculatæ Conceptionis aduerſarios, in fine diſput. ad Concil. Trident. col. 112.

Apoſtrophe ad aduerſarios verbis Catharini.

QVAPROPTER reliquum tandem eſt, Patres obſeruādiſsimi, & fratres dilectiſsimi, atque intimi cordi meo, vt iuſtam querimoniam Chriſtiana, ac pia mente ſuſcipiatis, nec ſpernatis conſilium pacis, quod à vera charitate proficiſcitur. Et poſt multa, col. 114. *Nam vt finem noſtræ diſputationi tandem imponamus. Putatiſnè, Sacroſanctam Romanā Eccleſiam ea leuitate ferri, vt ſit aliquandò, vel opinionem veſtram amplexatura, vel ſaltem cultum illum reprobatura, quē ſemel Pontificio Decreto ſuſcepit, & ſolemni omnium Eccleſiarum ritu cum munificentiſſima indulgentiarum largitione iam dudum celebrare perſeuerat? An vllum, quæſo, poteſtis ſimilis mutationis exemplū proferre, quo in ſpem bonam erecti expectare poſitis ex veſtra oppoſita opinione victoriam? Si hoc vobis perſuaſiſtis; quis non videt, in quanto errore verſemini, quamquè parùm piè de prouidentia Dei erga Eccleſiam, & eius gubernationē ſentitis? Quod ſi victoriæ ſpem vobis ereptam clarè cernitis; cur non anteuertitis ſeueriorem aliquam Eccleſiæ ſententiam, quæ non patietur vlterius ſerpere in dimidiato vno ordine opinionem diuino cultui repugnantem? Quid enim vobis præter imminens periculum publicæ ignominiæ reſtat? Reddita ſunt iam vobis clara omnia. Probatum eſt, ſententiam noſtram non ſolum Chriſti dignitati non detrahere, ſed magnifi-*

nificentissimè illā extollere: Matrem Filio non æquari, sed locum ei ex Filij meritis conuenientissimum dari. Scripturæ nedùm non reclamant, sed mirificè fauent. Soluta sunt SS. Patrū argumenta. Omnes totius Orbis Ecclesiæ, omnes Religiosorū Ordines celebrant. Vniuersitates celeberrimæ comprobant. Ipsa tandem Sacrosancta Romana Ecclesia grauissimo Decreto per Concilium Tridentinum confirmato ita sanxit. Quem igitur finem vobis proponitis? Vosnè ea spe sustinetis, vt totus Christianismus cultum suum deserat, & vestræ opinioni adhærescat, sicquè petendam esse à vobis in posterum Ecclesiasticarum solemnitatum veritatem credat? Nō existimo certè ita vos desipere. Vestrum igitur est sapienter veram ordinis gloriam quærere: quam tum demùm sarctam tectam existimare debetis, cùm gloriæ Christi, & Matris potissimum studebitis, & ab institutis Romanæ Ecclesiæ non recedetis. Quod futurum propter Dei bonitatem, & merita illius mitissimæ Matris, & P. N. Dominici, & filiorum eius, quos per illum Dominus in gloriam adduxit, spero, & confido.

222 SIC eruditissimus Antistes, & solidissimè, & cordatissimè, *Immaculatæ Conceptionis*, verique sensus festi impugnatiores alloquebatur, cùm sub nomine *Conceptionis* celebrare præcepto Ecclesiastico speciali non tenebantur: sic & nos post tantam piæ opinioni additam lucem eosdem alloquimur, & synceris cordibus appellamus. Disputātium partes inuiti suscepimus; charitatis & concordiæ voces sponte ingeminamus, & audiemus libentiùs. Causam, & possessionem, quam defendimus, adeò iustam, certamquè existimamus, vt impugnari posse magis doleamus, quàm formidemus. Cæterum, & iudicium hoc nostrum, omniaquè, & singula in toto hoc opere dicta, & dicenda, pedibus S. Romanæ Ecclesiæ, quantum possumus humili, & libenti animo subijcimus. Modò ad Beatissimam Virginem, cui omnis nostra, qualiscunque opera deseruit, vota, & orationem conuertamus. *Conclusio Tractatus.*

AD IMMACVLATISSIMAM Virginem Mariam Matrem Dei sine peccato originali conceptam actio gratiarum, & veniæ postulatio.

Oratio ad Beat. Virginē. 223 SALVE Virgo Purissima, speciosis induta vestibus, speculum sine macula, imago bonitatis Dei, illuminata mirabiliter à montibus æternis: specie tua, & pulchritudine

tua intende, proſperè procede, & regna. SALVE Stella maris, mulierum fortiſsima, procul & de vltimis finibus Te adeuntibus collucens Pharus, columba oliuifera, & timidæ nauiculæ procellis iactatæ tutiſsimus portus. Quas Tibi grates paupercula Minorum familia tanto dignata honore aget, à qua dum MARIA Illuminatrix mea ſalutaris, nubeculam paruã quaſi veſtigium hominis oculis intuentium obijcis, vt tuo ipſo amabili nomine reſpondére poſsis, Illuminant me iſti? Quid luce noſtra, quid defenſione indiges, ſole ſplendidior, ære fuſili, & adamante fortior? An non potes imperare Filio, & exhibebit Tibi pluſquàm duodecim legiones Angelorum? Sed quandò humanis quoque armis defendi gaudes, & delitiæ tuæ bella pro tuo honore ſuſcipi à filijs hominum: Ignaſce, Regina, miſeris exercitibus, nec Ioſue ductore, nec fœderis arca viam inter Iordanis aquas aperiente dignis. Salua ſit tua gloria, & à propugnatorum imbecillitate appareat illuſtrior. Nobis, ſi noſtra Tibi defenſio non placuit, vltra merita, & ſolatium erit, & præmium, ſi hæc veriſsima, & rubore plena confeſsio non diſpliceat: O Clemens, O Pia, O Dulcis Virgo MARIA.

RE-

REGESTVM AVTHENTICVM, ET VNIVERSALE

Pro tuendo Titulo IMMACVLATAE Conceptionis Intemeratæ VIRGINIS MARIÆ.

IN QVO SVMMORVM PONTIFICVM Bullæ, Conciliorũ Canones, Ecclesiarũ, & Sacrarum Religionũ specialia Officia Diuina, & Ecclesiastica quibus sub Titulo IMMACVLATA eius admirabilis Conceptio celebratur: Imperatorum rescripta, Regum, & Principum Decreta & Epistolæ, Ciuitatum, atque Academiarum, pluriumquè aliarum Congregationum vota, ac iuramenta, quibus ea omnia, quæ in hoc Seraphico Armario citantur, integram habent fidem.

S. ANSELMVS ARCHIEPISCOPVS CANTVARIENSIS FLORVIT ANNO MLXV.

EPISTOLA S. ANSELMI De Conceptione B. MARIÆ.

Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus, & Pastor Anglorum, Coepiscopis suis, cunctisquè Orthodoxis salutem, & perpetuam in Christo benedictionem.

CONceptio venerandæ Deigenitricis perpetuæ Virginis MARIÆ, dilectissimi fratres. Quemadmodum per multa signorum experimenta in Anglia, & Francia, cæterisquè climatibus mundi celebranda sit declarata, me narrantem audiat dilectio vestra.

Tempore namque illo, quo diuinæ placuit pietati, Anglorum gentem de malis suis corrigere, suæquè seruitutis officijs arctiùs adstringere; Gloriosissimus Normandorum dux Guillelmus eamdem patriam debellando subegit. Qui videlicet Guillelmus tunc temporis Rex Anglorũ factus, Dei virtute, & industria sua, totius Ecclesiasticæ dignitatis honores in melius reformauit. Cuius piæ intentionis operibus inuidẽs bonorum omnium inimicus Diabolus, tum familiarium fraudibus, tum extraneorum incursibus multoties conatus eius obsistere successibus. Sed Domino protegente, & timentem se Regem glorificante, ad nihilum deductus est malignus. Audientes autem Daci, Angliam esse subiectam Normanis, grauiter sunt indignati, & suo quasi hæreditario iure priuati, arma parant, classem aptant, vt eos adeuntes à data sibi diuinitus patria expellant. Hoc comperto, prudentissimus Guillelmus Helsinum * quemdam Religiosum Abbatem Becensis * cœnobij accersitum in Daciam dirigit, vt inquirat huius rei veritatem. At ille, vt vir sagacis ingenij, strenuè Regis negotium exquiritur. Quo fideliter peracto, ad Angliam reuerti cupiens, mare ingreditur; & cùm iam maximam partem maris prospero cursu transisset, subitò dessis

sur-

surgentibus vndique ventis, horrida tempestas cœlum commouit, & vndas. Fatigatis igitur nautis, nec vltrà iam obniti valentibus, fractis remis, funibusq; ruptis, cadentibus velis, spes salutis amittitur, nihil sibi nisi submersionis exitium miserabiliter expectantibus. Cùmque de salute corporum desperati, animarum solummodo magnis clamoribus salutem Creatori suo commendarent, & Beatissimam Virginem MARIAM Deigenitricem, miserorum refugium, & desperatorum spem deuotè reclamarent; ecce subitò conspiciunt quemdam admodum reuerendæ habitudinis virum, Pontificali Infula decoratum, quasi inter medias vndas naui proximum. Qui vocans ad se Heluinum * Abbatem, his verbis cœpit eum appellare. Vis (inquit) periculum maris euadere? Vis in patriam tuam sanus redire? Cùmque cum fletu id toto corde desiderare, & hoc solum spectaret respōderit; tunc ille: Scias (inquit) me ad te Domina nostra Deigenitrice MARIA directum esse, ad quam dulciter reclamasti; & si dictis meis obtemperare volueris, sanus cum comitibus tuis euades imminens periculum maris. Ille verò illicò spondet se in omnibus obtemperaturum, si hoc euaderet naufragium. Promitte, inquit ille, Deo & mihi, quòd diem Conceptionis, & Creationis Matris Domini nostri Iesu Christi solemniter celebrabis, & celebrandum prædicabis. At ille, vt prudentissimus: Et quis, inquit, dies in hoc festo celebrandus erit? Sexto, ait, Idus Decembris, hoc festum solemnizandum tenebis. Et quo, inquit Abbas, officio vtemur in Ecclesiastico obsequio? Omne, inquit, Officium quod dicitur in eius Natiuitate, dicetur in Conceptione; excepto quòd nomen Natiuitatis mutabitur in nomen Conceptionis. His dictis ille disparuit, & dicto citius sedata tempestate, Abbas incolumis, concito flatu applicuit littoribus Anglicanis: & quæ viderat, & audierat, quibus potuit, notificauit. Statuit autem idem festum in Beccensi * cœnobio celebrari, & ipse quandiu vixit deuotis obsequijs celebrauit.

* al. *Helsinum.*

* al. *Remensi.*

Et nos ergo, fratres dilectissimi, si portam salutis volumus apprehendere; Dei genitricis Conceptionem dignis obsequiis, & officiis celebremus, vt ab eius Filio digna mercede remuneremur.

OFFICIVM PRIMITIVVM Conceptionis B. Virginis Mariæ.

Officium

SExto Idus Decembris, qui est octauus dies Kalendarum ipsius mensis, & celeberrimus dies festus Conceptionis Beatissimæ Dei genitricis MARIÆ, qui nouiter reuelatus est; & cuidā reuerendo Abbati reuertenti per Britannicum Occeanum à Dacia in Angliam non sine magno miraculo ostensus, vt in subsequenti legetur sermone. In ipsis occiduis regionibus valdè celebratur, atq; per totam Angliam, Britanniam, Daciā, Normaniam, Germaniam magna cum deuotione colitur, colendumque per omnes mundi partes, Deo gratias largiente, porrigitur. Illud nimirum deuotè custodiendum est, & omne officium, quod in eius Natiuitate agitur, in hac eius Conceptione agatur, & sicut Inuitatorium, & Antiphonæ, & Lectiones, atque Responsoria in Natiuitate dicuntur, ita in hoc festiuo die Conceptionis dicentur. Insuper ad gloriam sanctæ Dei Genitricis, & Virginem celeberrimus dies eius Conceptionis magna cum exultatione celebretur.

In Vigilia ad Vesperas Psalmi, & Antiphonæ sicut in Natiuitate: Ante thorum huius

Lectio ad Vesperam: Egredietur virga.

Responsorium: Gloriosæ Virginis MARIÆ.

Hymnus: Nunc tibi Virgo.

Ad Magnificat, Antiph. Conceptio tua

Oratio: Omnipotens sempiterne Deus, qui humanæ fragilitatis condolens, eiquè clementer misereri decernens, Verbum tuum ex Gloriosa Beata MARIA semper Virgine incarnari voluisti; præsta quæsumus, vt ipsa iugiter tuam misericordiam nobis obtineat in cœlis, cuius sanctam Conceptionem hodierna die, te iubente, celebramus in terris. Per eundē. &c.

Ad Matutinum Inuitatorium: Beatissimæ

mæ MARIÆ Conceptionem. *Psalm.* Venite.

Hymnus. Quem terra.

Antiph. Benedicta tu in mulieribus.

Deinde sequantur Psalmi, & Antiphonæ atque Capitula sicut in Natiuitate eius.

In prima, & secunda Vigilia legatur sermo iste, qui in eius Natiuitate legitur: Hodierna die, fratres Charissimi, S. Dei Genitricis, & Virginis MARIÆ Conceptionem celebremus.

In tertia verò Vigilia sermo iste, qui de reuelatione eius Conceptionis, atque miraculi intitulatur, legatur.

Lectio I. Eo tempore, quo Guilielmus Normanorum Dux potentissimus prostrato Anglorum Rege Eraudo * ipsos Anglos bello strenuo sibi superando, subiecerat: quidam Abbas Helsinus* nomine in Remesiensem Ecclesiam promotus Domino nostro Iesu Christo deuotissimè famulabatur, eiusque Genitricem, seruitia eius faciendo, deuoto studio venerabatur. Contigit autem, vt Danorũ Rex, audita Eraudi morte, Anglorumq; subiectione, venire in Angliam properaret, vt suo eam dominio subiugaret, & prostrato Guilielmo nouo Rege, vel (vt ipse testabatur) ipsius terræ inuasore, eam in perpetuum possideret. Quo audito, Guilielmus ad defendendum se præparauit, & ex coniacentibus regionibus militem quàm plurimum congregauit; & vt erat callidus, vrbes, atque castella diligentissimè muniuit, & omnibus necessarijs opulentissimè repleuit. Consilio itaque inito, Guilielmus Rex cum optimatibus suis, Abbatem Helsinum (de quo supra retulimus) in Daciam misit, vt consilia eorum, & acta diligenter inquireret, & eorum in Angliam aduentum, prout posset, auerteret. Ascensa igitur puppe, prospero vento flante, id Daciam venit; ipsiusque terræ Domino se præsentauit, & salutem, & munera, atque seruitia ex Guilielmi parte ei obtulit. Deinde omnia, vt sibi iussum fuerat, inquisiuit, quid dicerent, & quomodo se aggregent, percunctari non destitit. Postquam autem omnia, propter quæ illuc ierat, perfectè cõpleuit, proceresque terræ muneribus, & promissionibus honestauit, in Angliam regredi voluit, sed Rex Daciæ secum illum non paruo tempore retinuit.

*al. Araldo.
*al Helruinus.
*al. Becensem.

Lectio II. Transacto itaque tempore non modo regredi illum Rex permisit. Qui mox cum socijs nauem conscendit; nautæ ergo aplustria collegerunt, & in altum carbala extenderunt, & per frementia æquora itinera direxerunt. Dum itaq; per alta maris pergerent, contrarius ventus eis surrexit, mare funditus commouit, omnesque qui in mari erant, formidine repleuit. Timore igitur mortis conciti, nimiumque perterriti, preces cum lachrymis fundunt Domino, & se grauia deliquisse miserabiliter gemunt. In tanto discrimine positi maiora pericula incurrunt. Namque subito sirtes præ oculis conspiciunt, quos naucleri velut in morte positi videntes, ex pectoris intimo nõnulla trahentes suspiria, clamarunt ad Dominum fortiter: O Deus clementissime, Pater misericordiæ, dignare nos respicere, miseros pro nostro crimine. Respice dulcissime, de sede tuæ gloriæ; visita nos iam positos, extremo sub articulo. Adsit tua benignitas, ineffabilis Deitas: adsit maxima bonitas nobis, & tua pietas. Et rector inuisibilis, qui tuis semper famulis parcis, & vota supplicum, audis ad te clamantium. Succurre nobis miseris, pietas ineffabilis: ne nos sorbeat inferus, nunc pro nostris criminibus. Pie Deus cognoscimus, quòd grauia deliquimus: peiora cõmeruimus, quia multùm peccauimus. Benignè tua gratia fatentibus indulgeat: fatemur nostra crimina, tu dele tua gratia. Qui promisisti miseris, qua hora ingemuerint, saluos protinus fieri. Parce nunc confitentibus, miserere gementibus: miserere nunc flentibus, & verè pœnitentibus. MARIA Mater Domini, ora pro nobis miseris. tuo Filio Domina, cõmenda nostra famina. Namque mari sunt tradita, nostra misera corpora: tuus Filius animas in requie suscipiat.

Oratio hæc tota, cõtinuus est rhybmus.

Lectio III. Dum igitur sic de hac vita desperantes clamarent, & præsentem illis iam mortem intenderent; quemdam Põtificalibus vestibus ornatum iuxta nauim assistere vident, qui Helsinum Abbatem

pro-

proprio nomine compellans, hoc ei retulit, inquiens: O tu Abba Helsine, veni, surge, & mecum loquere. Dum autem admirantibus omnibus, qui in naui erant, quænam esset hæc persona, & Abbas Helsinus surgeret, præfatæ personæ, vt credimus, Anglicè hæc dixit: Si vis sanus effugere, si vis mortem euadere: si vis patriam cernere, tuosquè lares visere: Promitte fidelissimè, Matris Christi piissimæ, te facturum percelebrẽ, Conceptionis ipsius festum diem, in quo Virgo ipsa incomparabilis futura Deigenitrix in matris aluo concepta fuit: & doceto omnes quoscumque poteris, vt percelebrem huius agant solemnitatis diem. Tunc Abbas Helsinus, vt erat prudentissimus, hoc ei constanter refert protinus: Quomodo faciam istud, quia diem quo istud faciam ignoto penitus? Dei Nuncius respondit: In sexto Idus Decembris est dies celeberrimus huius Conceptionis: hunc diem, vt celebres moneo, & celebrandum esse dicito, quibus dicere poteris, qui scire voluerint. Tunc sæpè dictus Abbas Helsinus: Et quali, inquit, seruitio iubes vti in hoc festo? Cui diuinus Nuncius respondit: Omne seruitium, quod dicitur in eius Natiuitate, dicetur & in Conceptione: sicut Virginis natalitium in eius Natiuitate dicitur, ita Conceptio in hac celebritate dicetur. Prædictus verò Abbas postquam talia audiuit, Deo gratias retulit, & deuotissimè vouit, se seruaturum, quod audierat diuinitus iussum. Et statim, vt hoc vouit, tempestas omnis cecidit, & serenitas rediit. Ciues autem cœlicola, qui ad hoc ipsum venerat, & agenda præceperat, repentè disparuit, atq; teneris mixtus auris ab eorum oculis euanuit, & illuc vnde iussum venerat, gressibus inuisibilibus repedauit. Illicò omnes in naui positi frementia pacata cernentes æquora, certatim omnium Saluatori gratias reddidere innumeras, qui eos de tam duro exitio, atque mortis confinio sua potentia liberauerat. Vento igitur surgente secundo procedunt, & læti in Angliam, atque alacres veniunt. Mox memoratus Abbas patria cum suis optata potiti arena, cuncta, quæ viderat, quæque in mari audierat, quibuscumque potuit in Anglia fideliter narrauit, statuitque in Remẽsi * Ecclesia, cui præerat ipse Abbas, vt hoc festum omni anno solemniter sexto Idus Decembris cum magna deuotione celebrauit. Huius solẽnitatis celebratoribus detur à Filio ipsius Virginis D. N. Iesu Christo pax, & salus longæua, & post trãsitum huius vitæ æterna requies concedatur; qui cum Patre, & Spiritu sancto viuit, & regnat Deus per infinita secula seculorum, Amen.

* al. *Bercensi.*

Antiph. ad Matut. & Vesper. Conceptio est Gloriosæ. *Deinde subsequantur reliqua sicut in Natiuitate eius.*

Lect. Egredietur Virga.

Respon. Conceptio est hodie S. MARIÆ Virginis.

Hymn. Gaude visceribus.

Antiph. ad Benedict. Conceptionem hodiernam perpetuæ Virginis.

Oratio: Omnipotens sempiterne Deus, qui per gloriosissimam MARIAM semper Virginem, Verbique tui ex ea incarnationem, mundo perdito nouæ salutis gaudia destinare dignatus es, exaudi quæsumus preces nostras, & præsta, vt qui eiusdem Filij tui Genitricis Conceptionis diem lætanter colimus, ipsa intercedente apud te, de instantibus periculis eruamur, veniamque nostrorum criminum pariter consequamur, vt quandoque tuæ ineffabilis gloriæ participes esse mereamur. Per eumdem, &c.

Antiph. ad Primam: Conceptio est gloriosæ.

Oratio: Dirigãtur quæsumus Domine, viæ nostræ ad tuas iustificationes custodiendas, vt gloriosæ Deigenitricis, & Virginis MARIÆ patrocinio subleuemur, & eius semper orationibus à malis imminentibus defendamur. Per eundem Dominum.

Antiph. ad Tertiam: Regali ex progenie.

Oratio: Quæsumus Domine Deus noster, vt gloriosæ Beatæ MARIÆ Virginis Christi Filij tui Genitricis nos famulos tuos tibi assidua commendet oratio, cuius nostræ reparationis exordium, desiderabilis extitit hodierna Conceptio. Per eundem.

pro- Sequi-

Sequitur introitus (Missæ videlicet:) Salue sancta parens. *Psalm.* Eructauit.

Oratio, Deus ineffabilis misericordiæ, qui primæ piacula mulieris, per Beatissimam MARIAM Virginem expianda sanxisti; da nobis Conceptionis eius dignè solemnia venerari, quæ Vnigenitum tuum Virgo concepit, & peperit Dominum nostrũ Iesum Christum Filiũ, &c.

Epist. Lectio libri Sapientiæ, Dominus possedit me, *vsque*, & hauriet salutem à Domino.

Graduale, Propter veritatem. *Vers.* Audi filia.

Alleluia. Vers. Gloriosæ Virginis.

Euangelium, Liber generationis.

Offertorium: Diffusa est gratia.

Secreta, Salutarem omnipotens Pater hostiam immolantes, imploramus clementiam tuã, vt Genitricis Filij tui supplicatione placatus, per eã nos, & à peccatis absoluas, & ad visionem gloriæ tuæ perducas. Per eumdem.

Communicanda: Beata viscera.

Post commun. Cœlestis alimoniæ repleti libamine, quæsumus Domine Deus noster, vt gloriosæ Beatæ semper Virginis MARIÆ continua nos foueat protectio, cuius nostræ causa salutis extitit hodierna Conceptio. Per Dominum.

Epistola S. Anselmi de festo Conceptionis Beatæ Virginis MARIÆ.

Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus, & Pastor Anglorum Coepiscopis suis, cunctisque Orthodoxis, salutem & perpetuam in Christo benedictionem.

CОnceptio venerandæ Deigenitricis perpetuæ Virginis MARIÆ, cum reliquis de reuelatione Herluino facta, quæ superiùs §. 2. scripta fuere, vsque ad illa verba, *digna mercede remunerentur*. Sequitur deinceps.

Rursum hæc solemnitas alibi alio modo declaratur. Tempore namque Caroli Regis Francorum illustrissimi, Clericus quidam ordine Diaconus, Vngariæ Regis germanus, Matrem Iesu toto corde diligens, eius horas solicitus decantabat. Parentum autem suorum consilio, nubere volens cum quadam adolescentula valde pulcherrima, accepta à Presbytero nuptiali benedictione, quadam die, Missa etiam celebrata, recordatus, quòd eiusdẽ Beatissimæ Virginis horas illa die, iuxta morem solitum, non cantauerat; sponsam domũ mittens, omnes ab Ecclesia exire coegit, & ipse iuxta altare Virginis solus remansit. Cùmque horas Dominicæ Matris decantaret, & hanc Antiphonam, *Pulchra es, & decora filia Ierusalem*, diceret, subitò apparuit ei Virgo MARIA cum duobus Angelis, dexteram eius manum, & læuam tenentibus, dicens ei: Si ego sum pulchra, & decora, quid es, quòd dimittis me, & sponsam aliam accipis? Nunquid ego sum optimè formosa? Nunquid ego sum pulchrior illa? Vbi vidisti tam pulchram? Cui ille stupefactus ait, Domina mea dulcissima, claritudo tua omnem mundi pulchritudinem excellit. Quid vis, Domina, vt faciam? Ait illa: Si sponsam carnalem, cui adhærere vis amore mei dimiseris, me sponsam in cœlesti regno habebis: & si Conceptionis meæ festũ annuatim 6. Idus Decembris solemniter celebraueris, & celebrandum prædicaueris, mecum in regno Filij mei laureatus eris. His dictis, Beata Virgo disparuit; Clericus verò domũ adire renuit, & absque parentum suorum consilio, ad Abbatiam quãdam extra patriam illam perrexit, & ibidem monachali habitu decoratus, & post tempus exiguum meritis Beatæ MARIÆ Virginis Aquileiæ Episcopus, Patriarcha factus, festum Conceptionis Beatæ Virginis die præfato, quandiu vixi, annuatim cum proprijs octauis diligenter celebrauit, & vbique celebrandum prædicauit.

Aliud etiam miraculum huius festiuitatis alibi diuina inspirante gratia, à nobis declaratur. In pelago Gallico Canonicus quidam, ordine sacerdos, solitus Beatæ MARIÆ Virginis horas canonicas decantare, à villa quadam, vbi cum vxore alterius fornicatus fuerat, rediens ad oppidum, in quo morabatur, tendere curans, & pelagus Sequanæ transmeare

cupiens, solus nauem ingressus Dominicæ Matris horas nauigãdo canere cœpit. Cùmque Inuitatorium, *Aue Maria gratia plena, Dominus tecum*, diceret, & iam in medio fluminis esset; ecce turba magna Dæmonum in profundo pelagi, vnà cum eius nauicula eum præcipitauit, & eius animam rapuit ad tormenta. Die autem tertia ad locum, quo Dæmones eum tormentis afficiebant, venit Mater Iesu cum magna Angelorum societate, dicens eis, Vt quid animam famuli nostri ita iniustè affligitis? Nos eam debemus habere, & meritò; quoniã in nostris operibus capta est. Quibus Mater Iesu: Si illius debet esse, cuius opera faciebat, ergo nostra debet esse, quoniã Matutinas nostras, dum vos eum peremistis, decantabat, vnde magis rei estis, qui iniquè contra me egistis. His dictis, Dęmones huc, illùcque dispersi fugerunt, & Beata MARIA animam reduxit ad corpus, & hominem ab vtroque funere suscitatum per brachium arripiens, aquam à dextris & à sinistris quasi murum stare iubens, de profundo pelagi ad portum incolumem reduxit. At ille gaudens pedibus Beatæ Virginis prostratus ait: Gharissima Domina mea, & Virgo speciosa, Christo gratissima, quid tibi tribuam pro tantis beneficijs, quæ mihi fecisti? Liberasti me de ore leonis, & de tormentis inferni grauissimis animam meam. Cui Mater Iesu ait, precor te, ne de cætero in adulterij peccatum cadas; ne fiat tibi nouissimus error peior priore. Precor te iterum, vt de cætero festum Conceptionis meæ deuotè celebres annuatim 6. Idus Decembris, & vbique celebrandum prædices. Mox vt id dixit Beata Virgo MARIA, eo cernente, cœlos ascendit; & ipse heremiticam vitam ducens, quod sibi acciderat, cunctis audire volentibus narrauit; & postea quandiu vixit, illud festum Conceptionis solemniter, & deuotè celebrauit, & celebrandum prædicauit.

Nos igitur, fratres dilectissimi meritis & intercessionibus Beatæ Virginis indigentes, cum tota mẽtis deuotione simus soliciti, vt nullus nostrum ita sit rebus, tẽporibus occupatus, aut proprijs delictis desperatus, quin Beatæ MARIÆ Virginis Conceptionem pro posse suo celebret annuatim.

Sancti Anselmi Archipiscopi Cantuariensis de Conceptione Beatæ MARIÆ liber.

CAPVT I.

PRincipium, quo Salus mundo processit, mihi considerare volẽti, occurrit hodierna festiuitas, quæ de Conceptione Beatissimæ Matris Dei MARIÆ multis in locis recolitur. Nec magni ponderis est, omne, quod dignitati, aut honori eius humana laude defertur, si meritis illius, & insignibus comparetur. Tantorum namque bonorum consummatio, quæ per ipsam Domini Matrem omni creaturæ prouenerunt, videtur admonere omnem humanam creaturam, pietatis affectu exordiũ suum considerare, quàm sublime, quàm diuinum, quàm ineffabile fuerit. Nec mirum; fundamentum siquidem, & quasi quoddam sacrarium ciuitatis & habitaculi summi boni in ea ponebatur, & mansio lucis æternæ corporalis, quam corporaliter inhabitaret ille incorporeus, & incircumscriptus, creans simul & viuificans omnia Spiritus, parabatur. Sancta igitur Virgo MARIA Mater Dei futura, sicut eum, qui supra omnia est incomprehensibilis, verum erat hominem ineffabili modo de sua substantia Virgo paritura, ac per hoc in Deitatem illius quodammodo transitura; ita non absurdè credi potest, primordia Conceptionis eius tanta diuinitatis sublimitate præsignata, vt humanarum conceptio mentium ea planè penetrare non valeret. Et ideo eiusdem Conceptionis dies festiuis laudibus à multis fidelibus meritò celebratur.

CAPVT. II.

DE Ipsa quippe multis sæculis ante ortum eius Isaiam Spiritu Sancto afflatum dixisse constat: *Egredietur Virgo de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet*

&

& requiescet super eum spiritus Domini. Hæc itaque virga, quæ talem ex se protulit florem, nullo dissentiente, Virgo MARIA fuit; & flos, qui de radice eius ascēdit, eius benedictus Filius, super quē, & in quo omnis plenitudo diuinitatis essentialiter requieuit. Hæc igitur tanti Filij dignissima parens, cùm in aluo suæ parentis naturali lege conciperetur; quis non concedat Dei sapientiam à fine vsq; ad finem pertingentem, cuncta implentem, cuncta regentem, nouo quodam & ineffabili gaudio cœlum, & terram, & omnia quæ in eis sunt, profundissima, atque ineffabili iubilatione, pro sua reintegratione, quam per illam sibi euenturam, diuina, & occulta inspiratione præuidebat, perillustrasse?

CAPVT. III.

SEd cùm ipsa Conceptio fundamentum fuerit habitaculi summi boni, si peccati alicuius ex primæ præuaricationis origine maculam contraxit, quid dicemus? Vtique diuina voce dicitur ad Ieremiam, *Priusquam te formarem in vtero noui te, & antequam exires de ventre sactifi caui te.* De Ioanne quoque Angelus, qui eum nasciturum prænuntiabat, asseruit, quòd Spiritu Sancto repleretur, adhuc ex vtero matris suæ. Si igitur Ieremias, qui in gentibus erat Propheta futurus, in vulua est sanctificatus; & Præcursor Domini Ioannes Spiritu Sancto ex vtero matris est repletus; quis dicere audeat, totius sæculi Propitiatorium, mox in suæ Conceptionis exordio, Spiritus Sancti gratiæ illustratione destitutum? Testante verò Scriptura, vbi spiritus Dei, ibi & libertas; à seruitute igitur omnis peccati libera fuit, quæ olim peccatorum propitiatori aula, in qua, & ex qua personaliter homo fieret, Spiritus Sancti præsentia, & operatione construebatur.

CAPVT IV.

MAgnitudinem operationum diuinæ virtutis, quadam mentis limpitudine posse considerans, videor mihi videre; quòd si quid originalis peccati in propagatione eius, & communis vitij exstitit, illud propagantium, & non propagatæ prolis fuit. Nam si Dominus castaneæ confert, vt inter spinas remota compunctione recipiatur, alatur, & formetur; non potuit hoc dare humano, quod sibi parabat, templo, in quo corporaliter habitaret, & de quo in vnitate personæ perfectus fieret; vt licèt inter spinas peccatorum conciperetur, ab ipsis tamē spinarum aculeis, omnimodè exors redderetur? Planè potuit, & voluit; quòd si voluit, & fecit. Et quidem quidquid dignum vnquam de aliquo extra suam personam voluit, perperam est de te, ò beatissima fœminarum noluisse. Matrem te fecit suam ille rerum omnium factor, & gubernator Dominus, omnium, inquam, intelligibilium, & intellectum transcendentium; & te Dominam, ac Imperatricem cœlorum, terrarum, atque elementorum constituit: & vt ita esses, in vtero matris tuæ à primordijs Conceptionis, operāte Spiritu Sancto crearis. Nunquid igitur in tanta futura gloria summi videlicet Dei Mater vnica, & omnium quæ sunt, fuerunt, & erunt, post Filium tuum Imperatrix prudens, & nobilis; nuuquid in exordio tuo talis esse debuisti, vt omnium, quorum te dominium gerere certissimè nouimus, aut puritati, aut subiectioni possis addici?

CAPVT V.

ILle assertor puræ veritatis, & à Filio suo, iam cœlo præsidēte, vas electionis cognominatus, omnes homines in Adam peccasse fatetur; vera vtique sententia, & cui contradici nefas esse pronuntio. Sed cùm eminentiam gratiæ Dei in te considero, sicut te non intra omnia, quæ facta sunt, inæstimabili modo contueor; sic nec lege aliorū in tua formatione demetitā fuisse opinor, singulari, & humano intellectu impenetrabili Diuinitatis virtute, & operatione ab omni peccati adiunctione libertima. Peccatum fuerat, quòd homines à pace dirimebat; & vt illud Filius Dei euacuaret, sicque ad pa-

Paul. ad Rom. 5.

pacem genus humanum reuocaret, homo fieri voluit, & talis, vt nihil in eo aliquatenus remaneret, quod non concordaret ei, vnde homo à Deo diſcordabat. Quia ergo ita fieri oportebat, matrem, de qua talis lis tolleretur, mũdam ab omni peccato eſſe decebat. Aliter quo pacto illi ſummæ puritati caro eius tanta coniunctione vniretur, vt indifferenter, quæ ſunt hominis, eſſent Dei, & quæ Dei, hominis eſſent?

CAPVT VI.

ADhuc propone tibi palatium, quod ſpecialiter ſuis vſibus aptum exiſtat, conſtruere volentem, in quo & ipſe frequentiori, & feſtiuiori curſu conuerſetur, & omnibus ope eius, atque auxilio indigentibus mitiori, & lætiori vultu reſpondeat, & auxilietur. Pateretur ne quæſo, in principio palatij fundamentũ inualidum, & ſtructuræ, quæ foret ædificandæ, incongruum, & non cohærens? Non puto, ſi ſaperet, & propoſitum ſuum ad effectum perducere vellet. Ergo ſapientiam ante omnia ſæcula propoſuiſſe ſibi habitaculum, quod ſpecialiter inhabitaret, conſtruere, ſimiliter indubitata fide tenemus. Quod autem habitaculum illud fuerit, iam dudum innotuit; hoc enim habitaculum, illud Sacrarium Spiritus Sancti eſſe fatemur, in quo, & per quod eadẽ Sapientia humanæ naturæ coniungi voluit, & incorporari, & omnibus ſe pura mente confitentibus parcere, & miſereri; quod ſacrarium, aula videlicet vniuerſalis propitiationis, cùm operãte Spiritu Sancto conſtrueretur, ſi fundamentum illius, ſcilicet initium, ſiue primordium formationis Beatæ MARIÆ corruptum fuit, ipſi certè conſtructuræ non congruebat, nec cohærebat. Inſcia ne fuit & impotens ſapientia Dei, & virtus, mundum ſibi habitaculum condere remota omni labe conditionis humanæ? Angelis alijs peccantibus, bonos à peccatis ſeruauit, & fœminam, matrem ſuã mox futuram, ab aliorum peccatis exortem ſeruare non valuit? In æternitate conſilij fixum ſtatuit, eam dominatricẽ, & Reginam fore Angelorum; & nunc inferiorem Angelis natam, in conſortium acceptam eſſe credamus omnium peccatorum? Exiſtimet hoc, & argumentis ſuis probet, qui vult: ego donec oſtendat mihi Deus aliquid dignius excellentia Dominæ noſtræ poſſe dici; quæ dixi, dico; quæ ſcripſi, non muto; cæterùm me & intentionem meam Filio eius & illi committo.

CAPVT VII.

NIhil tibi Domina æquale, nihil comparabile eſt; omne enim, quod eſt, aut ſupra te eſt, aut ſubtus te eſt; quod ſupra te eſt, ſolus Deus eſt; quod infra te, omne, quod Deus non eſt. Ad tuam tantam excellentiã quis aſpiciet? Quis attinget? Et certè vt ad hãc excellentiam peruenires, in humillimo loco, id eſt, in vtero matris tuæ puriſsima oriebaris. Quòd ſi tali modo concepta, & ordinata non fuiſſes, ad tantam celſitudinem non ſuccreuiſſes.

Aliquid huius capitis deeſſe videtur, & totum octauum.

CAPVT IX.

DE Domina noſtra, quam in tantum culmen prædeſtinauit, & extulit diuina potentia, quam tot prærogatiuis dotauit cuncta diſponens Dei ſapiẽtia, quam ſibi Matrem elegit ad mundo ſubueniendum, ipſa omnium ſaluandorũ ineffabilis Dei miſericordia, dicere, morte peccati, quæ per inuidiã Diaboli occupauit orbem terrarum, in ſuo conceptu prægrauari, vt taceam interim ipſas, quas commemoraui, rationes, animus euitat, intentio abhorret, lingua fateri non audet. Qui aliter ſapiunt, & melius approbant, credant; ego piiſsima Domina, qualiſcumq; ſeruulus, credo, & fateor; quòd tu ex radice Ieſſe pulcherrima, ac per hoc ab omni, quod te decoloret, peccati vulnere aliena, integerrima permanens, florem pretioſiſsimum protuliſti, non quẽlemcumque, ſed ſuper quem ſeptiformis ſpiritus requieuit.

Sermo ſancti Anſelmi Epiſcopi in die Conceptionis Beatæ Virginis MARIÆ.

HOdierna die, fratres chariſsimi, ſanctæ Deigenitricis Virginis MARIÆ Conceptionem celebramus, quæ omnium rerum nobis genuit Creatorẽ: & ideo cum ſummis præconijs, & ſumma deuotione huius eſt excolenda Conceptio, quæ ſalutem mundo perdito contulit. Quis non tantæ Conceptionis obſtupeſcat miraculum? Hodie concepta eſt Virgo MARIA, quę Altiſsimi Patris Filium ex Virginali vtero edidit nobis* Hodie concepta eſt ſtella cœli; hodie cõcepta eſt palma virtutum, hodie cõcepta eſt ianua cœlorum. O ineffabile gaudiũ! ò admirabile Sacramentum! ò inauditũ miraculum! Deus ante ſæcula ex hac Virgine, cuius hodie cõceptionem colimus, carnem aſſumere dignatus eſt. Lætentur igitur cœli, quia hodie concepta eſt Virgo, per quam reſtaurantur perdita agmina Angelorũ. Exultet mundus, quia hodie concepta eſt Virgo, per quam diluitur omnis culpa, vulpina fraude illata. Tremeſcat infernus, quia hodie concepta eſt Virgo, per quam reddidit illos, quos tenebat crudeli carcere clauſos. Congaudeamus, & nos pari cõſenſu, fratres chariſsimi, & cum ſuauibus hymnis dulcia cantica modulemur, quia hodie concepta eſt Virgo, per quam meruimus accipere Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

Hæc recitat Buſtus ſer. 6 de Conceptione Virginis.

Quiſquis autem paruipendendum putat huius Virginis celebrare Conceptionem, nec meretur eſſe cum fidelibus, nec poſtea cognoſcere Saluatoris aduentum. Quæ enim feſtiuitas huic eſt præponenda, per quam omnium feſtiuitatum eſt exorta deuotio? Hæc namque Virgo, eſt mater æterni luminis: hæc eſt ſponſa cœleſtis ſponſi, Angelorum gubernantis imperium: hæc eſt Virgo puerpera, domicilium caſtum, receptaculum Dei omnipotentis digniſsimum; cuius Reginæ generationem ex Dauidica ſtirpe, Sanctorum Euangeliſtarum ordo nobis deſcripſit: vnus enim illorum per Regiam ſtirpẽ deſcendens (id eſt, deſcenſum ſcribens) de huius Virginis Conceptione ſic eſt exorſus. Liber generationis Ieſu Chriſti, filij Dauid, filij Abraham. Nulli ergo ſit pigrum, nulli oneroſum celebrare eius feſta.

Sciendum, quòd ſicut in Eccleſia Natiuitas eius colitur, ſic debet & coli Cõceptio: niſi conciperetur, minimè naſceretur. Iuſſu Dei naſcitur, & concipitur: quæ niſi naſceretur, mundi Redemptor ex ea non naſceretur. Imò ſi diuina gratia proſpiciatur, ſpiritualis Conceptionis eius dies, maior fore approbatur, quã Natiuitatis. Res enim maior extitit, Adã à Deo creari, quàm filios eius de matre naſci.

Quiſquis igitur Præſul, vel Abbas, aut Prælatus es, recole diligenter eius ſolemnia, & cunctis iube eam coli; quia ſi eam toto corde amaueris, nunquam à gradu tuo depoſitus eris. In memetipſo probaui, quod aio. Erubeſcant omnino * qui tantum diem, tantaque Sacramenta, ac myſteria, tenebris ignorantię detenti reſpuunt celebrare, eo quòd viri & mulieris copula in Conceptione Virginis extitit, Et licèt eius Conceptionẽ, eo quòd carnalis extitit, * non placeat hodie celebrare; tamen diem illum, & noctem, quanuis ſanè multis incognita, & tempus & horam ſpiritualis Conceptionis eius, hodie celebrare delectat: quia ipſe, qui eſt animarum Creator, animam ſuæ matris dignam ſanctiſsimo corpori Virginali eius, Angelis miniſtrantibus copulauit. Si non placet illius celebrare ſolemnia Conceptionis carnalis, Dominicæ Matris, placeat eis colere animæ eius ſpiritualem creationem, ac corporis & animæ copulationem. O quanta eſt dies illa, qua noſtræ Reparationis anima digna creatur, & ſacratur, & ſanctiſsimo corpori vnitur! Non eſt verus amator Virginis, qui reſpuit colere diem Conceptionis.

** In aliquibus codicibus Inſenſati*

* al. *ſtultis.*

Erubeſcant iterum * qui hanc diẽ colere nolunt, quoniam aliorum Sanctorũ Conceptiones, ſancta minimè conſueuit Eccleſia colere. Maximæ quidem ruſticitatis eſt, eam alijs Sanctis in hoc comparare, in qua Deus humanam carnem

* al. *inſani.*

G nem

nem assumpsit; quam super omnes sanctos, etiam & Archangelos in cœlis sublimauit. Et quanuis cæteris Sanctis dies Conceptionis non sit concessum, vt celebretur; illi tamen ab Spiritu Sancto cõcessum est, quæ maior, & excellentior est cunctis. Pulchrè, & dignè hanc dominationem super cæteros Sanctos illa debet habere, quia per eam omnes Sancti beatificantur, & sanctificantur. Quid longius? Conceptionem Dominicæ Matris colere, Christi generationem est commemorare. Celebremus ergo hodie dignis officijs vtramque Conceptionem eius, spirituale scilicet, & humanam, vt ipsius meritis, & precibus à sæcularibus curis, & à cunctis vitijs mereamur eripi, & ad æterna gaudia paradisi perduci. * Huius celebratoribus solemnitatis dicitur à Filio eius Domino nostro Iesu Christo, pax & longa salus, & post transitum huius vitæ requies æterna.

* *Hæc Bustus serm. 8.*

OBSERVATIO.

ALIQVI Vtramque Epistolam coniungunt, & ex duabus vnam faciunt: quæ varietas, ne Lectorem moretur, quanuis in re parui momenti, prætermittenda non fuit.

Illud grauius, authoritatem horum Opusculorum in dubium ab aduersarijs reuocari non alio argumento, nisi quod clarissima tanti Patris testimonia pro Virginis præseruatione, nec in alienum sensum detorquere, nec commodè interpretari, aut effugere possint. Quare vt liquido constet à viris doctissimis omnium ætatum, tanquam legitima sancti Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi agnita fuisse, & recepta, eorum cathalogum subijciemus, quorum plerique ea non modo laudarunt, sed ex professo etiam defenderunt.

Ex antiquis habemus Petrum Episc. Aquilin. lib. 1. cap. 25. & lib. 6. cap. 56. Henric. Gandauens. quolib. 25. q. 23. Argentin. Capreol. Palud. 3. sent. dist. 3. Marsil. in 2. q. 20. art. 1. Ioann. Bachon. in 4. dist. 2. q. 3. art. 3. & q. 4. art. 2. & in quolib. q. 13. Antonium Zucarum Episc. Arcenens. 2. part. Elucidarij fol. 55. 137. 202. 264. & 276 Bernardin. Bust. 1. p. serm. 4. par. 1. fol. 48. Vorag. Episc. Genuens. in Hist. Lombardica, Claudiu de Rota ibi Lect. 185. Ioan. Gerson de Concept. Pelbart. 2. p. Stellarij, lib. 4. articul. 3. Baptist. Mant. in Fast. tom. 2. Robert. Gauinus tract. de purit. Concept. MARIÆ. Dionys. Carthus. serm. 2. & 3. Ex recentioribus nostra & Patrum memoria, Catherin. Opusc. de Immac. Concept. fol. 85. Francisc. Biuar. in Anselmo vindicato, Franc. Serran. Episc. Acernens. lib. 2. de Immacul. Virg. Cõcept. cap. 27. Ægid. de Præsent. lib. 3. de Præseruat. Virg. q. 4. artic. 1. Suar. to. 2. in 3. p. q. 27. art. 2. disp. 3. sect. 2. Salazar. cap. 33. arg. 8. & cap. 35. §. 1. & cap. 42. Ioann. Perlin. Apolog. pro Immacul. Concept. dist. 10. cap. 12. § 3. Ioann. Bapt. Nouat. tom. 1. cap. 3. q. 8. Illustriss. Baron. Notis ad Martyrolog. Rom. Bosium de sign. Eccles. lib. 9. cap. 54. Reuerendiss. P. & Illustriss. D. Franc. à Sosa Epist. pro orat. habita Vallisol. Ojeda Apologet. cap. 12. Lezana item Apolog. cap. 14. Balthas. Perren. cap. 9. fol. 18. Guerrer. in Concord. disc. 16. Bernal de Concept. disp. 3. fol. 36. Alphons. Sobrin. fol. 39. Hieronym. Embid. cap. 18. fol. 97. Petr. Diaz de Aguero cap. 2. & 4. Syluestr. Saauedr. cap. 8. fol. 93. Anton. Dazam cap. 17. fol. 132. Lucerum cap. 5. fol. 40. Cartag. lib. 1. homil. 19. Salmer. tom. 13. disp. 52. in Epist. ad Rom. Geogr. Coluener. Kalend. Mar. tom. 2. fol. 380. Spinel. de festis MARIÆ, num. 2. Extat libellus singular. de hac re excusus Parisijs, anno 1617.

Priuati hi testes, tametsi grauissimi. Accedant igitur publicæ fidei monumenta: nam ex prædictis Opusculis recitantur sententiæ in Breuiar. Rom. à Reu. P. Franc. Feltre. Ord. Minor. recognito ann. 1513. Ecclesia Conchens. ann. 1560. Euorensis, iussu Enrici S. R. E. Card. reformato, Cordubens. duplici an. 1489. & 1509. Hispal. 1557. & 1573. Segunt. eodem anno, Ordo S. Hieronym antiquissimo. fol. 7. & multis alijs, quibus primariæ Hispaniarum Ecclesiæ vtebantur, & in Biblioth. S. Eccles. Tolet. extant. Quodque causam perorare videtur, in Offic. Immacul. Concept. à Nogarolio edito, & à Six. IIII. proprio diplomate approbato, excerpta ex his libris Anselmi titulo continentur, vt iure Zucarus supra laudatus affirmet Ecclesiæ vsui,

&

& consuetudini contradicere, qui illorum auctorem in dubium reuocare audet. Extat Lectionarium, quod per anni circulum decantabat Ecclesia Hispal. impres. an. 1503. *repertũ in Biblio. D. D. Laurentij Ramirez de Prado, cuius Lectiones in Conceptionis Festo sunt ex Epistolis S. Anselmi, vt supra manent positæ, & dispositæ. Idem reperitur in Breuiario almæ Ecclesiæ Gienensis, fol.* 147 *.ibidem. Adde Iodocum Chlitoueum Neoportuens. lib. de purit. Concept. cap.* 3 *.fol.* 19. *P. Petrum de la Vega Hierominyanum in lib. de B. Virg. cap.* 2 *.fol.* 8 *.§ .concepta. Demum omnia hæc Anselmi opuscula in vnum collegit, & transcripsit in sua Bibliotheca Virginali Fr. Petrus de Aiua tom.* 2 *.à fol.* 400 *.vsque ad* 448

Decretum Concilij Basileensis, anno M.CCCC XXXIX.

SESSIO XXXVI.

De Conceptione gloriosissimæ Virginis MARIÆ.

SAcrosancta Generalis Synodus Basileensis in Spiritu Sancto legitimè congregata, vniuersalem Ecclesiam repræsentans, ad perpetuam rei memoriam.

Elucidantibus diuinæ gratiæ mysteria, mercedem gloriosam repromisit æterna Dei Patris sapientia, dum ait. Qui elucidant me, vitam æternã habebunt: quod etiam de gloriosa Virgine, quæ ipsam Patris sapientiam, Dei Filium æternum in vtero pertulit, ac mundo peperit, Sacrosancta legit Ecclesia. Nam quicquid de dignitate, & sublimitate Virginis Matris educitur in lucem, hoc non dubium est, ad laudem, & honorem Filij sui pertinere. Et qui honorificãt gratiam, & sanctitatem Matris, honorificant, & elucidant gloriosum nomen Filij eius, qui ipsam sanctificauit, & repleuit gratia. Vnde si in cæteris rebus elucidatio veritatis, quæ à Domino Deo est, præclara merita parturit, in ea re specialiter fructus vberrimos afferre, speranda est, quæ sanctificationem, & dedicationem Templi illius concernit, in quo ante secula, antequam terra fieret, & ab æterno sibi mansionem ordinauit prima, & æterna veritas. Id quoque maximè congruit, vt pax habeatur in quæstionibus concernentibus sanctitatem illius, per quam pax diffusa est in terris. Hactenus verò difficilis quæstio in diuersis partibus, & coram hac Sancta Synodo super Conceptione ipsius gloriosæ Virginis MARIÆ Matris, & exordio sanctificationis eius facta est, quibusdam dicentibus, ipsam Virginem, & eius animam per aliquod tempus, aut instans temporis subiacuisse actualiter originali culpæ: alijs autem è conuerso dicẽtibus, à principio creationis suæ Deũ ipsam diligendo, gratiam eidem contulisse, per quam à macula originali illam beatissimam personam liberans, & præseruans, sublimiori sanctificationis genere redemit, cùm fundaret eam Altissimus ipse, & ipsam fabricaret Filius Dei Patris, vt esset Mater eius in terris. Nos verò diligenter inspectis auctoritatibus, & rationibus, quæ iam à pluribus annis in publicis relationibus ex parte vtriusq; doctrinæ coram hac Sancta Synodo allegatæ sunt, alijsque etiam plurimis super hac re visis, & matura consideratione pensatis, doctrinam illam differentem gloriosam Virginem Deigenitricẽ MARIAM præueniente, & operante diuini numinis gratia singulari nunquam actualiter subiacuisse originali peccato, sed immunem semper fuisse ab omni originali, & actuali culpa, sanctamque, & immaculam, tanquam piam, & consonam cultui Ecclesiastico, fidei Catholicæ, rectæ rationi, & sacræ Scripturæ, ab omnibus Catholicis approbandam fore, tenẽdam, & amplectẽdam, diffinimus, & declaramus, nulliquc de cætero licitum esse in contrarium prædicare, & docere. Renouantes præterea institutionem de celebrandą sancta eius Conceptione, quæ tã per Romanam, quàm per alias Ecclesias sexto Idus Decembris antiqua, & laudabili consuetudine celebratur, statuimus, & ordinamus, eamdem celebritatẽ præfata die in omnibus Ecclesijs, Monasterijs, & Conuentibus Christianæ Religionis,

nis, sub nomine Cōceptionis festiuis laudibus colendam esse, cunctisque fidelibus verè penitētibus, & confessis, ea die Missarum solemnijs centum, primis autem, vel secundis vesperis totidem; sermoni verò Verbi diuini de ea festiuitate interessentibus, centum quinquaginta dies, concessione perpetuis temporibus duratura, de iniunctis sibi pœnitentijs, hæc Sancta Synodus elargitur.

Datum Basileæ in sessione nostra publica, in maiori Ecclesia Basileensi solemniter celebrata decimo quinto Kalēdas Octobris, anno à Natiuitate Domini millesimo quadringentesimo trigesimo nono.

OBSERVATIO.

HOC *Basileensis Concilij Decretum legitur in omnibus editionibus Conciliorum, quotquot ad hanc diem prodierunt, nec ab vllo vnquam collectore prætermissum est, siue integra Concilia descripserit, siue in epitomas redegerit. Quia verò (vt sunt varia hominum iudicia) alij ex prædicto Decreto valde opinionem piam deprimi; alij articulis legitimè, & œcumenicè sancitis (quod absit) coæquari præseferunt: nos extrema vitantes, & tutissimam mediam viam tenentes, illud inter cætera IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS propugnacula nostris præbemus, & aduersarijs obijcimus hactenus progressuri, vt certo statuatur, quid doctissimi, & grauissimi viri ingenti numero, & dignitate de Beatiss. Virginis præseruatione senserint. In hunc scopum collimarunt classici scriptores, quàm plurimi, quorum præcipuos exhibemus, qui vel Decretum Basileense suis dissertationibus inseruerūt, vel ex professo, quatenus recipi debeat, & quo loco in Ecclesia Dei sit, exactissimo iudicio examinarunt. Consulantur Catharin. Opusc. 2. de Immacul. Concept. Latè Ludouic. Caruaial. ad 1. obiect. spinæ contra Declamat. pro Concept. Pitigian. in 3. d. 3. q. 1. art. 5. Arnold. Albertin. Episc. & Inquisit. General. Maioricens. in Summar q. 17. Bellarm. lib. 4. de amiss. grat. cap. 15. Suar. tom. 2. in 3. p. disp. 3. Vazq. disp. 117. Antonius de Balingen Kalendar. Sanctissim. Virg. fol. 344. Gregor. Coluener. eiusdem Kalend. tom. 2. die 8. Dec. Anton. Cucar part. 2. fol. 66. Daza cap. 4. fol. 26. Ioann. Perl. Apologet. pro Concept. disp. 7. cap. 3. Sosa Epist. pro orat. de Concept. fol. 27. Lezana Apolog. cap. 12. Canis. lib. 1. de B. Virg. cap. 7. Francisc. Serran. lib. 2. cap. 7. Miranda tract. de Concept Hispanico, cap. 75. & alio tract. Lat. q. 17 fol. 387. Processus authenticus Murciæ factus ann. 1508. qui habetur typis excusus in Bibliothecis Minoritarum Salmant. nu. 112. Madrit. Pluteo ann. 27. Epistola procurator. in Rom. Cur. ad Philip. IIII fol. 4. num. 61. Granad. disp. 3. cap. 8. Biuar. part. 2. §. 12. Salazar fol. 437. arg. 12. Luzer. cap. 5. fol. 41. Vicent. Iustinian. §. 12. fol. 16. Ægid. de Præsent. q. 3. sect. 2. Corduba lib. 1. q. 44. post 6. conclus. Pelbar. à Temesuar. lib. 4. Stellar. p. 2. artic. 3. extremo, Cosmas Guimer Præses Parisiens. in pragmat. sanct. Carol. Regis Gall. Ioan. Daima Concord. inter Leon. X. & Reg. Christianiss. Bocchellius in Eccles. Gallicana lib. 8. fol. 1249. Iodoc. Clithoueus in lib. de purit. Concept. cap. 13. cuius titulus est:* Concilij Basileensis auctoritate, & decreto: probari puritatem Conceptionis Beatissimæ Virginis MARIÆ, *fol. 19. Alphonsus de Casurrubios, & Hieronymus Sorbo, verbo* Conceptio Virginis, *fol. 145. Alphonsus de Mergelina fol. 4. Landulph. in Franc. de* Con*ceptione, Hieronym. de Huerta fol. 53. Aguero cap. 2. fol. 65. Saaued. cap. 8. fol. 95. Sobrinus fol. 36. Ioan. Baptista Nouar. cap. 3. q. 4. fol. 52. Porren. cap. 2. fol. 3. Gabriel Biel serm. 1. de Concep. Gerrerus de Espinar discur. 19. fol. 251. Maior dist. 3. q. 1. fol. 11. Ouand. ibi art. 2. q. 4. fol. 130. Castillo to. 1. q. 1 fol. 499. & fol. 500. Torres lib. 4. cap. 6. fol. 312. Eneuid. cap. 16. fol. 89. Eandem in ipso Concilio Basileensi, fol. 96. extat diploma, cuius titulus est:* Bulla Nicolai Papæ Quinti super approbatione actorum, & gestorum in Concilio Basileensi. *Vide Anton. Posseuinum to. 1. Appa. fol. 177. & Henric. Canisium in antiq. lect. tom. 3. & alij quàm plurimi.*

(****)

Ex reuelationibus S. Brigittæ vltimo approbatis ad annum M.CCCCXLII.

EX LIBRO PRIMO.

VERBA REGINÆ COELI AD dilectam filiam de amore dulcissimo, quem Filius habuit ad matrē Virginem. Et qualiter ex coniugio castissimo Christi Mater fuit concepta, & in vtero sanctificata. Et qualiter assumpta in corpore, & anima fuerit in cœlum. Et de eius nominis virtutibus. Et de Angelis bono, & malo hominibus deputatis.

CAP. IX.

EGo sum Regina cœli. Dilige Filium meum, quia ipse honestissimus est, & cum eum habueris, omnem honestatē habes. Ipse est etiam desiderabilissimus, & cum eū habueris, omnia desiderabilia habes. Dilige etiā eum, quia ipse est virtuosissimus, & cū cum habueris, omnes virtutes habes. Ego volo tibi dicere, quàm dulciter ipse dilexit corpus meū, & quā dulciter animam meam, quantùm etiam honorauit nomen meū. Ipse Filius meus priùs me dilexit, quàm ego eū, quia creator meus est. Ipse coniugiū patris mei, & matris tanta castitate coniunxit, vt tunc non inueniretur castius coniugiū, & nunquam conuenire vellent, nisi iuxta legem solummodo causa suscitandi prolem. Et cum sibi nunciatum esset ab Angelo, quòd Virginem parerent, vnde salus mundi procederet, magis voluisse mori, quàm carnali amore conuenire, & voluptas in eis mortua erat. Tamen pro certo dico tibi, quòd ex charitate diuina, & ex verbo Angeli nunciantis, conuenerunt carne, non ex concupiscentia aliqua voluptatis; sed contra voluntatem suam ex diuina dilectione, & sic ex semine eorum per diuinam charitatem, caro mea compaginata est. Facto autem corpore meo, Deus à diuinitate sua animam creatam immisit corpori; & mox anima cum corpore sanctificata est, quam Angeli custodiebant, & seruabant die, ac nocte. Cum autē anima sanctificaretur, & corpori coniungeretur, tanta matri meæ aduenit lætitia, vt impossibile esset dictu. Deinde completo cursu vitæ meæ, primò animam meam, quia ipsa domina erat corporis, ad deitatem excellentiùs cæteris eleuauit. Inde corpus meum, vt nullius creaturæ corpus sit tam propinquum Deo, sicut meū. Ecce quantùm Filius meum dilexit animam meam, & corpus. Sed aliqui sunt, qui maligno spiritu negant me assumptā corpore, & anima; aliqui etiam quia nesciunt melius. Sed ista est pro certissimo rei veritas, quòd cum corpore, & anima ad deitatem assumpta sum. Filius meus quantum etiam honorauit nomen meū, audi. Nomen meum est MARIA, sicut legitur in Euangelio. Hoc nomen cum Angeli audiunt, gaudent in consciētia sua, & regratiantur Deo, qui per me, & mecum talem gratiam fecit, & quòd vidēt ipsi, humanitatem Filij mei in deitate glorificatam. Illi, qui in purgatorio sunt, vltra modum gaudent, tanquam æger in lecto iacens; si audierit ab aliquibus verbum solatij, & quod ei placet in animo, quod statim exultat. Angeli etiam boni audito hoc nomine, statim appropinquant magis iustis, quibus dati sunt ad custodiam, & gaudent de profectu eorum; quia omnibus hominibus Angeli boni dati sunt ad custodiam, & Angeli mali ad probationem. Non sic quòd ipsi Angeli separentur à Deo, sed animæ sic seruiunt, vt non relinquant Deum, sed iugiter sunt in conspectu eius, & tamen inflammant, & incitant animam ad agēdum bonum. Omnes etiam Dæmones verentur hoc nomen, & timent. Qui audientes hoc nomen MARIA; statim relinquunt animam de vnguibus, quibus tenebant eam. Sicut enim auis, quæ in prædam vngues, & rostrum habet, si audierit sonum aliquem, relinquit prædam, & cum nihil operis sequi videt, statim reuertitur ad eandem. Sic Dæmones audito nomine meo, statim relinquunt animam, quasi territi, sed iterum aduolant, & reuertuntur ad eam, quasi sagitta velocissima, nisi aliqua emendatio subsequatur. Nullus etiam tā frigidus ab amo-

re Dei est,nisi sit damnatus. Si inuocauerit hoc nomen hac intentione,vt nunquã reuerti velit ad opus solitum, quod non discedebat ab eo statim Diabolus, & nũquam ampliùs reuertitur ad eum, nisi resumpserit voluntatem peccandi mortaliter. Tamen quandoque permittitur ei turbare eum,propter maiorem remunerationem eius,sed non possidere.

Nota à Consaluo Duranto à sancto Angelo.

QVid per sanctificationẽ in præsenti nota intelligendum sit,tradidimus infra lib. 6. Reuelat. cap. 49. nota prima,quo loco asserimus, per sanctificationẽ hoc capite intelligendum esse ab originali peccato præseruationem,ac diuinæ gratiæ collationem;quandoquidem B. Brigittæ diuinitus reuelatum fuit MARIAM Virginem peccatum originale minimè contraxisse, vt ibi fuse probauimus. Ex quo fit, Verbum sanctificari hoc loco non posse accipi,pro eo quod est, aliquid,cùm prius esset immundum,mundare,& purgare. Cæterum sacrarum litterarum phrasim esse propriã, vt quod antea non fuit immundum,nec aliquo vitio inquinatum, id quoque sanctificari aliquando dicatur;quia munditiam, ac sanctitatem prius acceptam retinet. Probat Petrus Canisius lib. 1. de Deipara,c.9. ex D. Hierony. Cyrillo Hierosolymitano, Sophronio, Gregorio Theologo, Damasc. alijsque pluribus, & sic asserit interpretandum esse Arnobium, qui in explicat. Psalm. 14. scripsit, Iesum solum Virgineam aulam ingressum,ipsum tabernaculum à maculis carnalibus liberasse,& dedisse potius sanctificationem,quàm accepisse;nõ enim his verbis indicat Arnobius, Virginem (Christo in eius vtero ingrediente) fuisse mundatam à maculis,quas ante Cõceptionem contraxisset,cum nullam prorsus contraxerit;sed loquitur de his, quæ in alijs fœminis inuenire consueuerunt, à quibus quia matrem suam Christus seruauit immunem,ideo eam sanctificasse scripsit, & in eodem sensu accipiendum est, quod tradidit Ildelphonsus Archiepiscopus Toletanus, qui agens contra eos,qui de MARIÆ Virginitate, ac parturitione disputabant, Beata, inquit, Virgo nisi in vtero matris sanctificata fuisset, minimè eius natiuitas colenda esset;nunc autem, quia auctoritate totius Ecclesiæ dignè veneratur,constat eã ab omni originali peccato fuisse immunem. Sed clarius,hoc idem probari potest ex B. Laurentio Iustiniano serm. de Annc. Ab ipsa,inquit. Cõceptione in benedictionibus est præuenta dulcedinis, & à damnationis alienæ chirographo prius est sanctificata,quàm nata. Idem cõstat etiam ex sacris litteris, in quibus Christus à Patre sanctificari dicitur, Ioann. 10. quem Pater sanctificauit,& misit:quem locũ explicans Lyranus,sanctificauit (inquit) id est plenitudine gratiæ adimpleuit: cur ergo eodem modo etiam de MARIA, hoc loco dicendum non est? Cùm legimus,& mox anima cum corpore sanctificata est; nimirum ab originali labe præseruata, ac ingenti gratiarum cumulo in sua Conceptione referta est. Verùm plures quoque hoc ipsum annotarunt sacrarum litterarum interpretes ad eum versiculum Psalm. 45. Sanctificauit tabernaculum suum Altissimus,quo loco asserunt Altissimum Dei, scilicet Filium matrem suam sanctificasse, eam ab originali peccato præseruando, & flumine gratiarum ornando; & ideo legitur ibi: Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei, sanctificauit tabernaculum suum Altissimus: id autẽ quod sequitur, adiuuabit eam Deus mane diluculo, indicat,huiusmodi sanctificationem factã fuisse ab instanti Conceptionis MARIÆ;quandoquidem in diluculo,& in Aurora,nimirum,vt primum anima infusa est corpori, Beatiss. Virgo sanctificata est; hoc enim significant verba præsentis notæ, & mox anima cum corpore sanctificata est.

EX LIBRO QVINTO.

DEVS PATER LOQVITVR B. Brigittæ, subtiliter informans eam de virtute illorum quinque locorum,quæ sunt in Hierusalem,& Bethleem, & de gratia, quam recipiunt peregrini visitantes illa loca cum humilitate deuota, & vera charitate, dicens,quòd in dictis locis fuit vas clausum, & non clausum;nascebatur leo, qui videbatur,& non videbatur; fuit agnus tonsus, & non tonsus; ponebatur serpens, qui iacuit, & non iacuit;vbi etiam fuit Aquila,quæ volauit, & non volauit. Et exponit omnia ista in figura.

RE-

REVELATIO XIII. In LIBRO Quæstionum.

DEus Pater loquitur. Quidã Dominus fuit, cui dixit seruus suus. Ecce nouale tuum excultum est, & radices extirpatæ sunt, quando ergo seminandũ est triticũ? Cui dominus, licet inquit, radices extirpatæ videantur, tamen adhuc inueterati trũci, & stipites derelicti sunt, qui in vere ex pluuijs, & ventis soluendi sunt; ideo expecta patienter tempus seminãdi. Cui respondit seruus: Quid mihi faciendum est inter tempora veris, & messis? Cui Dominus. Ego inquit scio quinque loca; omnis qui ad illa accesserit, habebit quintuplicem fructum; si tamen mundus venerit, & vacuus à superbia, & feruens charitate. In primo loco fuit vas clasum, & nõ clausum; vas paruũ, & non paruum; vas luminosum, & non luminosum; vas vacuum, & non vacuũ, vas mundum, & non mundum. In secundo loco nascebatur leo, qui videbatur, & non videbatur, qui audiebatur, & non audiebatur, qui tangebatur, & non tangebatur, qui agnoscebatur, & incognitus fuit, qui tenebatur, & non tenebatur. In tertio loco fuit agnus tonsus, & non tonsus; agnus vulneratus, & non vulneratus; agnus clamans, & non clamans; agnus patiens, & non patiens; agnus moriens, & non moriens. In quatto loco ponebatur serpens, qui iacuit, & non iacuit. Mouebatur, & nõ mouebatur. Audiuit, & nõ audiuit. Vidit, & non vidit. Sentiebat, & nõ sentiebat. In quinto loco fuit aquila, quæ volauit, & non volauit; quæ & venit in locum, vnde nunquam recessit; quæ requieuit, & non requieuit; quæ innouabatur, & non innouabatur; quæ gaudebat, & non gaudebat; quæ honorabatur, & non honorabatur.

Expositio, & declaratio prædictorum in figura.

PAter loquitur. Vas illud de quo dixi tibi, MARIA filia Ioachim Mater humanitatis Christi fuit. Ipsa enim fuit vas clausum, & non clausum. Clausum diabolo, & non Deo, quia sicut torrens cupiens ingredi, vas oppositum sibi, & non valens, inquirit alios exitus, & ingressus; sic diabolus, quasi torrens vitiorum, cupiebat totis adinuentionibus suis appropinquare cordi MARIÆ. Sed nunquam ad aliquod quantumcumque minimum peccatum valuit inclinare animum eius, quia clausum erat contra tentationes. Nam torrens spiritus mei influxerat cor eius, & spirituali gratia repleuit eam. Secundò, fuit MARIA Mater Filij mei, vas paruum, & nõ paruum. Paruum, & modicum in humilitatis suæ cõtemptu. Magnum, & non paruum, in charitate deitatis meę. Tertiò, fuit MARIA vas vacuum, & non vacuum. Vacuum ab omni voluptate, & peccato; nõ vacuum, sed plenum cœlesti dulcedine, & omni bonitate. Quartò, fuit MARIA vas luminosum, & non luminosum. Luminosum, quia omnis anima pulchra à me creata est; sed anima MARIÆ creuit ad omnem perfectionem luminis in tantum, quod Filius meus fixit se in anima eius, ex cuius pulchritudine gaudebant cœlum, & terra. Sed vas istud, non luminosum fuit apud homines, quia mundi honores, & diuitias cõtẽnebat. Quintò, MARIA fuit vas mundum, & nõ mundum. Mundum verò fuit, quia tota pulchra, & tanta immunditia non inueniebatur in ea, vbi cuspis acus infigeretur. Sed non mundũ fuit, quia de radice Adæ processit, & de peccatoribus nata est, licet sine peccato cõcepta, vt Filius meus de ea sine peccato nasceretur. Ergo qui ad locum istum, scilicet vbi MARIA nata, & educata fuit, venit, non solum mundabitur, sed & erit vas in honorem meum. Secundus locus est Bethelecm, vbi Filius meus, tanquam leo natus est, qui videbatur, & tenebatur secundùm humanitatem; sed secundum diuinitatẽ, inuisibilis, & incognitus fuit. Tertius locus est Caluariæ, vbi Filius meus tanquam agnus innocens vulneratus, & mortuus est; secundum deitatem impassibilis, & immortalis erat. Quartus locus fuit hortus sepulchri Filij mei, in quo quasi serpens contemptibilis ponebatur, & iacuit humanitas eius, sed se-

secundum deitatem vbique erat. Quintus locus erat mons Oliueti, de quo Filius meus, quasi aquila euolauit secundùm humanitatem in cœlum, vbi secundùm deitatem semper erat. Qui innouabatur, & quieuit secundùm humanitatem, cum secundùm deitatem semper quietus, & idem erat. Ergo qui ad ista loca venerit mundus, cum bona, & perfecta voluntate; habebit videre, & gustare, quàm dulcis, & suauis sum ego Deus. Itaque cùm veneris ad ista loca, ostendam tibi plura.

OBSERVATIO.

QVia Durantus à sancto Angelo nihil ad hanc reuelationem notauit, quæ tamen ex antithetis conflata instar ænigmatis videri potest, soluti quidem ab eo, qui proposuit; sed maiestas diuinorum verborum, etiam cum se ipsa explicant, operam postulant interpretis, vt in aliquibus parabolis euangelicis ostenditur; sciat pius, & studiosus Lector, Alphons. Tostatum Episcop. Abulens. iussu Serenis. Mariæ Castelle Reginæ huic ipsi reuelationi enucleandæ incubuisse paradoxis, quæ habentur inter eius Opusc. tom. vlt. & titulus primi Paradoxi est, MARIA fuit vas clausum, & non clausum, paruum, & non paruum, &c. *Vbi piam opinionem de Immacul. Concept. docet. Prolixam Abulensis disputationem in compendium redegit Leander à S. Mart.* Benedict. *lib. inscripto.* Otium Theologicum tripartitum, *& quæ ad rem nostrã spectant, denuo collegit P. Fr. de Alua Franciscan. tomo 1. Bibliot. Virgin. fol. 633.*

EX LIBRO SEXTO.

MATER DEI NOTIFICAT certitudinem, qualiter ipsa concepta fuit ex præcepto obedientiæ diuinæ à parentibus sine aliquo peccato originali.

CAP. XLIX.

MAter Dei loquitur. Si alicui volenti ieiunare, qui desiderium haberet comedendi, sed voluntas resisteret desiderio, præciperetur à superiori, cui obediendum esset, quòd propter obedientiã comederet, & ille propter obedientiam contra velle suum comederet, illa comestio maiori remuneratione digna esset, quàm ieiunium. Per similem modũ coniunctio parentum meorum fuit, quando ego concepta fui. Et veritas est, quòd ego concepta fui sine peccato originali, & non in peccato; quia sicut Filius meus, & ego nunquam peccauimus, ita nullum coniugium fuit, quod honestius esset, quàm illud, de quo ego processi.

Nota prædicti Doctoris Consalui Duranti.

BEatissimam Virginem in sua Conceptione, originale peccatum minimè contraxisse, hoc loco apertè scribitur. Sicut etiam supra legimus libro quinto, cap. vlt. circa finem, ibi (de radice Adæ MARIA processit, & de peccatoribus nata, licet sine peccato concepta) hoc idem colligitur ex serm. Angelico de Virg. excellentia, qui in fine huius operis positus est, cap. 21. Hanc autem opinionem, quòd MARIA originale peccatum non contraxerit, sic esse probabilem censeo, vt tamen contrariam posse defendi existimem, iuxta constitutionem Sixti Papæ Quarti in extrauag. Præexcelsa, & graue nimis, de reliquijs, & veneratione Sanctorum. Prima tamen opinio admodum pia est, & magis communis, & nostris temporibus omnium scriptorum consensu recepta; quoniam congruum fuit, quòd Filius Matrem suam his fauoribus honoraret, quales tanti Filij matrem decere cognoscebat; ideo Cant. 4. de ea scribitur. Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te; hanc sententiã tenuit in primis Conc. Basileen. sess. 13. quo loco non simpliciter id esse de fide definit; sed admodum pium, sacrisq; litteris, & veritati conforme, & prohibet doceri contrarium, & quanuis illud Conc. videatur claudicasse, vt ex Lateranensi Conc. sub Leone X. constat: non tamen hoc fuit ob hæresim aliquam; sed propter schisma, quia sub obedientia Papæ non processit: in his tamen, quæ non spectant ad Pontificem, negari non potest auctoritatem huiusmodi Concilium habere, & præsertim quantùm pertinet ad hanc veritatem de Beatiss. Virg. Concept. comprobandam, vtpote, quæ recepta videtur in eo Conc. communi Episcoporum consensu. Fauet etiam

Conc.

Conc. Trid. ses. 5. quatenus à generali Decreto de originali peccato B. Virginem excipit, eamque Immaculatam vocat; sic enim habet ad finem capitis primi (declarat hæc ipsa Sancta Synodus, non esse suæ intentionis comprehendere in hoc decreto, vbi de peccato originali agitur, Beatam, & Immaculatam Virginē MARIAM Deigenitricem. Et ex Patribus tradit hoc antiquiss. & grauiss. auctor D. Gregorius Thaumaturgus serm. primo in Annuntiat. B. Virgin. quod etiam insinuauit illius interpres Gerardus Vossius in notis ibidem, qui pro hac sententia etiam citat S. Ephrem Syrum. Hāc eandem secuti sunt Diuus Anselmus de Concept. Virginis. Diu. Augustinus de natura, & gratia, cap. 36. Damascenus oratione prima de Natiuitate Virginis, & orat. prima de Assumpt. Sedulius libro sexto. Paschalis de miraculis Christi in principio. Cyrillus Alexandrinus libro sexto in Ioann. cap. 15. S. Vincentius Ferrerius serm. 1. Natiuit. Laurentius Iustinianus serm. de Annunt. Richardus Victorinus serm. de Concept. & ex Scholasticis Magister in tertio, dist. 3. Scotus ibidem quæstione prima, Franciscus de Mayronibus, Thomas de Argentina, Almaynus, Carthusianus, Ioannes Bacconus. Fauent etiam Driedo 3. de dogmat. tract. 2. cap. 4. part. 1. Abulens. in prologo Bibliæ, cap. 6 & Exodi 34. quæst. 8. Lipoman. in Cathen. Genes. 15. Couarruuias in cap. Alma Mater, part. 2. §. 5. n. 2. Iacob. de Valentia in Psal. 13. Ambros. Catharinus in Opusc. de Concept. & in Annot. contra Caetan. lib. 4. longè post medium, Corduba lib. 1. quæstionarij, quæst. 44. Aureolus apud Capreolum, Gers. Opusc. de Concept. Card. Cusan. lib. 5. exercitat. & lib. 8. Vega lib. 2. in Concil. Trid. c. 6. Roffensis disput. 2. contra Luterum, Clithoueus Opusc. de purit. Virgin. cap. 5. & 6. Canisius lib. 1. de Deipara, cap. 9. Ex his optimè infertur, quòd libro primo Reuelat. cap. 9. nota 5. indicauimus, per sanctificationem ibidem intelligendam esse præseruationem ab originali peccato, in quo sensu nomine sanctificationis plures ex citatis Doctoribus vsi sunt. Verum in præsenti illud prætereundam non est, quòd Cardinalis Caetanus tomo 2. Opusc. tract. 31. cap. 5. affirmat, quòd licet reuelatum sit B. Brigittæ, MARIAM originale peccatum non contraxisse; tamen contrarium fuisse reuelatum sanctæ Catharinæ Senensi, quam dicit fide digniorem esse censendam; quippe quæ canonizata est, sicut cæteri Sancti; B. verò Brigittam in numerum Sanctorum fuisse relatā, tempore schismatis, quo nullus habetur certus Papa; sed hæc doctrina Caetani primò reijciēda est, quoniam quantum spectat ad canonizationem B. Brigittæ, nulli dubium est, eam legitimè fuisse canonizatam à legitimo Pontifice, quoniam Bonifacius Nonus, qui eam in Sanctorum numerum retulit, fuit legitimus Petri successor, & pro vero Pontifice habitus est, quod nullus alius negat; quando quidem Petrus Luna, qui contra Bonifacium Autnione Papa fuerat renuntiatus, & Benedictus Decimustertius appellatus, Pontifex adulterinus fuit, vt legenti Conc. Constantiense, sess. trigesimaseptima, & diu. Antoninum 3. part. titul. 22. cap. 5. § 2. & Ioann. Pined. in Monarchia Eccles. tom. 3. lib. 23. cap. 14. §. 3. & Platinam in vita ipsius Bonifacij constabit. Et latius hoc probat Antonius Corduba lib. 1. quæstionarij, quæst. 44. in quarta probat. 6. conclusionis; sic enim habet. Et quidem canonizatio S. Brigittæ non solùm à toto orbe suscepta est; verum etiam à Martino Quinto specialiter approbata. Idem habet Ambrosius Catharinus in Annotationibus contra Caetan. loco supra citato. Ex his euidenter patet, non esse in dubium reuocandam B. Brigittæ canonizationem, cùm præsertim ex Bulla ipsius Martini Quinti, vt annotauit Corduba, constet omnia, quæ circa eam cānonizationem à Bonifacio Nono facta sunt, esse censenda canonicè facta; idem quoq; probat communis Ecclesiæ vsus, quæ Beatā Brigittam tanquam legitimè canonizatam veneratur, & colit, & constat ex Martyrologio Romano, vigesimatertia Iulij, & ibidem annotauit Cardinalis Baronius, & Molanus eodem die, & Surius tom. 4. & Cæremoniale Romanum lib. 1. sect. 6. cap. 2. Secundam etiam dictum Caetani facilè refellitur, cùm dicit, Beatæ Catharinæ Senēsi fuisse reuelatū, MARIAM Virginem originale peccatum contraxisse: probat enim hoc ex Diu. Antonino part. suæ Theologiæ, tit. 8. cap. 2. sed huic obiectioni quidam respondet, post obitum sanctæ Catharinæ fuisse confictam huiusmodi reuelationem à defensoribus illius sententiæ, ad infirmandam reuelationem contrariam; verum

E rum

rum probabilibus mihi videtur dicendum hoc falsum esse, quòd hoc D. Catharinæ fuerit reuelatum, vt ipse supponit; nam nec Diuus Antoninus, nec Diuus Raymundus, qui illius cõfessiones audiuit, nec alius quispiam, qui eius res gestas litteris consignauit, eius reuelationis meminerunt, quod etiam annotauit Franciscus Suarez in commentarijs ad 3. part. S. Thomæ, q. vigesimaseptima, disp. 3. sect. 5. tomo 2. Idem admonuit Martinus del Rio in libro, quem inscripsit disputationes Magicæ, lib. 4. to. 2. q. 3. sect. 4. cap. 1. vbi fuse pertractat de prophetijs, seu reuelationibus Virginum & mulierum, quæ canonizatæ, & notæ sanctitatis sunt, & has D. Brigittæ contra Henricum de Asia defendit, easque multis rationibus confirmat.

EX EODEM LIBRO SEXTO.

MATER DEI DICIT, QVOD bene potest vocari aurea hora illa, in qua ipsa à parentibus concepta fuit, qui plus hoc fecerunt ex obedientia diuina, quàm voluntate propria, & plus ibi operata est charitas Dei, quàm voluntas carnis, sed voluit Deus, quòd Conceptionis eius modus non statim omnibus notus esset, donec veritas claresceret tempore præordinato.

CAP. LV.

MAter Dei loquitur. Quando Pater meus, & mater mea matrimonialiter conuenerunt, plus fecit hoc obedientia, quàm voluntas, & plus operata est ibi charitas diuina, quàm voluptas carnis. Nam hora, in qua ego concepta fui, benè potest vocari aurea hora, & pretiosa, quia alij coniuges conueniunt ex voluptate carnali; mei verò parentes conuenerunt ex obediẽtia, & præcepto Dei. Benè ergo aurea hora fuit cõceptio mea; nam tunc incepit principium salutis omnium, & tenebræ, quasi festinabant in lucẽ. Deus namque singulare quoddam, & à sæculo absconditum facere voluit in opere suo, quemadmodum fecit in virga arida florescente. Sed scito, quòd Conceptio mea non omnibus nota fuit; quia voluit Deus, quòd sicut ante legem scriptam præcessit lex naturalis, & electio voluntaria boni & mali, & postea veniret lex scripta, quæ cohiberet omnes inordinatos motus, sic placuit Deo, quòd amici sui piè dubitarent de Conceptione mea, & quilibet ostenderet zelum suum; donec veritas clarescceret in tempore præordinato.

Nota prædicti Doctoris Consalui Duranti.

MAria Virgo in præsenti capite causam affert, quapropter multis multo tẽpore, ignota, vel obscura, incertaque manserit Conceptio sua, idque factum esse affirmat; quia, inquit, voluit Deus, quòd sicut ante legem scriptam præcessit lex naturalis, & electio voluntaria boni, & mali, & postea veniret lex scripta, quæ cohiberet omnes inordinatos motus; sic placuit Deo, quòd amici sui piè dubitarent de Conceptione hac, vt quilibet ostenderet zelum suum, donec veritas clarescere tempore præordinato. Eandem ob causam, etiam de Assumptione illius ad cœlum à quibusdam dubitatum est, an scilicet corpore, & anima simul assumpta fuerit, de anima quidem certissimum est. Cæterum cùm de his in sacris litteris nihil scriptum sit, meritò Doctoribus dubitandi locus relictus est, & sanè si quispiam quæreret; cur sancti Euangelistæ horum nõ meminerint, id factum esse, arbitrati sunt Michael Glica p. 3. Annal. & Canis. de B. Virg. lib. 5. cap. 2. quòd Apostoli in animo habuerunt, non longius historiam sacram, quàm ad Christi in cœlos Ascensionem vsque producere; MARIA verò, quia diu in terris superstes mansit; ideo de eius morte nihil eos dixisse: Apostolorum namque primaria intentio fuit, vt præcipuè fidei nostræ dogmata verbis, & scriptis publicarent, eaque hominum cordibus imprimerent, & ideo illa potissimum scriptis consignasse. Hinc est, quòd cap. 61 huius libri circa finem B. Brigitta dicit, Deum prius hominum cordibus infigere voluisse Ascensionis suæ fidem, antequam mundo indicaret, Matrem suam ad cœlos fuisse assumptam anima, & corpore (quia corda, inquit, hominum dura erant, ac difficilia ad credendam Filij mei Ascensionem, quanto magis, si prædicata fuisset ab initio fidei Assumptio mea.) Eandem rationem attulit Ruper-

pertus lib. 7. de diuinis Offic. cap. 25. Dicit enim, Euangelistas ea scripsisse, quæ ad mysteria fidei confirmanda conferebant; quod egregiè explicauit Franciscus Suarez in comment. super 3. part. S. Thomæ, quæst. 55. disp. 49. sect. 1. Cæterum addendum est, noluisse Deum in principio nascentis Ecclesiæ palam facere omnibus Matris suæ Conceptionem, & ad cœlos anima, corporeque Assumptionem, aliaque singularia priuilegia illi diuinitus concessa; quoniam non expediebat, cuncta Ecclesiæ diuina arcana simul reseruare, & fidelibus suis omnia simul aperire; quod insinuauit Christus Dominus Ioann. 6. qui postquam in sermone vltimæ cœnæ plura discipulos docuisset, adhuc multa habeo, inquit, vobis dicere, quæ non potestis portare modo: proficit nãque Ecclesia, vt in virtutibus, & bonitate, ita in scientia, & doctrina, Deo eam pleniùs quotidie illustrante; eaque de causa Cant. 6. comparatur auroræ, dum dicitur. Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora; aurora quippe temporis processu magis splendet, rutilat vehementiùs. Quod ergo Mater Dei ab originali peccato fuerit præseruata, aut in cœlos anima, corporeque assumpta, non omnibus fuit notũ: si enim hoc, & publicè, & palam fuisset pronuntiatũ, & tunc maximè, quando fidei fundamenta nondum satis firmè, & constanter iacta fuerant, contingere potuisset, vt quæ eximia est, semper quæ fuit, Christianorum omniũ erga tantam Virginem deuotione adeo aliqui afficerentur, vt ipsam non vt creaturam, sed velut creatorem, & non solum vt Deigenitricem; sed vt Deum adorassent; & propterea egregiè admonuit Epiphanius hæresi 79. Christum Dominum non vocasse MARIAM Matrem, quando ipsa à Filio miraculum petijt, vt in nuptijs aquam in vinum conuerteret: dicit enim id fecisse, ne quis eam supra hominem, aut etiam esse Deum existimasset, & ideo dixit, vt Ioann. 2. scribitur. Quid mihi, & tibi mulier, & sanè Dionisius Areopagita, cùm ad MARIAM venisset, & corporis pulchritudinem, morum sanctitatem, & nescio quem in ea diuinum fulgorem spectasset, hoc dixisse fertur. Nisi mihi de Filio tuo fuisset reuelatum, quòd Deus esset, facilè crederem, alium, præter te non esse Deum. & hoc narrat Dionysius Richelitus in elucidat. capitis tertij de diuinis nominibus. Quo factũ esse cẽseo, vt cum propter eximia, ac innumera priuilegia, & maximè ob originalis peccati immunitatem, quibus quantum puræ creaturæ licet, a d Christi Domini eius Filij accessit dignitatem, noluerit idem Filius, consulens imbecillitati, ac fragilitati nostræ, statim, sed longo temporis cursu notum hoc fieri, & publicè omnibus prædicari, vt fideles latiùs, præcipuum, ac insigne priuilegium suæ Matri concessum cognoscerent, firmiùs crederent, & ardentiùs post tot sæcula agnitam, immaculam ipsius Conceptionẽ vnanimi consensu confiterentur. Licet enim hoc ab Ecclesia nondum fuerit determinatum, vt nos indicauimus libro 6. Reuelat. cap. 49. nota 1. nihilominus aperuit saltem hactenus partem tanti mysterij concedens, quòd hoc possit credi, & palam, ac publicè prædicari, iubens etiam, diẽ festum sacrosanctæ Conceptionis vbique coli, ac celebrari.

Ex sermone Angelico de excellentia B. Virginis MARIÆ.

In istis tribus lectionibus subsequentibus tractat Angelus de Virginis Conceptione, & de eius natiuitate, & quomodo ipsam Deus dilexit adhuc etiam, dum esset in vtero Matris suæ.

Feria quarta, Lectio 1.

ABSOLVTIO.

Nostræ tenebras ignorantiæ illuminet Virgo Mater sapientiæ.

CAP. X.

ERant homines ante legem datã Moysi, & longo tempore ignorantes, quomodo se, & actus suos in hac vita regerent. Vnde illi, qui diuinæ charitatis ardore flagrabant, sicut Deo placere opinabantur, opera sua, & mores sollicitè ordinabant. Alij verò, qui amorem Dei non habebant, timore Dei contempto, quicquid placebat eis, faciebant. Horum igitur ignorantiæ diuina bonitas misericorditer condescendens, per Moysem seruũ suum legem constituit, per quam ad omnem Dei voluntatem regerentur. Hæc denique lex, qualiter Deus diligeretur, & pro-

proximus, & qualiter coniugium inter virum, & mulierem honeſto, & diuino iure teneretur, edocebat, vt ex tali cõiugio illi procrearentur, quos Deus vocare vellet ſuum populum. Et verè huiuſcemodi coniugium Deus in tantum diligebat, quòd ex eo decreuit humanitatis ſuæ honeſtiſsimam Genitricem accipere. Vnde quemadmodum aquila, quæ in ſublimi aere volitans, perluſtratis pluribus nemoribus, vnam arborem tam firmiter radicatã eminus reſpiceret, quòd ex ventorum impulſibus euelli non poſſet, ſtipitem quoque eius ita procerum, quòd per eum nemo valeret aſcendere, quæ etiam in tali loco ſtaret; quod impoſsibile videretur, quòd aliquid ſuper eã à parte ſuperiori caderet, & hanc arborẽ aquila diligentiùs intuens, nidum, in quo quieſcere vellet, in ea conſtrueret. Ita Deus qui huic aquilæ comparatur, cuius cõſpectui omnia futura, ſicut & præſẽtia clara ſunt, & aperta, dũ vniuerſa, iuſta, & honeſta coniugia, quæ à primi hominis creatione, vſque in diem nouiſsimũ fieri debebant, proſpiceret, nullũ ſimile Ioachim, & Annæ coniugio, in omni diuina charitate, & honeſtate præuidit. Et idcirco ei placuit, de hoc ſancto coniugio, honeſtiſsimæ ſuæ Matris corpus, quòd per nidum intelligitur, generari, in quo ipſe cum omni conſolatione dignaretur quieſcere. Congruè quidem decoris arboribus deuota comparantur coniugia, quorum radix eſt vnio talis duorũ cordium, vt ſcilicet pro illa ſola ratione coniungantur, quòd ipſi Deo honor, & gloria inde proueniat. Conuenienter etiã fructiferis ramis ipſorum coniugiũ voluntas ſimilatur, quando in omnibus ſuis operibus, ita timorem Dei obſeruabant, quòd etiam tantummodo cauſa prolis, ad laudẽ Dei procreante, iuxta Dei præceptum ſe inuicem honeſtè diligant. Talium denique coniugiorum ſublimitatem, viribus, vel artibus ſuis inſidiator nequit attingere, quando ipſorum gaudium non eſt aliud, niſi vt Deo rependatur honor, & gloria; & quando nulla etiã eos commoleſtat tribulatio, niſi Dei offenſa, & inhonoratio. Tunc autem in tuto loco ſtare videntur, quando bonorum mundialium, ſiue diuitiarum affluentia, ipſorum animos ad ſuum amorem, ſeu ſuperbiam non valet allicere. Vnde, quia tale Ioachim, & Annæ coniugium Deus prænouit fieri debere; propterea domicilium ſuum, videlicet corpus ſuæ Matris ex ipſo colligi præordinauit. O Anna mater reuerenda, quàm pretioſum theſaurũ in tuo baiulaſti vtero, quando MARIA, quæ Mater Dei fieri debebat, in ipſo quieuit! Verè ſine omni ambiguitate credendum eſt, quòd materiam illam ſtatim, quando in Annæ vtero concepta, & collecta fuit, de qua MARIA formari debebat, ipſe Deus plus diligebat, quàm omnia humana corpora à viro, & muliere generata, & generanda per mundum vniuerſum. Vnde venerabilis Anna verè nuncupari poteſt omnipotentis Dei gazophylatium; quia ipſius theſaurum ſuper omnia ſibi amabilem in ſuo vtero recondebat. O quàm prope erat iugiter cor Dei huic theſauro! O quàm piè, & alacriter huic theſauro oculos ſuæ maieſtatis infixit, qui poſtmodum in Euangelio ſuo ſic ait, Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt cor tuum! Et ideo verè credibile eſt, Angelos ex hoc theſauro non modicum exultaſſe, quando conditorem ſuum, quem plus ſe ipſis deligebant; ita illum theſaurũ diligere cognoſcebant. Quapropter benè eſſet conueniens, & dignum, quòd dies illa ab omnibus in magna reuerentia haberetur, qua materia illa in Annæ vtero concepta, & collecta fuit, ex qua bededictũ corpus Matris Dei formari debebat, quàm ipſe Deus, & omnes eius Angeli in tanta charitate peramabant. Tu autem Domine.

OBSERVATIO.

HActenus S. Brigittæ reuelationes inter præcipua IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS munimenta exhibuimus, non temporum ordinem ſequuti (integro enim ferè ſæculo Baſileenſe Concilium anteceſſerunt) ſed vt ratio habeatur inſignis earumdem Defenſoris D. Cardinalis à Turrecremata ex Illuſtriſs. Dominicanorum familia, tunc S. Palat.

Apoſt.

Apost. Mag. testis omni exceptione maioris, morum integritate, & latè patenti doctrina priscis Patribus comparandi. Is ergo ab ipso Concilio adhuc legitimo, & sub obedientia Eugen. IIII. continuato, anno scilicet 1435. (cum litteræ Eug-nij de Concilij suspensione an. 1639. die Ian. 24 datæ noscantur) cum alijs Theologis ad examen prædictarum reuelationum contra earum obtrectatores deputatus, non solum eas approbauit, sed celebre pro illis Defensorium Concilio obtulit, quod postea Cardinalis publicauit.

Extat verò volumen reuelationum MS. Toleti, in Biblioth. cœnobij regalis sancti Ioann. Ord. Minor. deinde typis excussum an. 1492. per Bartholom. Ghotan, & nouissimè Antuerp. anno 1611. cum Turrecrem. Defens. & Notis Consalui Duranti à S. Angelo, quæ exemplaria inter se egregiè conueniunt.

De ipsarum reuelationum in vniuersum auctoritate præstò sunt grauissima Doctorum testimonia, & Catholicæ Ecclesiæ iuditium in oratione, & lectionibus offitij diuini die 8. Octobr. Quantùm autem ponderis habeant pro IMMACVLATA CONCEPTIONE, ex professo ostendunt ex PP. Soc. Iesu, Salm. to. 13. disp. 52. in Epist. ad Rom. Granad. disp. 3. cap. 3. Perlin. disput. 10. cap. 8. Canis. lib. 1. cap. 10. Salaz. cap. 42. Vazq. in 3. p. disp. 117. cap. 8. Ex Dominicanis præter Turrecr. quem adeo expressæ sententiæ puritatis Virginis subscribentes; quominus de omnibus reuelationibus magnificè sentiret, ac prædicaret, non deterruerunt, & quidem post diligentissimam discussionem; Vincenc. Iustin. §. 9. fol. 12. Ambros. Catherin. in 2. Opusc. de Concept. apud Biblioth. Virg. fol. 42. Ex Franciscanis Serran lib. 2. cap. 8. Daza cap. 16. Miranda in tract. Lat. quæst. 23. Moren. cap. 4. §. 1. Carthag. lib. 1. homil. 19. Vvading. in legat. orat. 10. sect. 3. à fol. 342. ad 354. Castill. to. 1. disp. 2. q. 1. num. 49. Ex Ordine S. Norberti R. P. Bernal disp. 4. fol. 49. & P. Sobrinus: Ex Carmelitanis P. Lezana: Ex Iurisconsultis Guerrer. de Espin. concord. 15. fol. 179. Ex Clericis secularibus, & Regularibus Porren. cap. 4. col. 6. Nouat. cap. 3. quæst. 3. fol. 48. & quæst. 4. fol. 55. ex Religiosis Equitibus Aguer. cap. 4. fol. 132. Ex Augustinianis P. Embid. cap. 18. fol. 95. & Ægid. de Præsent. lib. 3. quæst. 6. art. 4. §. 2. pag. 332. cuius vnius auctoris integrum locum subijcere operæpretium erit, quia rem totam doctè, & plenè tractans videtur hanc nostram controuersiam in animo habuisse. Sic ergo ipse.

Superest, vt reuelationes referamus, & singulas examinemus. Primo loco referemus reuelationes, quæ B. Brigittæ de immunitate Conceptionis B. Virginis, & à Christo, & ab illa factæ fuerunt. Prima habetur lib. 1. cap. 9. num. 5. pag. 14. col. 2. vbi Beata Virgo affirmat, *Animam cum corpore in ipsa Conceptione fuisse sanctificatam.* Et lib. 5. in fine pag. 409. Deus Pater affirmat, *MARIAM ex peccatoribus quidem natam, attamen sine peccato conceptam.* Lib. 6. cap. 9. pag. 470. ipsa B. Virgo hæc profert verba, *Veritas est, quòd ego concepta fui sine peccato originali, & nō in peccato;* quæ verba omnem prorsus tollunt dubitationem.

At, inquit Caietanus, oppositum fuit reuelatum B. Catharinæ Senensi, vt refert B. Antoninus 1. p. Summ. tit. 7. c. 2. ad finem: vnde infert cum eodem D. Antonino, has reuelationes non fuisse à Deo. Et addit; si alicui standum foret, potius standum esset reuelationi S. Catharinæ, quia verè est canonizata; cùm tamen B. Brigitta canonizata sit tempore schismatis, quando nullus habeatur certus, & indubitatus Papa.

Sed in his, quæ scribit, turpiter hallucinatus est Caiet. & falsitatis conuincitur, dum ait, B. Brigittam non fuisse legitimè canonizatam, vt quæ canonizata sit tēpore schismatis à Bonifacio IX qui non fuit indubitatus Papa: nā licet ab eo canonizata sit anno 2. sui Pontificatus nonis Octobris, qui fuit an. 1291. vt patet ex Bulla canonizationis, quam refert Cardinalis Turrecremata in prologo posito in lib. reuelationum eiusdem S. Brigittæ: tamen ex eadem Bulla, & ex registro Gregorij XI. & Vrbani VI. cōstat, præcitatos Pontifices, qui fuerunt ante præcitatum schisma, & ante Bonifacium IX. de huius sanctæ canoniza-

tione plura egisse, & vtrumque eam incepisse, licet neuter eam perfecerit, vt patet ex eodem Turrecremata in præcitato prologo c. 1. post medium; & tandem eam perfecisse Bonifacium IX. & nunc canonizationem Martinus V. legitimus Pontifex approbauit, & confirmauit Kalendis Iunij, anno Pontificatus 2. qui fuit Christi 1419. vt patet ex Bulla, quam idem Cardinalis Turrecremata refert loco citato. Et quia Caietanus hanc Bullam videre noluit; ideo ignorantia deceptus (crassa tamen) de legitima sanctæ Brigittæ canonizatione dubitauit. Quare quoad hoc canonizatio illius æqualis est auctoritatis cum canonizatione B. Catharinæ Senensis.

Superest expendere, an vtriusque reuelationes æqualis sint auctoritatis, & fidei? Et quod attinet ad reuelationes B. Brigittæ, de illarũ fide, & auctoritate nullus dubitare potest: etenim ex ijs, quę dictus Cardinalis Turrecremata scribit in dicto prologo, c. 1. patet has reuelationes nõ solum in vita illius à Prælatis, virisque doctissimis accuratè examinatas, & approbatas fuisse; sed etiam post illius mortem à Summis Pontificibus accuratissimo per Cardinales sanctæ Ecclesiæ, & Theologos doctissimos examine præmisso receptas, & confirmatas esse. nam Gregorius XI. post obitum B. Brigittæ anno 1377. eas sibi præsentatas tribus Cardinalibus, & quatuor peritissimis Theologis tradidit reuidendas & expendendas, qui de cõmuni consensu iudicarunt, *Totum, quod in illis continebatur, & veritate conspicuum esse, & sanctitate plenum, perlucidum, atque perfectum*; illis autem ab eodem Gregorio Vndecimo approbatis (quia eiusdem sanctæ canonizationem perficere non potuit) rursus præsentatæ fuerunt Vrbano VI. qui Gregorio XI. immediatè successit anno Domini 1378. à quo quinque doctissimis Cardinalibus, & septem Theologis, & iure peritis secundo loco fuerunt commissæ, qui omnes diligenti examinatione præmissa, & vera relatione de earum veritate, & sanctitate ad eundem Vrbanum delata, idem Vrbanus, *Eas vt authenticas, & veritate plenas, & à Dei spiritu veraciter traditas, & ad vtilitatem legentium, & audientium pro saluberrimo fidelium dogmate in Dei Ecclesia in perpetuum cum deuotione, & reuerentia studiosius obseruandas approbauit.* Quorum vestigia imitatus Bonifacius IX. easdem reuelationes tertio examinandas viris doctissimis proposuit, & easdem approbans cum B. Brigitta loquens, illa dixit verba, quæ Ozias cum Presbyteris ad Iudith locuti sunt, *Omnia, quæ locuta es, vera sunt.* Illa item, quę scribuntur 3. Reg. 17. *Verbum quidem Domini in ore tuo verum est.* Et quamuis non fuerit indubitatus Papa, tamẽ dum iudicium Gregorij Vndecimi, & Vrbani Sexti secutus est, in hoc errare non potuit: vnde illius etiã approbatio magni facienda est. Ex quibus euidenter cõstat, reuelationes B. Brigittæ non posse non censeri authenticas; & subinde in magna habendas esse veneratione: cùm autem duobus indubitatis Summis Pontificibus probatæ fuerint, & confirmatæ, & à Bonifacio IX. qui licet indubitatus non fuerit Papa; tamen illius iudicium magni faciendum est, cum iudicio indubitatorum Pontificum fuerit conforme: maximè, quoniam in eodem iudicio perstitit, in quo fuit, quando ex commissione Cõcilij Basileensis adhuc legitimi sub obedientia Eugenij Quarti permanentis, easdẽ reuelationes, vt veras, & authenticas approbauit, anno 1435. cum adhuc officio magistri sacri Palatij fungeretur: ex quo colligitur ipsum Basileense Concilium, adhuc legitimum easdem reuelationes approbasse: non est igitur dubitandum de fide, & auctoritate harum reuelationum.

An verò reuelationes sanctæ Catharinæ Senensis habeant auctoritatem? Mihi non constat; nam licet peritorum iudicio fortè sint approbatæ; non constat tamen, an à Sede Apostolica approbatæ fuerint, & confirmatæ? Deinde licet quoad alias reuelationes verè sint authenticæ: non constat tamen authenticam esse, quæ negat B. Virginem sine originali peccato fuisse conceptam: de hoc

hoc enim grauissimi Theologi dubitãt, asserẽtes, hanc reuelationem post obitũ sanctæ Catharinæ, à quibusdam indiscreto quodam zelo fuisse confictam, & alijs super additam ad infirmandam fidem reuelationum, quæ puritatem conceptionis confirmant. Hoc fuit iudiciũ Catharini, quẽ in hoc sequuntur Suar. to. 2. ad 3. p. disp. 3. sect. 5 § Tertiò au getur, pag. 40. col. 1. & Vazq. Bellomõtanus 2. to. ad eandem 3. p. disp. 117. nu. 79. pag 42. nec omnino hoc reijcit Lezana in suo Apologet. cap. 14. fol. 67. pag. 1. nec sine fundamento: quoniã nec frater Raymundus, nec Stephanus Carthusiensis, nec frater Thomas Senensis, nec D. Antoninus, nec vllus alius, qui B. Catharinæ vitam scripsit, aut reuelationes eius collegit, huius reuelationis mentionem facit: cui fundamento Lezana aliud addit, quod in Opusculis eiusdem sanctæ nihil huius reuelationis reperitur: cùm tamen publica notariorũ fide constet reuelationem quod B. Virgo ab originali fuerit immunis, in libro reuelationum à Sede Apostolica approbato contineri, vt videre est in Prologo Cardinalis Turrecrematæ ad reuelationes Beatæ Brigittæ.

Si verò respondeas, in reuelationibus hanc non haberi, sed in libris orationum, & locutionum, quibus in raptu ad sponsum locuta est, in quo lib. orat. 16. alloquens sponsum, *fatetur, B. Virginem statim post animæ infusionẽ fuisse à macula originali purgatã.* Huic solutioni illud primum respondebo, me hunc librum non vidisse, & cùm oratio illa ab vno solo Bandello in suo tract. cõtra B. Virginẽ, fol. 39. pag. 2. referatur, non firmum haberi testimonium; cùm Bandellus sæpiùs falsitatis conuincatur. Deinde respondeo, probabilissimam esse Lezanæ responsionem, non omnia quæ in orationibus Sanctorum dicuntur, dicta cẽseri ex speciali aliqua reuelatione; sed plerumque dicta esse ex propria sententia. Potuit igitur B Catharina ab aliquo sui ordinis edocta, hanc sententiam verissimam putare, & eam tanquam certissimã cum Deo loquendo tractare. Et quidem quòd B. Catharina verba illa non dixerit ex reuelatione, satis indicãt illa alia, quæ post orationem adiunguntur: *Tu scis, Domine, quia ista est veritas.* etenim, qui alicuius mysterij reuelationem accipit, de veritate rei reuelatę diuino testimonio internè certificatur, vt non pendeat ab extrinseco diuinæ scientiæ testimonio, vt illud ad confirmãdã veritatem eius rei, de qua loquitur, imploret. Ni dicas cum Martino del Rio, quem refert, & probat Lezana, verba illa ab aliquo fuisse superaddita. Valeat igitur Caietanus, dum ait, maiori fide dignam esse sanctam Catharinam Senensem, quàm B. Brigittam: etenim si sermo sit de vtriusque reuelationibus in genere, quæ sunt B. Brigittæ, à Sede Apostolica suam habent auctoritatem, quam tamen non habent, quæ sunt B. Catharinæ Senensis: si verò sermo sit de hac speciali reuelatione immunitatis Virginis gloriosæ, non solùm indubitatum est, hanc reuelationẽ inter alias B. Birgittę contineri; sed etiã à Sede Apostolica ter, vel quater esse approbatam: cùm tamen non sine fundamento dubitetur, an, quæ ex B. Cathanina adducitur, verè illi sit facta? Vt ex dictis patet. *Huc vsque sapientissimus Pater Magister Ægidius vnus ex illustrioribus huius ætatis scriptoribus.*

STATVTVM DE Cõceptione Beatissimæ Virginis MARIÆ editum anno Domini M. CCCCLVII. die septima mensis Septembris in Concilio Prouinciali celebrato in Ecclesia Auinnionẽsi per Reuerẽdissimos in Christo PP. & DD. DD. Cardinales de Fuxo, & Auinnionensem Apostolicæ Sedis Legatos.

PRæterea decretum in Concilio Basileensi factum de Conceptione Bea-

Beatissimæ Virginis MARIÆ statuimus inuiolabiliter obseruari, districtè omnibus inhibentes sub excommunicationis pœna, ne quisquam aliquid contrarium prædicare, vel publicè disputare præsumat; quòd si secus aliquis fecerit dictam sententiam eum incurrere volumus ipso facto, & in prima Synodo per Diœcesanos per quemlibet celebranda, prædicta statuimus publicari, & curatis Ecclesiarum iniungi, vt hæc populo manifestent.

OBSERVATIO.

Extat hoc statutum in Monum. Ord. Minor. tractat. 1. part. 1. fol. 40. pag. 2. & adducitur authenticum in processu iuridico facto Murciæ, anno 1508. apud Episcopum Carthaginen. & R. P. Petrum de Vecerril Vicar. Prouinc. & Commendatar. S. Mar. de Merc. Tolet ciuit. Meminit statuti epistola Procuratorum Rom. Cur. ad Philip. IIII. Hisp. Reg fol. 4. num. 6. Alphonsus de Casarr. & Hieronymus Sorbo verb. Concept. Virgin. fol. 146. Tamaius de Salaz fol. 246. & 273.

SIXTVS IIII. CONcedit omnibus dicentibus officium Conceptionis Virginis nouiter ordinatū, & qui interfuerint Officio eiusdem festi indulgentias, quæ in festo Corporis Christi conceduntur anno M.CCCCLXXVI.

SIXTVS Episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Cùm præexcelsa meritorum insignia, quibus Regina cœlorum Virgo Dei genitrix gloriosa, sedibus prælata æthereis, sideribus quasi stella matutina prærutilans, deuotæ considerationis indagine perscrutamur, & intra pectoris arcana reuoluimus, quòd ipsa, vtpote via misericordiæ, Mater gratiæ, & pietatis amica, humani generis consolatrix, pro salute fidelium, qui delictorum onere grauantur, sedula oratrix, & peruigil ad Regem, quem genuit, intercedit; dignum, quin potiùs debitum reputamus vniuersos Christi fideles, vt omnipotenti Deo, cuius prouidentia, eiusdem Virginis humilitatem ab æterno respiciens pro reconcilianda suo auctori humana natura, lapsu primi hominis æternæ morti obnoxia, eam sui Vnigeniti habitaculum, Sancti Spiritus præparatione constituit, ex qua carnem nostræ mortalitatis pro redemptione populi sui assumeret, & Immaculata Virgo post partum nihilominus remaneret, de ipsius Immaculatæ Virginis mira Conceptione gratias & laudes referant, & instituta propterea in Dei Ecclesia Missas, & alia diuina officia dicant, & illis intersint, indulgentijs, & peccatorum remissionibus inuitare, vt exinde fiant eiusdem Virginis meritis, & intercessione diuinæ gratiæ aptiores. Hac igitur consideratione inducti, eiusdem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, auctoritate Apostolica, hac in perpetuum valitura constitutione statuimus, & ordinamus, quòd omnes, & singuli Christi fideles, vtriusque sexus, qui Missam & officium Conceptionis eiusdem Virginis gloriosæ, iuxta piam, deuotam, & laudabilem ordinationem, dilecti filij magistri Leonardi de Nogarolis Clerici Veronensis Notarij nostri, & quæ desuper à nobis emanauit Missæ, & officij huiusmodi institutionem in die festiuitatis Conceptionis eiusdem Virginis MARIÆ, & per octauas eius deuotè celebrauerint, & dixerint, aut illis horis canonicis interfuerint, quoties id fecerint, eandē prorsus indulgentiam & peccatorū remissionem exinde consequantur, quam iuxta fælicis recordationis Vrbani IIII. in Concilio Viennensi, approbatas, & Martini Quinti, & aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum constitutiones, consequuntur illi, qui Missam, & officiū & horas canonicas, in festo Corporis Chri-

Christi, & sanguinis Domini nostri Iesu Christi à primis vesperis, & per illius octauas iuxta Romanæ Ecclesiæ institutionem celebrant, aut dicunt, aut Missæ, officio, & horis huiusmodi intersunt, præsentibus futuris temporibus valiturum. Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno Domini 1476 tertio Kalendas Maij, Pontificatus nostri anno sexto.

OBSERVATIO.

Sixtus IIII. creatus Pont. Maxi. anno 1471. ex certa sciētia, & motu proprio expediuit supra scriptam Bullam, quæ inserta est tomis Conciliorum editionis Surianæ Colon. 1567. & in vltima Seuerini Bini, to. 4. par. 1. fol. 743. & in corpore Iuris Canon. inter Extrauag. Comm. de reliq. & vener. SS. fol. 316. Extat authentica in Monum. Ord. Minor fol. 115. & in Bullar. Roder. Bul. 15. fol. 137. & in processu iuridico Murciæ, an. 1508. Eam confirmarunt Leo X. Bulla, quæ incipit, Supra gregem Dominicum, & Concil. Trid. sess. 5. de quibus infra.

Quàm verò vim, & efficaciam habeat, tam Bulla Pontificia, quàm officium Nogarolis in ipsa approbatum ad Immaculatam Conceptionem stabiliendam, explicant latè auctores relati, & insuper Serran. Episcop. Acern. lib. 2. cap. 8. Sosa Epist. pro orat. Cōcept. fol. 26. Salm. to. 13. disp. 52. in Epist. ad Rom. Lezana capite 12. Miranda in tract. Hisp. cap. 75. & in Lat. q. 17. Roderic. to. 1. qq. Regular. q. 57. art. 3. & to. 2. q. 87. art. 4. Daza cap. 18. Embid. cap. 16, & 17. Caruaial. in Declamat. art. 1. Epist. Procur. Rom. ad Philip. IV. §. 2. & 6. Granad. disp. 3. cap. 7. Biuar par. 2. §. 10. Ojeda cap. 16. Luzer. cap. 5. Vinsent. Iustin. §. 3. Ægid. de Præsent. lib. 3. q. 6. art. 3. Salaz. cap. 33. arg. 8. Valent. to. 4. disp. 3. quæst. 1. Vazq. to. 2. in 3. p. disp. 117. Maior in 3. d. 3. q. 1. Catharin. tract. 2. de Immac. Concept. per totum, Vvading. in Legat. sect. 6. §. 5. Geor. Colvener. in Kalend. to. 2. Compend. priuileg. Fratr. Minor. verbo Conceptio, nu. 5. in firmamento trium Ord. par. 2. fol. 23.

(***)

Incipit officium IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS Virginis MARIÆ editum per Reuerendum Patrem Dominum Leonardum Nogarolis, Protonotarium Apostolicum, artium, ac sacræ Theologiæ Doctorem famosissimum.

AD SANCTISSIMVM, ac Beatissimum Dominum, D. Sixtum IIII. Pontificem Summum, sacrumque Consistorium.

Beatissimo, ac Domino verè Sixto Summo Pontifici, verissimo Theologo, & amatori sapientiæ, MARIÆque dilecto Filio, pro eius omnibus deuotis ex omni genere hominum congregatis. Leonardus Nogarolis vnus ego hodie hoc defero postulatū.

Si cœli Reginam, atque terrarū Matrem esse gratiæ spem nostram, & ad vitam viam omnes vno ore conueniunt; Quis tam mentis hebetis, tam vecors vel, vt cùm talem audierit venientem, summa non afficiatur lætitia? Beatum profectò se quisque iudicabit, qui eam summis laudibus extollere possit; fœlicem, beatissimumque diem dicent annalibus ascribendum, easque laudes sibi attribuendas iudicabunt, quæ nihil turpe, nihil flagitiosum contineant. Sed quæ magis gloriam sapiant, ac laudatam magnificam reddant? Nullus igitur mentis sanæ in MARIÆ laudes prorumpens, Matrem eam dicet Dei, simulque quondam filiam fuisse diaboli, deformē profectò reddidit laudatam; num Matrem dices gratiæ eam, quæ antea inimicam largitoris gratiæ? ingrati, non laudantis est officium. Nunquid viam ad vitam affirmabis, quæ & ipsa quandoque ignorauerit viam, Te sanè confundis, spem ne peccantium, &

medium ad omnia tollenda peccata, quæ peccatum gustauerit, te ipsum à veritate alienum ostendis, extollis, & deprimis, magnificas, & vilipendis, sanas, & percutis, te ipsum censura circumuenis, benedictam dicis, cui maledicere non desinis. Nullus igitur recto iudicio MARIÆ laudans aduentum sanctificationis dicat diem, si id intelligendum duxerit, vt ex priuatione transitus sit ad habitum, vt scilicet priùs inficias, quàm sanctam facias; præclarè quidem Thomas Christi animã sanctificatam docet; hoc dicere non veretur; dum tamen non ex priuatione, sed ex negatione transeas sanctitatem; quod namque non erat tunc sanctum, nõ fuisse perspicuum erit. Vnde & Apostolus de Iesu loquens, ait, quem Pater sanctificauit, & Saluator, ego sanctifico me ipsum. Vis igitur laudare orbẽ terrarũ introeuntem? Vis laudare ad nos venientem? Vis festum diem constituere? Eas sibi laudes tribue, quæ ignominiam non ferunt, sic nomina, vt extollas, nõ deprimas singularem, admirandam, manuque Dei fabricatam conceptionẽ. Te igitur Theologorum Principem, veritatis amatorẽ, MARIÆ charissimum Filium, qui in alto culmine resides, per tuã, quæ te diligit Matrem, clamo, oro, ploro, imploro, obsecro, obtestor, intuere eius faciem ostender tibi, quia decora nimis. Sonet vox sua in auribus tuis, vides columbæ tuæ puritatem, moueat te tantæ pietati imago, ingrati ne filij vicẽ geres, filius profectò diceris. Cur igitur Matris causam non suscipis, quæ te tantæ tenuere moræ. Audi Augustinum, si Filium decet honorare Matrem, nunquid non pertinet, inquit, ad benignitatem Domini Matris honorem seruare, qui legem soluere non venerat, sed adimplere? Lex autem sicut honorem matris præcepit, sic inhonorationem damnat. Qui enim in vita præ cæteris illam gratia sui conceptus honorasse potuit; potuit eam à putredine, & à puluere alienam facere, quæ humanæ est opprobrium conditionis. Intellige, & tu sententiam, qui potes Pater facte. Audieriam Ambrosium; maluit enim Dominus aliquem de sui ortu, quàm de matris pudore dubitare. Sciebat enim, teneram esse Virginis verecundiam, & lubricam famam pudoris, nec putauit partus sui ortum matris iniurijs adstruendam. Cur igitur matris tuæ non misereris? Miserere animi non digna ferẽtis, suscita; lauda matrem tuam, quia tempus est; extolle illam, quia iam ipsa vult, tibi si te dignum sui gratia reddiderit, reseruauit grande mysterum: audi in Canticis sæpè replicatum sermonem, adiuro vos filiæ Ierusalem per capreas, ceruosq; camporum, ne suscitetis, nec euigilare faciatis dilectam, quoadusque velit; monet enim sponsus, vt glossæ vtar verbis, nouellam sponsam ne peccato inquietet: filiæ, inquit, Ierusalem, hoc est, vos, qui in fide iam generati estis; adiurat te Filius matris tuæ, ne peccato inquietes ipsam, propter quod Doctores à quiete surgere cogantur; glossa eadẽ volente sequitur, per capreas, ceruosque camporum, quæ inquit, munda animalia venenorum inimica contra hostis insidias; & iterum sequitur, dilectam, hoc est, in corpore meo quiescentem. Caro enim vnius, caro alterius est, si Augustinum legimus, siluit humilis mater tua multo ante tempore; euigilare iam vult, iam tempus est, Pater Beatissime; ipsam audi piè, benigneque te clamantem. Hodie si vocem meã audieris, noli obdurare cor tuum, sicut fecerunt prædecessores tui, quid times? quid vereris? dubitas fortasse laudare Filium? non dubites ergo laudare Matrem, audi Hieronymum, qui te accusat: nulli dubiũ esse debet, quin totum ad laudem Christi pertineat quicquid dignè, ac laudabiliter genitrici suæ fuerit impensum, ac solemniter exhibitum; quoniam, vt verum fatear, quicquid humanis dici potest verbis minus est à laude eius, quæ diuinis, & Angelicis est excelentius prædicata, & laudata preconijs; audi Augustinum, qui te incitat, quidquid de redemptione potest cogitari, & quicquid lingua humana potest loqui, ad laudem tui optimè adaptari potest; quia quicquid in te laudatur, Filio tuo pro salute humani generis crucifixo deputatur. Audi Basilium, qui te clamat: quicquid enim de redemptione mundi

mundi poteſt cogitari; quicquid non ſolum humana lingua, ſed Angelorum rite loqui poterit; ad laudem tuam poteſt optimè adaptari, & maximè cùm quidquid in te laudatur, dilecto Filio tuo crucifixo ſponte pro me deputatur.

Non deprimimus igitur Filium, ſi matrem extollimus, quia ipſi à Filio omnia concedimus: non enim progreditur in propria virtute; ſed innixa ſupra dilectum ſuum media eſt Maria inter peccatorem, & tantùm Redemptorem, redempti enim nos à peccatis; redempta plus ipſa non à macula, quæ infuerit, ſed quæ in fuiſſet, niſi dilectus Filius à longe intonuiſſet: copioſa enim apud Deũ redemptio, qui non ſolum lapſos redemit, ſed ex ſui natura labe maculandam vnicam matrẽ meritò retinuit. Maculatam fortaſſe legiſti Conceptionem embrionis, & ſeminis, ac propagantium, non maculatæ animæ; intellige, qui omnia ſapis; peccatum quippe tamquã cauſa, & materiale quid in corpore eſt; formalis verò ſola anima capax eſt. Si igitur mater tua immaculata concepta eſt: priuilegium quippe teſte Hieronymo non naturæ eſt, ſed gratiæ eius, de quà natus eſt Deus, & homo. Nulli ergo iniuria fiet, ſi hanc ſine macula prædicabis, nemini ſanè derogat, multis congruit. Vide, ſi potentem patrem decet; inuenit ipſe medium ad tollendum peccatum; quod omnium iudicio peccato ſubiacere non debuit. Nullam enim in maſſa humani generis inuenit viam, per quam, vt diſpoſuit, inquit Auguſtinus, eius ſubueniret luctuoſæ perditioni; donec ad illam, de qua loquimur, Virginem ventum eſt. Præſeruatur igitur medium, non maculatur, liberatur, non inficitur; cuſtoditur, & carceribus non deputatur. Recordare Auguſtini, ſi in poteſtate Dei eſt, ſanctorum de capite capillum non perire, & etiam illam in anima, & in corpore poſſe ſaluare. Recordare Iob, quis poteſt facere mundum de immundo conceptũ ſemine? nonne tu, qui ſolus es, audiant, qui Mariæ derogant. Non enim ſolum factum mundum dicit Chriſtum: ſed ſolum Deum de immundo factum ſemine mundum poſſe facere docet. Scrutare Filij amorem in matrem, nũquam enim ſe à peccato excluſum facit, quin & occultè matrem ſi inſpexeris, excuſam non inuenias. Erue, inquit, à framea animam meam, ſequitur, & de manu canis vnicam meã; ſimiliter, libera me ex ore leonis, & à cornibus vnicornium humilitatem meam, & his quidem multa ſimilia Lege, quem ſæpe legiſti, Auguſtinum; vide ſi tribus hypoſtatibus conuenit; ſi diuina voluntas ſola gratia inter vehemẽtium ignium flammas, non ſolum corpora puerorum ſeruare potuit inuſta; verũ etiam ipſa veſte incombuſta, cur abijciat in matre propria, quod ſeruauit in veſte aliena. Aſculta, quia Spiritum Sanctum decet Ionam, inquit Auguſtinus, ſeruare in ventre cœti præter naturalem vſum, voluit in corruptum ſola miſericordia; Mariam incorruptam præter naturam nõ ſeruabit gratia? Seruatus eſt Daniel in temperatiſsimæ fami leonum, non ſeruanda eſt Maria tantis dotata meritis, & dignitate? Lege Ambroſium tuum, quid nobilius Dei matre, quid ſplendidius ea, quam elegit, quid caſtiùs ea, quæ corpus ſine cõtagione omni liberauit; ſequitur, talem Angelus reperit; talem Spiritus Sanctus elegit: quid enim in ſingulis morer, quæ digna fuit, ex qua Filius Dei naſceretur; decebat prætereà naturam noſtram, ſeruaſſe Mariam humani generis innocentiam, ne toti ſpeciei inferas iniuriam, quà ex re rectè canitur, tu honorificentia populi noſtri? Quid ipſi denique affirmare damnati poterunt. Non ne & ipſi confuſi redduntur, cùm in Mariam immenſam in humani generis naturam cõſpiciant Dei Charitatem? oſtenſus eſt, & medellam, ac medium præbet ad delendum peccatum, illam præſeruat, vt ſe hominem in ipſam veniens faciat, ſalutem quærens hominum. Gaudeant, & peccatores, cùm talem, ac tãtam in cælis apud Deum patrem ſentiunt ſine macula aduocatam, quæ pro eorum redemptione præſeruata cognoſcitur. Confidant iuſti, quia tantæ Reginæ meritis optatum finẽ adipſci poterũt. Lætentur Angeli, quia eorum Regina Angelorum ſapit innocẽtiam. Taceat Dæmonum ſuperbia, quia am-

maculatæ Reginæ non subiacuissent; qui iam inflati Christo subiacere abhorruerunt. B. Dei potentiam laudem; sapientiam admirentur, bonitatē, & gratiæ largitatem summa reuerentia venerentur. Quæ igitur causa indigna serenos fœdauit vultus, aut cur hæc vulnera cerno? Inimicus Christiani nominis Mahomet in Alcorano originalem maculam à Christi Matre excludit, & tu tantæ Matris Filius non excludes? Audi sacrilegū, audi, inquit, Nuntium Dei dicentem, nullus de Filijs Adæ nascitur, quem non tangat Satan: & ideo plorat ex eius tactu vociferans præter Mariam, & Filium eius. Lege tu, ad quem sermo est, Leuitici librū; Summus, inquit, Pōtifex, qui vestitus est sanctis vestibus, ad omnem mortuum nō ingredietur omninò, virginem ducet vxorem; viduam, & repudiatam, & sordidam atque meretricem non accipiet, ne commisceat stirpem generis sui vulgo. Non ingredietur ergo Sacerdos ad maculatā, quoquo modo, & ingredietur Diaboli scortū aliquando Deus? Mortuum profectò nihil, sed semper plenum gratia intrabit; non est vulgaris puella, non sicut cæterarum conceptio, sed singularis, atque admirāda. Recordare igitur summe Sacerdos, ne quā accepisti sponsam, maculari permittas; præuaricator eris legis, serua mandatum in sponsa, cui seruas in Filio sponsæ: mandatum seruasti; cur igitur te culpabilem reddis, declara innocētiam tuam, non te transgressorem, vir stipulando de via pro vxore viam habuisse conceditur; hoc leges iudicant, quoniam duo sunt in carne vna, hoc est in Filio: quid igitur mirum si sponsa, & Mater vnum, si Filius, & sponsus idem; viam innocentiæ seruans Christo, seruabit MARIÆ, quæ sponsa, & Mater eius est. Cur igitur Pater sancte cruciari MARIÆ deuotos sinis? Hieronymus ad Damasum cæteros facilè spernit, si sedem Apostolicam approbare sententiam sentit. Bernardus in re hac consolandum docet. Ad te igitur confugio, & supplex tua numina posco. Aperi tu manum tuam, qui imples omne animal benedictione, vnam, & tantum benedictionem tribuas nobis. Vide omnes MARIÆ filios, intuere eorum facies; vide lachrymas, vide singultus: recordare Domine Matris tuæ magnæ. Miserere animi non digna ferentis. Per viscera ergo Matris tuæ, per suam benignam clementiam, quam in te monstrauit, per illes diuinos oculos, quos in te direxit, per summam in te pietatem, per suam in omnes charitatem, honorē eius tibi commendamus, & ad te clamamus; clamat & ipsa, miseremini honoris mei, saltem vos amici mei, saltem tu Fili mi, quem elegi super thronum Dauid, super sedem regiam, quia sceptra, Iouēque consilio, doque epulis accumbere diuum. Hoc saltem postremo obtentum sit Pater Sancte, vt qui hoc à te emendandum, quod humiliter offerimus, digna deuotione celebrauerint Conceptionis officium indulgentiarum tuarum partem, quā ipse volueris, capiant, vt ipsa te in regno cœlorum capiat mater tua, quæ benedicta est à principio suæ Conceptionis, & in sæcula sæculorum. Amen.

Incipit officium immaculatæ Conceptionis Virginis MARIÆ, editum per Reuerendum Patrem Dominum Leonardum Nogarolum, Protonotarium Appostolicum, artium, ac sacræ Theologiæ Doctorem famosissimum.

Inprimis vesperis Antiphona.

Sicut liliū inter spinas, sic amica mea inter filias Adę. Alleluia.

℟ Dixit Dominus, *cum reliquis de sancta MARIA, Antiphona.*

Tota pulchra est MARIA, & originalis macula non est in te. Alleluia.

Antiphona.

Tu gloria Ierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia Populi nostri. Alleluia. *Antiphona.*

Vox enim tua dulcis & facies illa tua decora nimis, Alleluia. *Antiphona.*

Quæ est ita, quæ ascendit de deserto delitijs affluens innixa supra dilectum Filium. Alleluia.

Capitulum.

Ego diligentes me diligo, & qui mane vigilant ad me, inuenient me, in vijs iustitiæ ambulo, vt ditem diligentes me, qui me elucidant, habebunt vitā æternā. *Hymnus.* Aue. ℣ Im-

℣. Immaculata Conceptio est hodie Sanctæ MARIÆ Virginis. Alleluia. ℟. Cuius innocentia inclyta cunctas illustrat deuotas animas. Alleluia.

Ad Magnificat Antiphona.

Quàm pulchri sunt gressus tui Filia Principis, collum tuum sicut turris eburnea, oculi tui diuini, & comæ capitis tui sicut purpura Regis; quàm pulchra es, & quàm decora charissima. Alleluia.

Oratio.

Deus, qui per immaculatam Virginis Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum præparasti, concede quæsumus, vt sicut ex morte eiusdem Filij sui præuisa eam ab omni labe præseruasti, ita nos quoque mundos eius intercessionè ad te peruenire concedas. Per eundem.

Ad Matutinum inuitatorium.

Immaculatam Conceptionē Virginis MARIÆ celebremus: Christum eius præseruatorem adoremus Dominum. ℟. Venite. *Hymnus.* Quem terra pontus,

In primo nocturno Antiphona.

Multæ Filiæ congregauerunt sibi diuitias, tu verò supergressa es vniuersas. Alleluia. *Psalmus*

Domine Dominus. ℣. Eo quod esset cunctorum viuentium Mater. *Iste versiculi dicitur immediatè post Psalmum, & solum in prima nocte.* *Antiphona.*

Surrexerunt filiæ eius, & Beatissimam prædicauerunt, vir eius, & laudauit eam. Alleluia. *Ps.* Cœli. ℣. Os nunc de ossibus meis, & caro de carne mea.

Antiphona.

Fortitudo, & decor indumentum, bissus, & purpura vestis illius. Alleluia. ℟. Domini est ℣. In sole posuit tabernaculum suum. ℣. Liberasti me Domine ex ore leonis. Alleluia. ℟. Et à cornibus vnicornium humilitatem meam. Alleluia.

Prima Lectio ex dictis Beati Hieronymi.

Canitur in canticis de MARIA hortus cōclusus, fōs signatus, emissiones tuę Paradisus. Hortus deliciarum, in quo sunt consita vniuersa florum genera, & odoramenta virtutum; sicque signatus, vt nesciat violari, neque corrumpi vilis insidijs, fraudibusque Diaboli; fons itaque signatus sigillo totius Trinitatis. Idē que. Quicquid in MARIA gestū est, totum puritas, totum veritas, totūque gratia fuit. & iterū, Cæteris virginibus præstatur gratia per partes; MARIÆ verò tota se infudit plenitudo gratię.

Responsorium.

Ego ex ore Altissimi prodiui primogenita ante omnem creaturā, ego in cœlis feci, vt oriretur lumen indeficiens. Et sicut nebula texi omnem carnem. ℣. Gitum cœli circuiui sola, & in profundum abyssi penetraui, & in omni populo, & in omni gente primatum tenui. Et sicut.

Lectio secunda ex Sermonibus Augustini.

Summa Dei sapientia nullam in massa humani generis inuenit viam, per quā, vt disposuit, in mundum veniens, eius subueniret luctuosæ perditioni, donec ad illam, de qua loquimur, Virginem ventū est; sed hoc mox, vt in mundum per humani generis lineam venit, tanta omnis boni virtute perfectè resplēduit, vt eam Dei sapientia veridicè iudicaret, vt per ipsam in hominem veniens, non tantùm reatum primorum parentum hominum, sed totius mundi peccata deleret. Idem, Magnifica illum, qui te ab omni peccato reseruauit. Quis enim, inquit, dicere poterit, sine peccato sum natus, aut mundus sum ab omni iniquitate dicere audebit, nisi illa Virgo prudentissima animarum Templum Dei excelsi, quam Deus sic elegit, & præelegit ante mundi constitutionem, vt sancta, & immaculata Mater Dei filia ab æterno reseruata, incorrupta ab omni labe peccati? *Respons.*

Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis implemini. Spiritus enim meus super mel dulcis, & hæreditas mea super mel, & fauum. ℣. Qui audit me non confundetur, & qui elucidant me, vitam æternam habebunt, Spiritus enim.

Lectio tertia ex dictis Sancti Ildephonsi Archiepiscopi Toletani.

Beata Virgo MARIA, nisi in vtero Matris sanctificata fuisset, minimè eius natiuitas colenda esset: sed quia auctoritate Sanctorum Patrū dignè, vt nouit vestra

tra charitas, veneratur. Constat eam ab omni peccato originali fuisse immunem, per quam non solum Euæ maledictio soluta est, verùm etiam benedictio omnibus condonata. Nullis ergo, quando nata est, delictis subiacuit, nec originale peccatum in vtero sanctificata contraxit

Responsorium.

Meum est consilium, & æquitas; mea est prudentia, mea est fortitudo, per me Reges regnant, per me Principes imperāt, & potentes decernunt iustitiam. ℣. Ego diligentes me diligo, & qui manè vigilant ad me, inuenient me. Per me Principes. Gloria Patri.

In secundo Nocturno Antiphona.

Quid videtis in sumnamite, nisi choros castrorum. Alleluia. ℟. Eructauit. ℣. Ipsa est mulier, quam præparauit Dominus Filio Domini mei.

Antiphona.

Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina peccatorum obruent MARIAM. Alleluia. *Psal.* Deus noster. ℣. Non tetigit eam Abymelech; sed ipsa conteret caput suum.

Antiphona.

A custodia matutina vsque ad noctem sperauit Maria in Domino, quia copiosa apud eum redemptio. Alleluia. *Psalmus.* Fundamenta eius. ℣. Terra, in qua stas, sancta est.

℣. Eruisti à framea Deus animā meā. Alleluia. ℟. Et de manu canis vnicam Matrem meam. Alleluia.

Lectio quarta ex dictis plurimorum Sanctorum. Hilarius.

Virgo benedicta super omnes fœminas, quæ Angelos vincis puritate, quæ omnes sāctos superas pietate. *Cyprianus.* O Virgo iusta, & omni iustitia plenissima, cuius Conceptio singularis. *Basilius.* O MARIA tu candoris, & decoris forma, cui in terris nō est æqualis, nec in cœli ianua. *Augustinus.* O Mater Domini, sicut in prima fœmina abundauit delictum, ita & in te superabundauit omnis plenitudo gratiæ, & ideo super omnes ignara delicti, idem charitas fecisti, vt non solum MARIA non peccaret, sed nec peccatum cogitare posset, & super cunctos reseruasti ab omni labe peccati. *Omgenes.* Quæ neque serpentis persuasione decepta, nec eius venenosis afflatibus infecta. *Ambrosius.* Hæc est virga, in qua nec nodus originalis, nec cortex venialis culpæ fuit. *Responsorium.*

Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te amica mea, pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis. Faciamus adiutoriū simile sibi. ℣. E o quod post virum tuum alterum nescieris: ideo manus Domini confortauit te, & ideo eris benedicta in æternum. Faciamus adiuorium.

Lectio quinta Anselmi de exordio mundanæ salutis.

Si quid originalis peccati in propagatione Matris Dei extitit, illud propagantium, non propagatæ fuit. Deus enim inquit castaneæ confert, vt inter spinas, & à spinis remota cōcipiatur, alatur, & formetur: non potuit hoc facere Filius Matri suæ? planè potuit, & voluit; quòd si voluit, & fecit. Et in Epistola. Non putò, inquit, verum esse amatorem Virginis, qui celebrare respuit festum suæ Conceptionis. *Respons.*

Fac tibi archam de lignis leuigatis, ruptique sunt fontes Abyssi Magnæ. Et factum est diluuium peccati super omnem terram. ℣. Archa verò deifera eleuata est in sublime, & ferebatur super aquas, opertique sunt omnes montes excelsi sanctorum. Et factum est.

Lectio sexta ex dictis sanctorum.

Cyrilus. Post Filium temerarium est in MARIA Virgine ponere culpam aliquam, vel peccatum. *Bernardus.* Caro Virginis ex Adam sumpta maculas Adæ non admisit. *Thomas.* MARIA ab omni peccato originali, & actuali immunis fuit. *Dominicus.* Sicut primus Adam fuit ex terra virgine, & nunquam maledicta formatus: ita decuit in secundo Adam fieri. *Richardus de sancto victore.* Non decuit, vt caro MARIÆ qualicūque foret obnoxia culpæ; nam Dei sapientia indignū credimus, vt quam ad lucem gentium destinauit, prauitate tenebræ sineret inuolui, nec erit ingratus Matri suæ, qui patri, matrique honorem præcepit exibere.

Responso.

H

Fiat

Fiat mihi ſanctuarium, & habitabo in medio eorum: archam de lignis ſethim compingite, & deaurabis eam auro mundiſsimo intus, & foris. Et pones ſuper menſam panes propoſitionis in conſpectu meo ſemper. ℣. Inſpice, & fac ſecundùm exemplar, quod tibi in monte mõſtratum eſt. Et pones. Gloria.

In tertio Nocturno. Antiphona.

Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertũ, ſicut virgula fumi ex aromatibus mirrhæ & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij? Alleluia. *Pſalmus.* Cantate primum. ℣. Laudabunt eam in portis opera ſua.

Antiphona.

Ferculum fecit ſibi Rex Salomon de lignis liuani, columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureũ, aſcenſum purpureum media charitate conſtrauit. Alleluia. ℟. Dominus regnauit. ℣. Dignum dilecto meo adoptandum.

Antiphona.

Quæ eſt ita, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens: pulchra vt luna, electa vt Sol, terribilis vt caſtrorum acies ordinata? Alleluia. *Pſalmus.* Cantate ſecundum. ℣. Et ideo amauit eam Rex pluſquam omnes mulieres. ℣. Verè Dominus eſt in loco ſancto, & ego neſciebam. Alleluia. ℟. Non eſt hic aliud, niſi domus Dei, & porta cœli. Alleluia.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Lucam.

In illo tempore. Loquente Ieſu ad turbas extollens vocem, quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ ſuxiſti. At ille dixit quinimo, beati qui audiũt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.

Homilia. Lectio prima.

Legimus chariſsimi, magni Dei librũ intus, & foris ſcriptum eſſe, ſimitamque intrinſecus, & extrinſecus archam, in qua manſiunculæ, & triſtega, legemque Dei multiplicem, auctore Iob, vt multa myſticè, ac omnia in figuram Patribus contigiſſe ſecundùm Apoſtolum vobis perſuadeatis; omnes enim prophetiæ, vt Auguſtini vtar ſententia, quæ non ſolum in verbis ſunt; verum etiam ſacra ſacerdotia, tabernaculum, ſiue templum, altaria, ſacrificia, cerimoniæ, dies feſti, & quid aliud ad illam ſeruitutem pertinet, ea ſignificata, & pronuntiata ſunt. Quæ propter vitam æternam fidelium in Chriſto impleri cernimus, & implenda confidimus.

℟. Omnes moriemini, quia in Adã peccauiſtis, quid habes Eſter eleuata in populis: ego ſum frater tuus noli metuere, non morieris. Non enim pro te, ſed pro omnibus hæc lex conſtituta eſt. ℣. Non extinguetur in nocte lucerna tua, & non timebis à frigore niuis. Non enim pro te, ſed.

Lectio ſecunda.

Non immeritò igitur Chriſti fideles, ac MARIÆ deuotos, ad quos nobis hodie eſt ſermo, rogatos eſſe velim, vt arcana, ac profunda ſilentio perſcrutari non deſinãt. Audiantque id Saluatoris, Scrutamini ſcripturas, quia illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me. Videant etiam, quid de eius matre ſcriptum ſit. Virginem enim eã fuiſſe, in ſacris codicibus contineri nemo noſtrum eſt, qui ambigat. Hodiernis tamen temporibus, & cum æmulis noſtris bellum eſt; attentos igitur reddo, ne, qui eam maculatam faciunt, in eam incidant ſententiam: deſinant obſecro, quia mater Domini eſt: deſinant, quia ſoror eſt: abſtineant, quia ſponſa illius eſt. Vos verò MARIÆ deuoti eia, ſurgite, intelligite myſteria, ſecretiora colligite Laudate mecum MARIAM, quia zelus domus Domini comedit me, vulnerauit cor meum in vno oculorum ſuorum: omnes igitur inſimul iubilando cantemus.

Hac nocte non dicitur octauum reſponſorium, ſed infra hebdomadam; ſed loco eius cantatur à choro; Tota pulchra es Infra verò hebdomadam ſine cantu dicitur cum lectione.

Tota pulchra es amica noſtra, colũba noſtra, & macula originalis non eſt in te. Alleluia. Tota pulchra es amica noſtra Columba noſtra, & originalis macula non eſt in te. Alleluia.

Reſponſorium octauum infra octauam.

Filius meus paruulus eſt, & delicatus, domus, quam ędificari volo, talis eſſe debet, vt in cunctis nationibus nominetur. Et ob hanc cauſam ante mortem omnes

præ-

prçparauit impenſas. ℣. Elegi, & ſanctificaui locum iſtum, vt ſit nomen meum ibi in ſempiternum, & permaneant oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus. Et ob hanc cauſam. Gloria.

Lectio tertia.

Videamus igitur, quid ſibi noſter Euangeliſta velit. Exclamat mulier de turba. Beatus venter, qui te portauit. Verè beatus venter, qui neſciuit maculam, vterus puritatis, vterus innocentiæ, hortus omni ſuauitate repletus, domus Dei ſancta, templum manu Dei factum, arca ſalutis, arca fçderis inter Deum, & hominem. Vbi reconditum manna ſuauiſsimum. Tabernaculum ornatiſsimum, in quo omnes mundi theſauri, ciuitas Dei cæleſtis ædificata ex margaritis, veſtis candida, tunica inconſutilis deſuper contexta per totum, pellis Salomonis admirabilis, caro Chriſti immaculata, mons Dei, locus, in quo abſconditus eſt Deus, habitaculum Spiritus Sancti, hoſpitium diuinitatis, viſcera Deifera, ſcala paradyſi, Sol, qui neſcit occaſũ. Luna perfecta, matutina, thronus excelſus, ſuper quem ſedit vir, qui eſt Deus, & homo, mulier amicta ſole, ſtellis duodenis coronata, turris fortitudinis, ex qua mille clypei pendent, murus inexpugnabilis cum propugnaculis, talem obſecro chariſsimi conſiderate ventrem, & replebitis mentem.

℟. Domus, quã cupio ædificare, magna eſt nimis, & inclyta. Quia magnus Deus noſter ſuper omnes Deos. ℣. Quis ergo potuerit præualere, vt ædificet ei dignam domum, ſi cœlum, & cœli cœlorum capere eum nequeunt. Quia magnus.

℟. Statim vt ſenſit Iſaac veſtimentorum illius flagrantiam benedicens ait: Ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. ℣. Veſtimenta, non veſtimentum conſidera: quia Chriſtus, Et MARIA ſine macula illius, non illorum; quia caro vnius caro alterius. Sicut.

℟. Erat autem vterque nudus Adam, & vxor eius, & non erubeſcebant; quia ſine macula, & ruga: Nullum motum carnis ſentiebant. ℣. De viro ſumpta eſt: quç à Chriſti latere prçſeruata ad innocentiã carnis Filij, ſapiens virago vocata eſt. Nullum.

Reſponſorium.

Diffuſa eſt gratia in labijs tuis, propterea benedixit te Deus in æternum: parata ſedes Chriſti ex tunc: Et ideo concupiuit Rex faciem tuam, & decorem induit. ℣. Benedixiſti Domine terram tuã: auertiſti captiuitatẽ Iacob, auertiſti omnem iram tuã; auertiſti ab ira indignationis tuæ, quia paraſti lucernam Chriſto tuo. Et ideo concupiuit.

Reſponſorium.

O Iſrael quàm magna eſt domus Dei, & ingens. Locus poſſeſsionis eſt magnus, & excelſus. ℣. Qui ſcit vniuerſa, nouit, & inuenit eam prudentia ſua. Locus poſſeſsionis.

Iſta reſponſoria dicuntur ſolum in die octauæ. Et nota, quòd infra octauam ſemper incipitur à primo reſponſorio, & ita ſex primæ lectiones dicuntur.

Ad Laudes & per horas Antiphona.

Domum tuam decet ſanctitudo Domine in longitudine dierum. Alleluia. *Pſ.* Dominus regnauit cum reliquis. *Verſiculus.* Adorate ſcabellum pedum eius, quoniam ſanctum eſt.

Antiphona.

Hæc eſt domus Domini firmiter ædificata, bene fundata eſt ſupra firmam petram. Alleluia. *Verſus.*

Confortauit ſeras portarum tuarum; quia ſedes, & virga directionis tu es.

Antiphona.

Fundauit eam Altiſsimus, qui ſuper maria fundauit eam, & ſuper flumina prçparauit illam. Alleluia. ℣. Ædificabo ei domum fidelem.

Antiphona.

Dominus cuſtodit te ab omni malo MARIA, cuſtodiuit animam tuam, introitum tuum, & exitum tuum in ſæculum. Alleluia. ℣. Per diem Sol non vret te, neque Luna per noctem.

Antiphona.

Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei, Sanctificauit tabernaculum ſuum altiſsimus. ℣. Hic habitabo, quoniã elegi eam. *Capitulum.*

Beatus homo, qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & obſeruat

ad

ad postes hostij mei. Qui me inueniet, inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino. *Hymnus*. O gloriosa &c. Intrent, vt astra flebiles. Immaculata cōceptio est. ℣. Non accedet ad te malum. Alleluia. ℟. Neque flagellum appropinquabit tabernaculo tuo. Alleluia.

Ad Benedictus Antiphona.

Quàm pulchra es amica mea, colūba mea, Immaculata mea, & odor vestimentorum tuorum super omnia aromata. Alleluia. ℣. Quam cùm cognouisset Pater, ait, tunica Filij mei est.

Oratio, vt supra.

Ad tertiam Capitulum.

Magna erit gloria Domus istius nouissimæ plusquam primæ, & in loco isto dabo pacem, dicit Dominus; quia Euam matrem cunctarum gentium corpore superat MARIA, quæ est Mater Dei, & gratiæ. *Responsorium.*

Libera me ex ore leonis. Alleluia. Alleluia. ℣. Et à cornibus vnicornium humilitatem meam. Gloria Patri. ℣. Erue à framea Deus animam meam. Alleluia. Et de manu canis vnicam Matrem meā, Alleluia.

Notandum, quòd omnia Capitula non ponuntur de lectione sapientiæ propter multitudinem figurarum.

Ad sextam Capitulum.

Porta hæc clausa erit peccato, & non aperietur, quoniam Dominus Deus ingressus est per eam, eritque clausa à principio suæ formationis.

Responsorium.

Erue à framea Deus animam meam. Alleluia. Alleluia. ℣. Et de manu canis vnicam Matrem meam. Alleluia. Gloria. ℣. Verè Dominus est in loco sancto isto, & ego nesciebam. Alleluia. ℟. Nō est hic aliud nisi domus Dei, & porta cœli. Alleluia.

Ad Nonam Capitulum.

Lætamini cum MARIA, & exultate omnes, qui diligitis illam. Gaudete vniuersi, qui zelatis eam; quia hæc dicit Dominus. Ecce ego declinabo super ipsam, quasi fluuium pacis, & quasi torrentem inundantem melle suauissimo.

Responsorium.

Verè Dominus est in loco sancto isto, & ego nesciebam. Alleluia. Alleluia. ℣. Nō est hic aliud nisi domus Dei, & porta cœli. Alleluia. Gloria. ℣. Scalam vidit Iacob, cuius cacumen cœlum tangebat. Alleluia.

℟. Angelos quoque descendentes, qui eam lumine replebant. Alleluia.

In secundis vesperis. Hieronymus. Antiphona.

Nihil est candoris, nihil est splendoris, nihil est numinis, quod non resplendeat in Virgine gloriosa. Alleluia.

Origenes. Antiphona.

Quæ neque serpentis persuasione decepta, nec eius venenosis afflatibus infecta. Alleluia.

Augustinus. Antiphona.

Hanc, quam tu despicis Manichæe Mater mea est, & de manu mea fabricata. Alleluia.

Anselmus. Antiphona.

Decuit Virginem ea puritate nitere, qua maior sub Deo nequit intelligi. Alleluia.

Ambrosius. Antiphona.

Hæc est Virga, in qua nec nodus originalis, nec cortex venialis culpæ fuit. Alleluia.

Capitulum.

Vidi Immaculatam descendentem de cœlo, sicut spōsam ornatam. Claritas enim Dei illuminabat illam, & vidi tabernaculum Dei cum hominibus, & nox nō erat illic, quia lucerna eius erat Agnus. *Hymnus, vt supra. Versus.* Domine dilexi decorem domus tuæ. Alleluia. ℟. Et locum habitationis gloriæ tuæ. Alleluia.

Ad Magnificat Antiphona.

Vnica est columba mea, vna est perfecta mea, vna est genitricis suæ electa. Viderunt eam animæ sanctæ, & Immaculatam prædicauerunt. Alleluia.

Oratio, vt supra.

Notandum, quòd si festum Conceptionis in Dominica venerit, fit de festo, quia specialis effectus Dei fuit in tali die. Et ideo Dominica transfertur ad diem sequentem, & hoc ex dispensatione Pontificis. Octaua verò erit de Dominica, & festum transfertur ad diem sequentem. Si verò venerit infra octauam, fit

de Dominica cum commemoratione festi.

Infra octauam, Lectio 1. de Homilia.

Venter intactus, venter sanctus, immaculatus, mundus, virgineus, puritate plenus, verecundus, incognitus; ambulate charissimi in porticu veri Salomonis. Deambulate in thalamo tanti Regis, mentes eleuate, introite cellam vinariam omni suauitate, & odore repletam. Hæc illa cella, illa anima, ille venter, quē pertransiuit Christi gladius. Gladius puritatis, gladius innocentiæ, gladius Spiritus Sancti procedens ex ore Dei, & agni profundè penetrauit. Quia longè præuisam præseruauit. Lancea militis latus Christi aperuit, cuius gladius pectus MARIÆ iustificauit.

Lectio secunda.

Quinimmò beati, qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud. O inenarrabilis Filij in matrem dilectio charitatis; non excludit mulieris dictum, sed extollit incognitum; non matrem reprobat, sed ipsam in sublime exaltat. Audi, muliercula, diuina secreta, audi Synagoga, audi turba Iudæorum, audi ignorantiam mulieris & crassa, audi tu abscondita, intellige admirandum responsum; laudasti mei matrē, sed à laude defecisti; ignoras profectò, cuius sit Mater, qualisque sit Filius, & quanta sit, quam laudas.

Lectio tertia.

Audi me MARIÆ Filium, audi Dominum & Deum tuum, tibi absconditū, Mater mea magni Dei Mater est, nō hominis solùm; non tantùm Prophetæ, sed plusquam Prophetæ; non solùm sancti viri, sed Sancti Sanctorum, quia verbo concepit, audiuit, & obediuit, custodiuit verbum, quod sibi à Domino per Angelū transmissum est, nō maculatus est venter, sed concepit verbum, suscipiendo sapienter. Audiuit, obediuit, custodiuit, & Mater Dei effecta est. Sanctū in vētre portasse, laudis est; verbū Dei audiuisse, custodijsse, & ex Spiritu Sancto concepisse laudabilius, multoque præstantius est.

Lectio prima.

Si nescis mulier, Mater mea beatissima est, non solùm beata; quia fecit sibi magna, qui potens est. Transmisit enim me verbum suum in illum sanctum vterum, beatumque ventrem; quia obediuit Angelico verbo, & de Spiritu Sancto cōcepit, & conceptum custodiuit, nutriuit, & conseruauit conferens in corde suo. Istam ergo, quantùm digna est, si potest, lauda. Istam extolle mulier, quia similem non inuenies. Talis profectò laudāda est, quæ sola super omnes electa est, & post ruinam mei gratia sola immaculata est.

Lectio secunda.

Lauda tu istam, quia laudant eā in portis opera eius, excludunt omnes ab ista viuente actualem maculam; exclude igitur & tu à veniente originalem. Audi Augustinum, dum in Iulianum clamat hæreticum: profectò, inquit, si Christus minor existens originale peccatum habuisset, grandioris ætatis accessu actuali non caruisset. Sanè, quia maior existens actuale non habuit, minor existens originale non habebit. Plenus igitur gratia Christus originali macula infectus, actuali culpæ resistere non potuit, & eius ancillam iam restitisse dabitur.

Lectio tertia.

Lege mulier tuum Canticorum librū. Vide si Mater mea ab omni vitio sensuū sit exclusa, siue hos dixeris interiores, siue exteriores, seu minutas cogitationes inspexeris; sancta quippe viscera, sancta porta, sancti postes hostij. Beatus, qui obseruat, qui dicit, qui confitetur postes hostij, principium Conceptionis suæ immaculatum, sancta quippe, dum concipitur, sancta dum mūdi portas intrat, sancta in vtero, sancta extra vterum, sancta in operibus, sancta videndo, dūm audit, dum gustat, dum tangit, dum loquitur, & tacet; sancta in habitu, sancta domi, & foris, nihilque inquinatum in ea.

Lectio prima.

Dum esset Rex in accubitu suo, nardus nostra dedit odorem suauitatis, quiescente adhuc me Filio in sinu cœlestis Patris, nardus humilis satis, herba humilis MARIA odorem dedit, mea charissima, quę ex fasciculo myrhæ reseruata est ex mei morte dilecti Filij sui à tota congerie passionis nostræ. Qui myrha, & aloe perlinitus fui. Qui inter vbera commoratus

tus est, quia caro nostra caro vna est; lectulus noster floridus est, & tigna domorum nostrarum cedrina, quoniam ambo sine macula.

Lectio secunda.

Vide igitur mulier, & considera, quando mater, & soror mea alloquenda est, quomodo eam laudes, ne deficias à laude. Si enim paruula sit, & vbera non habeat, si ex se vbertatem præseruandi à macula non teneat, murus tamen est, & hostium: si igitur murus, ædificemus super eum propugnacula argentea innocentiæ, & candoris.

Lectio tertia.

Si hostium paradysi, si porta, per quam mundum intrare debeo, dignum profectò erit, vt compingamus illud tabulis cedrinis, omni puritatis odore repletis: murus est igitur inexpugnabilis ab insidijs, venenoque diaboli, quæ nec furentis iacula, nec eius venenosos timet afflatus.

Lectio prima.

Reuertere igitur mulier, & intuere modo suauitatem nostram; vide, quàm pulchri sunt gressus filiæ Principis, filiæ Patris mei, & Matris meæ, & habitationis Spiritus Sancti. Vide, quomodo laudare debeas; vide miranda, audi stupenda, considera altiora. Ista est, quæ fecundatur à Patre meo, dum me verbum suũ audiendo suscepit. Præseruatur à me Filio, dum me Verbum ab ipsa suscipiendũ intelligo. Custoditur à Spiritu Sancto, dum post me Verbum susceptum, ac suscipiendum eam actuali peccato maculari non permittit. Supra ergo te Deus, ò MARIA, & in te Deus, & circa te Deus, vt omnino nullis insidijs diaboli violari possis.

Lectio secunda.

Dicamus igitur cum Augustino, quòd si prædicta incorruptio MARIÆ non congruit, congruit tamen Filio, quem genuit. Illud ergo sacratissimum corpus, de quo Christus carnẽ assumpsit, in quo diuinam naturam humanæ vniuit escam vermibus traditam; nos vero tanto magis dicamus escam diabolo datam; quia sentire non valeo, dicere pertimesco: lætare igitur MARIA lætitia inenarrabili, etiã proprio Filio per propriũ Filium, nec vllã præcedere necesse est infectionis erumnam, quàm nulla secuta est tantùm Filiũ parturiendo integritatis corruptio, vt sit semper immaculata, quam tanta perfudit gratia.

Lectio vltima.

Non immeritò igitur dies constituetur, in quo Deo exhibeantur debitæ gratiarum actiones. Quia nulli dubiũm est, teste Hieronymo, quin totum ad laudẽ Christi pertineat, quidquid dignè, ac laudabiliter genitrici suæ fuerit impensum, ac solemniter exhibitũ. Diem ergo hunc celebremus, quia opus Domini certè inusitatum specialis Conceptio. Malleus enim, & omne ferramentum non sunt audita in domo Domini. Qua ex re nullum opus seruile hæc dies sentiat. Talem enim Virginem venerari multum conuenit, & vltra Angelicam dignitatem, quantùm fas est, cum gaudio laudibus dignissimè offerri: hæc est igitur dies Reginæ cœli, & terræ, quã fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea, iubilando cantãtes. Tu gloria Ierusalẽ, tu lętitia Israel, tu honorificentia populi nostri.

Ad Missam Introitus.

Egredimini, & videte filiæ Sion Reginam vẽstram, quam laudant astra matutina, cuius pulchritudinem sol, & luna mirantur, & iubilant omnes filij Dei. ℣. Ostendat faciem suam, sonet vox eius in auribus nostris, quia eloquium suum dulce, & facies decora nimis. Gloria.

Quoniam tu solus sanctus MARIAM præseruasti. Tu solus Dominus MARIAM fabricasti. Tu solus Altissimus MARIAM sublimasti. *Oratio.*

Deus, qui per immaculatam, &c. *Vt supra.* *Lectio libri sapientiæ.*

Dominus possedit me in initio, &c.

Graduale. Qualis est dilecta nostra, charissime. Qualis est Mater, dicite Domini. Qualis, & quanta sit Soror, & Spõsa Christi. ℣. Dilecta nostra candida immaculata, quasi aurora consurgens. Alleluia. Alleluia. ℣. Veni Regina nostra, veni Domina in hortum odoris super omnia aromata. Alleluia.

Lectio sancti Euangelij secundùm Lucam.

In

In illo tempore loquente Ieſu ad turbas, extollens vocem, quædam mulier de turba dixit illi. Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ ſuxiſti; at ille dixit, quinimmò beati, qui audiunt verbũ Dei, & cuſtodiunt illud. *Offertorium.*

Hortus concluſus, fons ſignatus, emiſſiones tuæ paradyſſus. O MARIA manus tuæ ſtillauerunt myrham, melliſluiq; facti ſunt cœli, dum manu Domini fabricata eſt Mater tanti Dei. Alleluia.

Oratio ſecreta. Suſcipere digneris per te ipſum benignitatis auctorẽ rogamus, Domine, Matris, ac domus tuæ zelatorũ deuotas cum hilaritate ſupplicationes, vt ſicut ipſa tui gratia præueniente mundo hodie immunis apparuit: ita ipſi mundã de tui Matris munere te cõcedente exhibeant gratiarum actionem. Per te ipſum Ieſum Chriſtum, qui viuis, &c.

Communio. Glorioſa dicta ſunt de te MARIA, quia fecit tibi magna, qui potens eſt. Alleluia.

Poſt Comminunio. Oratio.

Odorem, Domine, ſacrificij huius ſuſcipe ſuauitatis, & preſta, vt qui hodie MARIÆ Conceptionem iubilando celebrant, eius ſalubri oratione fructum cẽtuplum ſuæ deuotionis accipiam. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

OBSERVATIO.

V*Ide ſupra notata colum. ad Bullam Six. IV. quæ incipit*, Cum præexcelſa. *Hoc autem Nogarolij officium à tempore approbationis prædicti Pontificis, vſq; ad Breuiarij reformantionem à Pio V. factam, in tota vniuerſali Eccleſia recitabatur, vt latè referũt auctores ſuperiùs dicto loco adducti. Inuenitur primò excuſum Romæ per Magiſtr. Vdalricũ Gallum Alamanum, an.* 1477. *vnico ſcilicet anno ab eius approbatione. Extat etiam impreſſum Murciæ, an.* 1508. *& Venetijs per Iacob. Pentium de Leuco, an.* 1518. *& alibi.*

INCIPIT DEVOTISſimum Officium Immaculatæ Conceptionis glorioſæ Virginis MARIÆ, editum per Fratrem Bernardinum de Buſtis, Ordinis Minorum. Quod quidem Officiũ confirmatum eſt, & approbatum à ſanctiſſimo Domino noſtro Sixto IV. *Pontifice maximo. Qui ad maiorem eiuſdem illibatæ Virginis gloriam, omniumque fidelium deuotionem auctoritate Apoſtolica conceſſit, quòd hoc Officium poſsit in Dei Eccleſia, ſicut alia diuina Officia celebrari; non ſolùm à fratribus, & Monialibus de Ordine beati Franciſci, ſed etiam à cæteris Religioſis, & Clericis quibuſcumque.*

In primis veſp. Aña. Dixit Dominus Dominæ meæ, ſede à dextris innocentiæ meæ. Alleluia. *Pſalmus.* Dixit Dominus, *cum reliquis de ſancta MARIA.*

A*Ntiph.* Laudate pueri Dominam ſuper omnes gentes in conceptu glorioſam. Alleluia.

Aña Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi, concepta eſt hodie Regina cœli. Alleluia.

Aña. Niſi Dominus cuſtodiſſet Matrem ſuam, Angelus tenebrarum denigraſſet eam. Alleluia.

Aña Lauda Ieruſalem Dominum, qui nõ fecit taliter vlli nationi, ſicut ſuæ dilectiſsimæ Matri. Alleluia.

Suprascriptæ Antiphonæ dicuntur ſolùm, cùm feſtum Conceptionis venit in ſecunda Feria, quia totum officium fit de Conceptione in primis veſperis.

Cap. Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quidquam faceret à principio; ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis antequam terra fieret. Nec dum erant abyſi, & ego iam concepta eram.

Hymnus. Gaude Mater Saluatoris, magni vellus Gedeonis: rubus igne, qui non vritur, veri templi Salomonis. Sponſa Dei, Stella maris, Porta cœli tu vocaris, mundi ſalus ſeuientis, caput cedens Holofernis. Mare ſicco calle tranſis. Currus mergens Pharaonis, inquam Sion dominaris, Pulſis inde Gebuſæis. Aſſueri Regis ſceptri caput tangens, virgo tuum mori fecit laqueatum Aman, ſanctis inimicum. Babilonis Rex in prædam non abduxit te captiuam; Philiſtei. nec Goliæ es tranſfixa pugione. Sicut ſuum ſol nitorem numquam perdidit, nec decorem primi patris, ſic tu labem nullam ſentis,

nec

nec fetórem; tu Sol occasũ nesciens, tu-
naque semper rutilans, tu sydus lucem
pariens, delicti nubes profugans. Nullus
in te confidentes vnquam vidit infœli-
ces; verè tibi nam deuotus est, necesse sit
beatus. Ad te ergo nos clamantes, in hac
valle lacrymantes, ad nuptias æternales,
fac venire triumphantes. Amen.

Potest etiam dici Hymnus. Aue maris stel
la. ℣. Conceptio est hodie S. Mariæ Vir-
ginis. Alleluia. ℟. Cuius innocẽtia deuo
tas illustrat animas. Allel. *Ad Magnificat, Aña.* Magnificat anima mea Dominum,
& exultauit spiritus meus in Deo saluta-
ri meo, qui me præseruauit ab originali
peccato. Alleluia, Alleluia. Alleluia.

Oratio. Deus, qui Immaculatã Virgi-
nem Mariam, vt digna Filii tui Mater
existeret, ab omni labe peccati in Cõcep
tione sua præseruasti; tribue quæsumus,
vt qui eius innocentiæ puritatẽ veraciter
credimus, ipsam pro nobis apud te sem-
per intercedere sentiamus. Per eundem.

Ad Matutinum Inuitatorium. De Imma
culato cõceptu Virgineo, iubilemus Deo
salutari nostro. *Psalmus*. Venite.

Hymnus. O Benedicta fœmina, quam
cœli laudant agmina, te confitemur ho-
die conceptã sine crimine. Sicut solaris
radius corruptionis nescius, intrasti Ma-
tris viscera, ò gloriosa Domina. Nullum
redemit Filius, ex omni gente digniùs,
qui te seruauit prouidè, mũdam paterno
scelere. Gloria tibi Domine, qui natus es
de Virgine.

In primo Nocturno. Aña. Eleuata est Ma
riæ puritas super choros Angelorum. Al
leluia. *Psalm.* Domine Dominus noster.
Aña. In sole posuit tabernaculũ suũ Do-
minus; quia de Immaculata Virgine om-
ni puritate fulgida natus est Christus. Al
leluia. *Psal.* Cœli enarrant. *Aña.* Ab ini-
tio, & ante secula Deus ordinauit eam,
& Filio suo præparauit eam. Allel. *Psal.*
Domini est terra. ℣. Liberasti me Domi
ne ex ore leonis Allel. ℟. Et à cornibus
vnicornium humilitatem meam. Allel.

Ex dictis Sanctorum Doctorum. *Lect. i.*

Beatus Ambrosius in quodam sermo
ne de gloriosa Virgine MARIA expo-
nens propheticum illud. Egredietur vir-
ga de radice Iesse. Sic de eius innocentia
protestatur, dicens: Hæc est virga, in qua
nec nodus originalis, nec cortex venialis
culpæ fuit. Hylarius. O Virgo benedicta
super omnes feminas, quæ Angelos vin-
cis puritate, quæ omnes Sanctos superas
pietate. Hieronymus. Quicquid in MA-
RIA gestum est, totum puritas, totũ ve-
ritas, totumq; gratia fuit. ℟. In me gra-
tia omnis viæ, & veritatis. In me omnis
spes vitæ, & virtutis. Allel. ℣. Transite
ad me omnes qui concupiscitis me, & à
generationibus meis adimplemini. In me

Lectio ij. Idem, Quoniam Hieronymus
inquit. Quicquid humanis dici potest
verbis, minus est à laude Virginis. Et ite-
rũ. Nihil est candoris, nihil est splendo-
ris, nihil est numinis, quod nõ resplẽdeat
in Virgine gloriosa. Et alibi. Nulli dubiũ
est de Matre Domini, quin talis debuerit
esse, quæ non posset argui de peccato;
quia fuisset ad improperiũm Filij.

℟. Ego Mater pulchræ dilectionis, ti-
moris, ac magnitudinis, & sanctæ spei.
Allel. Allel. ℣. Spiritus meus super mel
dulcis, & hereditas mea super mel, & fa-
uum. Alleluia. Alleluia.

Lectio iij. Basilius. Quid dulcius, fra-
tres charissimi? quid iocundiùs? quid sa-
lubriùs? aut quid fœlicius, quã de B. Vir-
gine loqui, de Virgine cogitare, de Vir-
gine prædicare, & ipsam in omnibus se-
qui, & imitari? Hæc est redẽptio nostra,
salus, vita, spes, refugium, consiliũ, & au-
xilium nostrum. Hæc est, quæ fuit in vte-
ro matris absque originali peccato con-
cepta, & generata; ab omni maritali vi-
tio seggregata; omni etiam veniali pec-
cato priuata, & in cunctis actibus, & mo
ribus suis Spiritus sancti gratia plena, &
fœcunda. Hieronymus. Cæteris per par-
tes gratia præstatur; MARIÆ verò tota
se infudit gratiæ plenitudo. ℟. Multæ
filiæ cõgregauerunt diuitias, tu verò Ma-
ria supergressa es vniuersas. Allelu. ℣.
Vox enim tua dulcis, & facies tua decora
nimis. Alle. Allel.

In ij. Nocturno, Aña. Astitit Regina à
dextris tuis in vestitu deaurato, circunda
ta varietate. Allel. *Psalm.* Eructauit. *An-
tiph.* Fluminis impetus lætificat ciuitatẽ
Dei, sanctificauit tabernaculũ suum altis-
simus. Allel. *Psalm.* Deus noster. *Antiph.*

Glorioſa dicta ſunt de Virgine Maria, quia fundauit, & præſeruauit eam Altiſſimus. Allel. *Pſal.* Fundamenta eius. ℣. Eruiſti à framea Deus animā meā. Allel. ℟. Et de manu canis vnicam matrem meam. Alleluia.

Lectio iiij. Sermo. Intemeratam matris ſuæ Conceptionē Saluator noſter innumeris frequēter propalauit indicijs. Quodā enim tempore, Religioſi quidam in tātam Conceptionis altercationē prorupe runt, vt ordinis Minorū fratres hæreticos affirmarēt, quia Dei genitricem ſine originali macula conceptā ſuis in prædicationibus proteſtantur. Ea de re Apoſtolico iuſſu in Pariſienſi ſtudio publica diſputatio peracta eſt, ad quā dicti accuſatores cū innumeris penè Ordinis eorū Doctoribus conuenère. Dominus verò noſter Ieſus Chriſtus, ad protegendam dilectæ Matris dignitatem, Scotū Ordinis Minorū Doctorem eximiū ad ciuitatem illā protinus deſtinauit, qui aduerſariorū fundamentis, argumentiſq. omnibus inconuincibili ſermone confutatis, ita Cōceptionis Dominæ innocentiam clariſsimè cōprouauit, quòd omnes illi fratres ſublimitatem eius plurimū admirati obmuteſcentes in diſputādo defecère. Quapropter opinio Minorū à Pariſienſi ſtudio illico approbatur. Scotus verò Doctor ſubtilis propter hoc appellatus victor ad altiſsima veræ ſophiæ ſtudia remeauit. Illi autē tam multi accuſatores à paucisſimis ſuperati obſtupeſcentes receſſère. ℟. Nolite timere multitudinem iſtā. Ego enim Dominus adiutor veſter. Allel. Allel ℣. Dabo vobis os, & ſapientiam, cui reſiſtere non poterunt omnes adverſarij veſtri. Alleluia.

Lectio v Eadem etiam in ciuitate Sacerdotes erant quidā Dominæ noſtræ innocentiam non credentes, qui vt ſuā melius opinionem populis intimarent, quēdam nobilem virum eorū cōmunicantē operibus obſecrarunt, vt pro confirmanda ipſorū ſententia, ſe poſtquam aliquādiu finxiſſet infirmū; mori poſtremò ſimulans, ad eorum Eccleſiam quaſi pro ſepultura magno cū apparatu, turbis comitantibus faceret deportari. Depoſito què in medio Eccleſiæ feretro ſecundū patriæ morem eorū vnus ad populū perorat. Ad medium verò ſermonis veniēs, ſic illi, qui mortuus videretur, ex parte omnipotētis Dei præciperet, vt ſi B. Virgo Maria originali fuerat vitio maculata, protinus à mortuis rediret ad vitam. ℟. Alieni inſurrexerunt aduerſum me, & fortes quæſierunt diffamare animā meā, & non propoſuerunt Deum ante conſpectum ſuū. Ecce enim Deus adiuuat me, & Dominus ſuſceptor eſt animæ meæ. Allel. ℣. Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania? Ecce enim.

Lectio vj. Præbuit aſſenſum nobilis prædictus ſuggeſtionibus iniquis, omnibuſq; iuxta quod ordinatū fuerat peractis, innumeris fere ſcholaribus, ciuibuſquè, ac diuerſorū ordinū fratribus ad exequias cōuocatis prædictus Sacerdos nobilem illū per Dei virtutem, ac potentiā coniurauit, præcepitq; vt ſi glorioſa Dei genitrix Virgo originalem contraxerat maculam, protinus euigilaret à mortuis. Cū autem iteratis iuſsionibus ſæpiùs præcepta repeteret, nobilis ille immobilis perſiſtebat: qua de re mirū in modū admiratus præsbyter cū ſequacibus ſuis, intremuit. Coniux verò ſimulatoris illius, tam nefandæ non inſcia fraudis, cū vſq; ad Eccleſiam virū ſuum comitata dolorē lacrymis ſimulās perueniſſet, illū poſt Sacerdotis iuſſa videns immobilē, pertimuit, B. Virginē, mariti ſui malignam fictionem debitis mulctaſſe ſupplicijs. Illico ad feretrū currens, inuenit virū ſuum mortum, qui viuus in Eccleſia fuerat deportatus: propter quod magno eiulatu exclamans talibus Sacerdotem cōuitijs impetijt. O ſceleratiſsime virū meū occidiſti? Omnibus igitur per ordinē fraudibus aſtantibus enarratis, mulier illa cōiuge orbata lacrymans receſsit. Sicquè glorioſa Virgo puritatem, & integritatē ſuam hoc inſigni miraculo, cū maxima aduerſariorum confuſione demonſtrauit. ℟. Quicumq; honorificauerit me, glorificabo eum. Qui autē contemnunt me erunt ignobiles ℣. Ego diligentes me diligo, & qui mane vigilauerit ad me, inueniet me, & mecū ſunt diuitiæ, & gloria.

Qui

Qui autẽ. *In iij. Noct. Añ.* Innocentia, & pulchritudo in conspectu eius, sanctimonia, & magnificentia in sanctificatione illius. Allel. *Psal.* Cantate. *Añ.* Qui diligitis Dominam, annuntiate iustitiam eius & confitemini memoriæ sanctitatis illius. Allel. *Psal.* Dominus regnauit, exultet terra. *Añ.* Iubilate Domino omnis terra, cantate, ac exultate, & psallite in Conceptione Virginis benedictæ Allel. *Psal.* Cãtate ij. ℣. Verè Dominus est in loco isto. Allel. ℟. Non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cœli.

Lectio S. Euangelij secundùm Lucam.

In illo tẽpore, Loquente Iesu ad turbas, extollens vocem quædã mulier de turba, dixit: Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti. Et reliqua.

Homilia. Lectio vij. Amantium est mos dilectissimi, vt amorem suum tacere nequeant, scilicet necessarijs, ac charis suis efferant, & prodant, flãmasquè suas intra pectus suum cohibere non possint. Enarrant frequentiùs, vt ipsa assiduitate narrãdi solatiũ amoris sui captent, & refrigeria immensæ dilectionis assumant. Euenitq; sæpiùs, vt etiã clamorosas voces cõtinere nõ possint. Ea propter deuota hæc mulier, de qua Euangelista testatur gloriosæ Virginis amore succensa extollens vocẽ suam de turba, Dominũ nostrum alloquitur, dicens: Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti. Rectè beatus venter, qui æternæ beatitudinis aditũ reserauit Beatus venter, qui orbem vniuersum benedictione repleuit Beatus venter, per q ẽ peccatores veniã, iusti gratiã, Angeli lætitiã, Filius Dei humanæ carnis substantiam, totaq; Trinitas gloriam percepit. ℟. Beatã me dicent omnes generationes: quia fecit mihi magna, qui potens est, & sanctũ nomen eius. Allel. ℣. Respexit humilitatem ancillæ suæ. Ecce enim ex hoc beatã me dicent omnes generationes. Quia.

Lectio viij. Beatus igitur venter Mariæ, qui nulli vnquam fuit obnoxius culpæ; si enim rectè scripturas inquirimus, si fideliter rei veritatem scrutamur, nõ modò actuali, sed etiã originali macula intemerata monstratur Perlege ergo codicẽ huius veritatis, qui noscere gestis Mariæ puritatẽ. Hoc etenim decet Christi discipulũ, Genitricẽ eius magnificare conceptum; me igitur zelus Dominæquè deuotio, agnitæ, veritatis amor, ac defensio, pietatis cultus, & affectio ad extollendam Virginis Conceptionem accendit ℟. Laudate Dominã omnes gentes: Laudate eam omnes populi. Allel. Allel ℣. Benedicam illam in omni tempore, semper laus eius in ore meo. Alleluia. Alleluia.

Lectio ix. Qui rectè diligentem se non diligit, profectò iniquus est, & ingratus. Qui verò amicũ odit, & prosequitur: inimitior tigribus ferisq; omnibus crudelior demonstratur. Cur ergo dilectam Deigenitricem miserorũ refugiũ, desolatorum spem, omniũq; nostrum singulare præsidium, Virginem prosequitur benedictã? Cur aduocatã sęculi non amem? Cur Dominam, & Matrem meam Immaculatam non diligam? Quomodo illius Virginis reticere potero sanctitatem, quæ pro sua innocentia concipere meruit Saluatorem? Exaltabo ego cũ deuota muliere vocem meam. Ostendam Domino deuotionem meam, dicens: Beatus venter, qui te portauit, Beata Virgo, qui te concepit, quã nulla vnquam peccati contagio corrupit.

℟. Vidi speciosam, sicut columbam ascẽdentem desuper riuos aquarũ, cuius inæstimabilis odor erat nimis in vestimẽtis eius: & sicut dies verni circundabant eam flores rosarũ, & lilium conualliũ. Alleluia. Quæ est ista, quæ per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij? Et sicut. ℟. Omnes moriemini, qui in Adam peccauistis; tu verò ne timeas. ò Maria, inuenisti gratiam apud Deum. Non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est. Allel. ℣. Dominus custodiet introitũ tuum, & exitum tuũ ex hoc nunc, & vsque in sęculum Non enim. ℟. Hæc est domus Domini firmiter ædificata, bene fundata est supra firmam petrã. Allel. ℣. Hic habitabo, quoniam elegi eam. Benè fundata est. ℟. Schalam vidit Iacob, cuius cacumen cęlos tãgebat. Allel. ℣. Angelos quoque descendentes, & ascendentes, qui eam lumine replebant, eiquè Dominus inhærebat, cuius cacumen. ℟. Porta hæc clausa erit

pec-

peccato, & non aperietur. Quoniam Dominus Deus ingressus est per eã, eritq; clausa Principi. Allel ℣. Hæc est porta Domini, & peccatũ non transiuit per eã. Quoniã ℟. Hæc est Mulier, quã præparauit Dominus Filio Domini mei, pulchra nimis, & decora facie, incredibilis pulchritudinis, & formosa valdè, omniumque oculis gratiosa. Allel. Allel. ℣. Et ideo adamauit eã Rex plusquã omnes mulieres, & posuit diadema regni in capite eius. Alleluia.

Ista Responsoria distribuuntur infra Octauã, incipiendo secunda die à tertio responsorio diei primæ, & tertia à quarto, & sic successiuè per ordinem. Ad Laudes. Aña. Domum tuã Domine decet sanctitudo in longitudine dierũ. Allel *Psal.* Dominus regnauit, *cum reliquis. Aña.* Introite in conspectu Domini, in exultatione, in cõceptu dulcissimæ Matris suæ. Allel. *Aña.* Adhæsit anima mea post te, me suscepit dextera tua. Ipsi verò in vanũ quæsierunt animam meam. Allel. *Aña* Spiritus, & animæ iustorum benedicite Dominæ Angelorum. Alleluia. *Aña.* Exultationes Dei in gutture eius, byssus, & purpura indumentũ illius. Allel. *Capit.* Dominus possedit me in initio viarũ suarum, antequã quidquam. *Cætera, vt sup. in Vespe. Hym.* Exultet cœli concio Mariæ dulci Filio: nosquè lætemur hodie Conceptione Dominæ. Maria mundi gloria, lucis æternæ filia: te præseruauit Filius ab omni labe penitus. Originalis macula, cuncta respersit secula: sola post natũ vitijs nunquã contacta diceris. Maria mater gratiæ, exẽplar innocentiæ, te deprecamur intimè, nos à peccato protege. Patri, nato, Paraclyto, decus, honor, & gloria, atque Mariæ Virgini per infinita secula. Amen.

℣. Domine dilexi decorẽ domus tuę. Alle. ℟. Et locũ habitationis gloriæ. Allel. All. *Ad Benedictus. Aña.* Benedictus Dominus Deus Israel; quia præseruauit, & fecit redemptionem Matris suæ. Allel. Alle. Alle. *Orat. vt sup. Ad prim. Aña.* Ex omni tribulatione eripuisti me & super inimicos meos despexit oculus meus. Alle. *Ad ter. Aña.* Respondebo exprobrantibus mihi verbũ: quia liberata sum per Filium meũ. Allel. *Capit.* Dominus possedit me. ℟. br. Liberasti me Domine ex ore leonis. Alle. Alle. ℣. Et à cornibus vnicornium humilitatẽ meam. Allel. Allel. Gloria Patri. Liberasti. ℣. Eruisti à framea Deus animam meam. ℟. Et de manu canis vnicam matrem meam. Alleluia.

Ad Sext. Aña. Declinate à me maligni, præseruauit me gratia Filij mei. Allel. *Cap.* Beatus homo, qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & obseruat ad postes hostij mei, qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino.

℟. br. Eruisti à framea Deus animã meã. Alle. Allel. ℣. Et de manu canis vnicam Matrẽ meam. Alle. Alle. Gloria. Eruisti. ℣. Vere Dominus est in loco isto. Allelu. ℟. Nõ est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cœli. Allel. *Ad Non. Aña.* Redime à calumnijs hominum, vt magnificent deuoti conceptũ meum. Alle. *Cap.* Qui audit me, non confundetur, & qui operãtur in me, non peccabunt; qui me elucidant, vitam æternam habebunt. ℟. br. Verè Dominus est in loco isto. Alle. Allel. ℣. Non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cœli. Alle. Alle. Gloria. Verè. ℣. Domine dilexi decorem domus tuæ Alle. ℟. Et locum habitationis gloriæ tuæ. Alle. *In ij. vesp. Aña.* Tota pulchra es Maria, & macula originalis non est in te. Allel. *Aña.* Sicut liliũ inter spinas, sic Maria inter Adæ filias. Alleluia. *Aña.* Candor est lucis eternæ, & speculum sine macula. Allel. *Aña.* Tu gloria Hierusalem; tu lætitia Israel; tu honorificentia populi nostri. Alleluia.

Aña. O pulcherrima inter mulieres, pulchræ sunt genæ tuæ: collum tuũ, sicut monilia. Allel. *Capit.* Dominus possedit me. *Hym.* Gaude Mater, *vel*, Aue maris stella. ℣. Conceptio est. *Ad Mag. Aña.* Sicut cedrus exaltata sum in Libano, & sicut cypressus in monte Siõ: quasi myrrha electa & sicut cinamomũ, & balsamum aromatizans dedi suauitatem odoris. Alleluia. Alleluia. Alleluia. *Oratio, vt supra.*

Secunda die ex dictis Sanctorum Doctorum.

Lectio j. Basilius. O Maria tu candoris, & decoris forma, cui in terris nõ est æqualis, nec in cœli ianua. Cyprianus. O Virgo iusta, & omni iustitia plenissima, cuius cõceptio singularis. Origenes. Quæ neq; serpentis persuasione decepta, nec eius venenis

nosis afflatibus est infecta.

Lect. ij. Hieronym. Canitur in Canticis de Maria, hortus conclusus, fons signatus, emissiones tuæ paradysus; hortus deliciarũ, in quo sunt consita vniuersa florum genera, & odoramenta virtutum; sicque signatus, vt nesciat violari, neque corrumpi vllis insidijs, fraudibusvè Diaboli. Fons itaque signatus sigillo totius Trinitatis. Sanctus Cyrillus Patriarcha Alexandrinus. Propter Filium temerariũ est in MARIA ponere culpam aliquam, vel peccatum.

Lectio iij. Sanctus Ildephõsus Archiepiscopus Toletanus in libro Beatæ Virginis dicit: Beata Virgo MARIA, nisi in vtero matris sanctificata fuisset, minimè eius natiuitas colenda esset. Sed quia auctoritate sanctorum Patrum dignè, vt nouit vestra charitas, veneratur; constat eam ab ipso originali peccato fuisse immunem, per quam, non solum Euæ soluta est maledictio; verum etiam omnibus est benedictio condonata. Nullis igitur postquã nata est, delictis subiacuit, nec etiam originale peccatum in vtero sanctificata contraxit.

Lectio iv. De Sermone. Alijs etiam indicijs puritatem, & innocentiam suam virgo gloriosa monstrauit. De Beato enim Guidisaluo Archiepiscopo Tholosano, qui propter singularem erga Dominam nostram deuotionem, eius Capellanus nũcupatus est, legitur, quod quotiescumque celebrabat, aderat ei Virgo benedicta. Cũ autem in die Conceptionis eiusdem se ad sacrosancta Missarum solemnia prepararet, apparuit illi Dei genitrix Maria, eique vnam mundissimam planetam niueo candore radiãtem tradidit, dicens: Scias Guidisalue, me sine originali macula fuisse cõceptam. Reuerenter igitur festum intemeratæ conceptionis meæ celebrare procura. Archiepiscopus verò non surdus auditor composuit pulcherrimum de Conceptione Virginis tractatum, ordinauitque festũ Immaculatæ Conceptionis, per totã Hispaniam solemniter celebrari, totoque vitæ suæ curriculo annuatim publicè de Cõceptione Beatæ Dei genitricis, omni, qua potuit, eloquentia perorauit.

Lectio v. Beatus Bern. Abbas post mortem suam totus lucidus cuidam de suis fratribus apparuit. Cùm autem omne eius indumentum candidum esset, solo in pectore quædam nigerrimi coloris macula videbatur. Quærẽti autem fratri, vbi illam maculam recepisset? Respondit. Cùm tali macula volui tibi apparere; quia dum viuerem, in quadam extiti non vera opinione, existimans Matrem Domini nostri originalem maculam contraxisse. Dicas ergò Fili mi fidelibus populis, quæ vidisti.

Lectio vj. In reuelationibus Beatæ Brigittæ habetur, quòd quidam Capellanus eius sacræ Theologiæ Doctor eximius, Matthias nomine, Beatam Brigittam exorauit dicens. Te deprecor filia, vt mihi reuelare digneris, si benedicta Virgo Maria ab originali fuit vitio deturpata. Beata autem Brigitta dixit; semel Virginem rogaui purissimam, vt modum mihi suæ sanctissimæ Conceptionis aperiret. Ipsa verò respondit Ex Ioachim, & Anna parentibus propagatam scias me ab omni peccatorum sorde fuisse preseruatam. Protinus his auditis prædictus frater opinionem suam deposuit, festumque Immaculatæ Conceptionis, annuatim prædicans, deuotissimè celebrauit.

De homilia. Lectio vij. Verum, quia in fidei nostræ articulis expressa huiuscè veritatis mentio non habetur, oppositã tenentibus partem, hæresis imponere crimen, donec aliud Ecclesia statuat, non debemus. Ita ergo Dominæ nostræ innocentiã Conceptionis credimus, quòd totum contrarium asserẽtes hæreticos non putamus. Fidelium autem congruit pietati, Dei genitricem nullis peccatorum sordibus cõtaminatam profiteri. Audite ergo Christiani omnes, & credite Immaculatam Conceptionem Virginis gloriosæ.

Lectio viij. Sed fortasse aliquis dicat: illi rectè docent, qui causas de singulis reddũt; opinionem docentem, non solum verum affirmare, sed etiã illius causam assignare debere: idcircò disputãdo procedamus, & fidei nostræ causam in medium arguendo proferamus. Quantò enim magis ratione nitimur, tantò maiorem verba nostra auctoritatem sortiuntur. Audi ergo auctoritatem doctrinæ, quã Immaculatæ Conceptionis deuotus cultor effectus, con-

ſequeris gratiam miſerationis diuinæ.

Lectio ix. Dicit Beatus Thomas in tertia parte ſummæ, quos Deus ad aliquid elegit, ita præparat, & diſponit, vt ad illud, ad quod eliguntur, inueniantur idonei, iuxta illud Apoſtoli. Idoneos nos fecit miniſtros noui teſtamenti; ſed Beata Virgo ab æterno fuit electa diuinitus, vt eſſet Mater Chriſti. Verùm ipſa per Sapientem dicit, Ab æterno ordinata ſum: ergo Deus per gratiam ſuam eam ad tam mirabile opus idoneam præſeruauit. Non fuiſſet autem idonea Mater Dei, ſi vllo tempore, vel etiam in momento fuiſſet per peccatũ ancilla Diaboli; quia dedecus filij parens ſine honore: Ergo Mater intacta Domini noſtri per diuinam gratiam fuit præſeruata à contagione originalis, & actualis peccati.

Tertia die ex dictis ſanctorum Doctorum.

Lectio j. Auguſtinus in libro de natura, & gratia de Virgine benedicta profitetur, dicens, excepta ſola Virgine, de qua propter honorẽ Domini nullam prorſus, cùm de peccatis agitur, habere volo quæſtionẽ. Scimus enim, quòd plus ei gratiæ donatũ fuit ad vincendum ex omni parte, peccatum, quæ concipere, & parere meruit, quẽ conſtat, nullum habuiſſe peccatũ. Hac igitur Virgine excepta, ſi omnes ſancti, & ſanctæ Dei, cùm viuerent, interrogati fuiſſent, vtrùm ſine peccato fuiſſent? Omnes vna voce dixiſſent, ſi dixerimus, quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.

Lectio ij. Sed reſpondet fortaſſe aliquis, Auguſtinum de peccatis tãtùm actualibus loqui. Audi reſponſum veritatis. Angelicum Doctorem mendacem facis. Multi enim ſancti, & ſanctæ Dei regnant in cœlis, qui nunquam actualibus irretiti fuerunt peccatis. Si ergo Auguſtinus de actualibus tantùm loquitur; eius illico ſentẽtia, velut veritati cõtraria, ab omnibus reprobatur.

Lectio iij. In his ergo verbis Auguſtinus vobis intimare contendit, neminem eſſe in regno cœlorem, quem non tenuerit quemquam catena delictorũ. Aliqui enim originalem tantùm maculam contraxère, ſicut innocẽtes, & multi infantuli, qui poſt Baptiſmum protinus decedentes, ad cœleſtem gloriam trãſière. Alij verò nõ modo originali, ſed actualibus etiam peccatis, ſaltem venialibus ſunt infecti. Sola Dei genitrix Virgo, omni puritate repleta, nullo vnquam fuit violata peccato.

De Sermone. Lectio iv. Legitur in quodã Beati Dominici opuſculo, quòd cùm regularis eſſet Canonicus, in Epiſcopatu Tholoſano, contra hæreticos quoſdam diſputando, contendit, qui multas veritati contrarias concluſiones aſſerebant. Inter alias autem opiniones, hanc populis prædicabant, Beatam Virginem non fuiſſe ab originali vitio præſeruatam. Cùm verò Beatus Dominicus ſe non poſſe illis veritatem perſuadere, conſpiceret, taliter cum eis conuenit, vt ſuas pariter concluſiones in ardenti fornace deponerent, quæ autem ignis ardore non deficerent veridicę putarentur. Depoſuère igitur hæretici ſuas in medio ignis concluſiones inter alia multa dicentes. Originali macula contaminata fuit Virgo Maria. In cõtrarium verò Beatus Dominicus affirmauit. Statim ergo falſas hæreticorum concluſiones vorax flamma conſumpſit. Beati verò Dominici veriſsima dicta in medio ardentis flammæ, ſine vlla penitus læſione, nulloque in eis ignis apparente indicio per tres continuos dies perſtitère.

Lectio v. In Regno Vngariæ quidam in Theologia Magiſter contra Virginis intactæ Conceptionem coram Rege prædicauit illam ſanctificatam aſſerens, non autem ſine macula fuiſſe conceptam, qui talibus irreuerenter dictis audaciæ ſuæ pœnas perferens, protinus expirauit. In Tholoſana etiam ciuitate frater quidam iridem prædicare non timuit; finita verò prædicatione ad capellam quandam Miſſam celebraturus acceſsit. In illa autem imago erat glorioſę Virginis in marmore ſculpta, cùm ergo ad altare frater ille aſcendere præſumpſiſſet, Beata Dei genitrix Virgo vultum valdè terribilem ei oſtendit, & iratũ, ſuamque ab illo faciẽ reuoluit, & ſic vſque in hodiernum permanet diem.

Lectio vj. In Ducatu Subaudienſi iuxta montem ſancti Bernardi, frater quidã videns mulieres ad Cõceptionis prædicationem pergentes, increpauit eas dicens, puriſsimam Virginem non fuiſſe à dilecto

Filio

Filio suo in Cōceptione præseruatam, addiditque, si non ita est hoc, in me obsecro à Beata Virgine fieri miraculum, vt ante vesperas emittam spiritum; ita igitur factum est; hora etenim illa inuenerunt illum alij fratres suspensum per perdes, & mortuum.

De homilia. Lectio vij. Quia forsitam aliquis tacitus dicit. Audi aliam partem, si vis rectè iudicare; iudicantem enim oportet cuncta rimari, & ordinem rerum plena inquisitione discutere. Ideò cauillationes cōtrarias videamus, & aduersantia proferamus argumēta. Opposita enim iuxta se posita magis elucescunt, positisque iuxta se cōtrarijs maiora à minoribus discernūtur. Idcircò Philosophus inquit, potentes ad vtramque partem dubitare, in singulis speculamur verum, & falsum. Et alibi. Quærentes veritatem sine disputatione, simíles sunt quo ire ignorantibus. Iuris consultus etiam dicit, disputando meliùs veritas inuenitur.

Lectio viij. Prima igitur argumētatio sic procedit; non sunt tantum gloriosæ Virginis adeò illi data, à nobis excollenda priuilegia, vt detrahatur dignitati, ac gratiæ Saluatoris nostri. Sed hoc per excellentiā Domino nostro Iesu Christo priuilegium attribuitur singulare, quòd ipse solus de primorum stirpe parentum originali nō fuit polutus fœditate. Verum Augustinus, inquit, teneamus fidei indeclinabilem confessionem, quòd solus Christus sine peccato natus est in similitudinem carnis peccati: ergo non ita extollere debemus Virginis Conceptionem, vt eam Filio suo arbitremur æqualem Ideò Augustinus dicit, non est in filijs hominum quisquam sine peccato, excepto vno meditatore nostro.

Lectio ix. Huius falsitas argumenti lucida potest responsione dissolui: secundum enim iuris decreta, de communi lege principum, nemo suis dicitur statutis alligatus. Augusta verò ab eisdem mariti sui gratia censetur immunis; Christus ergo cœli, terreque Dominus elegi, * qua omnes Adæ filios pro originali scelere damnauerat, nulla fuit ratione subiectus; sed iure ipso, & per suæ excellentiam naturæ ab omni peccatorum sorde extitit alienus. Beata autē Virgo Orbis totius regina legis illius maledictum, nō per naturam, sed per Filij sui gratiam præseruationis euasit. Non igitur ex Immaculato Virginis conceptu Domini nostri priuilegium tollitur, qui solus per naturam liber natus est à reatu, nec æqualis Filio mater veneranda monstratur; imò ex eius præseruatione insignis, & eximia nato prærogatiua confertur.

Quarta die ex dictis sanctorum Doctorum.

Lectio j. Augustinus in libro de quinque hæresibus in persona Christi loquitur, dicens: Si potuit inquinari Manichæe mater mea cùm ipsam facerem, potui & ego inquinari, cùm ex ea nascerer. Et iterū. Hæc quā tu despicis Manichæe, mater mea est, & de manu mea fabricata. Et alibi. Charitas fecisti, vt non solùm Maria non peccaret; sed nec quidem peccatum cogitare posset, & super cunctos eam reseruasti ab omni labe peccati.

Lectio ij. In sermonibus etiā dicit; Summa Dei sapientia nullam in massa humani generis inuenit viam, per quam, vt desposuit, in mundum veniens, eius subueniret luctuosæ perditioni, donec ad illā, de qua loquitur, virginem ventum est. Sed hæc mox, vt in mūdum per humani generis lineam venit, tanta omnis boni virtute perfectè resplenduit, vt eam Dei sapientia veridicè iudicaret idoneam, vt per ipsam in hominem veniens, non tantùm reatū primorum parentum, sed etiam totius mundi peccata deleret.

Lectio iij. Idē Angelicus Doctor. O Mater Domini, sicut in prima fœmina abundauit delictum, ita & in te super abundauit omnis plenitudo gratiæ, & ideò super omnes es ignara delicti! Et iterum. Magnifica illū, qui te à peccato reseruauit Quis enim dicere poterit, sine peccato sum natus, aut mundus sum ab omni iniquitate, dicere audebit; nisi illa Virgo prudentissima animatū templum Dei excelsi, quam Deus sic elegit, & prælegit ante mundi constitutionem, vt sancta, & Immaculata Mater Dei esset, & filia ab æterno reseruata, incorrupta ab omni labe peccati.

De Sermone. Lectio iv. In Tholosa, quidam dissertissimus frater contra Conceptionis Immaculatæ Virginis puritatē prædica-

dicauit. Quapropter in negatæ teſtimoniũ veritatis ſtatim, finita prædicatione, quidam, ex inſperato lupus adueniens, cum ſuffucando, ac dilacerando occidit. Quidam etiam alius frater Dominæ noſtræ innocentiam cõceptionis impugnans, in ipſa prædicatione cæcus effectus eſt. Quo ad ſanam mentem conuerſus miraculo, Beatæ Virgini vouendo promiſsit, ſi eum illuminaret, oppoſitum prædicare, quod & factum eſt.

Lectio v. Beatus Anſelmus quadã in epiſtola miraculũ hoc ita deſcribit. Tempore illo, quo diuinę placuit pietati Anglorum gentẽ de malis ſuis corrigere, & ſuæ ſeruitutis offitijs artibus aſtringere, glorioſiſsimo Normandorũ Duci Guillelmo eandẽ patriam debellando ſubegit: audientes autẽ hoc Daci grauiter indignati ſe ſuo, quaſi hæreditario iure priuari, arma præparant, claſſeſquè aptant, vt Normandos à data eis diuinitus expellant patria. Hoc comperto Rex prudentiſsimus Guillelmus Elſinum, quendam remenſis Cœnobij Abbatem in Daciam dirigit, vt huiuſcè rei inquirat veritatem. Elſinus verò vir admodum ſagacis ingenij ſtrenuè Regis negotium executus, ad Angliã reuerti cupiens mare ingreditur. Cumquè non modicam maris partẽ proſpero curſu trãſijſſet, ſubitò denſis vndiquè ſurgentibus ventis, horrida tẽpeſtas mare commouit, & vndas; fatigatis itaquè nautis, nec vltra obniti valentibus, fractis remis, funibus ruptis, cadentibus velis, ſpes ſalutis amittitur, nihil niſi ſubmerſionis ſuæ indicium miſerabiliter expectatur.

Lectio vj. Cùm igitur de ſalute corporũ deſperati animarũ ſolùmmodo curã magnis clamoribus domino commendarent, & Beatiſsimam Dei genitricem, miſerorũ refugium, ac deſperatorũ ſpem deuotè reclamarent; ecce ſubitò quendam venerabilem virum pontificali infula decoratum inter medias vndas naui proximũ conſpexere. Qui talibus Abbatem verbis interpellans, vis, inquit, periculum euadere? vis, ad patriam ſanus redire? Cumquè ipſe cum fletu, id ſe toto mentis affectu appetere reſponderet. Scias, inquit, me ad te à Domina noſtra Dei genitrice Maria directũ, quam dulciter reclamaſti; & ſi dictis meis obtemperare volueris, ſanus cum comitibus tuis euades ſæuientis periculum maris. Promitte ergo Deo, & mihi, quod Conceptionẽ puriſsimæ Virginis Mariæ ſolẽniter celebrabis, & celebrandã prędicabis. Cumquè ſe in omnibus obtemperaturum, Elſinus ſpopondiſſet, protinus ille diſparuit, ſtatimquè ſedatis fugientis pelagi fluctibus, Abbas cũ ſuis omnibus incolumis anglicis applicuit littoribus. Receptę ergo non immemor ſalutis de Cõceptione Immaculatæ Virginis annuatim prædicans, eius quoque officiũ, non modò ipſe deuoto celebrauit affectu; ſed etiam in Remenſi Cœnobio omnibus ſuę dictioni ſubiectis indixit.

De homilia. Lectio vij. Secunda cõtra Virginis puritatẽ ratio ſic inſurgit. Si non cõtraxiſſet Mater Domini peccatũ originale, nulla indiguiſſet redemptione, quia nullũ cõmiſsit actuale peccatũ. Non enim egẽt, qui ſani ſunt, medico, ſed male habentes. Ergo Chriſtus non fuiſſet B. Virginis Redemptor, quia lapſum præſupponit redẽptio, & conſequenter perfectiſsimus Redemptor nuncupari non poſſet. Contrariũ autem tenet Eccleſia, quæ dicit. Chriſte Redemptor omnium, ergo, &c.

Lectio viij. Obiectionem iſtam ſententiarum tertio ſubtilis Doctor eliminat, dicens, quòd Chriſtus glorioſæ Virginis Redemptor extitit per gratiã præuenientem eam à peccato pręſeruans; ſi enim illã non præſeruaſſet, in originalẽ maculam in cõceptu cecidiſſet. Alios autẽ redemit homines per gratiam à lapſu ſubſequente. Fuit ergo Chriſtus Redemptor Virginis benedictæ, illam ſordidari nõ ſinens vlla vitiorum fœditate, & hoc etiam modo boni quåuis non peccauerint Angelici ſpiritus, fuere redempti. Vnde Bernardus ſuper Cãtica dicit, Chriſtus etiam Angelos redemit illos præſeruando, homines purgando.

Lectio ix. Redẽptio igitur Virginis glorioſæ perfectior fuit noſtra redemptione; melius enim eſt aliquẽ à vulnere defendere, quàm poſt vulnerationẽ remediũ adhibere. Poſito ergo, quòd aliquis duos de proximo vulnerandos conſpiciens, vnũ ex illis adiuuaret, & à vulneratione præſeruaret; alium verò permitteret vulnerari, poſtea

su-

autem per medicinæ subsidium illum reddere sospitati, diceretur profectò vtriusque Saluator, sed meliùs, ac perfectiùs de priori. Beata igitur Virgo per Filij sui gratiam ab originali fœtore præseruata, ab illo extitit perfectissimè redempta, & sic obiectio non obstat in contrarium adducta.

Quinta die ex dictis sanctorum Doctorum.

Lectio j. Richardus de Sancto Victore in Sermone, qui incipit. Necdũ erant abyssi; sic integritatem Virginis benedictæ collaudat, dicens: Non decuit, vt caro Mariç qualicumque foret obnoxia culpæ; nam Dei sapientiã indignum credimus, vt quem ad lucem gentium destinauit, prauitatibus, & illecebris sineret inuolui. Nec enim ingratus fuit Matri, qui Patri, Matriquè præcepti honorem exhibuerit.

Lectio ij. Licèt Bernardus, quandoque contra Immaculatã Virginis Conceptionem senserit; tamen suis in opusculis frequenter oppositũ affirmauit. Hæc enim est veritatis natura, vt cœlari diutiùs nõ possit, sæpiusquè contra voluntatem annuntietur proferentis. Dicit igitur deuotus Doctor, quodã in sermone, qui incipit. De gaudijs ad gaudia, quem in Natiuitate Beatæ Virginis inscripsit. Caro Mariæ ex Adam assumpta maculas Adæ non admisit.

Lectio iij. Idem quodã in sermone Assumptionis inquit. Quænã poterit lingua, etiamsi Angelica sit, dignis extollere laudibus Virginẽ Matrem; Matrem autem non cuiuscumque, sed Dei? Quænam, vel Angelica puritas Virgini illi audeat comparari, quæ digna fuit sacrarium fieri Spiritus sancti, & habitualem Filij Dei? Hæc ille. Si igitur Dei genitrix Virgo in originali fuit cõcepta peccato; Bernardi profectò sententia non paruo falsitatis notatur opprobrio; quia si B. Virginem peccatũ corrupisset, Angeli, qui nunquã peccauère, nostriquè primi parẽtes ante lapsum in puritate illa fuissent clariores. Cũ ergo Dominã nostrã, Angelis in sanctitate, creaturisq; omnibus Bernardus anteponat, illã procul dubio ab originali sorde asserit illibatam.

De Sermone Lectio iv. In pago Gallico Canonicus erat quidã ordine sacerdos, B. Virginis horas nocturnas, nõ paruo mẽtis affectu, solitus decantare. Hic autem in villa quadam cũ alterius vxore fornicario miscebatur cõplexu. Cùm igitur sacrilega satiatus libidine, semel in medio noctis silentio ad oppidum, in quo morabatur, redire festinaret, pelagus quoddã transmeare cupiens solus nauem ingressus, Dominicæ Matris horas nauigando canere cœpit, cumquè inuitatoriũ, Aue Maria, gratia plena Dominus tecum, diceret, & iam vsque ad medium fluminis pertransisset; ecce Dæmonum turba illum cũ nauicula in pelagi profundum præcipitẽ dedit, eiusque, sicut promeruerat, animam rapuit ad tormẽta. Tertio autem die ad locum, in quo maligni spiritus varijs illum cruciabant tormentis, Beata Dei genitrix Maria, innumeris sanctorum valiata fulgoribus accessit, eisquè talibus iniquos Dæmones conuitijs allocuta; vt quid mihi famulantis animam iniustè affligitis? Et Dæmones. Nos, inquiunt, illam habere debemus, quia nostris in operibus occupatam deprehendimus. Si illius, inquit Virgo pia, esse debet, cuius opera peragebat, mea profectò esse cognoscitur, quoniam matutinas meas, dum vos eum peremistis, decantabat; vnde magni rei estis criminis, quia erga me iniqua egistis.

Lectio v. His itaque dictis, Dæmonibus huc, illucque fugientibus, sanctissima Virgo animam illius ad corpus detulit, hominẽquè ab vtroque funere suscitatum arripiens, de profundo pelagi ad portum incolumen adduxit. At ipse gaudio, & exultatione perfusus ad eius pedes illico prostratus, charissima, inquit, Domina mea, & Virgo gratissima, quid tibi retribuam propter tanta, quæ mihi beneficia contulisti? Precor te, ait Dei genitrix Maria, ne ampliùs in adulterina corruas fœditate, festumquè Immaculatæ Conceptionis meæ fidelibus populis annuntians annuatim solemniter celebrare procures. Hæc post quam Beatissima Virgo loquuta est, ad æthereas polorum sedes Angelis comitata perrexit. Canonicus autem ille eremiticam, ac cœlibem vitam ducens, quod sibi acciderat cunctis audire cupientibus enarrauit, totoquè vitæ suæ tempore intemeratum Virginis conceptum specialibus non destitit celebrare solemnijs.

Lectio vj. Tempore, quo Martinus Quintus Romanæ Vrbis Pontificatum tenebat, quidam Theologiæ Magister, Tholosani studij rector determinare ausus est, Beatam Virginem originali fuisse peccato corruptam, qua de re in furore populi de eadem expulsus ciuita-

uitate Romam veniens, apud Summum Pō-tificem de illata ſibi iniuria conqueſtus eſt, concluſionē ſuam aſſerens, publica velle diſputatione tutari; audiens autem hoc memoratus antiſtes, diem fiendæ diſputationis induxit; collectoquè maximo Doctorum conuentu, cùm frater ille non veniret, miſſus eſt, qui eum nuncians aduocaret. Fratres igitur, apud quos glorioſæ Virginis inimicus hoſpitatus fuerat, pergentes ad eius cellam, ipſum mortuum reperère, interiora ventris nō habentem: ſicque B. Virgo hoſtis ſui argutias debita mulctatione confudit.

De homilia. Lectio vij. Quantò pluries aurū per ignem tranſit, tantò maiorē acquirit claritatē. Idcircò Immaculatam iterū B. Virginis Conceptionem in ardenti diſputationis flamma reclinemus, quò eius puritas ampliùs eluceſcat. Sic itaquè arguamus. Glorioſa Virgo Maria fuit in vtero matris ſanctificata. Vnde de illa canit Eccleſia. Sanctificauit tabernaculum ſuum Altiſsimus. Cùm igitur ab actuali, mortali, aut veniali crimine, quod non commiſerat, ſanctificata non fuerit, ergo ab originali. Sanctificare enim eſt, de nō ſancto ſanctum facere: ergo, &c.

Lectio viij. Intelligens vocabuli ſignificationem perpendet de facili argumentationis huius ſolutionem. Sanctificare enim multis accipitur modis. Primò ſanctificare idē eſt, quod in gratia confirmare, & hoc modo beati dicuntur ſancti, quia ſunt in Domini gratia confirmati: dicta ergo auctoritas; ſanctificauit tabernaculum ſuum altiſsimus, de hac poteſt ſanctificatione intelligi. Beata etenim Virgo, ſicut in ſui Conceptione Filij, ita in Dei fuit gratia confirmata, vt ampliùs peccare non poſſet, & ſic prædicata auctoritas de gratiæ confirmatione intellecta non arguit, Dominam noſtram in originali peccato fuiſſe conceptam.

Lectio ix. Alio etiam modo aliquis ſanctificari dicitur, qui ab omni impudico actu abſtinens, Deo ſeruit, & miniſtrat, in omni ſinceritate cordis, & virtute, & hoc modo mulieres quædam ſanctimoniales nuncupantur. Omnes etiam boni Eccleſię miniſtri dicuntur ſancti. Et ideò Auguſtinus, Hieronymuſquè, & Ambroſius Epiſcopos, ſuis in epiſtolis, ſanctiſsimos appellant. Quia igitur, Beata Virgo Maria, omnibus extitit virtutibus redimita, totiuſquè ſpeculum ſanctitatis, omni etiam vitæ ſuæ tempore diuinæ dedita ſeruituti, Angelicam potius vitam ducens, quàm humanam. Ideo non immeritò de illa dicitur. Sanctificauit tabernaculum ſuum altiſsimus. Iſtas enim virtutes, & ſanctimonias ſibi contulit altiſsimus, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum deſcendit. Nihil ergo hæc auctoritas ſanctiſsimæ derogat Virginis Conceptioni.

Sexta die ex dictis ſanctorum Doctorum.

Lectio j. Auguſtinus exponens illud Geneſis iij. Ipſa conteret caput tuum, ſic Beatam Virginem commendat, dicens: Cùm ſubiectio originalis peccati caput ſit Diaboli, tale caput Maria contriuit, quia nulla peccati ſubiectio ingreſſum habuit in animam Virginis, & ideò ab omni macula immunis fuit. Mariæ etiam innocentiam Angelica ſalutatio demonſtrat, dicens: Aue quaſi ſine vę, ideſt, ſine peccato: deinde proſequens ait, Gratia plena. Non foret autem plena gratia, ſi præſeruationis illi gratia defuiſſet. Auguſtinus. In cœlo qualis eſt Pater, talis eſt Filius, ſic & in terra qualis eſt Mater ſecundum carnem, talis etiā eſt Filius. Hæc ille. Qui ergo Matrem Domini in cōceptu aſſerit maculatam, eius quoque Filiū originali prædicat vitio ſordidatū.

Lectio ij. Bernardus, Quicquid alij, licèt pauciſsimis eſt conceſſum, non eſt credendū glorioſæ Virgini fuiſſe denegatum. Cùm igitur primi Parentes noſtri ſine vlla fuerint fœditate procreati, aut proculdubio Bernardi fallax ſententia, aut Virgo Virginum Dei genitrix Maria originali fuit iuſtitia decorata. Auguſtinus, Maria Mater Chriſti electa eſt, & ſuper omnes creaturas prælecta omnibus gratijs fœcundata, omnibus virtutibus ornata, omni ſanctitate in vtero Matris repleta, vt de mundiſsima Matre mundiſsimus naſceretur Filius; quia ſicut in cœlo habet Patrem immortalem, ſic & in terra habuit Matrem omni corruptione carentem.

Lectio iij. Dominicus. Sicut primus Adam fuit ex terra virgine, & nunquam maledicta formatus; ita decuit in ſecundo Adam fieri. Hieronymus. Etſi in ſanctis Patribus, & Prophetis gratia fuiſſe credatur; non tamen eatenus plena. In Maria enim totius gratiæ, quæ in Chriſto eſt, venit plenitudo, quamquam aliter, & aliter. Hæc ille. Aliter, & aliter dixit, quia quod Chriſtus habuit ex natura, hoc Beatiſsima Virgo ex Filij ſui eſt gratia conſe-

sequuta. Non ergo Domino nostro inferre credamus iniuriam, si benedictam illius Matrem ab omni scelerum foetore dicimus illibatam. Diuus enim Hieronymus inquit. Nulli dubium, quin totum ad laudem Christi pertineat, quicquid dignè genitrici suæ impensum fuerit, ac solemniter adimpletum.

De Sermone. Lectio iv. Temporibus Caroli Regis Francorum, Clericus quidam, ordine Leuita, Vngariæ Regis germanus Beatã Dei genitricem Mariam toto corde diligens, eius deuotissimè horas decantabat. Hic parentum suorum consilio nubere volens, adolescentulam quandam valdè pulchram accepit in sponsam. Facta igitur à præsbytero nuptiali benedictione, sacrisquè Missarum expletis mysterijs, recordatus est, se eiusdem Beatæ Virginis Mariæ horas die illa iuxta morẽ non cantasse. Quapropter omnes ab Ecclesia discedere mandans; sponsam verò suam domum deduci faciens, ipse solus iuxta Domini altare remansit. Cumquè B. Virginis horas decantans Antiphonam illam, pulchra es, & decora Filia Hierusalem diceret, apparuit ei Dei Genitrix Virgo pijssima, benignaquè illum facie est talibus alloquuta. Si ergo pulchra sum, & decora, quid est, quod me dimittis, & aliam sponsam me derelicta ducere concupiscis? Nunquid nõ ego sum pulchrior illa? Nunquid non ego sum optimè formosa? Nunquid non ego sum valdè decora? Vbi vidisti tam pulchram!

Lectio v. Ad hæc Clericus ille defixis in terram oculis, Domina, inquit, mea, similitudo tua omnem mundi pulchritudinem excedit. Tu es super choros Angelorum eleuata. Tu es super coelos coelorum exaltata. Quid vis ergo, vt faciam? Ait illa, si carnalem sponsam amore mei dimisseris; me in coelesti Regno sponsam habere gaudebis, & si Conceptionis meæ festum à cunctis Christi fidelibus celebrandum prædicabis, mecum in Filij mei palatio laureatus triũphabis. Talibus exorsa dictis ad coelestia Regna Virgo se benedicta recepit. Clericus verò domum redire contemnens, ad quandam protinus extra patriæ suæ terminos Abbatiam properans, Monachali habitu decoratus est. Post exiguum autem tempus Dominæ nostræ intercedentibus meritis, ad Aquilegiæ Patriarchatum assumptus Immaculatæ Conceptionis festum à cunctis celebrandum prædicans; cum proprijs etiam octauis solemnibus annuatim exornauit officijs.

Lectio vj. Via quoque figurationis Mariæ puritas demonstratur. In Genesi enim sancta Trinitas dixit. Non est bonum hominem esse solum. Faciamus ei adiutorium simile sibi, idest, sine peccato. Hoc autem in redemptionis humanæ figuram factum est. Hinc Bernardus in Sermone Assumptionis, inquit. Et quidem ad restaurationem humani generis sufficere poterat solus Christus; siquidem omnis sufficientia nostra ex ipso est; sed bonum non erat nobis hominem esse solum: congruum magis erat, vt adesset nostræ redemptionis sexus vterque, quorum corruptioni neuter defuisset. Hæc ille. Sicut ergo Christus Redemptor noster sine originali extitit; ita reparatrix nostra Maria Redemptoris Mater intacta illi similis in hoc fuisse comprobatur.

De homilia. Lectio vij. Alio modo sanctificare significat idem, quod sanctum demonstrare. Et in hoc sensu loquitur Saluator noster Patri suo, dicens: Sanctifica me Pater, idest, sanctitatem meam omnibus demõstra. Hoc igitur modo Beatam Virginem sanctificauit altissimus; quia eius sanctitatem per orbẽ vniuersum innumeris prodigijs Deus declarauit. Potest & aliter dici. Licèt hoc aliqualiter Dominæ nostræ deroget dignitati, sanctificauit tabernaculum suum altissimus, non ab originali peccato, quod non contraxerat, sed à fomite originalis peccati; quia corpus gloriosæ Virginis ex semine infecto, vt quidam referunt, propagatum aliquam secundum eos contraxerat foeditatem, à qua sanctificauit illud Altissimus ante benedictæ eius animæ infusionem.

Lectio viij. Potest & aliter propter contẽtiosos responderi. Sanctificare idẽ est, quod de non sancto sanctum facere. Hoc autem aggregatum *non sanctus* potest dupliciter intelligi, priuatiuè sanctum, & negatiuè tantũ. Primò modo dicitur non sanctus negatiuè, qui habet oppositum sanctitatis, sicut hoc modo diceretur non videns, qui esset cæcus, & talis nõ fuit Virgo gloriosa, ideò hoc modo nõ fuit sanctificata. Alio modo dicitur nõ sanctus negatiuè tantùm, qui non habet actu sanctitatem, licèt non habeat oppositum sancti-

cti-

ctitatis, & hoc etiam modo Chriſtus, quoad humanitatem in ſuæ Conceptionis inſtanti ſanctificatus agnoſcitur, qui de ſemetipſo inquit, quem Pater ſanctificauit. In tali ergo ſenſu loquitur Chriſtus, dum canit. Sanctificauit tabernaculum ſuum Altiſsimus, ideſt, Virginem Immaculatam in ſua Conceptione omni ſanctitatis benedictione repleuit.

Lectio ix. Hoc autem diuinæ condecens extitit maieſtati. Deus enim, vt Philoſophorum vtar ſententia, in omnibus generum ſpeciebus aliquod ſingulare indiuiduum perfecit cæteris excellentius, quod aliorum omnium metrum eſſet, & mēſura, ex quo ineffabilis eius ſapientia monſtraretur: in elementis ignis primatum tenet, in aſtris Sol, in Angelis Lucifer, in iumentis bos, in beſtijs Leo, in auibus aquila, in piſcibus ſirena, in hominibus Chriſtus: condecens ergo altiſsimæ extitit maieſtati vnam perfectiſsimam, & ſine macula condere mulierem, quæ munditia, ac virtute incomparabilis inter alias, velut matutina ſtella innocentia, & puritate radiaret. Hęc autem excellentia nulli melius competere potuit, quàm Matri Domini noſtri. Ergo verax eſt opinio de Immaculato conceptu virginali, &c.

Septima die ex dictis ſanctorum Doctorum.

Lectio j. Anſelmus in libro de exordio humanæ ſalutis illibatæ Virginis Conceptionem originali iuſtitia decoratam ſimilitudine non incōgrua comprobat, dicens: Si quid originalis peccati in propagatione Matris Dei extitit, illud propagantium, non propagatæ fuit. Deus enim, qui caſtaneæ confert, vt inter ſpinas, & à ſpinis remota concipiatur, alatur, & formetur, non potuit hoc facere matri ſuæ? Planè potuit, & voluit; quod ſi voluit, & fecit.

Lectio ij. Idem in libro de conceptu virginali ſic inquit. Decuit, vt conceptio illius hominis à matre fieret puriſsima tanta puritate, quanta ſub Deo nequeat maior intelligi, cui Deus Pater vnigenitum ſuum, quem de corde ſuo genuerat æqualem ſibi, ita dare diſponebat, vt eſſet naturaliter vnus, idemque Dei Patris, & Virginis Filius, & quam ſibi Filius ipſe ſubſtantialiter Matrem facere eligebat, & de qua Spiritus ſanctus operaturus erat, vt ex ea conciperetur, & naſceretur ille, de quo procedebat.

Lectio iij. In epiſtola etiam ad Coepiſcopos Angliæ profitetur, dicens: Nō puto, verū eſſe amatorē Virginis, qui celebrare reſpuit feſtum ſuæ Conceptionis. Alexander etiam de Ales, qui irreffragabilis Theologus nūcupatur, in vltimo vitæ ſuæ conſtitutus tranſitu exponens illud Cantico. 4. cap. Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te, de Virgine glorioſa cecinit, dicens: Maria Domina mea, tota pulchra es, & formoſa, & macula originalis, aut actualis peccati in te nunquam fuit. Et hæc dicens deuotus Doctor, Benedictæ Virgini ſe commendans, fœliciter migrauit ad Dominum.

De Sermone. Lectio iv. Alia quidem figura per ſapientem Eccleſiaſticum ſcripta eſt, qui in B. Virginis perſona proloquitur, dicens: Ego quaſi myrrha electa dedi ſuauitatē odoris: myrrha à ſe, & ab alijs vermium putredinē expellit. Hæc autem proprietas Dominæ noſtræ non benè congrueret, ſi aliquātulum à vermibus, ideſt, Demonibus per originale peccatum caroſa fuiſſet. Ibidem etiam prædictus ſapiens ſubnectit, & quaſi plantatio roſæ in Iericho. Roſa enim de ſpinis naſcitur, & tamen ſpinam non habet; ſic Dei Genitrix Maria, quamuis de Iudæa, quæ vtique peccatis ſpinoſa erat, nata ſit; nullum tamen ſpinæ, ideſt, peccati aculeum ſenſit.

Lectio v. Salomon etiam in Canticis exclamat, dicēs: Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens? Aurora à lumine incipit, & ſemper in lumine creſcit, quouſque ſoli iungatur, et nunquam lumine priuatur: ſic Maria Virgo puriſsima, à lumine diuinę gratiæ in Cōceptione ſua incipiens, nullis vnquā eſt peccatorū tenebris obſcurata, ſed ſemper in virtutū omnium claritate ſuccreſcens, tandem cum ſole iuſtitiæ dulciſsimo Filio ſuo in cœleſti gloria mirandis circūdata fulgoribus eſt coniuncta. Ideò eius claritatem intuens Iſaias dicit: Sicut lux meridiana clara eſt.

Lectio vj. Hanc igitur Virginis excellētiam animaduertēs Auguſtinus, eam collaudat, dicens: Quis laudes B. Virginis dignè decātare valeat? Facta eſt enim Maria ianua cœlorū, ſublimatio Apoſtolorū, laus martyrū, iubilatio confeſſorū, cōtinentia Virginum, norma principum, iuſtitia regum, ſalus omnium populorū. Facta eſt Maria gloria viduarū, gaudium Angelorū, requies animarum. Facta eſt Ma-

Maria salus infirmorũ, mors criminum, vita virtutum, virtus pugnantium, palma victorũ. Facta est Maria excelsa super sydera, sanctior super omnes fœminas, cuius vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias. Absit ergo rem istam facere, vt imponamus crimen gloriç nostræ.

De homilia. Lectio vij. Vltima contra Beatam Virginem procella sic fluctuare cõtẽdit. Secundum Apostoli sententiam, omnes peccauerunt in Adam. Cùm ergo B. Virgo de primorum parẽtum stirpe processerit, cõcludendum videtur, quòd etiã ipsa peccatũ originale contraxit. Qui enim totum dicit, nihil excludit. Augustinus. Ergo Dei Genitrix peccasse conuincitur, aut Apostoli sententia falsitatis assertiua comprobatur.

Lectio viij. Et Apostoli verax affirmatio, & conclusioni nostræ minimè contraria reperitur. Aut enim Apostolum vlla sine commentatione intelligis, aut ècontrario. Si generaliter Apostoli verba sine Glossa exponenda existimas, omnes peccauerunt in Adam: ergo & Christus, qui & ipse ex Adam propagatione descendit. Hoc autem esset hæreticũ profiteri. Si ergo Apostolum glossare intendis, æquemus in glossando lãceas, & de pari procedamus. Tu inquies, omnes peccauerunt in Adam prçter Christum per naturam, & ego, & præter B. Virginem per gratiam. Sciẽdum ergo, quòd regulam vniuersalis termini, qui pro singulis distribuit suppositis, diuinarum scripturarum pagina non seruat quç logicalibus nõ est subiecta disciplinis; vniuersalem itaque terminum pro maiori tãtum suppositorum parte, non pro omnibus in sacra Scriptura plerumque intelligi oportet. Vnde de filio prodigo ad Damasum Papam Hieronymus inquit. Modus est scripturarum omne non ad totũ, sed ad partem referre maximã, vt ibi. Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt. Et alibi. Omnes, qui venerunt ante me, fures fuerunt, & latrones: & Paulus ad Corinthios inquit. Omnibus omnia factus sum, vt omnes lucrifacerem: & ad Philippẽses: Omnes enim, quç sua sunt, quærunt, non quæ Iesu Christi.

Lectio ix. Hæc etenim verba sic generaliter prolata cum his glosis intelligi oportet. Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt. Scilicet, qui diuina mandata seruare noluerunt. Omnes, qui venerunt ante me, fures fuerunt, & latrones, scilicet, qui à me missi nõ fuerunt. Omnibus omnia factus sum, scilicet, quæ secundũ Deũ fieri potuerunt. Omnes, quæ sua sunt, quærunt, nõ quæ Iesu Christi, scilicet, qui sunt à charitate separati. Propheta etiã dicit. Omnis homo mendax, scilicet, nisi eius à Spiritu Sancto eloquia procedant. Illud ergo Apostoli, Omnes peccauerunt in Adã, exponendũ est, scilicet, qui non per diuinã gratiã fuere præseruati, sed ab Adã secundũ communẽ, et nõ priuilegiatã legem propagati sunt. Talis autẽ nõ fuit Mater Domini nostri: ergo nõ infecit eam macula originalis peccati. Si quis autẽ Doctorũ B. Virginẽ ab originali peccato sanctificatã asseruit, per gratiã, scilicet, præueniẽtem intelligi oportet. Si verò solũ Christum sine peccato tradidit extitisse, exponi operæ pretiũ est per sui, scilicet, essentiã, et naturam. Beata autem Virgo per Filij gratiã prçseruata est. Quod si fortasse omnino eam peccato maculatã Sanctorũ aliquis suis in operibus inscripsit, respõderi poterit Augustini illud ad Vincentiũ de scripturis Sanctorum Doctorũ. Tale, inquit, genus scripturarum à scripturis Canonicis distinguendum est; non enim ita in eis testimonia proferuntur, vt contrariũ sentire non liceat. Iubilemus ergo omnes, et exultemus propter Immaculatã Dominæ nostrç Conceptionẽ. Valdè etenim nobis profuit, Beatissimã Virginẽ nõ fuisse per originale peccatũ diuinæ maiestatis inimicã, quæ enim nullo vnquã tẽpore, vel momẽto Deũ offendit, sed semper in illius gratia, et dilectione permansit, apud ipsum cõfidentiùs intercedens ipsius benignitatem, et misericordiam pro nobis faciliùs impetrabit.

In octaua omnia dicantur de die, præter ea, quæ sequuntur.

In primis vesperis. Aña. Virgam virtutis suæ misit Dominus ex Sion, dominare in medio inimicorum suorum. Allel. *Aña.* Sit nomen Domini benedictum: propter Immaculatum Virginis conceptum. Allel. *Aña.* Propter domum Domini Dei nostri faueamus omnes Virginis puritati. Allel. *Aña.* Beatus, qui te diligit, ò Maria, non cõfundetur, cùm loquetur inimicis suis in porta. Allel. *Aña.* Qui dat niuem, sicut lanam, ab originali peccato præseruauit Mariã. Allel. ℣. Dominus custodit te ab omni malo. Allel. ℟. Custodiuit animam tuã Dominus. Allel. *Ad magnificat. Aña.* Quã pulcha es amica mea, columba mea, Immaculata mea, odor vestimentorum tuorum super omnia aromata. Allel. Allel. Allel.

Ex dictis ſanctorum Doctorum.

Lectio j. Beatus Thomas in expoſitione Angelicæ ſalutationis Immaculatã Virginẽ exaltat,dicens: Maria puriſsima fuit quãtum ad omnẽ culpã,quia nec originale, nec mortale,nec veniale peccatũ incurrit.Idẽ quoque in primo ſententiarũ inquit. Puritas intenditur per exceſſum à cõtrario,et ideò poteſt aliquod creatũ inueniri,quo nihil purius eſſe poteſt in rebus creatis ſine vlla contagione peccati. Et talis fuit puritas B. Virginis, quæ à peccato originali,et actuali fuit immunis;tamẽ iſta puritas fuit ſub Deo,in quantũ erat in ea potentia ad peccandũ. ℟. Quæ eſt iſta,quæ proceſsit ſicut Sol,et formoſa tanquã Hieruſalẽ. Viderunt eam filiæ Sion,& immaculatã prædicauerũt eã. Allel. ℣. Nõ tetigit eã Abimelec,ſed ipſa confregit caput eius. Viderũt.

Lectio ij. Sancta quoque mater Eccleſia in feſto viſitationis B. Virginis eam magnificat, dicens: Beatiſsima Virgo Dei Genitrix Maria à ſuis eſt primordijs Domino cõſecrata. Et iterum. Hæc eſt illa, de qua ſacra canunt elogia. Mulier amicta ſole lunam ſub pedibus habens,ſtellis coronata duodenis. Tantæ laudes Virginis humana lingua exprimere nõ ſufficit;nec etiã ſancti,& iuſti illam; in cuius ille, quẽ cœli capere non poterant, ſe cõtulit aula virginali, dignis laudum præconijs ad plenũ efferre potuerũt. Alibi etiã canit. Sancta,et Immaculata Virginitas, quibus te laudibus efferam, neſcio. Si ergo iuxta Eccleſiæ teſtimoniũ tanta eſt intactę Virginis puritas, vt verbis exprimi non poſsit;non parũ profectò errare conuincitur,qui originali illam macula deturpatã fuiſſe arbitratur. ℟. Hornatã monilibus filiã Hieruſalẽ Dominus cõcupiuit,qui ab originali macula eam præſeruauit. Allel. ℣. O glorioſa Domina excelſa ſuper ſydera, quæ nec primam ſimilem viſa eſt,nec habere ſequentem; ſola ſine exemplo placuit Virgo Chriſto,qui ab originali.

Lectio iij. Infideles etiam B. Virginis excellentiam denegare nõ audent, vnde in Alchorano Mahometi dicitur. Nullus eſt ex Adam, quin tenuerit eum Satã præter Mariã, et Filiũ eius. Acquieſce igitur Chriſtianæ? Ne infideli crudelior erga Dominã noſtrã eſſe comproueris? Matris ſuæ puritatẽ ita zelatus eſt Dominus, quòd ipſam infidelibus etiã noluit eſſe reconditam. Tãtò verò etiam à paganis glorioſa Dei Genitrix veneratur, quòd illius blaſphemator horribili protinus morte pernecatur. Erubeſce igitur Chriſtiane, qui Domini tui Matrẽ, tot quotidie blaſphemijs ad iracundiã prouocas, tot turpibus cõtumelijs exagitas,tot periurijs impudenter illã nominare præſumis. Depoſce igitur ſuppliciter veniã tui criminis ante vltionẽ. Relinque cõſuetudinis iniquæ propterviã, quia nouit Domina mutare ſententiã,ſi tu volueris emendare delictum. ℟. Quacũque hora ingemuerit peccator,omnium iniquitatũ eius, quas operatus fuerat, non recordabor. Allel. Allel. Allel. ℣. Maior eſt enim miſericordia mea, quàm omnium hominũ miſeria. Allel. Allel.

De Sermone. Lectio iv. Dum Magiſter Alexãder de Ales,adhuc ſecularis exiſtens, in Vniuerſitate legeret Pariſienſi,nolletquè Immaculatũ puriſsimę Virginis celebrare cõceptũ; volens illũ glorioſa Dei genitrix Maria ad ſanã reuocare ſententiã:dum quadã Conceptionis die prædictus Doctor ſuis legere cæpiſſet diſcipulis, tantis illũ percuſsit infirmitatibus,vt omnibus veluti mortuus videretur. Cũ autẽ Alexander in ſua permanens ſententia, B. Virginis innocentiã adhuc confiteri deſpiceret:alio quoque anno,dum in eodẽ cõceptionis die perlegeret,eaſdẽ protinus infirmitates incurrit,ſicque frequentatis vicibus in eodem feſto in horribiles annuatim infirmitates incidebat. Quamobrẽ à ſuis monitus diſcipulis,ne glorioſæ Virginis intemeratã Cõceptionẽ impugnaret, ad ſeipſum in eadem exiſtẽs infirmitate reuerſus,deuotè,vt potuit, Reginæ cœli vouendo promiſsit, ſi optatam illi dignaretur,afferre ſalutẽ, pulcherrimũ ſe aliquod opus ad ſuæ gloriã conceptionis editurũ. Emiſſo igitur voto,ad priſtinam protinus reddijt ſanitatem. Tanti ergo non immemor beneficij eggregium quoddam volumẽ mellifluæ Conceptionis inſcripſit, Immaculatumque benedictæ Virginis conceptũ,multis comprobatis rationibus, totum fuiſſe falſum prædicat,quidquid contra illibatæ Virginis Conceptionẽ ſuis vnquã in operibus affirmauit. ℟. Venient ad te,qui detrahebant tibi, et adorabũt veſtigia pedũ tuorũ. Allel. Allel. ℣. Virga enim tua,atque correctio tribuit intellectum,et ſapientiam. Allel. Allel.

Lectio v. Exemplis etiã naturalibus Dominę noſtræ puritas demonſtratur. Sicut enim ſolares radij ſuper lutum deſcendẽtes ab illo deturpari non poſſunt, ſed ipſum potius illuminare noſcuntur. Sic et anima B. Virginis ſuper lutũ humanæ naturę deſcendens,à luto ori-

originalis culpæ sordidata non fuit; sed totam potius humanam naturã illustrauit. Sicut etiã aurum in visceribus terræ non corrumpitur, sed magis perficitur; sic benedicta Virgo in Matris visceribus corrupta nõ est vlla macula, sed protinus à Spiritu sancto sanctificata. Ramus quoque à bona arbore proueniens, in malam arborem insertus, non inficitur ab ea, sed potiùs illi perfectionem tribuit; sic anima gloriosæ Virginis à Deo proueniens, inserta in corpus etiã ex semine infecto propagatũ, maculata non fuit, sed ipsum potius multimoda perfectione repleuit. Hæc autẽ omnia Filij sui gratia fuere perpetrata. Nullus enim tam crudelis, tamquè impius reperitur, qui si matrem suam facere posit, eam perfectissimam facere non contendat. Dominus ergo noster omni pietate repletus, qui benedictam Virginem, de qua erat nasciturus, summo studio, & arte fabricauit, profecto sanctissimum illud tabernaculum tanta claritate decorauit, vt nihil nobilius, nihil excellẽtius, nihilvè purius toto orbe terrarũ valeat cogitari. ℟. Fac mihi sanctuariũ, & habitabo in medio eorũ, archã de ligno sethim cõpinge, & deaurabis eam auro mundo intus, & foris Allel. Allel. ℣. Elegi, & sanctificaui locũ istũ, vt sit nomẽ meum ibi in sempiternũ, vt permaneãt oculi mei, & cor meũ in cũctis diebus. Allel. Allel.

Lectio vj. Siquis autẽ impotẽtiam in Christo obijciat, audeatquè temerariè blasphemãdo asserere, ipsum charissimã matrẽ suam nõ potuisse à peccato custodire, huic tanquã penitus ignaro respondendũ non duximus. Qui enim trium puerorũ non solum corpora, sed etiã vestimenta inter vehementium flammas ignium seruare potuit illæsa, & Ionam in vẽtre cæti custodiuit incolumen. Danielem etiã horribilium in medio leonum saluauit intactũ; matrem quoque suam præseruare potuit ab omni peccato incorruptã. Hæc autẽ præseruatio gloriosæ Virgini nõ mediocriter profuit; homini enim per peccatum maculato dixerat Dominus, cinis es, & in cinerẽ reuerteris. Beata igitur Virgo à peccato præseruata, nec à vermibus est corrosa, nec in cinerem reuersa. Omni etiam mulieri filios procreãti propter peccatum infixerat, dicens: In dolore paries. Domina autem nostra, nullius peccati conscia, vllo sine dolore; imò cum ineffabili gaudio dulcissimum Filium suum parturiuit. O igitur Maria Virgo purissima! O Maria innocentissima! O Maria omni sanctitate repletissima, miserere, obsecro, mihi seruo tuo, qui tantum anxius sum de honore tuo; zelus enim puritatis tuæ commedit me. Obsecro te, ò Regina cœlorum, Domina Angelorũ, Mater misericordiæ, fons indeficiens diuinæ clementiæ, vt nobis famulis tuis, qui Immaculatæ Conceptionis tuę veneranda solemnia colimus, impetrare digneris à dilecto Filio tuo animę sanctitatẽ, sanitatẽ corporis, fructuum terræ vbertatem, omniumque delectabilium abundantiam, omnes etiã diaboli insidias, & fraudes à nobis expellas & contra aduersa omnia nos custodiens ad vitam postremò perducas æternam. ℟. Congratulamini mihi omnes, qui diligitis Dominum, quia cùm essem paruula, placui Altissimo. Allel. ℣. Ego ex ore Altissimi prodij primogenita, ego in Altissimis habitaui, & in omni populo, & gente primatum tenui. Quia.

De homilia. Lectio vij. Etsi ex superioribus argumentis gloriosæ Virginis innocẽtiã, etiã nõ admodũ subtilis percipere possit intellectus; tamen pro deuotarũ consolatione mentiũ Dominæ nostræ puritatẽ adhuc aliter cõprobabo. Si B. Virgo Maria originali fuisset vitio maculata, nõ posset dici simpliciter Virgo, quia sicut per luxuriosam cõmixtionem corrũpitur caro; ita anima per peccatũ. Si ergo originalis infectio gloriosæ Dei Genitricis animã sordidasset, Virgo non esset simpliciter, sed secundùm quid tantũmodo nuncupanda. In contrariũ autẽ canit Ecclesia. Sancta, & Immaculata Virginitas: ergo conclusio nostra verissima demonstratur. ℟. Factum est diluuium peccati super omnem terram, opertiquè sunt omnes montes excelsi sanctorum. Allel. ℣. Archa verò Deifera eleuata est in sublime, & ferebatur super aquas. Opertiquè sunt omnes.

Lectio viij. Sufficiẽti diuisione hæc veritas declaratur. Circa Dominæ nostræ Conceptionẽ vnum ex tribus dicere necesse est. Aut quod Deus illam præseruare non potuit. Aut quod potuit quidẽ, sed noluit. Aut quod potuit, & voluit præseruare. Si primã opinionẽ cõprobas, necessariò tibi dicẽdum est, quòd Deus non est omnipotens; hoc autem hæreticam habet prauitatẽ, quia apud Deũ non est impossibile omne verbũ: ergo tu hæreticus, & infidelis habendus es, si B. Virginem, ideò in originali peccato existimas conceptã, quia Deus illam præseruare non potuit. Si verò secundæ adhæres opinioni, quòd Deus potuit qui-

quidem, sed noluit venerandam Matrem suā Immaculatā custodire, necesse habes confiteri, Christum erga genitricem suā boni nullatenus Filij debitum peregisse. Bonus namque filius Matrem suam debet diligere, eamque à cunctis malis, & ab omni infamia iuxta suam potentiam liberare. Cùm igitur originale peccatū cœlestis gloriæ ianuam claudat, gratiam, & visionem Dei æternam aufert maculatis, nihilquè turpius nefanda peccati vesania excogitari valet, per quam filij diaboli nuncupamur, & sumus. Iniquum valdè, & horribile videretur, si asserere quis præsumeret, quòd Dominus noster illam, quam ab æterno elegerat in matrem, in tantam ignominiam, dedecus, & iacturam corruere permisserit, cùm posset præseruare. Cùm ergo Dominus noster non venerit soluere legem, sed adimplere, profectò constat, quòd dilectam matrem suam iuxta legis mandatum voluit honorare. ℞. Filij hominū, vsque quo graui corde? Vt quid diligitis vanitatem, & quęritis mendacium? Scitote, quoniā Dominus ipse est Deus, ipse fecit eam, & præseruauit eam. Allel. Allel. ℣. Ferculū fecit sibi Rex Salomon de lignis libani, columnas eius fecit argenteas reclinatorium aureum, ascensum purpureū media charitate cōstrauit. Scitote.

Lectio ix. Si igitur Deus non modò potuit, sed etiā voluit gloriosam Virginē Matrē suā ab originali vituperio præseruare, cū nihil diuinæ posit resistere voluntati, cumquè diuinum beneplacitum sit inuiolabile, quia præceptum posuit Dominus, & non peteribit, & omnia quæcumque voluit fecit, inconuincibili ratione concluditur, quia pijssimus Saluator noster, qui ab ęterno Matrem suam ab originali labe custodire disposuit, illam proculdubio immaculatam præseruauit. Rectè ergo deuota hæc mulier Dominum nostrum alloquitur, dicens: Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti. Hoc etiam Tiburtila Sybilla cōmemorans decantauit. O fœlix illa Mater, cuius vbera Christum lactabunt! Fœlix ergo Maria Mater Domini nostri benedicta. Fœlix Maria mundi totius Imperatrix, & Domina. Fœlix Maria ab omni labe peccati per suum dulcissimum Filium penitus præseruata, cui sit honor, & gloria, in secula seculorum, Amen.

Ad laudes, & per horas.

Aña. Aquæ multæ non potuerunt Mariæ extinguere charitatem Allel. *Aña.* A custodia matutina, vsque ad noctem sperauit Maria in Domino. Allel. *Aña.* Apud Dominum misericordia, et copiosa super Mariam redemptio. Allel. *Aña.* Reges terræ, et omnes populi laudate Matrem Domini Dei nostri. Allel.

Ad Benedictus.

Aña. Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra, vt Luna; electa, vt Sol; terribilis, vt castrorum acies ordinata? Allel. Allel.

In secundis vesperis.

Aña. Tota pulchra es, &c. ℣. Diffusa est gratia in labijs tuis. Allel. ℞. Propterea benedixit te Deus in ęternum. Allel.

Ad Magnificat.

Aña. Qui mundum facere potest de immūdo conceptum semine, me fabricauit Filius, vllo sine crimine. Allel. Allel. Allel.

Ad Missam Introitus.

Gaudeamus omnes in Domino, diem festum celebrantes sub honore intemeratæ Virginis Mariæ, de cuius Immaculata Conceptione gaudent Angeli, et collaudant Filium Dei. Allel.

Psal. Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum eius annuntiat firmamentum.

Gloria Patri.

Gloria in excelsis Deo, &c. Quoniam tu solus sanctus Mariā fabricasti. Tu solus Dominus Mariam præseruasti. Tu solus Altissimus Mariam sublimasti, Iesu Christe, &c.

Oratio.

Deus, qui per Immaculatam Virginis Cōceptionem dignum Filio tuo habitaculum præparasti: concede, vt quisquis huius sanctissimę festiuitatis solemnia celebrabit in terris, prosperitatem, et pacem; in cœlis verò requiem, et gloriam obtineat sempiternam. Per eundem Dominum, &c.

Lectio libri Sapientiæ.

Dominus possedit me in initio viarum suarum, &c. *Require in Natiuitate eiusdem Virginis Mariæ.*

Graduale Quàm pulchra es, & quàm decora Beatissima Virgo MARIA, Templum Domini, sacrarium Spiritus sancti! Tu, quem cœli capere non poterant, pro tua innocentia gremio contulisti.

℣. O pulcherrima Virgo! vulnerauit formositas tua cor diuinum, attraxit puritas tua creatorem ad vterum tuum. Allel. Allel.

℣ Non est inuentus similis tui præser-

uatus

uatus à macula originali peccati, Allel.

Sequentia.

Salue Sponsa Deitatis. Maria fons pietatis. Angelorũ Domina. AVE dulcis, ò MARIA. Christi mater, & filia, vlla sine macula. Tu sol refulgens gloria, cœlorũ lustrãs atria luce reples sæcula. Tu puteus honestatis, fons dulcis charitatis, tu nostra lætitia. Rosa rubens castitatis, lilium Virginitatis, cũ omni fragrantia. Tu magistra clementiæ, mater misericordiæ, nostra delens crimina. O norma innocentiæ, MARIA plena gratiæ tu stella matutina. Tu à Deo fabricata, in conceptu præseruata, nulla trahis scelera. Tu in cœlis coronata, ab Angelis venerata, micãs super sidera. Nos famulos rege tuos, atq. tibi fac deuotos pro tua clemẽtia. Ab inferno liberatos, nos postremo fac beatos, in cœli militia. Amen.

Sequentia Sancti Euangelij secundum Lucam.

In illo tempore loquente Iesu ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turba dixit illi. Beatus venter qui te portauit, & vbera, quæ suxisti. At ille dixit: quinimo beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.

Offertoriũ Iubilate omnes, & lætamini hodie de Immaculato conceptu Virginis gloriosæ. Angeli etenim gaudent, cœli applaudunt, mundus exultat, infernus cõtremiscit, dæmones cruciantur, cum de manu Dei MARIA fabricatur, Alleluia.

Oratio secreta

Deus, qui omnes matris tuæ cultores exaltare statuisti: cõcede propitius, vt qui sanctissimũ eius conceptũ per hæc sacra mysteria iubilando, veneramur: tuã semper, & vbique illius precibus misericordiã cõsequamur, qui viuis, & regnas, &c.

Præfatio. Æterne Deus. Qui dilectã spõsam tuã gloriosam Virginẽ MARIAM omnibus virtutibus ornatã fabricasti, & in purissima eius Conceptione ab originalis peccati macula illæsam præseruasti, vt totius esset innocentiæ speculũ, & exẽplũ sanctitatis, dignumq; existeret habitaculum vnigenite Filij tui. Per quem.

Cõmunio. Beata Conceptio MARIÆ Virginis, quæ nesciuit labẽ criminis, Allel.

Oratio.

Benedictæ Virginis MARIÆ Immaculata Conceptione gaudentes te supplices deprecamur omnipotens Deus: vt qui ineffabilẽ eius innocẽtiæ puritatẽ, sincera deuotione confitemur, ad cõtẽplandã eius gloriam in cœlesti palatio ipsa intercedẽte subleuemur. Per Dominũ nostrum Iesũ Christũ Filiũ tuum, qui tecũ viuit, & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus. Per omnia sæcula sæculorum. Amen

Istæ sũt rubricæ huius officij. Si hoc festũ venerit in Dominica, fiat de festo; quia specialis Dei operatio fuit in tali die, qua gloriosæ Virgini singularis prærrogatiua collata est, & ideo officiũ Dominicæ debe transferri ad diem sequentẽ. In die autem octauæ, quæ venit in Dominica, fiat de ipsa Dominica, & officium octauæ transferatur ad diem sequentem. Et hæc omnia sunt ordinata auctoritate Summi Pontificis, qui etiam statuit, quòd Octaua huius festi celebretur cũ officio duplici. Si verò Dominica venerit infra octauam, fiat de Dominica cum commemoratione festi & cum sit officiũ Dominicæ, non dicantur preces, nec dicatur ex debito officiũ de Dominica, sicut nec dicitur in cæteris diebus infra octauam. & in Missa Dominicæ non dicatur. Gloria in excelsis, nec Ite missa est, nec. Te Deum laudamus ad Matutinum; sed nonum responsorium dicatur. Sicut fit in cæteris Dominicis de Aduentu. Quotidiè autem infra octauam fiat commemoratio de Aduentu. Quando verò aliqua feria infra octauam habet Antiphonas Laudum de proprio, tunc ad Matutinum post orationem festi fiat cõmemoratio de feria, deinde dicantur Laudes de feria cum illis Antiphonis proprijs, & Psalmis suis absque Capitulo Versiculo; & Benedictus; Sed dicto Laudate Dominũ de cœlis, *cũ sua Antiphona, terminetur ibi.* Fidelium animæ, *&c. Sicut olim fiebat in die Sanctæ Luciæ; quando occurrebat feria habens Laudes de proprio. Itẽ prædictus Põtifex ordinauit, quòd in hac octaua non fiat officium de aliquo sancto, nec etiam de sancta Lucia; sed transferatur post octauam; licet postea ad petitionem cuiusdam religiosi cõcesserit quòd possit fieri de sancta Lucia in die suo, & ita seruetur. Ordinauit etiam, quòd officium Præsentationis gloriosæ Virginis MARIÆ celebretur* XXI *die Nouembris, & fiat duplex maius, & accipiatur officiũ Natiuitatis eiusdem: Sed vbi est nomen Natiuitatis ponatur nomen Præsentationis, & sic sine piè laudetur Virgo MARIA.*

CIRCA CONCEPTIONEM Virginis MARIÆ determinationem proponit.

Anno M. CCCC. LXXXI.

SIXTVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei ad perpetuam rei memoriã. Graue nimis gerimus, & moleſtum, & cum ſiniſtra nobis de quibuſuis Eccleſiaſticis perſonis referuntur; ſed in eorum, qui ad prædicandum verbum Dei ſunt deputati, exceſsibus prædicando commiſsis, eò grauius prouocamur, quo illi periculoſiùs remanent incorrecti, cum facilè deleri nequeant; cum multorum cordibus ſic publicè prædicando, difuſsiùs, & damnabiliùs imprimũtur errores. Sanè ſicut accepimus, nonnulli diuerſorum ordinum profeſſores ad prædicandum verbum Dei in diuerſis ciuitatibus, & locis, partibus Lõbardiæ deputati, & non ignari, quòd ſancta Romana Eccleſia de intemeratæ, ſemperque Virginis glorioſæ MARIÆ Conceptione feſtum celebrat, & ſpeciale, ac proprium officium ordinauit, in eorum prædicationibus ad populum publicè affirmare hactenus nõ erubuerunt & quotidie prædicare non ceſſant, aſtante populi multitudine omnes illos, qui tenent, & affirmant, eandem glorioſam, & Immaculatam Deigenitricem Virginem MARIAM, abſque peccati originalis macula fuiſſe conceptam, hæreticos eſſe, & ipſam Romanam Eccleſiam, ſolam ſpiritualem Conceptionem, ſeu ſanctificationem eiuſdem Virginis MARIÆ celebrare, ac huiuſmodi eorum prædicationibus nõ contenti confectos ſuper his aſſertionibus libros in publicum ediderint; ex quorum prædicationibus, & aſſertionibus nõ leuia ſcandala in partibus illis in mẽtibus Chriſti fidelium ſunt exorta, & maiora exoriri formidãtur indies. Nos igitur huiuſmodi temerarijs auſibus, & peruerſis à veritate penitus alienis aſſertionibus, & ſcandalis, quæ exinde in Dei Eccleſia exoriri poſſent, quantum nobis ex alto conceditur obuiare volentes motu proprio, non ad alicuius nobis ſuper hoc oblatã inſtantiam, ſed de noſtra mera deliberatione, huiuſmodi aſſertiones Prædicatorum eorundem, & aliorum quorumlibet, qui affirmare præſumerent, eandẽ ſanctam Romanam Eccleſiam de ſpirituali duntaxat Conceptione, & ſanctificatione eiuſdem Virginis glorioſæ feſtum celebrare; & eos, qui crederent, & tenerent eandem Deigenitricem, ab originalis peccati macula in ſua Conceptione præſeruatam fuiſſe: propterea alicuius hæreſis labe polutos fore, vtpote falſas, & erroneas, ac à veritate alienas, editoſque deſuper libros prædictos id continentes, auctoritate apoſtolica præſentium tenore reprouamus, & damnamus, ac motu, & auctoritate prædictis ſtatuimus, & ordinamus, quòd prædicatores verbi Dei, & quicumque alij cuiuſcumque gradus, ordinis, & conditionis fuerint, de cætero auſu temerario præſumpſerint, in eorum prædicationibus ad populum, ſeu aliàs quomodolibet affirmare huiuſmodi per nos ſic reprobatas, & damnatas, aſſertiones, & opinones veras eſſe, aut dictos libros pro veris legere, tenere, vel habere, poſtquam de præſentibus ſciẽtiam habuerint, excõmunicationis ſententiam, & æternã maledictionis pœnam eo ipſo incurrant, à qua ab alio, quàm à Romano Pontifice, & illius proprio ore, expreſſa cauſa huiuſmodi, propter quam cenſuras prædictas incurrerint (niſi in mortis articulo conſtituti) nequeant abſolutionis beneficium obtinere. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrarijs quibuſcumque, ſeu aliquibus communiter, vel diuiſim à ſede apoſtolica indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiuſmodi mentionem. Pari damnationi, & cenſuræ ſubijcientes illos, qui prædicare, docere, aut aliàs verbo, vel ſcriptura affirmare præſumerent, hæreticum fore credere, eandem Virginẽ glorioſam à peccati originalis macula præſeruatam non fuiſſe; & ne de præmiſsis aliqui valeant ignorantiam allegare; volumus, quòd locorum ordinarij præſentes litte-

litteras in Ecclesijs consistentibus in eorũ ciuitatibus, & suorum diœcesum locis insignibus, dum maior inibi populi multitudo ad diuina conuenerit, ac sermonibus ad populũ mãdent, & faciãt publicari. Præterea, quia difficile foret præsentes litteras ad singula loca, in quibus expediens fuerit, deferre, etiã volumus, & dicta auctoritate decernimus, quòd earundem trãsumpto manu publici notarij confecto, & authẽticato, & alicuius Prælati Ecclesiastici sigillo munito, vbique stetur, prout staretur eisdẽ originalibus litteris, si forẽt exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginã nostræ reprobationis (damnationis, statuti, ordinationis, voluntatis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo octogesimo secundo. Pontificatus nostri anno vndecimo.

OBSERVATIO I

DVAS *Extrauagantes edidisse Sixt. IV. Pont. Maxim. de* IMMAC. CONCEPTIONE, *eodem initio*, Graue nimis, *tum ex aliquot clausularum collatione, tum ex annis, quibus expeditæ sunt, ac publicatæ, legentibus fiet manifestum. Hæc ergo prior data fuit anno Domini* 1481. *vel vt alia exemplaria habent*. 1482. *neutra enim lectio rijci potest, cum vterque annus ex parte respõdeat vndecimo prædicti Pontificis, qui sedere cœpit an.* 1471. *die* 9. *Aug nec nisi ex mense vterfuerit, dignosci, valet; vbi autem an.* 1472. *adscribitur, mendum est manifestum. Extat authentica in Monum. Ord. Min. primæ edit. fol.* 74. *et secundæ fol.* 158 *refertur ad verbum in Bullar. Roder. Bul.* 17 *fo.* 137. *vnde & titulus desumptus est, & to.* 1. *quæst. regular. quæst.* 57 *art.* 1. *in Firmam. trium Ordin. tract.* 2. *fol.* 24. *in Comp. priuil. Fratr. Min. verb. Cõceptio* §. 2. *apud Bernardin. de Bust. ser.* 4. *de Cõcep. in processu iuridico Murciæ; in Collect. priuileg. sacro. Ordinum Iuan Bapt. Confectij Protonot. Apost. Clem. VIII. dicata, & Nuncij Apost. Sed Florentini iussu cum arche-typis collata, eiusque auctoritate munita anno* 1589 *vt patet ex pagin.* 253. *Denique apud P. Torres, qui cũ huius extrauag. meminisset li.* 4. *ca.* 7 *fol.* 330. *illã integram offert fol.* 539.

Hoc testimonio pro IMMAC. CONCEP. *vtuntur Cõp. priuil. Frat. Min. f. p.* §. 6. & 7. *fol.* 41. *P. Granad. Soc. Iesu disp.* 3. *ca.* 7 *sect.* 3 *fol.* 59. *P. Ojeda eiusdem Soc. capit.* 26 *folio* 64 *Porrenn. cap.* 3. *Lazerus cap* 5 *P. Daza ca.* 18. *P. Hiero. Aznar. Embid. Augustinian. cap.* 9. §. 2. & *cap.* 16. *P. Iustinian de Ast Dominic.* §. 3. *Ægid de Præsent. Augustinian li.* 3. *q.* 6 *art.* 1. §. 6. *P. Salazar. c.* 33 *arg* 8. *P. Vvading. in legat. orat.* 7 *sect.* 2. *Pelbart. in stellar. li.* 4. *par.* 2. *arti.* 3. *Vazq tom.* 2. *in.* 3. *par. disp.* 117. *cap.* 5. *Castill. tom.* 1. *disp.* 2. *quæst.* 1. *Ambros. Catharin. Dominican. tract.* 2. *de Concep. part. vltim. ferè per totam.*

An Concil. Tridentin. sess. 5. *hanc etiam extrauagantẽ confirmauerit, disputant Doctores, quia non est inserta in corpore Iuris Canonici, cum tamen Concilij verba generalia sint ad omnes Sixt. IV. extrauagantes de hac materia.*

Decretum Sixti Quarti contra impugnantes puritatem Conceptionis Virginalis.

Anno M.CCCC.LXXXIII.

SIXTVS Episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriã. Graue nimis gerimus, ac molestum, cùm sinistra nobis de quibusdam Ecclesiasticis personis referũtur. Sed in eorum, qui ad Euangelizandum verbum Dei sunt deputati excessibus prædicando commissis, eò grauius prouocamur, quò illi periculosiùs remanent incorrecti, cùm facilè deleri nequeant, qui multorum cordibus sic publicè prædicando diffusiùs, & damnabiliùs imprimuntur errores. Sanè cum sancta Romana Ecclesia de intemerata semperque Virginis MARIÆ Conceptione publicè festũ solemniter celebret, & speciale, ac proprium super hoc officiũ ordinauerit, nonnulli, vt accepimus diuersorum ordinum prædicatores in suis sermonibus ad populum publicè per diuer-

sas


sas ciuitates, & terras affirmare hactenus non erubuerunt, & quotidie prædicare nõ cessant, omnes illos, qui tenent, aut asserunt, eandem gloriosam, & Immaculatã Deigenitricem, absque peccati originalis macula fuisse conceptam, mortaliter peccare, vel esse hæreticos, eiusdem Immaculatæ Conceptionis officium celebrantes, audientesq; sermones illorũ, qui eam sine huiusmodi macula conceptam esse affirmant, peccare grauiter, sed & præfatis prædicationibus nõ contenti, confectos super his suis assertionibus libros in publicum ediderunt. Ex quorum assertionibus, & prædicationibus non leuia scandala in mentibus fidelium exorta sunt, & maiora meritò exoriri formidantur in dies. Nos igitur huiusmodi temerarijs ausibus, & peruersis assertionibus, ac scandalis, quæ exinde in Dei Ecclesia exoriri possunt, quantum nobis ex alto conceditur obuiare volentes motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, & certa scientia, huiusmodi assertiones Prædicatorum, eorundem, & aliorum quorumlibet, qui affirmare præsumerent eos, qui crederent, aut tenerent, eandem Deigenitricem ab originalis peccati macula in sua Conceptione præseruatam fuisse, propterea alicuius hæresis labe pollutos esse, vel mortaliter peccare, aut huiusmodi officium Conceptionis celebrantes, seu huiusmodi sermones audiẽtes, alicuius peccati reatum incurrere, vtpote falsas, & erroneas, & à veritate penitus alienas, editosque libros prædictos id continentes, quo ad hoc auctoritate apostolica præsentium reprouamus, & dãnamus. Ac motu, scientia, & auctoritate, prædictis statuimus, & ordinamus, quòd Prædicatores verbi Dei, & quicumque alij cuiuscumque status, gradus, aut ordinis, ac conditionis fuerint, qui de cætero ausu temerario præsumpserint in eorum sermonibus ad populum, seu aliàs, quomodolibet affirmare huiusmodi sic per nos improbatas, & damnatas assertiones, veras esse, ac dictos libros, pro veris legere, tenere, vel habere; postquam de præsentibus scientiam habuerint, excommunicationis sententiam eo ipso incurrant, à qua ab alio, quam à Romano Pontifice, nisi in mortis articulo, nequeant absolutionis beneficium obtinere. Item motu, & scientia, & auctoritate similibus, simili pœnæ, ac censuræ subijcientes eos, qui ausi fuerint asserere contrariam opinionem tenentes, videlicet gloriosam Virginem MARIAM cum originale peccato fuisse conceptam, hæresis crimen, vel peccatum incurrere mortale, cùm id nondum sit à Romana Ecclesia, & apostolica sede decisum. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis cõtrarijs quibuscumque, quibus communiter, vel diuisim à sede apostolica indultum existat, quòd interdici, excommunicari, vel suspendi non possint per litteras apostolicas, non faciẽdas, non facientes plenam, ac expressam de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, & ne de præmissis aliqui valeant ignorantiam allegare: volumus, quòd locorũ ordinarij requisiti, præsentes litteras in Ecclesijs cõsistentibus, in eorum ciuitatibus, & suarũ diœcessum locis insignibus, dum maior ibi multitudo populi, ad diuina conuenerit, in sermonibus ad populum mandent, & faciant publicari. Præterea, quia difficile foret præsentes litteras ad singula loca, in quibus expediens fuerit, deferre: etiam volumus, & prædicta auctoritate decernimus, quòd earundem litterarum trãsumpto, manu publici Notarij confecto, & authentico alicuius Prælati, Ecclesiastici sigillo munito, vbique stetur, prout staretur eisdem originalibus litteris, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ reprobationis, damnationis, statuti, ordinationis, voluntatis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum se nouerit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo octogesimo tertio, pridie nonas Septembris, Pontificatus nostri anno decimo tertio.

OB-

OBSERVATIO.

HÆc inserta est Iuri Can. inter Extrau. Comm. de Reliq. & venerat. SS. & tom. 4. Conc. edit. Surianæ, & Seuerini Bini; confirmata absque controuersia à PP. Conc. Trid. sess. 5. item à tribus Sũmis Pontificibus, Alex. VI. Bulla, quæ incipit. Illius, qui se per Dominici, *&c. Pio V. Bulla*, Super specula. *Paulo V. Bulla*, Regis pacifici, *de quibus infra suis locis. Extat authentica in Monum. Ord. Min. fol. 158. refertur integra à Iodoco Clithouæo Neoport. lib. de Purit. CONCEP. Virg. MARIÆ. cap. 16. fol. 42. ex quo etiã titulum descripsimus: Christoph. Moren de Purit. Virg. cap. 4. fol. 238. Ioan. de Carthag. li. 1. homil. 19. col. 116. Vide. P. Surij Annot. loco citat. tom. 4.*

Eam allegãt, & expendunt ferè omnes, qui de mysterio IMMAC. CONCEPT. scripserũt. ex Frãciscanis, Pelbart. in Stellar. li. 4. par. 2. arg. 3. Alphons. Casarub & Herony. Sorb. in Comp. priuil. verbo Conceptio, fol. 146. Miranda tract. Lat. quæst. 17. fol. 391. & Hisp. fol. 553. Daza cap. 18. fol. 145. Dn. Sosa in Apolog. fol. 15. & 28. Philip. Aiala. §. 19. f. 51. Pitigian. in 3. d. 3. quæst. 1. artic. 5. Faber ibid. disp. 1. Castill. disp. 2. fol. 504. Vvading. orat. 7. f. 184. & 253. Dn. Anton. Cucarus Bonit. in suo Elucidario pluribus locis: ex PP. soc. Iesu, Perlin. in Apolo. dis. 7. cap. 1. fol. 440. & alibi, Vazq. tom. 2. in 3. p. disp. 117. cap. 5. Granad. disp. 3. ca. 7. Salmer. disp. 52. in capit. 5. ad Rom. Canis. li. 1. de B. Virg. ca. 7. Salaz. ca. 33. arg. 8. & alibi, Suar. tom. 2. in 3. par. disp. 9. sect. 5. ex Augustinianis Patribus Ægid. de Præsent. li. 2. quæst. 4. art. 1. sect. 4. §. 9. & latius quæst. 6. §. 6. f. 296. & 321. Embid. c. 21. fol. 109. Ex PP. Ord. B. MARIÆ de Mercede, Syluest. de Saauedra c. 8. fo. 93. Ex PP. Carmelitanis. Lezana in Apolog. cap. 12. fol. 61. & cap. 24. fol 108. ex PP. Cisterciens. Biuar in Hist. Cõcept. par. 2. §. 12. fol. 63. ex Iurisconsul. Alph. de Mergelina, & Montex. §. 12. fol. 6. & 7. Guerrer. de Espin. disc. & concordant. 21. fol. 257.



INNOCENTIVS VIII. confirmat, & approbat Religionem Immaculatæ Conceptionis B. Virginis MARIÆ.

Anno M. CCCC. LXXXIX.

INNOCENTIVS Episcopus seruus seruorum Dei. Venerabilibus fratribus Cauriensi, & Chatamensi Episcopis, ac dilecto filio Officiali Toletano salutẽ, & apostolicam benedictionem. Inter innumera diuinæ Maiestati accepta opera fundare cœnobia, ac religiosa loca, in quibus prudentes virgines acceptis lampadibus se præparent obiã ire Sponso Christo IESV, ac gratum, & sedulum illi exhibeant famulatum, non modicum reputantes pijs deuotarum personarum desiderijs, per quæ cœnobia, & loca ipsa fundari, & erigi valeãt, libẽter annuimus, & earum humiles preces, fauorabiliter exaudimus. Sanè pro parte dilectæ in Christo filiæ Beatricis de Silua mulieris Toletanæ, nobis nuper exhibita petitio continebat, quòd olim charissima in Christo filia Elisabeth Castellæ, ac Legionis Regina Illustris ob singularem, quem ad Conceptionem Beatæ MARIÆ Virginis gerit deuotionis affectum, vnam maximam domum, *Palacios de Galiana*, nuncupatam in ciuitate Toletana consistentem ad ipsam Reginam legitimè pertinentem, in qua vna antiqua Ecclesia, siue Capella, sub inuocatione Sanctæ Fidis est constituta, præfatæ Beatrici cupienti vitã ducere regularẽ ad effectũ; vt inibi vnũ monasteriũ alicuius ordinis approbati ad honorem eiusdem Conceptionis erigeretur, in quo dicta Beatrix, & aliæ deuotæ mulieres eius sodales, sub regulari obseruantia viuerent, ac Altissimo, & ei dẽ Beatæ MARIÆ famularẽtur; liberaliter, & gratiosè concessit, & donauit; ipsaque Beatrix, & mulieres concessionis, & donationis huiusmodi vigore dictam domum receperunt, & illam, ex tunc in communi viuentes, & eidem altissimo, ac Beatæ MARIÆ famulantes inhabitarunt, prout habitant de præsenti; ea tamen intentione,

P quòd

quòd dictum monasterium inibi erigeretur. Quare pro parte eiusdē Beatricis, asserentis se de nobili genere procreatam fore, ac ipsam, & mulieres prædictas ordinem Cistercienſem, ad quem singularem gerunt deuotionis affectum, velle profiteri. Nobis fuit humiliter supplicatum, vt in dicta domo monasterium Monialium dicti Ordinis sub inuocatione Conceptionis huiusmodi, cum dignitate Abbatissali, campanali, campana, dormitorio, refectorio, claustro, hortis, hortilitijs, & alijs necessarijs officinis, in quo in communi, & sub regulari obseruantia, ac perpetua clausura viuant, erigere, illique dictam Ecclesiam, siue Capellam pro Ecclesia, siue Capellas assignare, aliasque in præmissis opportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui diuini cultus augmentum, religionis propagationem, & animarum salutem, nostris potissimè temporibus, supremis desideramus affectibus pium, & laudabile propositum Reginæ, & Beatricis prædictarum plurimum in Domino commendantes, huiusmodi supplicationibus inclinati, nec non consideratione eiusdem Reginæ nobis super hoc humiliter supplicantis, fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut vnus vestrum in dicta domo vnum monasterium eiusdem ordinis Cisterciensis sub inuocatione Conceptionis huiusmodi, cum dignitate Abbatissali, campanali, campana, dormitorio, refectorio, claustro, hortis, hortalitijs, & alijs necessarijs officinis pro vna Abbatissa, quæ alijs præsit, ac Moniali bus dicti ordinis, ac Beatrici, & mulieribus inibi nunc secum degentibus, si profiteri voluerint, quæ in communi, ac sub regulari obseruantia, & perpetua clausura viuant, & quæ ad monasterium huiusmodi prout Sancti Dominici Toletani dicti ordinis el VIEjO, nuncupatum, ac nonnulla alia eiusdem Ordinis Monasteria locorum ordinarijs sūt subiecta, Archiepiscopo Toletano pro tēpore existēti subijciātur, aliàs sine alicuius præiudicio, & iure Parochialis Ecclesiæ, ac cuiuslibet alterius in omnibus sēper saluo: auctoritate nostra erigatis, dictāque Ecclesiā, siue Capellā illi pro Ecclesia perpetuò assignetis, ac Abbatissæ dicti monasterij pro tempore existēti, & illius conuentui, quòd aliqua statuta, & ordinationes, laudabilia, & honesta, sacris Canonibus non contraria, quæ Moniales in dicto monasterio, pro tēpore degentes perpetuò obseruare teneātur, etiam circa electionem Abbatissæ, tā hac prima vice, quàm deinceps perpetuis futuris temporibus, facienda, concedere possint, licentiam concedatis, & quòd Abbatissæ pro tempore existentes, & Moniales præfatæ, vestem albam cū scapulari, etiam albo, & desuper mantellum coloris cœlestis, in quibus quidem mantello, & scapulari magno eiusdē Beatæ MARIÆ affigatur deferre, ac cingulo cannapis ad instar Fratrum Minorum cingi debeant: at in horis canonicis iuxta morem Romanæ Ecclesiæ dicendis hunc modum; videlicet, quòd Dominicis, in quibus aliqua historia inchoari, siue officium Dominicæ de necessitate dici debet, & quibus festa duplicia, & semiduplicia, & solemnia celebrantur, diebus etiam ferialibus, quibus officium feriale omitti non potest, ac Octauis ipsarum festiuitatum dumtaxat, exceptis omnibus alijs diebus, per totum annum horas Canonicas maiores, & officium diuinum de huiusmodi Conceptione dicere, & in præfatis, exceptis diebus, in quibus horæ maiores de Dominica, vel feria, aut festo dici debent, horas minores, & officium paruum eiusdem Beatæ MARIÆ cum Antiphonis, versiculis, capitulis, & Orationibus de eadem Conceptione dicere debeant, ac singulis sextis ferijs, & per Aduentū Domini, ac alijs diebus, quibus alij Christi fideles ad ieiunandum sunt adstricti, ieiunare teneantur, & ad alia ieiunia non obligentur. Ac cùm sicut asseritur dicta ciuitas à mari per septem dietas, & vltra distet, ac piscium penuria in ea continuè vigeat, carnibus omni tempore, præterquam diebus ieiuniorum huiusmodi, ac Sabbati, & quartis ferijs vesci, ac Abbatissa pro tempore existens de consilio Monialium, sibi pro tempore in Consilijs assistentium secum, & cum alijs Monialibus dicti Monasterij super ieiunijs, ad quæ ex statuto, & ordinatione

tione præsentibus, non autem ex iuris dispositione obligabuntur: & lineis indumentis, cum viderit expedire, dispensare, ac quoscumque Præsbyteros sæculares, vel de licentia suorum superiorum, cuiusuis ordinis regulares, in earum confessores, ad celebrandum eis Missas, & alia diuina officia, ac Ecclesiastica Sacramenta eis ministrandum, qui Abbatissæ, & cuiuslibet Monialium in eodem monasterio pro tempore existentium confessionibus diligenter auditis, eis in singulis Sedi Apostolicæ reseruatis casibus, semel dumtaxat in vita; in alijs quoties fuerit opportunum pro commissis de absolutionis debitæ beneficio prouidere, ac pœnitentiam salutarem iniungere: necnon semel in vita, & in mortis articulo, plenariam omnium suorum peccatorum, de quibus corde contritæ, & ore confessæ fuerint, remissionem cuilibet earum in sinceritate fidei, vnitate sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac obediẽtia, & deuotione nostra, vel successorum nostrorum Romanorum Pontificum Canonicè intrantium, persistentibus concedere valeant, eligere posint: quodque nullus absque Abbatissæ pro tempore existentis expressa licentia claustra dicti monasterij ingredi posit sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, quam eo ipso contrafaciens incurrat, eadem auctoritate, statuatis, & ordinetis. Non obstãtibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac statutis, & consuetudinibus dicti Ordinis, iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, cæterisq; cõtrarijs quibuscũq; Nos enim, si erectionẽ huiusmodi per nos vigore præsentium fieri contigerit, vt præfertur Abbatissæ, & Monialibus præfatis de cætero perpetuis futuris temporibus, vt quadragesimæ, & alijs diebus, quibus stationes in Ecclesijs vrbis, & extra eam celebrantur, aliqua Altaria in Ecclesia dicti monasterij visitando, & ante illa genibus flexis ter orationem Dominicam, & toties salutationem Angelicam deuotè dicendo, easdem indulgentias consequantur, quas consequerentur, si Ecclesias prædictas visitarent, ac omnibus, & singulis gratijs, priuilegijs, & exemptionibus alijs dicti Ordinis, per Sedem prædictam in genere concessis, vti, potiri, & gaudere liberè, & licitè posint, & debeant, auctoritate Apostolica tenore earundem præsentium de specia is dono gratiæ indulgemus. Datis Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo octuagesimo nono. Pridie Kalendas Maij, Pontificatus nostri anno quinto.

OBSERVATIO.

Creatus est Innoc. VIII. an. Dom. 1484. *Bulla hæc archetypa seruatur omni veneratione in ipso Monialiũ cœnobio virtute eius erecto, tũ ob fundationis memoriã, tum ob miraculum. Accidit enim nauim, qua hæ litteræ Apostolicæ deferebantur, in maris profundũ vi tempestatis cũ rebus omnibus, quæ in ea erant, ipsisque adeo Apostolicis litteris demergi: & post duos menses easdem litteras integras, & illæsas ab illustri & venerabili D. D. Beatrice de Silua Toleti reperiri. Vide P. Franciscum Bibarium Cisterc. hist. Concept. part.* 1. §. 4. *à folio.* 6. *ad* 15. *P. Torres cap.* 14 *fol.* 62. *Christoph. Moren. cap.* 7 *fol.* 401. *Salazarum Franciscan. lib.* 8. *Prouerb. Cast. capit.* 11. *&* 12. *Hiero. Roman. lib.* 6. *Rerum public. cap.* 39. *Porren. cap.* 3 *fol.* 5. *Iustinian.* §. 4 *fol.* 6. *Ægid. de Præsentat. libr.* 4. *quæst.* 6. *articul.* 3 *fol.* 322. *Castill. tom.* 1 *de Incarn. disputat.* 2. *quæst.* 1. *cap.* 2.

ALEXANDER VI. CONfirmat Bullam, Sixti IV. disponẽtem super IMMACVLATA Deigenitricis CONCEPTIONE.

Anno M.D.II.

ALEXANDER Episcopus seruus seruorum Dei, ad futuram rei memoriam. Illius, qui se pro Dominici gregis saluatione in prætium immolari non abnuit, vices quoque immeriti gerentes in terris circa ipsius excubias gregis nos solicitis congruit vigilijs intendere, ne contagiosos depascant feratus, & nimia curio-


curiositas superstitionem, & superstitio errores, & scandala pariant, & ea, quæ ad occurrendum erroribus huiusmodi per prædecessores nostros salubriter ordinata sunt, quibusuis sublatis impedimentis obseruentur. Dudum siquidem à fœlicis recordationis Sixto Papa Quarto prædecessore nostro litteræ emanarunt tenoris subsequentis.

Sixtus Episcopus seruus seruorũ Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Graue nimis gerimus, & molestem, cùm sinistra nobis, de quibusdam Ecclesiasticis personis referuntur: Sed in eorum, qui ad Euãgelizandum verbum Dei sunt deputati, excessibus prædicando commissis, eò grauiùs prouocamur, quò illi periculosiùs remanent incorrecti, cùm facilè delere nequeant, qui multorum cordibus sic publicè prædicando diffusiùs, & damnabiliùs imprimuntur errores. Sanè cùm sancta Romana Ecclesia de intemeratæ semper que Virginis MARIÆ Conceptione festum solemniter celebret, & speciale, ac proprium super hoc officium ordinauerit; nonnulli, vt accepimus diuersorum ordinum Prædicatores in suis sermonibus ad populum publicè per diuersas ciuitates, & terras affirmare hactenus non erubuerũt, & prædicare non cessant, omnes illos, qui tenent, aut asserunt, eandem gloriosam, & Immaculatam Deigenitricem absque originalis peccati macula fuisse conceptam, mortaliter peccare, vel esse hæreticos, eiusdem Immaculatæ Conceptionis officium celebrantes, audientesque sermones illorum, qui eam sine huiusmodi macula Cõceptam esse affirmant, peccare grauiter: sed & præfatis prædicationibus non contenti confectos super his suis assertionibus libros in publicum ediderunt, ex quorum assertionibus, & prædicationibus nõ leuia scandala in mentibus fidelium exorta sunt, & maiora meritò exoriri formidantur in dies. Nos igitur huiusmodi temerarijs ausibus, ac peruersis assertionibus, & scandalosis, quæ exinde in Dei Ecclesia exoriri possunt, quantum nobis ex alto conceditur obuiare volẽtes motu proprio non ad alicuius nobis super hoc oblatæ petitionis instãtiam, sed de nostra mera deliberatione, & ex certa scientia, huiusmodi assertiones Prædicatorũ eorundem, & aliorum quorumlibet, qui affirmare præsumerent, eos, qui crederent, aut tenerent, eandem Deigenitricem ab originalis peccati macula in sua Conceptione preseruatam fuisse; propterea alicuius hæresis labe polutos fore, vel mortaliter peccare; aut huiusmodi officium Conceptionis celebrantes, seu huiusmodi sermones audientes, alicuius peccati reatũ incurrere, vtpote falsas, & erroneas, & à veritate penitus alienas, editosque desuper libros prædictos id continentes, quo ad hoc auctoritate Apostolica præsentium tenore reprouamus, ac damnamus, & motu, scientia, & auctoritate prædictis statuimus, & ordinamus, ne Prædicatores verbi Dei, & quicunque alij cuiuscunque status, gradus, aut ordinis, ac cõditionis fuerint, qui de cætero ausu temerario præsumpserint in eorum sermonibus ad populum, seu aliàs quomodolibet approbare; sic per nos improbatas, ac damnatas assertiones veras esse, aut dictos libros pro veris legere, tenere, vel habere, postquam de præsentibus notitiam habuerint, excõmunicationis sententiam, & æternæ maledictionis pœnam eo ipso incurrant, à qua ab alio, quàm à Romano Pontifice, & illius proprio ore expressa causa huiusmodi, propter quam censuras prædictas incurrerint (nisi in mortis articulo constituti) nequeant absolutionis beneficiũ obtinere. Item motu, scientia, & auctoritate similibus simili pœnę, ac censurę subijcientes eos, qui ausi fuerint asserere cõtrariam opinionem tenentes, videlicet, gloriosam Virginem MARIAM, cum originali peccato fuisse conceptam, hæresis crimen, vel peccatum incurrere mortale; cùm nondum sit à Romana Ecclesia, vel Apostolica Sede decisum. Non obstãtibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis contrarijs quibuscunque, seu si aliquibus communiter, vel diuisim ab eadem Sede indultum existat, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari nõ possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionẽ; & nẽ

& ne de præmissis aliquando valeant, ignorantiam allegare; volumus, quod locorum ordinarij requisiti præsentes litteras in Ecclesijs conuenientes, in eorum ciuitatibus, ac in suarum Diœcesium locis insignibus, dũ maior ibi multitudo populi ad diuina convenerit, sermonibus ad populũ mandent, & faciant publicari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ reprobationis, damnationis, statuti, ordinationis, voluntatis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationẽ omnipotentis Dei, ac Beatorum Apostolorum eius Petri & Pauli, se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum. Anno incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo octogesimo tertio, pridie nonas Septembris, Pontificatus nostri anno tertio decimo.

CVM AVTEM Sicut non sine animi molestia accepimus, nonnulli diuersorum ordinum Religiosi effectum litterarum prædictarum forsan ignorantes, aut illas temerarijs ausibus cõtemnentes; in sermonibus, & prædicationibus ad populum, & aliàs publicè per diuersas ciuitates, & terras varias opiniones circa contenta in ipsis eisdem litteris contra earum tenorem in medium proponere, & quidã vnum, alij vero reliquum affirmare non erubescant, ex quibus in populo variæ opiniones imprimuntur, & scandala non modica generantur. Nos ad quos ex debito Pastoralis officij pertinet à santa Dei Ecclesia (quantum nobis ex alto conceditur) scandala remouere; volentes scandalis huiusmodi (vt tenemur) opportunis remedijs occurrere, motu proprio, non ad alicuius super hoc nobis oblatæ petitionis instãtiã, sed de nostra mera liberalitate, & ex certa nostra sciẽtia, auctoritate Apostolica, tenore præsentiũ decernimus, & declaramus, præinsertas litteras, ac omnia, & singula in eis cõtẽta perpetuis futuris tẽporibus, donec per Sedẽ Apostolicã aliter decisum, & ordinatũ fuerit, inuiolabiter obseruari debere. Quo circa vniuersis, & singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, ac alijs locorũ Ordinarijs, & Ecclesiarum Prælatis, & Abbatibus, & personis alijs in dignitate Ecclesiastica cõstitutis in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excõmunicationis pœna districtè percipiendo mandamus; quatenus ipsi, & quilibet ex eis per se, vel alium, seu alios prædictos, vbi, & quando expedire cognouerint, & quoties super hoc requisiti fuerint, solemniter publicari faciant auctoritate nostra litteras ipsas, ac in eis contenta inuiolabiliter obseruari. Contradictores quoslibet, & rebelles, cuiuscũq; dignitatis, status, gradus, vel ordinis existentes; etiam si mendicantiũ ordinum quorumcunque, etiã de obseruantia nuncupatorũ Prælati ministri, aut alij fratres fuerint; per excommunicationis, ac alias sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, ac alia opportuna iuris remedia appelatione postposita compescendo, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis. Et nihilominus omnes, & singulos, quos dictam excõmunicationis sententiam eis incurrisse constiterit, & eorum quemlibet in Ecclesijs, dũ maior ibi populi multitudo ad diuina cõuenerit, excomunicatos publicè nuntient, & faciant ab alijs nuntiari, ac ab omnibus arctiùs euitari: donec ad cor reuersi, & pœnitentia ducti, ab huiusmodi excõmunicationis sententia, absolutionis beneficiũ ab eadem Sede meruerint obtinere; ac legitimis super his habẽdis seruatis processibus, sententias, censuras, & pœnas huiusmodi, quoties opus fuerit, iteratis vicibus aggrauare procurent. Nõ obstãtibus præmissis, ac cõstitutionibus, & ordinationibus, priuilegijs, exẽptionibus, indultis, & litteris Apostolicis, quibusuis personis, secularibus, quorũcunq; ordinũ, etiã mendicãtiũ, & de obseruantia nũcupatorũ professoribus ipsis, & ordinibus; tam per Mare magnũ, & Bullam auream nũcupatas, quàm per quascunque litteras aliàs Apostolicas, etiam à nobis emanatas, & iteratis vicibus approbatas, etiam ex quibusuis vrgentissimis, & maximis causis, & sub quibuscunque formis, & expressionibus verborum, & etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque fortioribus, efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque decretis, etiam talibus, quod illorum nullatenus, vel non nisi sub certis modo, & forma inibi expressis dero-

derogari possit, etiam motu, scientia, & auctoritate similibus, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine concessis, quibus omnibus, & eorum singulis; etiam si per illorũ sufficienti derogatione de eis, ipsorũq; totis tenoribus specialis, specifica, indiuidua, & expressa, ac de verbo ad verbũ; non autem per generales etiam id importantes clausulas, mentio, aut qua uis alia expresio, vel eorundem ordinum, aut alicuius ex eis personis intimatio habenda, aut alia exquisita forma obseruãda foret; tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbũ inserti forent præsẽtibus pro sufficiẽter expressis, & insertis, habẽtes quoad præmissa dũtaxat (illis aliàs in suo robre permãsuris) harũ serie similibus, motu, & scientia specialiter, & expressè derogamus contrarijs quibuscunque. Aut si aliquibus cõmuniter, vel diuisim ab eadẽ sit sede indultum, quod interdici, suspendi, vel ex communicari non possint per litteras Apostolicas nõfacientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Cæterum quia difficile foret ad singula quæque loca, in quibus expediens fuerit originali defferri, volumus, & simili auctoritate, scientia, & motu decernimus, quòd earundem præsentium litterarum transumpto manu publici notarij subscripto, & alicuius Prelati Ecclesiastici, aut illius Curię sigillo munito vbique stetur, & eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio, & extra, ac vbi fuerit exhibitũ, & ostensum in omnibus, & per omnia, prout eisdẽ præsentibus staretur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ cõstitutionis, declarationis, mandati, derogationis, voluntatis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum: Anno Incarnationis Dominicę M.D.VIII. Kalendas Martij, Pontificatus nostri Anno XI.



OBSERVATIO.

Alexander Summ. Pont. Maxim. creatus anno 1492. *vt visum, est confirmauit, & innouauit Extrauagantem Sixti IV. Põtif. Maxim. Titulum desumpsimus à Mare Magno cõpilato iussu fratris Gerardi Zoethelme, anno* 1509. *fol.* 75. *& à monumen. Ordin. Minor fol.* 157. *vbi extat Authentica per Petrum Perez de la Encina Notarium Apostolicum de causa, motiuo, fine, & vt huius confirmationis. Videndi Serranus lib.* 2. *capit.* 8. *fol.* 138. *Viuar. part.* 1. §. 12. *fol.* 67. *Ægidius lib.* 3. *quæst.* 6. *artic.* 3 *fol.* 322. *Salazar cap.* 42. *argum.* 12. *fol.* 44. *Vazquez in* 3. *part. quæst.* 27. *disp.* 117. *cap.* 5 *fol.* 25. *Vvadingus orat.* 8. *sect.* 2. *fol.* 219. *Miranda de IMMAC. CONCEPT. fol.* 554. *& in defensio. quæst.* 17 *fol.* 392. *Daza cap.* 19. *fol.* 146. *Hippolyt. Mars. cap.* 68. *fol.* 162. *R. P. Sosa in Apologet. fol.* 19. *Guerrerus de Spinar disput.* 21. *fol.* 267. *Torres lib.* 4. *capit.* 7. *fol.* 334. *& citat Lucernam Minorum, Tamaius de Salazar ad annũ* 1500. *eam referunt Casarub. & Sorbo* §. 9. *fol.* 147. *& in compend. priuileg. frat. Minor. verb. CONCEPT.* §. 9. *& firmament. Trium. in summ. priuileg. ad Alexand. VI.* § *vltim. dicens:* Anno vndecimo sui Pontificatus decimo Kalendas Martij roborabit litteras Sixti IV. incipientes: Graue nimis, disponentes, festũ CONCEPTIONIS Virginis gloriosæ non intelligi de CONCEPTIONE spirituali, sed de IMMACVLATA corporali, &c.

IVLIVS PAPA XI.

Anno M.D.X.

VNIVERSIS Christi fidelibus pręsentes inspecturis, salutem, & Apostolicam benedictionem. Dum præclara meritorum insignia, quibus gloriosa virgo genitrix Dei MARIA sedibus prælata sydereis, quasi stella matutina prærutilat, deuotæ considerationis indagine perscrutamur, ac intra pectoris nostri arcana reuoluimus, quòd ipsa vtposte mater misericordiæ, & gratiæ apud eum, quē genuit pro salute fidelium, qui delictorum onere præ-

prægauantur, assiduè intercedit; dignum, & debitum esse putamus, ea paterno affectu concedere, quæ ad augendum deuotionem Christi fidelium erga ipsam Dei genitricem, & vnicum Filium eius Iesum Christum Dominum nostrum cognoscimus pertinere. De omnipotētis igitur Dei misericordia, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorū eius auctoritate cōfisi, omnibus, & singulis vtriusq; sexus Christi fidelibus ante dictis, in Regno Castellæ cōstitutis, verè pœnitentibus, & cōfessis, qui imaginē eiusdē Beatæ MARIÆ & vnigeniti eius Filij, quā dilectæ in Christo filiæ Moniales ordinis sanctæ Cōceptionis Toletanæ, in scapulario, & homines in pectore deferre cōsueuerunt, detulerint, & nouies salutationē Angelicā deuotè recitauerint, similes, & prorsus easdem indulgentias consequantur, quas consequerentur, & consequi possent, si decies salutationem Angelicam in honorem decem virtutum, eiusdem Beatæ MARIÆ Virginis recitarent; præsentium tenore indulgemus, atque concedimus, constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, regulis cancellariæ Apostolicæ, cæterisque cōtrarijs non obstantibus quibuscunque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub anullo piscatoris die X. Iulij. M.D.X Pōtificatus nostri anno septimo. Sigismūdus

OBSERVATIO.

EXtat originale in Archiuo Franciscano S. Ioannis Regum Toleti littera M. num. 14. & de hac Bulla mentionem faciunt Hippolytus Marra. cap. 79. fol. 163. Ægidius Lusitanus, Salazar, & alij quamplurimi.

IVLII SECVNDI Pontif. Maxim. Bulla.

Anno M.D.XI.

IVLIVS Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Ad statum prosperum, & fœlicem Ecclesiarum, & monasteriorum omnium, ac personarum, præsertim fœminei sexus in illis sub suaui Religionis iugo, & perpetua clausura altissimo famulantium salubriter dirigendū, prout ex Apostolicæ seruitutis officio nobis incumbit, solicitè intendentes, præsertim illa, quæ per nos, & prædecessores nostros Romanos Pontifices concessa, & nonnulla, quæ propterea laudabiliter facta, & ordinata fore noscuntur: vt firma perpetuò, & inconcussa persistant libenter, cùm à nobis petitur, Apostolico munimine roboramus, ac alia de nouo concedimus, prout in Domino cōspicimus salubriter expedire. Sanè pro parte dilectarum in Christo filiarum, modernæ Abbatissæ, & Conuentus, Monasterij Monialium sub inuocatione Conceptionis Beatæ MARIÆ Virginis Toletanæ, ordinis Sāctæ Claræ nobis nuper exhibita petitio continebat, quòd licet olim in eodē Monasterio ab illius prima institutione, certus modus viuendi sub regula, & institutionibus Cisterciensis ordinis, ac nomine Conceptionis eiusdē Beatæ MARIÆ institutus, & datus, ac per Abbatissā & Conuentum præfatus obseruatus, & per fœlicis recordationis Innocentium Papam Octauum prædecessorum nostrū approbatus fuerit; tamen piæ memoriæ Alexander Papa VI. etiam prędecessor noster, illum ex certis tunc expressis causis, ordinem Cisterciensem cassauit, & annullauit, in eodēque Monasterio ordinem præfatæ sanctæ Claræ, per quasdam suas erigi, & institui mandauit. Quæ omnia per alias nostras litteras confirmata, & approbata fuerunt, prout in singulis litteris prædictis desuper confectis pleniùs cōtinetur. Cùm autem sicut eadem petitio subiungebat, Abbatissa, & Conuentus præfatæ, pro conscientiarum earum puritate, & animorum quiete cupiant, & ad præsens desiderent, à Cisterciensis, & sanctæ Claræ regulis prædictis, & modo viuendi penitus absolui, ac formam, & modum in communi viuendi, iuxta continentiam, formam, & tenorem in duodecim capitulis, siue articulis, sacris Canonibus non contrarijs, & quoniam litterarum Apostolicarum, quæ per Cameram Apostolicam expediuntur, expeditione diligenter inspici, & examinari, ac eis fidem adhibendo, illorum tenore de verbo ad verbum

bum, præsentibus inseri fecimus contentam, & expressam ad vnguem obseruare, & sub illorum modo viuendi, in eodem monasterio degere, & altissimo perpetuò famulari, dictaque duodecim capitula, ac omnia, & singula alia priuilegia eis concessa approbari, & confirmari: pro parte Abbatissæ, & Conuentus prædictarũ nobis fuit humiliter supplicatum, vt ipsas à prædictis Cisterciensis, & sanctæ Claræ regulis, & illarum institutionibus, & obseruantia absoluere, & liberare, ac modũ viuendi in præfatis duodecim capitulis cõtentum in earum, ac omnibus, & singulis alijs monasterijs, Prioratibus, & locis dicti ordinis sub inuocatione Conceptionis perpetua obseruari debere, ac duodecim capitula, & alia priuilegia huiusmodi eisdem monasterio, & ordini cõcessa, approbare, & confirmare, aliàsquè in præmissis opportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui monasteriorum omnium, & Religiosarũ personarum statum, & pium desiderium cum animarum salute sinceris desiderijs exoptamus Abbatissam, & Conuentũ, præfatas, ac earum singulas ex Monialibus prædictis, à quibuscunque excõmunicationis, suspensionis, & interdicti alijsq; Ecclesiasticis sententijs, cẽsuris, & pœnis a iure, vel ab homine, quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomolibet innodatæ existũt, ad effectũ præsentiũ dũtaxat consequendũ harũ serie absoluẽtes, & absolutas fore cẽsentes; nec non singularũ litterarum prædictarũ formas & tenores præsẽtibus pro expressis habentes huiusmodi supplicationibus inclinati, Abbatissam, & conuentum, ac singulas Moniales prædictas, & eis in posterum succedentes, ab eisdem Cisterciensis, & sanctæ Claræ regulis, & institutionibus, ac illarum obseruatione, ita quòd deinceps vlteriùs ad earum obseruationem, & modũ viuẽdi minimè teneantur, nec ad id inuitæ compelli possint auctoritate Apostolica tenore præsentium, penitus absoluimus, & totaliter liberamus, ipsasque, & succedentes præfatas, ex tunc in antea, ad regulã, & formam viuendi per alias nostras litteras, eis datã, & concessam, aliàs iuxta tenorem dictorum duodecim capitulorum, tam in dicto, quàm omnibus, & singulis alijs monasterijs, Prioratibus, & locis sui ordinis, sub dicta inuocatione Conceptionis, vbique consistentibus, ad præsens, & in futurum perpetuò obseruãdam fore, ac ad vnguem obseruari debere decernimus, & declaramus, in omnibus, & per omnia, ac si eis, & monasterijs, ac locis prædictis à principio concessa fuissent, nec non regulam, & viuendi formam in nostris litteris, & duodecim capitulis prædictis datã, & expressam, ac omnia, & singula, immunitates, libertates, indulgentias, priuilegia, indulta, & litteras Apostolicas sub quocũque titulo, & nomine Monasterijs, & ordini prædictis hactenus cõcessa, & forsã confirmata cũ opportuna defectuum suppletione, auctoritate, & tenore prædictis, approbamus, & cõfirmamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus: & insuper, quod liceat eisdem Abbatissæ, & Conuentui, ac succedentibus perpetuo tempore interdicti ordinaria auctoritate suppositi, in eodem Monasterio Missas, & alia diuina officia, etiam apertis ianuis, & patefactis in festo Conceptionis eiusdem Beatæ MARIÆ Virginis, dumtaxat personis excommunicatis exclusis, Missas, & alia diuina officia, etiam alta voce, per earum proprium, vel alium Sacerdotem idoneum, sine alieni iuris præiuditio in quarumcumque personarũ præsentia, celebrari facere, ac Eucharistiã, & alia Sacramenta Ecclesiastica ab eodẽ, vel altero Sacerdote, quocumque tempore recipere posse, eisdem auctoritate, & tenore concedimus, & indulgemus, non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon Monasterij, & ordinis prædictorum, iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, ac omnibus illis, quæ in singulis litteris, & indultis prædictis concessum fuit non obstare, cœterisque contrarijs quibuscũque. Tenor verò capitulorum, & articulorum prædictorum talis est.

(?)

IN NO-

IN NOMINE DOmini incipit regula Monialium CONCEPTIONIS Beatæ MARIÆ Virginis. De his quæ debent promittere volentes hunc ordinum intrare.

QVæcumque à Deo illustratæ, & vocatæ, sæculi vanitatem deserere voluerint, & huius regulæ habitum assumẽtes Iesu Christo Redemptori nostro desponsari voluerint, eiusdẽ Genitricis Immaculatam Conceptionem venerantes, voueant semper viuere sine proprio, & in castitate, cum perpetua clausura. Et cùm ingressus in hunc ordinem sit quædam singularis oblatio, quæ Redemptori nostro, eiusdemque gloriosæ Genitrici offertur exhibendo se ei hostiam viuam mente, & corpore: idcirco expedit, vt hunc ordinem assumere volentes, diligentiùs examinentur, si sint Catholicæ, & fidei es Christianæ, nullius erroris suspectæ, corpore, & intellectu incolumes, voluntate promptæ, quæ doceantur, & informentur in omnibus, quæ obseruare tenentur, vt matura deliberatione probent, si hanc vitam, & regulam, sibi expediat assumere; ne postmodum conquerantur propter asperitates, & difficultates, quas in hoc diuino itinere aliquando repererint, nec vlla, quæ intra duodecim ætatis annos fuerit, recipiatur; nec etiã tam antiquioris ætatis, quòd non possit absque grauedine, & difficultate asperitatem huius regulæ sustinere, nisi aliud ob arduam, rationabilemque causam à Prælatis aliquando fuerit dispensatum. Non recipiat Abbatissa auctoritate propria aliquam sororem, absque consensu omnium Monialium, vel saltem maioris partis ex illis, & cum licentia sui Visitatoris. Finito verò anno probationis, si maiori parti sororum visum fuerit, conuersationem eius esse laudabilem, & eam aptam esse religioni, recipiatur ad professionem, promittendo in manibus Abbatissæ vitam istam semper, & regulam obseruare, dicendo hoc modo. Ego soror N. ob amorem, & seruitium Domini nostri, & Immaculatæ Conceptionis eiusdem Genitricis voueo, & promitto Deo, & Beatæ MARIÆ Virgini, & Beato Francisco, & omnibus sanctis, & tibi Mater, toto tempore vitæ meæ viuere in obediẽtia, sine proprio, & in castitate, & in clausura perpetua sub regula per sanctissimũ Papam Iulium Secundũ nostro ordini concessa, & confirmata. *Et mater Abbatissa*, si hæc seruauerit, promittat sibi vitam æternam.

De forma habitus huius religionis. Cap. 3

HAbitus Monialium huius ordinis sit huiusmodi: tunica, scilicet, habitus cum scapulari sint albi coloris, quatenus candor huius indumẽti exterior virgineæ puritatis mentis, & corporis testimonium prætendat: pallium sit grossi panni, seu stamineæ hiacinthini coloris propter mysticam significationem, videlicet, quòd gloriosæ Virginis anima à creatione sua, tota facta fuit cœlestis, & singularis Regis æterni thalamus. Portet in pallio, & in scapulari imaginem Dominæ nostræ solaribus radijs circumdatã, & stellis in capite coronatam; in scapulari autem portabunt dictam imaginem pectori appensam, vt dormientes, vel laborantes, in loco eam honesto possint collocare, & assumere, quando vadunt ad chorum, loquutorium, & capitulũ: & in pallio, dextro humero assuta hæc imago portatur à profitentibus hãc sanctam religionem, quatenus sciant, quòd Deigenitricẽ, tanquam vitæ imaginem, in cordibus suis debent habere insertam, innocentissimam conuersationem suam imitantes, & humilitatem, mundique cõtemptum, quem in hoc sæculo sequuta est, etiam sectantes. Chorda verò, siue funiculus sit canapis, quemadmodũ portant fratres Minores: capitis autem amictus sit vitta alba de subtus, quæ honestè genas, & collum cooperiat. Portent etiã professæ velum nigrum, non pretiosum, nec curiosum supra caput omni loco, & tempore: cappillos autem semper habe-

 bunt

bunt attonſos; calceamenta verò ſint ſcal poneæ ſoleæ, vel calcei, vel ſimplicis corticis ſandalia. Mater vero Abbatiſſa poterit diſpenſare in neceſsitatibus, vt lineis tunicis induantur, vel vt plura habeāt indumēta, vel vt poſsint portare calceamenta (cū diſcretarū conſilio) ſecundum neceſsitates locorum, & perſonarum. Humilitatem etiā, & paupertatem Domini Noſtri Ieſu Chriſti, eiuſdemque benedictæ genitricis ſtudeant imitari, amantes ſanctam paupertatem, tam in vilitate veſtimentorum, quàm in calceamentis, & in cæteris omnibus, vt mereantur illuminari à Patre luminum, & vſque in finem perſeuerare.

De Protectore ordinis iſtius. Cap. 4.

VT diuinū ſeruitiū ſemper creſcat, & ſit ſtabile ob prouidā, Religioſamq; gubernationem bonorum Paſtorum, & glorioſę Virginis pijs in cordibus puriſsimæ Conceptionis augeatur deuotio: volumus, quod Dominus Cardinalis, qui eſt vel fuerit Minorum fratrum de Obſeruantia protector, huius Religionis ſit gubernator, & defenſor, ſicut, & Minorum fratrum de Obſeruantia. Volumus etiam, quòd ex quo fratres Minores tam indefeſſo ſtudio, & vigilantia, puritatis, & innocentiæ Dei Genitricis defenſores exiſtunt, quod Vicarij Generales in ſuis Vicarijs, & Prouinciales, & Cuſtodes in ſuis prouintijs, & cuſtodijs, ſint Viſitatores huius ſanctæ Religionis, quibus firmiter teneantur obedire in omnibus, quæ promiſſerūt Domino obſeruare, & quæ non ſunt contraria animæ, & huic regulæ. Viſitatores curam habeant, ſaltem ſemel in anno viſitandi ſorores, & cùm ad hoc monaſterium ingreſsi fuerint, honeſta ſocietate aſſociati in primis præcipiant regulam legi coram conuentu, qua per Viſitatores expoſita, Abbatiſſa teneatur abſolutionem ab officio poſtulare, & Viſitatori ſigillū exhibere: Viſitator verò ſtudioſè teneatur inquirere circa ſtatum Abbatiſſæ, & ſubditarum, interrogando generaliter, & ſpecialiter de conuerſatione Monialium, & de huius regulæ obſeruantia: & ſi aliquid correctione dignum inuenerit, caſtiget, & reformet charitatis zelo, & amore iuſtitiæ, & pia diſcretione, tam in capite, quā in membris, quidquid contra Deum fit: & ſi Abbatiſſa defectuoſa, vel non idonea officio fuerit inuenta, ab eodem Viſitatore ab officio abſoluatur. Viſitet etiā eos, qui ſunt de monaſterij familia, vt interiùs, exteriuſque ad gloriam Dei, & eius ſanctiſsimæ Genitricis ſacer hic ſtatus ordinetur.

De electione Abbatiſſæ, ac de ſubiectione ei habenda. Cap. 5.

ABbatiſſæ electio liberè conuentui concedatur; quatenus voluntariè illam eligant, cui cum amore poſtmodum obediant. Si electio canonica facta fuerit à toto conuentu, vel maiore parte illius, a Viſitatore confirmetur. Studeant autem Moniales omni diligentia, talem eligere Abbatiſſam, quæ virtutibus, & honeſtate reſplendeat. Sit maior non tam officio, quàm bonis moribus; ſit itaque talis, quòd ſuo exemplo ſuas ad obediendum cum amore excitet ſubditas, ſitque ſua conuerſatio Monialibus viua prædicatio: diligat etiam omnes abſque partialitate in Chriſto Ieſu: nam perſonarum acceptio in Religione nunquam fit ſine ſcādalo, & maximo communitatis diſpendio. Nunquam inaniter hilareſcat propter primatū; ſed animo potius lugeat conſiderās, quàm ſit difficile de animabus aliorū Domino rationem reddere, cùm de proprijs tā pauci inueniantur, qui bonam rationē exhibeant. Recordetur etiam, quòd Dominus noſter non miniſtrari, ſed miniſtrare venit: & ſic Abbatiſſa non in Dominam, ſed in ſubditarum ancillam eligitur. Teneantur etiam ſubditæ obedire ſuis Viſitatoribus, & Abbatiſſæ in omnibus, quæ promiſſerunt Domino obſeruare; & recordentur, quod propter Deum abnegauerunt proprias voluntates. Conſiderent itaque, quod potius obediunt Chriſto ſponſo ſuo, quàm præſidentibus, & quòd ſic in obedientia, & contemptu Superiorum, Dominus noſter IESVS contemnitur,

nitur, & eidem non obtemperatur, secundum quod idem Dominus ait in Euãgelio: Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.

De obseruantia paupertatis. Capit. 6.

CVm mulierum fragilitas, præcipuè pro Christo inclusarum, multis subdatur necessitatibus, id circo quatenus sit illis facultas subsidiorum, ad tales necessitates, possessiones, & reditus in cõmuni habere possint, quæ vendere, seu alienare non valeant, nisi ob maiorem vtilitatem, & commodum domus, & hoc cum assensu Visitatoris, & Abbatissæ, & maioris partis Conuentus. Poterit tamẽ Abbatissa de rebus mobilibus, exiguique pretij dare, seu alienare, prout opportunum fuerit. Cùm Moniales in particulari paupertatem obseruare teneantur; nihil possint sibi appropriare. Poterunt tamen cùm Abbatissæ licentia, eorum, quæ sibi conceduntur simplicem vsum habere, & conformari paupertati; quam Redemptor noster, eiusdemque Mater Sanctissima sibi elegerunt, maximas diuitias reputare debent. Non contemnant pauperculas vestes, & repeciatas, quibus propter Christum libenter sponsæ eius indutæ, spirituales in cœlo diuitias inuenient: & illa sponso suo Christo charior erit, quæ viliori habitu fuerit contenta, & etiam rebus corporis necessarijs parcioris pretij.

De clausura obseruanda in generali. Capit. 7.

HVius religionis Moniales professæ firmiter teneantur viuere in perpetua clausura intra monasterij claustrũ intrinsecum. Sed si aliquo tempore, (quod Dominus auertat) ineuitabilis contigerit necessitas, vtpote ignis, vel armatorũ virorum violentus ingressus, quæ quidem dilationem non sustinent; in his, vel similibus casibus ad locum poterunt transire decentem, vbi in honesta clausura commorentur, quo ad vsque de monasterio sibi prouideatur; habeant autem Visitatores auctoritatem mittendi aliquam, vel aliquas Monalium ad construendum, vel reformandũ, siue regendum aliquod monasterium sui ordinis, vel gratia correctionis, vel ob aliam manifestam necessitatem. Moniales istius religionis quatenus clausuram, quam Domino promisserunt, meliùs, perfectiùsque custodiant, habeant portam in sublimi collocatam, ad quam per leuatoriam schalam possint ascendere, quæ semper suspensa maneat, præterquam cùm aliquis ob ineuitabilem, & necessariam causam ingressurus fuerit, prout in sequenti capitulo dicetur. Habeant etiam in patenti, & manifesto loco vnam rotam bonam, & fortem, cuius altitudo talis sit, & longitudo, quòd nulla persona per eam ingredi valeat, vel exire: per quam ea, quæ intromitti poterunt, inferantur. Habeant etiam circa præfatam rotam interiùs, exteriùsque hostiola, quæ nocturno tẽpore, & diurno æstiuo, cùm sorores dormiũt, clausa semper maneant. Habeant etiam in sublimi portam, quasi fenestrã inter duo hostia, latitudinis, & altitudinis congruentis, per quam inferantur ea, quæ per rotam intromitti non possunt. Habeant etiam loquutorium in loco honesto, cratibus ferreis interiùs, exteriùsque munitum, in quo nigrum linteum suspendatur, ne Religiosæ alios possint videre, nec ab eis videri: nec liceat loqui ex sororibus aliquo tẽpore in præfato loquutorio, à Completorio, vsque ad Primam sequentis diei, nec tempore prandij, nec cùm dormiunt sorores statis temporibus, nisi manifesta necessitate cogantur.

De clausura in particulari. Ca. 8.

IN Monasterio autem, vbi multæ sorores habitauerint, duo loquutoria habere possint: in muro verò, qui sorores diuidit à Capella, duæ magnæ fenestræ, vel vna secundum dispositionẽ chori construantur, quæ ferreis cratibus interiùs, exteriùsque muniantur, quibus lintea nigra apponantur, ne existentes in Ecclesia sorores possint videre: in quibus etiam fenestris

nestris, ligneæ portæ erunt ab intra cum seris, & clauibus, quæ quidem non aperiantur, nisi cùm officium diuinum recitatur; interea verò solummodo deponentur ad eleuationem corporis, & sanguinis Domini nostri Iesu Christi. Sit etiam in Ecclesia in competenti loco fenestra cũ ianua lignea paruula ad percipiendum Dominici Corporis Sacramentum, quæ tantæ sit quantitatis, quòd calix per eam possit inferri. Quæ semper manebit clausa, nec aperietur, nisi cùm sorores Eucharistiam percipiunt. Hoc autem sic fiet, quòd quando sorores Dominicum Corpus recipient, à secularibus videri non possint.

De ingressu Monasteriorum huius Ordinis. Cap. 9.

PRæcipimus firmiter, vt nullus claustrũ monasterij ingrediatur, præter Visitatores, cum necesse eis fuerit ad exercendũ officiũ suũ, & confessores ad administrãdum Ecclesiastica sacramenta. & Medici ad visitandum infirmas, & artifices, cùm opus fuerit, ad reparationem domus. Si verò aliqui aliter ingrediantur, tam ingredientes, quàm admittentes, in excõmunicationis sententiam incurrant: & quando aliquis ex supra dictis ingrediuntur, vadant cũ Abbatissa, vel Vicaria, & hostiarijs schalæ: quarum vna præcedat pulsans paruulum tintinabulum, quatenus sorores audientes recolligantur: & dum ij fuerint in claustro, cooperiant sorores facies suas velis nigris, quia non debent desiderare ab aliquo videri, nisi à sponso earum Domino Iesu Christo.

De diuino officio, & oratione. Capit. 10.

SOrores attentè considerent, quòd super omnia debent desiderare habere spiritũ Domini, & sanctam eius operationem cum puritate cordis, & deuota oratione; a terrenis desideriis, & sæculi vanitatibus mundare conscientiam, & vnus spiritus effici cum Christo sponso suo per amorem, per quem internum virtutum, desiderium, & perpetua erga vitia (quæ nos à Deo separant,) inimicitia inueniuntur. Oratio etenim est illa, quæ nos inimicos dilegere facit, & orare, vt dicit Dominus, pro persequẽtibus, & calũniantibus nos: hæc enim est, quæ clausuram, & cæteros religionis labores in dulcedinem conuertit. Vt ergo hoc opus tam necessarium saluti in hoc sacro ordine melius exerceatur, sorores, quæ recipiuntur ad chorum, teneantur dicere diuinum officium, quo ad solemnes festiuitates, & in quibus non laboratur & octauas earũ, & Dominicas primo ponendas, & necessariò recitandas, & Ferias secundum Breuiarium Romanum, prout fratres Minores recitant. Octaua Seraphici sancti Patris Francisci celebretur, & nulla alia ordinis eiusdem. Omnibus autem festis simplicibus, & Dominicis non primo ponendis dicent officium Conceptionis cũ commemoratione Dominicæ, secundum formam Breuiarij ad hoc illis deputati. Minus autem officium Conceptionis dicant secundum quòd sibi moris est. Moniales verò laicæ dicant viginti quatuor Pater noster, & Aue MARIA pro matutinis, pro laudibus quinque, pro prima, tertia, sexta, nona, & completorio, pro qualibet istarum septem, pro Vesperis autem duodecim, & orent pro defunctis. Et vt hic sacer status in virtute, & religione mediantibus Sacramentis continuè crescat, studeant diligenter sorores confiteri, & Eucharistiam suscipere in festis Conceptionis Dominæ nostræ, Natiuitatis Domini, & Purificationis Dominæ nostræ: in prima etiam hebdomada quadragesimæ, & in Annũtiatione Dominæ nostræ, seu in maiori hebdomada: in festis etiam Resurrectionis Domini, Pentecostès, Visitationis, Assumptionis, Natiuitatis Dominæ nostræ, & in festo Seraphici Francisci, & omnium sanctorum.

De ieiunio, & pia dispensatione cum infirmis habenda. Cap. 11.

IEiunent sorores in maiori quadragesima & omnibus diebus, in quibus ab Ecclesia est indictum ieiunium, & à festo

Præ-

præsentationis Dominæ nostræ, vsque ad Natiuitatem Domini, & ferijs sextis totius anni: sabbato verò ob reuerentiam Dominæ nostræ voluntariè ieiunare volentes benedictæ sint à Domino, & quæ noluerint, non sint astrictæ: cum infirmis verò, & debilibus poterit Abbatissa dispēsare, cū Discretarum consilio, secundū quod necessitati viderit expedire. Habeat Abbatissa curam de infirmis sororibus, sicut de se ipsa; nam si mater diligit, & consolatur filiam suam carnalem, quantò diligētiùs debet Abbatissa (quæ est mater spiritualis) nutrire, subuenire, & consolari filias suas spirituales tempore necessitatis, & infirmitatis? Habeatur ergo ęgritudinariū in saniori loco totius domus, vbi infirmæ curentur, & prouideatur per Abbatissam, Vicariam, & infirmariam, sicut vellent sibi seruiri, cū humilitate, benignitate, & charitate: visitentur etiam à Medico, per Abbatissam ad hoc deputato. Abbatissa curā habeat visitandi semel in die ęgritudinarium, nisi legitimè fuerit impedita, vel Vicaria loco eius, vt videant necessitates infirmarum: nam charitatis opera super omnia Dominus noster commendauit nobis.

De modo laborandi, ac dormiēdi, & silentio seruando. Cap. 12

SOrores omnes, præter infirmas, laborent fideliter, & deuotè temporibus ad hoc assignatis, expellendo otium animæ inimicum, quod via, & porta est, per quam vitia, & peccata ingrediuntur, & ducunt animam in perditionem. Nec laborum prætium aliqua sibi appropriet, sed sint omnia communia, prout expedit famulabus Dei, & imitatricibus sanctæ Genitricis eius. Diligant etiam silentium, nā in multiloquio non deest peccatum, & quæ lingua non offendit, magnæ perfectionis est, & religiosæ nō refrænantis linguam suā vana religio est. Proinde seruetur silentiū Papale in choro, claustro, dormitorio, & refectorio, & tota domo post cōpletoriū, vsque ad primam pulsationem primæ sequētis diei, & tempore, quo post prandium dormitur, scilicet, à festo Resurrectionis Domini, vsque ad exaltationem sanctæ Crucis. Poterunt tamen in his temporibus necessaria loqui, submissa voce, & honeste. Non loquātur cum aliquibus, qui non sunt de monasterio absque Abbatissæ licentia, & cum auscultatricibus. Ostendant se imitatrices veras humilitatis, & mansuetudinis Redemptoris nostri, eiusq; dulcissimæ Matris verbo, gestu, & incessu. Dormiāt sorores habitibus indutæ, & cordis præcinctæ in vnico dormitorio, vbi tota nocte lāpas erit accēsa, & dormiāt singulæ in lectis suis, præter infirmas, quæ dormiāt in egritudinario. Poterit tamē Abbatissa dispensare cū infirmis sororibus, vt habitū deponāt ad dormiendū: & morientes sepeliātur in habitu suæ professionis absq; pallio. Sint etiā lecti sororum paupercu li, & paupertati, quā Domino Deo vouerūt, cōformes. Lectus verò Abbatissæ tali loco sit, quòd faciliter sororū lectos possit videre. Studeāt Abbatissa, & Moniales hanc regulā, viuendiq; formā perfectè obseruare, vt sēper humiles, & subditæ, & in fide Catholica stabiles vota, quæ Domino promiserunt, vsque in finem obseruent. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, liberationis, decreti, declarationis, approbationis, confirmationis, communicationis, concessionis, & induiti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Data Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ M. D. XI. Quinto decimo Kalendas Octobris, Pontificatus nostri anno octauo.

OBSERVATIO.

IVLIVS *Secundus ad Pontificatū assumptus anno* 1503. *Supradicta Bulla, quæ in cœnobio* CONCEPTIONIS *Toletano archetypa habetur; in Matritensi verò authentica; sicut & in monumētis Ordinis Minorum fol.* 21. *confirmat, & approbat, tam Religionem, quàm regulam, & officium* IMMACVLAT. CONCEPT. *Vide Dom. D Ioan. Serran. Episcop. Acern. lib.* 2. *capit.* 8. *fol.*

138. *Dom. Sosam in Apol. fol. 19. Aznar Emb. capit. 16. fol. 92. Compend. priuileg. Frat. Minor. V. CONCEP. §. 10. & V. Indulgentiæ quoad sæculares 7. §. 3. fol. 89. Firmamentum trium ord. in Iulio II. & supplem. priuil. fol. 89. concessione 254. Miran. de CONCEPT. ca. 75. fol. 555. Grana. disput. 3. cap. 9. fol. 65. Lezanain cap. 13. fol. 61. Franc. Viuar. in Histor. CONCEPT. part. 1. §. 12. fol. 67. Ojedain capit. 16. fol. 65. Ægid. de Præsent. lib. 3. quæst. 6. artic. 3. §. 1. fol. 322. Valent. tom. 4. quæst. 1. disput. 2. pun. 2. colum. 166. Pitig. in 3. distinct. 3. quæst. 1. artic. 5. Vuading. in Legat. sect. 2. orat. 8. fol. 219. Tamai. de Salazar ad anno 1511. Qui omnes tenorem Bullæ expendunt, & argumentum ex ea adducunt. Capitum diuisionem, quæ in archetypo non est, in alijs editionibus additam, distinctionis gratia retinuimus.*

LEO P. X. CONCEDIT omnibus personis Ecclesiasticis Regnorum Hispaniæ, facientibus officium nouũ CONCEPTIONIS Dominæ nostræ, vt tempore cuiuscunque interdicti possint dictum festum cum Octaua solemniter celebrare

Anno M.D.XVII.

LEO Papa X. ad perpetuam rei memoriam. Supra gregem Dominicum curæ nostrę creditum vigilis speculatoris exercentes officium, ad ea libenter intendimus, quæ ad omnipotentis Dei laudem, & gloriam, ac eius genitricis gloriosæ Virginis MARIÆ honorem, & reuerentiam, fideliumque animarum salutẽ, & eorum spiritualem consolationem cedere dignoscuntur. Cùm itaquè fœlicis recordationis Sixtus Papa Quartus, prędecessor noster, inter alia perpetuò statuerit, & ordinauerit, quod omnes, & singuli Christi fideles vtriusque sexus, qui Missam, & officium festi Conceptionis Beatæ MARIÆ Virginis, iuxta piã, deuotam, & laudabilem ordinationem, cuiusdã Leonardi de Nogarolis, Clerici Veronensis, tunc in humanis agentis, & quod desuper à dicto predecessore emanauit, Missæ, & officij huiusmodi institutionem in festo Conceptionis eiusdem Virginis MARIÆ, & per eius Octauas deuotè celebrarent, eandẽ prorsus indulgentiam, & peccatorum remissionem, exinde consequerentur, quam iuxta piè memoriæ Vrbani Quarti in Concilio Viennensi approbatam, & Martini Quinti, ac aliorum Romanorum Pontificum predecessorũ nostrorũ constitutionẽ consequebantur illi, qui Missam, officium, & horas Canonicas in festo Corporis, & sanguinis Domini nostri Iesu Christi à primis vesperis, & per illius Octauas, iuxta Romanæ Ecclesiæ consuetudinem celebrauant, aut Missæ, officio, & horis huiusmodi intererant, prout in ipsorum predecessorũ litteris pleniùs dicitur cõtineri. Et licet sicut dilecti filij Minister, ac citra, & vltra montes regularis Obseruantię Vicarij Generales Ordinis Minorum nobis nuper exponi fecerunt, festum Conceptionis huiusmodi in Hispania singulari in veneratione habeatur, & dum aditus patet, magna ad Ecclesias, in quibus illud celebratur, confluat multitudo fidelium; nihilominus sæpius contingit propter interdicta, quæ in illis partibus tam Apostolica, quàm ordinaria auctoritatibus passim ponuntur, fideles præfati in dicto festo Conceptionis, & illius Octauis ad dictas Ecclesias, dum diuina in eis celebrãtur, accedere nequeant, & sic deuotionis eorum affectu, & indulgentiæ prædictæ fructu, & beneficio defraudentur. Nos qui fideles quoslibet ad ipsius gloriosæ Virginis venerationem, & ingem erga eam deuotionem, prout possumus, libenter allicere exoptamus, eorundem Ministri, ac Vicariorũ supplicationibus in hac parte inclinati, statutum, & ordinationem Sixti prædecessoris huiusmodi, ad hoc, vt & pro tempore interdicti quauis

uis auctoritate, ex quibusuis causis pro tempore appositis in quibusuis Hispaniæ Ecclesijs, & locis à primis vesperis dicti festi Conceptionis, vsque ad illius totalem Octauam inclusiuè, Missam, & alia diuina officia, apertis ianuis, & pulsatis campanis, atque alta voce, excommunicatis dumtaxat, & nominatim interdictis expulsis, celebrari & singuli Christi fideles præfati, non excommunicati, nec nominatim interdicti ad Missas, & alia officia diuina audienda, ac indulgentiam, & peccatorum remissionem huiusmodi consequendam, & simili tempore à primis vesperis dicti festi Corporis Christi, & vsque ad illius totalem Octauam, iuxta prædictas, seu & quasdā præfati Martini Quinti prædecessoris constitutiones, & permissum, liberè, & licitè possint, cùm sicut dicti Minister, & Vicarij asserunt, eadem, seu similis gratia pro festiuitatibus, & Octauis Sanctorum Francisci, & Antonij de Padua, ac sanctæ Claræ per Sedem Apostolicā concessa sit; Apostolica auctoritate præfata, tenore præsentium extendimus, & ampliamus. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac omnibus illis, quæ dicti prædecessores in eorū constitutionibus prædictis voluerunt non obstare, cæterisquè contrarijs quibuscumque. Dat. Romæ apud sanctū Petrū sub annullo Piscatoris die vigesima secunda Maij, millesimo quingentesimo, decimo septimo. Pōtificatus nostri anno quinto.

OBSERVATIO.

HÆC Leonis X. Pont. Maxim. anno 1513. creati Bulla extat archetypa in cœnobio Minorum Salmanticensi, & authentica in supplem. priuileg. Fratrū Minor. fol. 23. Refertur à Roderico tom. 1. fol. 261. Eam allegant ferè omnes auctores, quos supra in concessionibus Sixt. IV. & Iulij II. recensuimus.



DILECTIS FILIIS modernis Rectoribus, & Beneficiatis Parochialium Ecclesiarum oppidi Molinæ Seguntinæ Diœcesis.

Anno M. D. XVIII.

LEO PP. Decimus. Dilecti filij, salutem, & Apostolicam benedictionem. Pia Christi fidelium, & præsertim Immaculatæ Conceptionis Beatæ MARIÆ Virginis, Redemptoris nostri, & humanæ salutis auctoris Domini nostri Iesu Christi Genitricis honorem tendentia vota, ad exauditionis gratiam libēter admittimus, & fauoribus prosequimur opportunis. Cùm itaque, sicut nobis exponi fecistis, inter vos ipsos capitulū, quandoque, vel sæpenumero faciatis, seu insimul conuenitis, & pia deuotione ducti in nocte ante festum Conceptionis gloriosissimæ Beatæ MARIÆ Virginis horas Matutinas, & Laudes in Parochiali Ecclesia sancti Ægidij dicti oppidi in cantu celebratis, & celebrationi huiusmodi magna pars populi prædicti intersit; & sicut eadē petitio subiungebat, vos maiori accēsi deuotione & vt dictus populus Matutinis, & Laudibus huiusmodi interesse attentiori animo, & deuotione satagat, desideretis post dictas Laudes vnā Missam in cantu cū Presbytero, Diacono, & Subdiacono celebrare: Nobis fuit humiliter supplicatū, vt votis vestris in hac parte fauorabiliter annuere, aliàsque desuper opportunè prouidere de benignate Apostolica dignaremur. Nos igitur vestris in hac parte supplicationibus inclinati, vobis, & pro tēpore existentibus rectoribus, & Beneficiatibus prædictis sancti Ægidij, & aliarū Parochialum Ecclesiarum dicti oppidi, vt in nocte ante diem festum Conceptionis Beatæ MARIÆ Virginis, post Laudes huiusmodi, annis singulis in dicta Ecclesia sancti Ægidij vnā Missā in cantu cū Presbytero, Diacono, & Subdiacono solēniter celebrare liberè, & licitè valeatis, & ipsi pro tempore existētes Rectores,

&

& Beneficiati valeant authoritate Apostolica, tenore præsentium de specialis dono gratiæ perpetuò indulgemus. Non obstantibus Apostolicis, ac in Prouincialibus, & Sydonalibus Concilijs editis, generalibus, vel specialibus cōstitutionibus, & ordinationibus, cæterisque contrarijs quibuscumque. Datis Romæ apud Sanctum Petrum sub annullo Piscatoris, die 18. Februarij M. D. Xviij Pontificatus nostri anno sexto. Ioan. De Lerina.

OBSERVATIO.

Extat hæc Bulla archetypa in dicto Molinæ oppido, vnde & excerpta est authentica. Eius meminit Hippolytus Mar. ad Leon. X. fol. 174. & Tamaius de Salazar ad ann. D. 1518.

EXTRACTA E BREuiario antiquo Monialium Ordinis CONCEPTIONIS Beatæ Virginis MARIÆ.

TITVLVS In prima pagina est: *Breuiarium IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS Virginis MARIÆ, impressum Toleti anno 1508.*

Pagin. 2. alter titulus adscribitur his verbis. *Breuiarium IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS Virginis MARIÆ. approbatum, & confirmatum à quatuor Summis Pontificibus, Sixt. IV. Innonent. VIII. Alexan. VI. & Iulio II.* &c.

Distribuitur autem officium IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS per septem hebdomadæ dies.

In Dominica omnia fiunt, sicut in officio Nogarolis: *Sicut lilium, &c.*

Fer. 2. Lectio prima desumitur ex Cōcilio Basileensi, cuius decretum habes supra *colum.* 20.

Fer. 3. in responsor. 4. de Beata Virgine dicitur, *in nullo maculata.* Antipho. 3. secundi noctur. *Sine labe totali est eius generatio, & absque originali.* Lect. 6. *MARIA ergo, etsi communicat aliquibus ærumnis EVÆ; non communicat contrahendo peccatum.* In oratione. *Vt qui Purissimæ CONCEPTIONIS Virginis MARIÆ Matris eius commemorationem colimus, &c.*

Ad Vesp. Antipho. 2. *Quam præseruauit Filius.*

Fer. 4. Lect. 2. *Arca Immaculata, de qua cecinit Propheta, surge Domine in requiem tuam.*, &c. Oratio *Vt qui Matris tuæ Puritatē in sua CONCEPTIONE recolimus.*

Fer. 5. Lect. 5. *Diligant præcordia mea sanctā CONCEPTIONEM tuā.* Ad Laudes Antiph. 3. *Cuius Beatam CONCEPTIONEM colimus.* Ad Benedict. Antiph. *Virgo MARIA, cuius gloriosa CONCEPTIO*, &c. Oratio. *Qui B. MARIÆ, Genitricis tuæ carnem ita præseruasti, vt eius animam sacratissimam nulla prorsus contagio naturæ fœdaret*, &c.

Fer. 6. Respons. 2. *Quæ pura sine labe CONCEPTA ES.* Respons. 3. *Cuius IMMACVLATA CONCEPTIO miraculis coruscat.* Antiph. 2. in 2. noct. *Sine macula Concepta est MARIA.* Resp. 7. *Non potuit macula originalis inhærere tibi.* Lect. 9. *Festum IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS MARIÆ celebremus.* Ad Laud. Antiph. 3. *Niuei candoris IMMACVLATAM MARIAM.*

Sabbato ad Vesp. Antiph. 3. *Matrē Virginem MARIAM IMMACVLATAM ab origine præseruauit.* In 1. noct. Antiph. 1. *Qui te fecit sine macula, nostra deleat piacula.* Respons. 5. *Sācta, & IMMACVLATA fuit CONCEPTIO Virginis MARIÆ.* Ad Vesp. Antiph. 2. *Tota pulchra es MARIA, & macula originalis nō est in te.* Vers. *IMMACVLATA CONCEPTIO est hodie Sanctæ MARIÆ Virginis.* Oratio. *Deus, qui per IMMACVLATAM Virginis CONCEPTIONEM*, &c.

OBSERVATIO.

Prædictum Breuiarium ex diuersis officijs concinnauit venerabil. P. Fra. Ambrosius Montesinus multis pijs scriptis notissimus. Alia eius editio prodijt Pintiæ anno 1551. in ædibus Ægidij de Colonia calcographi, correcta à quodā Fratre Minore Conuentus Toletani. De eius approbatione à Summis Pontificibus facta dubitari non potest: nā Iulius II. ca. 10. Regulæ Monialium, hanc recitandi formam ipsis præscribit; Innocent. VIII. de eadem signatè loquitur.

Sixti

Sixti IV. approbatio ad officia Leonardi Nogarolij, & Bernardini Bustij referri potest; vnde non pauca ad hoc Breuiarium translata sunt. De Alexandro VI. nihil hucusque inuenimus, præter ipsam Breuiarij testificationem, quæ magnæ fidei apud omnes merito esse debet.

Huius Conceptionis officij multi meminerunt, præcipuè Tamai. de Salazar in S. Epitatio, fol. 208. & 311.

Porrò vnum eiusdem Breuiarij exemplar à se studiosè asseruatum D. D. Laurentius Ramirez de Prado Regius in Castellæ supremo Senatu Consiliarius ad nostrum Catholicum Regem, ac Dominum Philippum IV. misit, non sine elogio; vocat enim Venerabile fragmentum Hispaniæ Ecclesiasticæ antiquitatis, & piæ opinioni stabiliendæ; imò ad altiorem gradum promouendæ opportunum. *Quod Catholicus Princeps, vt gratissimum munus se accipere ad oram memorialis libelli testatus, etiam de Breuiarij editione cubiculares cōsiliarios admonuit, grauissimis verbis suum erga IMMACVLATAM CONCEPTIONEM affectum, vsque adeò ingeminans, vt subditis omnibus, & toti Orbi pietatis exemplo præluceat.*

ADRIANVS VI.
Ann. M.D.XXII.

Confirmatio confraternitatis Toletanæ sub titulo CONCEPTIONIS B. MARIÆ, auctoritate Illustris. & Reuerendis. D.D. Francisci Ximenij Cisnerij, S.R.E. Cardinal. erectæ, & aliarum sub eodem titulo vbilibet erectarum, & erigendarum, cum indulgentiarum cōcessionibus, & alijs priuilegijs.

ADrianus Papa Sextus ad perpetuam rei memoriam. Romanus Pontifex, sicut Saluatore nostro Domino Iesu Christo, disponente eius in terris Vicarius esse dignoscitur, sic & ipsius actibus, in quantū sinit humana fragilitas, se conformare tenetur. Cùm itaquè Saluator ipse, dum humana carne inter homines versaretur, omni studio, & diligentia gregem suum ad pietatis, & charitatis opera exercenda inuitaret, & hortatus fuerit, nobisquè exemplum reliquerit, vt eius vestigia sequeremur; nos qui ipsius vices, licèt immeriti, gerimus, volentes, quantum nostra suffert imbecillitas, huiusmodi vestigia circa præmissa sequi, ac pia meditatione pensantes, quod cùm dierum crescente malitia mūdus in deteriora prolabatur, ac charitas, prout Apostolus nouissimis temporibus futurum prædixit, refrigescat, hominumquè deuotio, ac pietas tepescat, ac propterea necesse sit ipsorum hominum corda, ne prorsus stupida remaneant, igne charitatis & pietatis inflammare: paternæ prouidentiæ debito, ac pastoralis curæ solicitudine astricti, ad hoc perficiendum totam mētem, ac animum nostrum applicabimus. Cūque nobis, hac sedula cogitatione pēsantibus in memoriam veniret, quòd superioribus diebus non sine magna consolatione audieramus, in ciuitate Toletana, in partibus Hispaniarum existente, aliàs quandam confraternitatem erectā, cuius confratres operibus huiusmodi tota intentione vacarent, indequè tanquam ex bona, & fertili messe, quàm plures manipulos in alijs Hispaniarum partibus pullulasse; videntes tam manifesta boni germinis signa, congruum arbitrati sumus, non solum ipsis Apostolici muniminis firmitatem, vt validiora permanerent adijcere, sed etiam omnem conatum nostrum adhibere, vt semen huiusmodi in alias partes diffusum Deo omnipotenti magnum, & vberem fructum reddere, quibus ad optatum finem conducendis, cùm plurimum putaremur opportunum, Christi fideles spiritualibus muneribus, & gratijs allicere, indulgentias, ac peccatorum remissiones infrascriptas eis duximus elargiendas: per quas etiam de die in diem meliores effecti, & de virtute in virtutem euntes, tandem diuino muni-

T mine

mine in patria collocati beatitudinis exoptatæ præmium cõſequi valeant. Sanè accepimus,quòd aliàs nonnulli probi viri piè conſiderantes, quòd ſæpè contingebat,homines, etiam de nobili genere procreatos, licèt in extrema neceſsitate conſtituti eſſent,ex quadam tamen innata erubeſcentia eorum calamitates detegere non audere, & propterea potiùs neceſſarijs carere,& extremam inopiam ſuſtinere,quàm inopiam ſuam alijs detegere velle; ex quo quàm plures ab hac vita decedere, eorumquè cadauera abſque aliqua funerali pompa; imò etiam aliquando abſque luminibus contra communem inter fideles receptam conſuetudinem, non ſine populi perturbatione ad ſepulturam portari contingebat, neceſsitatibus pauperum huiuſmodi ſubuenire, ac ſcandalis, quæ propterea oriri videbantur,prouidere cupientes feruore charitatis accenſi, ſe inſimul congregarunt, & quàm plura bona opera circa præmiſſa fecerunt, quibus poſtea ad aures bonæ memoriæ Franciſci. tituli Sanctæ Balbinæ, dum viueret, Presbyteri Cardinalis, qui tunc in humanis agebat, & Eccleſiæ Toletanæ præerat, deductis; ipſe Franciſcus Cardinalis quandam confraternitatem ſub vocabulo CONCEPTIONIS glorioſiſsimæ Virginis MARIÆ, in qua ſupradicti probi viri comprehenſi fuerant, in dicta ciuitate ad effectum prædictum erexit, & inſtituit, & deinde ſibi expoſito, quòd confrátres eiuſdem confraternitatis eorum benè cepta proſequendo,pauperes,& inopes, ac erubeſcẽtes homines huiuſmodi in eorum proprijs domibus,tam ſanos,quàm ægrotantes curari, carceribus mancipatos viſitari,& leui culpa detentos relaxari,cadauera erubeſcentium, & aliorum pauperum prædictorum pro tempore decedentium ad ſepulturam cum decenti pompa vehi, viduarum, & orphanorum neceſsitatibus ſubueniri curabãt, & alia diuerſa pietatis, & charitatis opera auctore Domino exercebant,nonnullas conſtitutiones, ordinationes, & ſtatuta pro regimine dictæ confraternitatis, & dictorum bonorum operum directione edidit, & certas indulgentias,ac peccatorum remiſsiones confratribus prædictis,ac alijs Chriſti fidelibus, qui dictam confraternitatem ad charitatem, & pietatem huiuſmodi exercendam eleemoſynas iuuarent, cõceſsit, prout in ipſius Franciſci litteris pleniùs dicitur contineri. Et deinde nõnullæ aliæ perſonæ cupientes,vbi nec ærugo,nec tinea demolitur,theſaurizare,exemplo prædictorum proborum virorum inductæ nonnullas alias confraternitates ad inſtar ſupradictæ,ſub eodem vocabulo in diuerſis locis erexerunt. Cùm autem nos,quibus diſpoſitione ſuperna vniuerſi gregis Dominici ſolicitudo commiſſa eſt, vt prædicta,& alia charitatis,& pietatis opera,nedum in Toletano, & alijs locis prædictis, verum etiam in quibuſvis ciuitatibus alijs, oppidis, terris, et locis, tam Regnorum Hiſpaniarum, quàm aliarum partium Chriſtianitatis vigeant,ac Chriſti fideles, ac vniuerſi Hiſpaniarum, et aliarum partium populi opera ipſa exercere ſtudeant, ſummis deſiderijs affectemus,cupiamuſquè Chriſti fideles, quantum nobis ex alto cõceditur, ad talia animare,et conſtitutionum,et ordinationũ, ſtatutorum, et conceſsionum, ac omniũ, et ſingulorum aliorum in præfatis litteris contentorum, tenores præſentibus pro ſufficienter expreſsis habentibus motu proprio, non ad alicuius nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera deliberatione,et ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine authoritate Apoſtolica tenore præſentium,erectiones,conſtitutiones,ordinationes,conceſsiones, ſtatuta prædicta, ac prout illa concernunt omnia,et ſingula in litteris Franciſci Cardinalis huiuſmodi contenta,quatenus licita ſint, et honeſta, ac ſacris Canonibus non contraria, et inde ſequuta quæcumque, ſine alicuius præiudicio approbamus, et confirmamus, ſuppleuiuſquè omnes, et ſingulos,tam iuris, quàm facti defectus,ſi qui forſan interuenerint in eiſdem,ac perpetuæ firmitatis robur obtinère,et inuiolabiliter obſeruari debere decernimus. Necnon vniuerſis Chriſti fidelibus in dictis regnis, vel partibus exiſtentibus confrater-

ternitates sub eodem vocabulo, in quibusuis alijs ciuitatibus, oppidis, terris, et locis Regnorum, et partium earundem, in quibus eas recipere, et opera huiusmodi exercere voluerint, ex nunc similiter, sine alicuius præiudicio erigendi, et instituendi, necnon erectarum, et quarumcunque aliarum sub eodem vocabulo, in eisdem Regnis, et partibus erigendarum confraternitatum prædictarum confratribus, vt omnibus, et singulis priuiligijs, libertatibus, indultis, exemptionibus, immunitatibus, fauoribus, et gratijs, quibus eiusdem confraternitatis Toletanæ confratres quomodolibet vtuntur, potiuntur, et gaudent, ac vti, potiri, et gaudere poterunt quomodolibet, in futurum vti, potiri, et gaudere liberè, et licitè valeant, licentiam, & facultatem per præsentes concedimus, et vt Christi fideles, eò libētiùs erectas manu tenere, ac alias confraternitates huiusmodi erigere, et illas intrare, ac tam ipsi, quàm etiam confratres prædicti opera huiusmodi feruētiùs exercere studeant, quo ex cœlestis dono gratiæ vberiùs conspexerint, se refectos de omnipotentis Dei misericordia, ac de beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius authoritate confisi, omnibus, et singulis Christi fidelibus huiusmodi vtriusque sexus, qui prædictarum confraternitatum manutentione, seu sustentatione, ac erectione, et institutione, ac tam ipsius, quàm confratribus omnium, et singularū cōfraternitatum prædictarum, qui pro pietatis, ac charitatis huiusmodi operibus exercendis manus porrexerint adiutrices, ac qui in aliqua ciuitate, oppido, seu loco Regnorum, et partium prædictarum confraternitatem sub vocabulo huiusmodi erigi, et institui, seu institutas, et erectas manuteneri, et augeri procurauerint. Necnon qui pro supradictis, et alijs inferiùs exprimendis charitatis, et pietatis operibus exercendis eleemosynas quærent, et procurabunt, seu erogabunt, ac qui pauperes, maximè verecundos, erubescentes pijs eleemosynis, præsertim secretis adiuuerint, et qui pauperes adolescentulos studijs litterarum aptos in studijs litterarum huiusmodo aluerint, seu pro eorum alimonia pias eleemosynas erogauerint, ac in ciuitatibus, oppidis, terris, et locis Regnorum, et partium prædictarum Præceptores, seu Magistros, qui pueros, et alios litteris operā dare volentes, gratis doceant, conduci procurauerint, ac pauperes ægrotantes visitauerint, seu in hospitalibus, aut in locis, vbi infirmabuntur, eis seruitium, aut opem impenderint, et necessaria subministrauerint, aut eis confessores adduci, et sacramenta Ecclesiastica administrari; et vt de bonis suis testamenta, seu vltimas voluntates condant, ac testamentorum, et vltimarum volūtatum huiusmodi receptiones per publicos tabelliones, vel alias personas ad id potestatem habētes, præsertim gratis fieri procurauerint, ac qui eorūdem pauperum, seu quorumcunque aliorum Christi fidelium, ex hac luce transitu, ac mortis articulo spiritualem consolationem ipsis exhiberi, eosquè in fide, et amore Dei conformando interfuerint; necnon qui funeribus quorumcunque, tam pauperum, quàm aliarū personarum eisdem confratribus se commendantium interfuerint, et eorum corpora, dum ad sepulturam vehuntur, allociauerint, et pro illorum, ac quorumcunque aliorum fidelium animabus in purgatorio existentibus, ac pro viuis in peccato mortali laborātibus, necnō pro prospero, et fœlici statu Sanctæ Matris Ecclesiæ, et pro Christianę Reipublicæ pace, et in tranquillitate preces Deo effuderint, ac qui sacratissimum corpus præfati Saluatoris nostri, dum infirmis defertur, associauerint; necnon qui pauperes alienos in proprijs domibus in noctibus receperint, et aluerint, aut eos ad hospitalia, et hospitia duxerint, ac virgines, tam pupillas, quàm alias dote carentes, vt nubere possint; alias autem ab honestatis, et pudicitiæ tramite deuiantes fœminas, vt ad honestam vitam ducantur, eleemosynis iuuerint, et qui carceratos, et leui culpa detentos relaxari procurauerint, ac qui pauperes infantes in vijs expositos, aut per alia loca repertos, vt sacramentum Baptismatis recipiant, aut nutriantur, curauerint, ac qui in eorum testamē-

tis,

tis, ſeu vltimis voluntatibus alicui ex dictis confraternitatibus aliqua pia legata reliquerint, ſeu alia bona, donatione, quæ dicitur inter viuos, vel cauſa mortis dederint, aut pro pauperum alimonia, aut in carceratorum relaxatione, ſeu aliorum operum pietatis, & charitatis huiuſmodi exercitio aliquid reliquerint, & qui in Reſurrectionis præfati Saluatoris noſtri, Conceptioniſquè, vel Natiuitatis, aut Aſſumptionis eiuſdem Virginis glorioſiſsimæ, vel in die Veneris Maioris hebdomadæ, aut in feſto omnium ſanctorũ; ſeu eius octauis, hoſpitalia, ſeu alias Eccleſias, ſiue loca, in quibus confraternitates huiuſmodi inſtitutæ fuerint, ſeu confratres ipſi, vt præfertur, congregari conſueuerint; à primis veſperis vſque ad occaſum Solis cuiuslibet dictarum feſtiuitatum deuotè viſitauerint, necnon, qui in die Dominica poſt generalem commemorationem omnium fidelium ab Eccleſia celebrari ſolitam ſequenti pro animabus confratrum, & benefactorum in purgatorio exiſtẽtibus huiuſmodi ſingulas Miſſas celebrauerint, ſeu celebrari fecerint, aut procurauerint, vel deuotas preces Deo effuderint, ſeu eadem Dominica ad Miſſam, tunc per confratres ſolemniter celebrari procurandam conuenerint, & pro præmiſsis manus porrexerint adiutrices, aut extra tempora à iure ſtatuta confeſsionem ſacramentalem fecerint, ſeu ſacramentum Euchariſtiæ receperint, ſingulis diebus, quibus pręmiſſa, vel aliquid, ſeu aliqua ex eis fecerint, duos annos, & totidem quadragenas de iniunctis eis pœnitentijs, confratribus verò ſingularum confraternitatum prædictarum plenariam in mortis articulo indulgentiam, & remiſsionem in forma Eccleſiæ conſueta miſericorditer in Domino relaxamus; ipſiſquè confratribus, vt tempore, quo loca, in quibus eos morari, aut ad quæ ipſos declinare contigerit, Eccleſiaſtico interdicto ordinaria auctoritate ſuppoſita fuerint, dummodo ipſi cauſam non dederint interdicto, nec eis contigerit ſpecialiter interdici, Miſſas, & alia diuina officia in Eccleſijs, ſeu hoſpitalibus, in quibus confraternitatum huiuſmodi confratres, clauſis ianuis, & excommunicatis, & interdictis excluſis, non pulſatis campanis, celebrari facere, eaquè audire, & eis intereſſe, ac ipſorum confratrum tempore interdicti huiuſmodi decedentium corpora Eccleſiaſticæ ſepulturæ, ſine tamen funerali pompa, traddi poſsint, & valeant, concedimus, & indulgemus, ac præſentes litteras perpetuò durare, & ſub nullis etiam illarum totum tenorem exprimendo, & inſerendo ſimilium, vel diſsimilium indulgentiarum reuocationibus, ſuſpenſionibus, & annullationibus à nobis, & Sede Apoſtolica, etiam in fauorem Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, & Cruciatæ ſanctæ contra infideles, aut aliàs emanatis, & conceſsis comprehendi poſſe, nec debere decernimus. Et nihilominus vniuerſis, & ſingulis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Canonicis, Parochialiumquè Eccleſiarum Rectoribus, Plebanis, Presbyteris, & Clericis in eiſdem Regnis, & aliàs vbilibet conſtitutis per Apoſtolica ſcripta committimus, & diſtrictè pręcipimus, & mandamus, quatenus ipſi, vel duo, & quilibet eorum, per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque vbi, quando, & quoties opus fuerit, ac pro parte dictorum confratrum, aut quorumvis aliorum fuerint requiſiti in ſuis Eccleſijs, monaſterijs, & alijs pijs locis ſolemniter publicari, & in eis contenta huiuſmodi ad populorum notitiam deducentes eoſdem populos, & ſingulares perſonas eorundem ad audiendam publicationem huiuſmodi ſub cenſuris, & pœnis infraſcriptis conuocari, & congregari faciant, & eoſdem ad exercitium operum huiuſmodi in Domino hortentur; necnon eiſdem confratribus in præmiſsis efficacis defenſionis præſidio aſsiſtentes faciant eos præmiſsis omnibus, et ſingulis pacificè frui, non permittendo eos per quoſcumque deſuper in aliquo moleſtari, impediri, aut inquietari, contradictores quoslibet, et rebelles per Eccleſiaſticas, et alias, de quibus eis videbitur, cenſuras, et pœnas, ac alia iuris remedia, appellatione

tione postposita compescendo, & quibus inhibendum fuerit etiam eisdem sententijs, & censuris, & pœnis inhibendo, inuocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis: non obstantibus Apostolicis, ac Prouincialibus, & Synodalibus Concilijs editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, indulgentijsquè, indultis, & litteris Apostolicis, quibusvis personis, quomodolibet, etiam pluries concessis, confirmatis, & innouatis, quibus illorum tenoribus præsentibus, pro sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, hac vice dumtaxat, illis aliàs in suo robore permãsuris, harum serie specialiter, & expressè derogamus, cæterisquè contrarijs quibuscumque. Et quia difficile foret præsentes litteras ad singula quæque loca deferri, volumus, & auctoritate prædicta decernimus, quod pręsentium transumptis manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicuius Curiæ Ecclesiasticæ, aut personæ in dignitate Ecclesiastica cõstitutæ munitis, ea prorsus fides adhibeatur, quę adhiberetur eisdem originalibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datis Tarracone sub annulo Piscatoris, die vltima mensis Iulij, millesimo quingentesimo vigesimo secundo, suscepti à nobis Apostolicatus officij anno primo.

OBSERVATIO.

Electus fuit Adrian. VI. ann. 1622. quo hanc Bullam expediuit. Extat archetypa in archiuo ipsius confraternitatis Toletanæ, num. 5. Eius verò exemplum Hispali in Collegio Societ. Iesu, teste P. Ojeda, cap. 9. §. 4. Adducitur integra à nostro Daza, tract. de Concept. fol. 166 citatur verò, & expenditur à plurimis auctoribus ex supra relatis, præsertim Porren. cap. 3. fol. 5. Guerr. de Espinar dis. 21. fol. 267. Vuaddin. orat. 8. sect. 2. fol. 220. Hippolyth. Marrac. cap. 81 fol. 175.

Eadem confraternitas Toletana ante & post prædicti Adriani Bullam ab Illustris. Nuntijs Apostolicæ Sedis, Romanisquè Pontificibus cumulata est amplissimis fauoribus, quorum instrumentã in eius archiuo seruantur. Sita est in ædibus Archiepiscopalibus adeò Principum personarum nominibus nobilitata, vt præter Duces, Marchiones, Comites, Equitesquè magno numero, omnes Archiepiscopi Toletani post prædictum Cardinalem Ximenium, ipsiquè Hispaniæ Reges à Ferdin. & Elisabetha, omnes, vt patroni, & confratres adscribantur, pij animi erga IMMACVL. CONCEPT. egregium documentum.

Est in hac Adriani confirmatione notatu dignissimum expeditum fuisse ad instantiam confraternitatis erectæ sub titulo IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS; & cùm concessiones iuxta petitionum tenorem sint interpretandæ, prædictum titulum auctoritate Pontificia certum est roborari. Quod vt apertius constet, statutorum dictæ confraternitatis partem, vt ab Illustris. Hispaniæ Cardin. approbata sunt, subijcere placuit.

ESTATVTOS DE LA Cofradia de la Immaculada Concepcion, aprobados por el Ilustrissimo señor D. Fr. Francisco Ximenez de Cisneros, Cardenal de España, y confirmados por la Santidad de Adriano VI.

Anno M.D.X.

DON Fr. Francisco Ximenez, por la Diuina miseracion, Cardenal de España, Arçobispo de la santa Iglesia de Toledo, Primado de las Españas, Canciller mayor de Castilla. Por quanto por la especial deuocion, que siempre hemos tenido, è tenemos a la IMMACVLADA CONCEPCION de la Madre de Dios, y es razon que tengan todos los fieles Christianos, mayormente los Prelados q̃ son, ò fueren desta nuestra S. Iglesia de Toledo; por en ella auer tenido por bien la Virgen Maria nuestra Señora de dezir, y hazer muchas gracias, y mercedes a los Prelados, que han sido en ella, è

V por

porque por aqui mejor ſe efetue, y cũpla eſte nueſtro buen propoſito; tenemos por bien de ſer Patron, y Cofadre de la Cofradia de la Concepcion de la Madre de Dios de la dicha ciudad de Toledo, que nos hemos fundado; è queremos, que los Arçobiſpos, que fuerẽ deſpues de nos en la dicha S. Igleſia de Toledo, ſean Patrones, y Cofadres de la dicha Cofadria, a los quales encargamos afectuoſamente, que miren todo el prouecho, è vtilidad, è acrecentamiento de la dicha Cofadria, y la fauorezcan, y amplien; porque tenemos por cierto, que haziendolo, la Madre de Dios los fauorecerà en lo que entendieren. Y rogamos, y encargamos, y mandamos a los dichos Cofadres, que ſon, ò ſeran de la dicha Cofradia, que tẽgan eſpecial cuydado de rogar à Dios por nos, è por los otros Arçobiſpos, que deſpues de nos fueren en eſta ſanta Igleſia de Toledo; y digan vna Miſſa cantada todas las tres Paſcuas del año, por la ſalud, y acrecentamiento del eſtado de los Arçobiſpos, que entonces fueren deſta ſanta Igleſia de Toledo; pues tienẽ ſu aſsiento en eſtas ſus caſas Arçobiſpales, adonde tuuimos por bien, que eſtuuieſſe la dicha Cofadria. E lo miſmo encargamos, è rogamos afectuoſamente a los Prelados, que deſpues de nos fueren, que no les quiten la dicha Capilla, ſino que les hagan limoſnas, y mercedes, como nos tuuimos, è tenemos ſiempre voluntad de lo hazer. En la qual Cofadria queremos, que ſe guarde la regla, è conſtituciones ſiguientes, a honra de Dios, è de ſu bendita Madre.

D. Fr. Franciſco Ximenez, por la diuina miſeracion, Cardenal de Eſpaña, Arçobiſpo de la ſanta Igleſia de Toledo, Primado de las Eſpañas, Canciller mayor de Caſtilla. Vimos vnas conſtituciones, y ordenanças fechas, y ordenadas por los Cofadres, y Cabildo de la Cofadria de la Madre de Dios, que ſe ha hecho, è fundado nueuamẽte en la ciudad de Toledo; las quales nos fueron preſentadas por Geronimo de Madrid, y Franciſco de Talamea, vezinos de Toledo, Cofadres, en nombre, y como Procuradores, que ſe moſtraron de la dicha Cofadria, cuyo tenor es eſte que ſe ſigue.

Regla, y ordenança de la Cofadria de la ſantiſsima Madre de Dios, Señora Nueſtra.

PROLOGO.

IN Dei nomine amen. Por quanto todas las coſas deſta preſente vida ſon en fin caducas, y tranſitorias, y de ningũ valor para conſeguir, y alcançar el fin, para que ſomos criados, que es la gloria perdurable, y eterna; ſaluo aquellas, que ſon fechas en el eſtado de gracia, y enderezadas en ſeruicio, y amor de Dios, y de nueſtros proximos, ſegun nos enſeña la ſagrada Eſcritura. Por tãto nos los hermanos que aora ſomos, y Cofadres de la Cofadria de la ſacratiſsima Madre de Dios, y por los q̃ ſerã deſpues de nos. Eſtablezemos eſta nueſtra Cofadria, y Hermãdad, a honra, y gloria de Dios todo poderoſo, Padre, Hijo, y Eſpiritu ſanto, Tres perſonas, y vn ſolo Dios verdadero, eterno, inconmutable, y a honra de la ſantiſsima Concepcion, y ſantiſsima Aſſumpciõ de la ſacratiſsima Madre de Dios, Emperadora de la vida, Señora, y abogada nueſtra, è a honra de S. Pedro, y S. Pablo, Apoſtoles de nueſtro Redentor Ieſu Chriſto; y de todos los otros ſantos Apoſtoles ſuyos, cuyas piſadas, y doctrina deſeamos ſeguir, y à honra del bienauẽturado ſeñor S. Franciſco, y à honra de los bienauenturados, S. Eugenio, y S. Ildefonſo, y ſanta Leocadia, Patrones, y Protectores deſta muy noble ciudad de Toledo; y à honra de toda la corte celeſtial, ſo cuya proteccion, fauor, y amparo, ſe ordenò la preſente regla, y conſtituciones, en la forma, y manera, que adelante ſe dirà. La qual Cofadria, principalmente inſtituyò, y aumẽtò, y fauorecio el Reuerendiſsimo, y muy magnifico Señor, el Señor D. Fr. Frãciſco Ximenez, Cardenal de Eſpaña, Arçobiſpo de Toledo, Inquiſidor mayor de los reynos de Caſtilla, &c. Con mucha caridad, aſsi de perdones para las animas, como de limoſna corporal, para ſuſtentar cien de los pobres, y viudas embergõçantes. La qual dicha Cofadria ſe principiò el dia de todos Santos, q̃ fue primero dia

dia del mes de Nouiembre, año del nacimiento de nuestro Redentor Iesu Christo, de mil y quinientos, y seis años. Y en el año siguiente huuo en el reyno vna general pestilẽcia, y muy rigurosa en esta muy noble ciudad de Toledo; y los Cofadres desta dicha Cofadria de la preciosissima Madre de Dios, fuimos en procession al monasterio de santa Maria delas Nieues, extramuros desta ciudad, acõpañados de personas religiosas, y seglares deuotos, y plugo a la santissima Madre de Dios de no mirar a nuestros pecados, sino a su clemencia, y misericordia; y milagrosamẽte desde aquel dia, que fue Domingo, diez y ocho dias del mes de Iulio del dicho año de quiniẽtos, y siete años, fue aplacada la pestilencia; y por no ser ingratos de tan grãde beneficio, ordenamos de celebrar en cada vn año para siẽpre jamas esta santa Festiuidad en el dicho monasterio de santa Maria de las Nieues, como adelãte se dirà; y ordenamos, y establezemos esta nuestra Regla, y Hermandad, en la manera siguiente.

Capitulo 23. De como auemos de celebrar las tres Missas de salud, que se dixeron en la pestilencia.

ITen ordenamos, que en cada vn año para siẽpre digamos treze Missas, que se constituyeron en la pestilencia en esta manera. La primera, en nuestra Señora del Sagrario desta santa Iglesia de Toledo. La segunda se diga en el monasterio de Sãta Fè. La tercera en el monasterio de la santa Concepcion. La quarta, &c.

Cap. 26. De como auemos de celebrar la fiesta de señor S. Francisco, por todas las animas de los difuntos de su Reuerendissima.

OTrosi, ordenamos, y queremos, que aora, y para siẽpre jamas en cada vn año celebremos la fiesta de señor S. Frãcisco en su propio dia en el monasterio de la santa Concepcion en nuestra Señora, que es donde solia ser el monasterio del señor San Francisco, &c.

Cap. 29. De como auemos de celebrar la fiesta de la santa Cõcepcion de nuestra Señora la gloriosa Madre de Dios por las animas de los difuntos de su Reuerendissima.

ITen ordenamos, que celebremos en cada vn año para siẽpre jamas la fiesta de la santissima Cõcepciõ de nuestra Señora en su propio dia, y casa, Visperas, è Missa, è Sermõ; è todas las cosas q̃ conuienen a la dicha fiesta, renouando la cera, y atauiando el monasterio, ò la Iglesia con toda solẽnidad; la qual dicha fiesta celebrèmos por las animas de su padre, i madre, y de todos sus difuntos del Reuerendissimo, y mui magnifico Señor, el Señor D. Fr. Francisco Ximenez, por la diuina miseracion, Cardenal de España, Arçobispo de la santa Iglesia de Toledo. Esto porq̃ su Reuerendissima fundò està nuestra Hermandad, en loor, è alabança de la gloriosa Madre de Dios, y de su santa Concepcion, y la fauorecio, ansi de perdones, como de mucha limosna, &c.

Y nos presentadas ante nos las dichas constituciones, y ordenãças, por parte de los dichos Cofadres, y Cabildo de la dicha Cofadria de nuestra Señora, nos fue suplicado las mandassemos ver, y examinar, y confirmar; las quales por nos en el nuestro Consejo vistas, y examinadas; y visto el zelo, q̃ los dichos Cofadres tienẽ al seruicio de nuestro Señor, y al bien de las animas, y como redundan en mucho remedio, y cõsolacion de los pobres. Por la presente confirmamos, y aprobamos, y loamos las dichas cõstituciones, y ordenamos, y mandamos, q̃ de aqui adelante, se guarden, y cũplan en todo, y por todo, segun de q̃ en ello se cõtiene por los Cofadres, q̃ agora son de la dicha Cofadria, ò los q̃ fueren de aqui adelante, en todo tiẽpo, y para siẽpre jamas, so las penas en las dichas cõstituciones, y ordenanças, y en cada vna dellas cõtenidas. En testimonio de lo qual, mandamos dar, y dimos la presente escritura de confirmaciõ, firmada de nuestro nõbre, y sellada cõ nuestro sello, y signada del infrascripto Notario, nuestro Secretario: fecho en la nuestra villa de Alcalà de Henares, en 15. dias del mes de Enero, del año del nacimiẽto de nuestro Señor Iesu Christo de 1510. años; y testigos que fueron presentes de todo lo susodicho el Licenciado Iuan de Frias, y el Licenciado Raedo del nuestro Consejo, y Diego Lopez de Mendoza nuestro Contador a esto llamados. Franciscus C. S. B.

BVL-

BVLLA IOANNIS CARDInalis SS. Cosmæ, & Damiani. Anno M.D.XXV.

Concedit confraternitati IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS Toletanæ ius Crucem propriam cum insignibus solitis publicè deferendi.

IOannes miseratione diuina SS. Cosmæ & Damiani Diaconus Cardinalis de Saluiatis, ad Hispaniarũ, ac alia regna, & loca, ad quæ nos declinare contigerit, Sanctissimi Domini nostri Domini Clementis P P. Septimi, & Sedis Apostolicæ Legatus de latere dilectis nobis in Christo confratribus confraternitatis IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS Virginis MARIÆ in ciuitate Toletana institutæ salutẽ in Domino sempiternam. Quemadmodum oppressi, vigilisquè pastoris solertia oues suæ custodiæ deputatas curat à feratũ morsibus præseruare, & ad statũ prosperum perducere; ita quoque Sedes Apostolica, cuius legationis fungimur officio, supremis desiderat affectibus, & studijs nititur indefesis, cunctos Christi fideles, quos à iustitiæ semita hostis humani generis auertit, per spiritualium gratiarum dona ad æterna fœlicitatis præmia capessenda perducere. Vnde fit, vt ad singulas orbis Ecclesias, ac pia loca, & cõfraternitates in Christi Domini, eiusquè Immaculatæ Genitricis nomine, & honore fundatis aciem passim reflectit, vt in illis diuinis cultus, & populorum deuotio, ac eleemosynarũ largitio suscipiat incremẽtum. Sanè nobis nuper pro parte vestra exhibita petitio continebat, quòd cum à triginta annis, & vltra confraternitas in ciuitate Toletana sub inuocatione CONCEPTIONIS B. Virginis MARIÆ fundata, & ordinata vigeat, ac indies magis, magisquè, tam quoad numerum confratrum, quàm diuinum cultum, & alia charitatis opera augeatur, illiusquè annui redditus, & prouentus, ac eleemosynarum sibi pro tempore erogatarum pecuniæ magna cum rectitudine, & vigilantia in asidua paruulorum expositorum educatione, pauperum infirmorum per singulas dictę ciuitatis Parochias degentium curatione, ac carceribus detentorum pauperum subventione, & aliorum quàm plurimorum bonorum operum exercitatione, ac corporum defunctorum pro tempore decedentium ad sepulturam associatione, & alijs pijs operibus quotidie expendantur: contingatquè sæpè vos, & alios pro tempore existentes dictæ confraternitatis cõfratres pro processionibus, temporibus, & diebus ad id deputatis insimul faciendis Crucem non habere, illamquè ab alijs Ecclesijs etiam Parochialibus dictæ ciuitatis accommodatam, & cum salarij deputatione, & solutione, vt plurimum accipere, & id magnam pecuniarum summam, etiam sexaginta ducatos auri excedentem annis singulis exponere, & si vobis, ac successoribus vestris dictæ confraternitatis confratribus, vt crucem propriam in processionibus defunctorum ad sepeliendum associatione, & alijs rebus necessarijs, & pro tempore occurrentibus ante se, prout aliæ societates, seu confraternitates dictæ ciuitatis deferre cõsueuerunt, de cætero deferre positis, facultas ab Apostolica Sede concederetur, profectò ipsi cõfraternitati, ac diuini cultus augmento plurimũ consuleretur, ipsaquè pecunia, quę in conductione, seu locatione alienæ crucis annuatim exponitur, in pauperũ subventione, & alijs pijs operibus supradictis exponeretur, & vos, & alij confratres præfati ad benefaciendum pauperibus ipsis, & opera charitatis huiusmodi exercendum inuitarentur. Quare pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, vt vobis super his de benignitate dictæ Sedis opportunè prouidere dignaremur. Nos igitur ad infra scripta prædictæ Sedis litteris sufficienti facultate muniti, huiusmodi supplicationibus inclinati, vobis, ac confratribus dictæ confraternitatis pro tempore existentibus, vt in singulis processionibus, & congregationibus, tam per vos, quàm per

per successores vestros, tam pro corporibus defunctorum quorumcunque sepeliendis, quàm alijs charitatis operibus exercendis pro tempore fieri contigerit, Crucem propriam in eis ante vos cũ coloribus, & insignijs dictæ Immaculatæ Virginis hactenus depingi solitis de cætero publicè, sine tamẽ alicuius præiudicio deferre, & portari facere liberè, & licitè possitis, & valeatis, vestrique successores dictæ confraternitatis confratres possint, & valeãt, Ordinarij loci, vel cuiuslibet alterius licentia super hoc vlteriùs minimè requisita, Apostolica authoritate tenore præsẽtiũ perpetuò cõcedimus, & indulgemus, inhibentes Reuerẽdissimo in Christo P. Dño. Archiepiscopo Toletano, ac eius in spiritualibus Vicario, seu Officiali generali pro tẽpore existẽti, & quibusuis alijs personis cuiuscũq, status, gradus, ordinis, vel cõditionis existentibus sub excõmunicationis pœna ipso facto incurrenda, ne vobis, aut successoribus vestris præfatis in præmissis impediant, molestẽt, aut quoquo modo perturbent, aut molestari, perturbari, seu aliàs quomodolibet inquietari faciant, vel permittant. Quocirca dilectis nobis in Christo Archidiacono de Guadalaxara, & Scholastico Ecclesiæ Toletanæ, ac Officiali Toletano, per præsentes mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum per se, vel per alium, seu alios vobis, & præfatæ confraternitati, & alijs confratribus successoribus vestris in præmissis efficacis defensionis auxilio assistentes, faciant vos, & alios confratres præfatos concessione, indulto, inhibitione, & alijs præmissis pacificè frui, & gaudere; non permittentes vos, & alios confratres prædictos per Archiepiscop. Vicarium, & Officialẽ præfatos, seu quoscumque alios desuper quomodolibet indebitè molestari cõtradictores quoslibet per cẽsuras Ecclesiasticas, & alia opportuna iuris remedia, appellatione postposita, compescendo, nõ obstantibus præmissis, necnon in prouincialibus, ac Apostolicis, necnon & Synodalibus Cõcilijs, editis generalibus, & specialibus constitutionibus, & ordinationibus, quod in dicta ciuitate antiquiores cõfraternitates institutæ sint cõtrariis quibuscũq;. Dat. Toleti, anno Incarnationis Dominicæ M D.XX VI. P. Kalẽdas Decembris, Pontificatus Sanctissimi in Christo P. & Domini nostri Domini Clementis diuina prouidentia P P. Septimi, anno tertio. Innoc. Calagrami.

OBSERVATIO.

HOc rescriptũ extat authenticũ Toleti in archiuo Confraternitatis Conceptionis apud Aug. Fernandez de Madrid, *subscriptum à Petro Pantoxa, publico Notario Apostol. an* 1585.

DECRETVM CONCILIJ Tridentini de peccato originali, sub Paulo Papa III. Anno M. D. XL. VI.

Decretum de peccato originali.

VT fides nostra Catholica, sine qua impossibile est placere Deo, purgatis erroribus, in sua synceritate integra, & illibata permaneat, & ne populus Christianus omni vẽto doctrinæ circũferatur; cũ serpẽs ille antiquus, humani generis perpetuus hostis, inter plurima mala, quibus Ecclesia Dei his nostris tẽporibus perturbatur, etiã de peccato originali, eiusq; remedio, nõ solũ noua, sed etiã vetera dissidia excitauerit, sacrosãcta æcumenica, & generalis Tridentina synodus in Spiritu sancto legitimè congregata, præsidentibus in ea eisdem tribus Apostolicæ Sedis Legatis, iã ad reuocãdos errãtes, & nutãtes confirmãdos, accedere volẽs, sacrarũ scripturarũ, & sanctorũ Patrum, ac probatissimorum Conciliorum testimonia, & ipsius Ecclesiæ iudicium, & consensum sequuta, hæc de ipso peccato originali statuit, fatetur, ac declarat.

Siquis non confitetur, primũ hominẽ Adam, cùm mãdatũ Dei in paradiso fuisset transgressus, sanctitatem, & iustitiã, in qua constitutus erat, amisisse, incurrisseque per offensam præuaricationis huiusmodi iram, & indignationem Dei, atque adeò mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus, & cum morte captiuita-

tem sub eius potestate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc est Diaboli, totumque Adam per illam præuaricationis offensam, secundũ corpus, & animã in deterius commutatum fuisse, anathema sit.

Siquis Adæ præuaricationem sibi soli, & non eius propagini, asserit nocuisse, & acceptam à Deo sanctitatem, & iustitiam, quam perdidit, sibi soli, & non nobis etiam eum perdidisse: aut inquinatũ illum per inobedientiæ peccatum, mortem, & pœnas corporis tantùm in omne genus humanum transfudisse, non autẽ & peccatum, quod mors est animæ, anathema sit, cùm contradicat Apostolo dicenti: Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatũ mors, & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt.

Siquis hoc Adæ peccatum, quod origine vnum est, & propagatione, non imitatione transfusum omnibus inest, vnicuique proprium, vel per humanæ naturæ vires, vel per aliud remedium asserit tolli, quàm per meritum vnius mediatoris Domini nostri Iesu Christi, qui nos Deo reconciliauit in sanguine suo, factus nobis iustitia, sanctificatio, & redemptio; aut negat ipsum Iesu Christi meritũ, per baptismi sacramentum in forma Ecclesiæ ritè collatum, tam adultis, quàm paruulis applicari, anathema sit: quia nõ est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Vnde illa vox: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Et illa: Quicumque baptizati estis, Christum induistis.

Siquis paruulos recentes ab vteris matrum baptizandos negat, etiam si fuerint à baptizatis parentibus orti, aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lauacro necesse sit expiari ad vitam æternã consequendam: vnde fit consequens, vt in eis forma baptismatis in remissionem peccatorum, non vera, sed falsa intelligatur, anathema sit: quoniam non aliter intelligendum est id, quod dixit Apostolus: per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerũt, nisi quemadmodum Ecclesia Catholica vbique diffusa semper intellexerit. Propter hanc enim regulam fidei ex traditione Apostolorum, etiam paruuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, in remissionem peccatorum veraciter baptizantur, vt in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt. Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.

Siquis per Iesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat; aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram, & propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantùm radi, aut non imputari, anatema sit. In renatis enim nihil odit Deus, quia nihil est damnationis ijs, qui verè consepulti sunt cũ Christo per baptisma in mortem, qui non secundum carnẽ ambulant, sed veterẽ hominẽ exuẽtes, & nouum induẽtes, qui secundum Deum creatus est, innocentes, immaculati, puri, innoxij, ac Deo dilecti effecti sunt, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, ita vt nihil prorsus eos ab ingressu cæli remoretur. Manere autem in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem, hæc sancta Synodus fatetur, ac sentit; quæ cùm ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, & viriliter per Iesu Christi gratiam repugnantibus, non valet: quinimo qui legitimè certauerit, coronabitur. Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, sancta synodus declarat, Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod verè, & propriè in renatis peccatũ sit, sed quia ex peccato est, & ac peccatum inclinat. Siquis autem contrarium senserit, Anatema sit.

Declarat tamẽ hęc ipsa sancta Synodus, non esse suæ intentionis comprehendere in hoc decreto, vbi de peccato originali agitur, Beatam, & Immaculatam Virginem MARIAM Dei Genitricem: sed obseruandas esse cõstitutiones fœlicis recordationis Sixti Papæ Quarti sub pœnis in

in eius constitutionibus contentis, quas innouat.

OBSERVATIO.

IN huius decreti vi, & efficacia pro Immaculata Virginis Conceptione expendenda, multi sunt pro rei dignitate Theologi. Aliqui ex hoc decreto colligunt piam opinionem iam esse certam, & indubitatam, & oppositam definiri nullo modo posse. Hoc probat validissimè integro volumine Illustrissim. D. Petrus de Perea Arequipens. Episcop. à pagi. 25. ad 249. lij Immaculatæ Conceptionis mysterium iam esse ab Ecclesia canonizatum: alij in errorem incidere comprehendentes B. Virginem sub generali regula peccati originalis, quam Concilium non esse suæ intentionis comprehendere, apertè pronuntiat: alij alia inferunt, & confirmant: de quorum numero legantur Ægid. de Præsent. in opere de Concept. Virg. passim. Hieronymus Enbid cap. 9. §. 2. fol. 47. & latè fol. 89 & cap. 16 Perlin. in Apolog. disput. 7. cap. 4 fol. 465. Canis. lib. 1. de B. Virg. cap. 10. fol. 53. Salazar cap. 33. arg. 8 fol. 291. & fol. 373. latè, & folio 440. Suar. tom. 2. in 3. p. disp. 3. sect. 5. Valle. tom. 4. disp. 2. q. 1 punct. 2. Vazq. dispu. 117. cap. 5. Salmer. tom. 13. in cap. 5. epist. ad Rom. fol. 640. Ojeda cap. 16 fol. 65. Alphonsus Sobrin. fol. 35. Philippus Bernal disp. 15 fol. 166. Ioan. Bapt. Lezana in Apolog. cap. 12 fol. 59. Pitigian. in 3. dist. 3. quæst. 1 art. 5 fol. 139. & 144. Faber ibid. disp. 10. Vuading. in legatione, orat. 9. sect. 2. §. 4. fol. 251. Castill. disp. 2. quæst. 1. fol. 40. Carthagena tom. 1. homil. 19. colum. 117. latè. Sosa fol. 20. Daza cap. 1. fol. 7. & fol. 28. Miranda cap. 75. Aiala §. 9 fol. 22. Domin. Serranus Acern. Episcop. pluries, Mergelina §. 7. Huerta fol. 15. Nouat. tom. 1. capit. 3. quæst. 3. fol 47. Porrenn. capit. 2. Guerrer. de Espinar fol. 27. latè. Lucer. cap. 5. fol. 37. Tama. de Salazar ad ann. 1546. Procurat. Rom. in epist. ad Philip. IV. Hippol. Mar. cap. 88 f. 198.

LEO PP. X.

Anno M.D. XX.

DILECTI Filij, salutem, & Apostolicam benedictionem. Quia nuper accepimus nonnulla in partibus Hispaniarum monasteria Monialium ordinis Immaculatę Conceptionis Virginis MARIÆ, sub vestra obedientia in regulari obseruantia diu, noctuque altissimo famulatum præstare: Nosque propterea volentes ipsis gratiam facere specialem, vt omnibus, & singulis priuilegijs, concessionibus, prærogatiuis, immunitatibus, exemptionibus, fauoribus, gratijs, & indultis temporalibus, & spiritualibus, per nos, & Sedem Apostolicam fratribus dicti ordinis, & Obseruãtiæ, ac Monialibus sanctæ Claræ, & sororibus Tertij Ordinis Sãcti Frãcisci quomodolibet concessis, & concedendis, & quibus fratres, Moniales, & sorores huiusmodi de iure, vel priuilegio, & consuetudine propriè vtuntur, potiuntur, & gaudent, seu vti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, quę nos tenore præsentium pro expressis, & indiuiduè enarratis habere volumus, eisdem Monialibus Conceptionis in eadem obedientia permanentibus ab ipsius ordinis fundatione, & in futurum vtantur, potiantur, & gaudeant, ac vti, potiri, & gaudere possint in omnibus, & per omnia; perinde ac si ipsis concessa fuissent, tenore præsentiũ motu proprio, & ex nostra scientia, de speciali dono gratię concedimus, sicque per quoscumque iudices ordinarios, seu delegatos in foro contentioso, aut per quoscumque confessores, siue in foro consciẽtiæ, dum, & quoties opus fuerit, interpretari, pronuntiari, iudicari, & definiri debere, sublata eis aliter interpretandi, & iudicandi facultate, volumus, & mandamus, non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac omnibus, quę in singulis litteris priuilegiorum, cõcessionũ, immunitatũ, gratiarum, exẽptionũ, & indultorũ huiusmodi volumus nõ obstare, quòd Moniales prædictæ, in illis specificatæ non sint, ac quo tempore cõcessionum illorũ forsan in dicta obediẽtia, vel modo viuendi non erant, ceterisque contrarijs, quibuscumque. Volumus autem, quòd præsentium transumptis manu Notarij publci subcriptis, & sigillo alicuius personæ in Ecclesiastica dignitate

nitate constitutæ munitis, eadē prorsus fides, tam in iudicio, quàm extra illud adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si illæ essent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die decima Februarij M. D.XX. Pontificatus nostri anno septimo.

OBSERVATIO.

Extat authentica in archiuo Franciscano S. Ioan. Reg. Toleti, lit. M. num. 5. 6. & 16. & comprobata à D. Alphonso Mexia Canonico, & Vicario gener. diœcesis Tolet. Habetur in compend. priuil. Ordin. Minor. fol. 147. Hæc est celebris Bulla à P. Corduba in quæstionar. quæst. 44. & ab Episco. Serrano lib. 2. Concept. capi. 8. alijsque quā plurimis memorata.

PIVS V. ANNO M. D. LXX. Prohibitio disputandi in publicis prædicationibus de Conceptione Beatæ Mariæ Virginis, aut de ea vulgari sermone scribendi, vel dictandi.

Pius Episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

SVper speculam Domini, viribus licet exiguis, cōstituti, Prophetæ solicitudinem imitantes diu, noctuque ad diuersos Ecclesiæ status nostræ mentis aciem intendimus, studiosè prouidentes, vt communi Domino ab omnibus gradibus fideliter seruiatur, ac illis maximè, quibus digniora ministeria diuini Spiritus fauore credita sunt. Inter quos diuini verbi prædicatores adnumerandos esse nemo dubitare poterit, qui eorum munus ab ipso Domino consecratum, Apostolis pręcipuè iniunctum fuisse animaduertet, qui si adepto gradu dignè fungerentur euangelizantes pacem, annuntiantes bona, prædicantes salutem, non solùm vox eorum dulcis; verum & speciosi pedes viderentur, & fraternæ salutis vberes fructus referentes multam fiduciam haberent in die Domini. Verum, quod neque sine animi dolore accepimus, nec referre possumus, quidam diuersorum ordinum Regulares, Clericique seculares, omissis, quæ diuinæ maiestatis gloriam, & sanctissimæ Dei Genitricis, aliorumque diuinorum venerationem, atque fidelium pietatem promouere poterant, quod Apostolus in quibusdam arguit, languēt; circa quæstiones, & pugnas verborum, ex quibus oriuntur inuidiæ, & contētiones, cæteraque vitiorum monstra, potissimū verò cùm de gloriosæ Virginis MARIÆ Conceptione sermo inciderit, tam pertinaciter pro alterutra parte contendunt, acsi de illis dogmatibus esset, quæ corde credere ad iustitiam, ore confiteri ad salutem, necessarium est. Quibus illud Prophetæ conuenire videtur, dicunt, ait Dominus, cùm ego non sim loquutus, cū sanctæ Romanę Ecclesiæ omnium Ecclesiarum magistra, & doctrix disciplinæ, de ea re hucusque non definerit, nemo absque temeritate præiudicare, vel alterius partis sentētiam damnare potest; & quasi desint præclarissima inuentricis gratiæ merita, quæ nec Angelica quidem lingua satis dignè referri possunt, & cùm ex illo vberrimo fonte, puteoque aquarū viuentium non possint saluberrimas haurire aquas, quibus fidelis populus magna cum vtilitate, atque dulcedine reficeretur, ad dissipatas cisternas accurrunt, stultas scilicet, & sine disciplina quæstiones, quæ generant lites, quas nec frequēs multitudo intelligere, nec viri sapientes, qui capiunt, vtiliter percipere valeant: præsertim quoniam, vt experimento didicimus, ipsorū concionatorum, qui ad quæstiones huiusmodi proponendas faciliùs erumpere solent, maior numerus materiæ difficultatem prorsus ignorantes, neque intelligentes, quæ loquuntur, aut de quibus affirmant, simplicium animos indiscretæ deuotionis obtentu, vel potius loquacitatis, & ostentationis affectu, ad tumultus, & simultates concitant, quos tumultuantes, atque desidentes componere, sedareque potius oportebat. Cumque

que

que paruulis in Christo lac infundere, prouectis solidum cibum apponere deberent, dum in huiusmodi controuersijs interminatis versantur, omnibus vbera proferunt arentia, quod non absque maledictionis notà legimus in Propheta.

§. 1. Nos igitur, qui prædecessorum nostrorum saluberrima decreta pro viribus salua esse cupimus, potissimum illa, quæ à Sacrosancta Synodo Tridentina denuo sunt confirmata, liberam cuique facultatem relinquentes opinandi huius controuersię quamlibet partem, prout vel magis pium, vel magis probabile esse iudicauerit: prædictorum igitur concionatorum, aliorumque contentioni, atque temeritati, populorũque scãdalis occurrere studentes, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatę petitionis instantiam, sed ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine statutum fœl. recordat. Sixti Quarti Prædecessoris nostri super ea re, quod à pręfata Synodo innouatũ est (illud præsentibus, ac si de verbo ad verbũ esset insertũ pro plenè, & sufficienter expresso, & inserto habentes) Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus.

§. 2. Atque vt deinceps efficaciùs a cunctis obseruetur, perpetuò statuimus, & ordinamus, ac per Apostolica scripta mandamus, quatenus nemo cuiuscunque ordinis, gradus, conditionis, vel dignitatis existat, in popularibus concionibus, vel vbicumque promiscua virorum, & mulierum multitudo conuenire solet, de huius controuersiæ alterutra parte disputare rationibus, vel doctorum auctoritate asserẽdo propriam sententiam, & contrariam refellendo, aut impugnando, vel de hac ipsa quæstione, cuiusuis pietatis, aut necessitatis prætextu vulgari sermone scribere, vel dictare præsumant; qui contrafecerit, suspensionis pœnam à diuinis, absque noua declaratione ipso facto incurrat, si modo fuerit in sacris constitutus, & quocumque prætereca gradu, siue dignitate, vel administratione fungatur, illis omnibus sit ipso iure priuatus, & ad eadẽ, vel similia munera obtinenda, vel obeunda perpetuæ inhabilitatis censuræ ipso etiam facto sit obnoxius, super quibus nisi à Romano Pontifice pro tempore existente dispensari, siue absolui non posit, & nihilominus alijs pœnis, si opus fuerit, à proprio Prælato pro delicti mẽsura infligendis subijciatur, prout subijcimus.

§. 3. Cæterum quamdiu per Apostolicam Sedem altera pars definita non fuerit, oppositaque sententia condemnata, liceat viris doctis in publicis Academiæ disputationibus, siue generalium, aut prouincialium Capitulorum, vel vbi aliàs intersunt, qui rem capere possunt, nec scandali vlla subest occasio, de illa quæstione differere, & argumentis vtram libet partem, vel asserere, vel impugnare, dum tamẽ neutra, veluti erronea prædicetur, seruenturque illa omnia, quæ à dicto Sixto prædecessore nostro statuta sunt, quorum singula, vt præfertur, etiã quantum ad alias pœnas duximus innouanda, & innouamus per præsentes.

§. 4. Vt autem hæc nostra constitutio, & præmissa omnia, ad eorum omnium quorum interest, notitiam congruentiùs peruenire posint; in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna priuationis ab ingressu Ecclesię etiam eo ipso incurrenda, si in his, quæ mandamus, exequendis se negligentes exhibuerint, præcipimus, & mandamus omnibus, & singulis locorum Ordinarijs, ac eorundem Vicarijs suffraganeis, & Officialibus quibuscumque, & alijs singulis, ad quos quomodolibet spectat, & pertinet, quatenus huiusmodi nostram constitutionem singulis suę, Diœcesis, vel districtus prædicatoribus, & alijs quibus expedire iudicauerint, opportunè insinuent, & publicent, ac insinuari, & publicari faciant: & ne quis in posterum, quoquo modo ignorantiam de præmisis posit prætendere, aut se contra præmissa valeat excusare.

§. 5. Volumus, & similiter eadem authoritate decernimus, & mandamus, quòd præsentes litteræ per aliquos ex nostris cursoribus in Basilicarum sancti Ioannis Lateranensis, ac Principis Apostolorum & Cãcelariæ Apostolicæ valuis, ac in acie

Y cam-

campi Floræ de vrbe de more publicētur & affigantur, & illis inde amotis remaneant in eisdem locis earundem exempla affixa: quæ publicatio, & affixio, ita omnes, ad quos expectat, afficiat, & arctet, ac si illis personaliter intimatæ fuissent.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus, ac quibusuis indultis, & litteris Apostolicis, quibusuis personis, etiam quantumcumquè qualificatis, & in quacumque etiam Cardinalatus, Patriarchali, Archiepiscopali, Episcopali, & quauis alia dignitate, & honore constitutis, etiam quòd interdici, suspendi, vel excōmunicari nequeant quomodolibet cōcessis, quæ eis contra præmissa in aliquo suffragari non posse decernimus, cæterisque contrarijs quibuscumque.

§. 7. Volumus insuper, & decernimus quòd præsentes vim perpetuæ, & irrefragabilis constitutionis obtineant, & quòd illarū transumptis, etiam impresis manu alicuius Notarij subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus litteris adhiberetur, si ostensæ, vel exhibitæ forēt regulæ Cancellariæ nostræ Apostolicę quacumque in contrarium disponente non obstante.

§. 8. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginā nostræ confirmationis, approbationis, statuti, ordinationis, mandati, subiectionis, innouationis, præcepti, voluntatis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo, quingentesimo septuagesimo, pridie Kalendas Decembris, Pontificatus nostri anno quinto.

OBSERVATIO.

INcidit Pij V. electio in an. D. 1566. Hæc constitutio extat in Bullario Laerti Cherubini tom. 2. fol. 322. De eius vera intelligen. consule Comitol. lib. 6. respons. Moral. q. 40. Azalam. §. 19. fol. 52. Torres lib. 4. cap. 7. Perlin. disp. 7. cap. 3. Valent. disp. 2. quæst. 1. puncto 2. Vazq. disp. 117. cap. 5. Daza. cap. 19. Pitigian. in. 3. d. 3. q. 1. artic. 5. Torres lib. 4. cap. 7. Vuad. in legat. sect. 2. § 6. orat. 7. Aznar cap. 16. Lezanam cap. 13. Nouarum tom. 1. cap. 344. Porren. cap. 3. Hieronymum Roderic. in Compend. Resolut. 30. fol. 243. Enan. Roder. tom. 1. qq. Regular. q. 57. artic. 1. Cordubam in Quæstionar. quæst. 44. Portel. in dub. regular. fol. 155. Anton de Leon in prœmio fol. 65.


GREGORII. XIII. viuæ vocis oraculum

Anno M.D.LXXXIII.

NOs Guillelmus Sirletus tituli sancti Laurentij in Panisperna S. Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis, per præsentes fidem facimus, & attestamur S.D N. Gregorium XIII. viuæ vocis oraculo nobis facto concessisse, & licentiam dedisse venerabilibus Fratribus ordinis Minorum de obseruantia, dicendi, & recitandi, tam in Missis Conuentalibus, quàm priuatis, officia propria Missarum prędicti ordinis, ad formam missalis Romani, vt infra redacta, & emendata. Datum Romæ in Palatio Apostolico, in loco nostræ solitæ residentiæ 5. Idus Iunij M.D.LXXXIII. Guillelmus Sirletus Cardinalis manu propria.

OBSERVATIO.

EXtat in Missali, seu officijs Fratrum Minorum in omnibus impressionibus. Cùm igitur Gregorius XIII. Creatus fuerit post mortem Pij. V. Reformatoris Breuiarij Romani anno 1572. Ordo missalis Minorum huius decreto fuit correctum, emendatum, & ad normam Romani Missalis dispositus, & sic ab ipso Gregorio XIII. Approbata officia hucusque recitantur.



SIX-

SIXTVS, V.

Anno. M. D. LXXXVIII,

Concessio Sixti. V. quòd fratres, & Moniales ordinis Minorum de obseruantia in Festiuitate CONCEPTIOMIS sanctissimæ Virginis MARIÆ officium eiusdæ recitare possint per totam octauam.

SIxtus Episcopus, seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Ineffabilia beatæ, & gloriosæ semperque Virginis Dei Genitricis MARIÆ meritorum insignia deuotæ considerationis indagine perscrutantes, & intra mentis nostræ arcana reuoluētes, quòd ipsa ex castissimo vtero suo, prout nostre conditionis status, & necessitas exigebat, humani generis edidit saluatorem, apud quem tanquam pia mater, sedulas pro nostre fragilitatis expiatione preces effundere nūquā cessat: dignū profectò, seu potius debitū reputamus, vt fideliū vota in ipsius B. Virginis laudem, & honorem edita ad exauditionis gratiam libenter admittamus. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Minister Generalis Ordinis Fratrum Minorum sancti Frācisci de Obseruantia nuncupatorum tam suo, quàm fratrum dicti ordinis nominibus, quòd cūm omnes dicti ordinis vtriusque sexus personæ, ex ipsius ordinis instituto purissimam ipsius Dei Genitricis Conceptionē deuotissimè celebrare, ac illam condignis laudibus, & honoribus extollere, ac fidelibus predicare, & explanare, ipsiusque festum maxima reuerentia venerari consueuerint, cupiantque pro maiori eorum spirituali consolatione ipsius Conceptionis officium in choro per totam Octauam, vt in festiuitatibus Natiuitatis, & Assumptionis eiusdē Beatæ Virginis ipsi fratres consueuerunt recitare: propterea nobis humiliter supplicari fecerint, eorum pio, & deuoto desiderio annuere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos tam piū, & laudabile propositum ad eiusdem Beatæ Virginis laudem, & honorem fouere volentes, ipsorumque Ministri, & fratrū, atque etiam Monialium erga hanc sacratissimam Virginem deuotionis affectum plurimum in Domino commendantes, huiusmodi supplicationibus inclinati, hæc nostra præsenti constitutione perpetuò eisdem Ministro, ac fratribus, & Monialibus concedimus, quòd omnes, & singuli monasteriorum, & domorū quarumlibet, tam virorum, quàm mulierum per vniuersum orbem consistentium dicti Ordinis Fratres, & Moniales officiū Conceptionis eiusdem Beatæ MARIÆ per totam eius Octauam ad instar officij in Natiuitatis eiusdem Beatæ MARIÆ festiuitate recitari soliti, tā in choro, quàm extra chorum recitare possint, & valeant. Volumus autem, quòd præsentium transumptis, etiam impressis manu alicuius Notarij publici, vel superioris dicti Ordinis subscriptis, & sigillo ipsius Ordinis, vel personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ obsignatis, eadem prorsus fides, vbique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die trigesima Martij 1588. Pontificatus nostri anno tertio.

OBSERVATIO.

SIxtus V. Pon. Maxi. electus ann. 1585. *hac Bulla, quæ habetur in Bullar. Emanuelis Rode. Bull.* 9. *fol.* 450. *concessit Fratribus Minoribus, &c. Vt officium proprium CONCEPTIONIS Nogarolis, quod recitabant solùm in die octaua Decembris, recitarent per totam Octauam, sicut recitabant de Natiuitate, & Assumptione Virginis, de quo infra latè alias constitutiones edidit in fauorē huius mysterij, vt est illa, quæ incipit,* Expositum

tũ nobis,*& extat in Bullar. Emanul. Rode. ad Sixtum V. Bulla 2. fol. 437. edita ann.* 1586. *& illa* Glorioſus Deus, *edita ann.* 1588. *quæ extat in eodem Bulla.* 10. *fol.* 450. *quas quia nihil habent ſpeciale ad præſens inſtitutum, conſultò omittimus.*

PAVLI V. PONT. MAX. viuæ vocis oracalum.

Anno M. DC. IX.

Pompeius miſeratione diuina titul. S. Balbinæ S. R. E. Presbyter, Cardinalis Arigonius nuncupatus, Archiepiſcopus Beneuentanus, totius Ordinis S. Franciſci Protector, Corrector, & Gubernator.

VNIVERSIS, & ſingu'is præſentes litteras inſpecturis, lecturis pariter, & audituris fidem facimus, & atteſtamur, qualiter die decimanona menſis Ianuarij, anno ab Orbe Redempto 1609 Sanctiſsimus Dominus, & in Chriſto Pater D. N. Paulus, diuina prouidentia Papa V. ſuo viuæ vocis oraculo nobis facto ad inſtantiam, & ſupplicationem admodum R. Patris Fr. Ludouici à Sãcto Ioanne Euangeliſta, eiuſdem Ordinis in Romana Curia Cõmiſſarij generalis Vltramontanæ familiæ, propter eximiam deuotionem, quã totus ordo habet in Deiparæ Virginis Immaculatam Conceptionem; conceſsit, quòd omnes Fratres totius Ordinis ſupradicti omnibus diebus Sabbati, feſto nouẽ lectionum non impeditis poſsint recitare officiũ Immaculatæ Cõceptionis, quod incipit, *Sicut lilium*, &c. Sub ritu ſemiduplicis. In quorum omnium, & ſingulorũ fidem, ac teſtimonium præmiſſorũ præſentes manu noſtra ſubſcriptas per Secretarium noſtrum ſubſcribi, ac ſigillo, quo vtimur in ſimilibus, iuſsimus communicari. Datũ Romæ in palatio noſtro ſolitæ reſidẽtiæ ſub anno partæ ſalutis 1609 die vigeſima prima Ianuarij, Pontificatus eiuſdem ſantiſsimi D. N. anno quarto. P. Card. Arigonius Protector.

OBSERVATIO.

EXtat hoc viuæ vocis oraculum ſubſcriptũ à Franciſco Ferentillo Secretario in principio ferè omniũ Breuiariorũ Ordin. Minor, præcipuè Antuerpiæ excuſſum ann. 1636. *Matr.* 1611. *& Romæ ex Typographia Reueren. Camer. Apoſtolica.*

PAVLVS PAPA V.

Anno M. DC. XV.

VNIVERSIS Chriſti fidelibus præſentes litteras inſpecturis ſalutẽ, & Apoſtolicam benedictionem. Ad augendam fidelium religionem, & animarũ ſalutẽ, & cæleſtibus Eccleſiæ theſauris pia charitate intenti omnibus vtruſq; ſexus Chriſti fidelibus, qui Antiphonã, & orationem Conceptionis Beatæ MARIÆ Virginis approbatã deuotè recitauerint, quo die id egerint, centum dies de iniunctis eis, ſiue aliàs quomodolibet debitis pœnitentijs in forma Eccleſiæ conſueta, relaxamus, præſentibus perpetuis temporibus valituris. Volumus autẽ, vt ſi aliàs Chriſti fidelibus præmiſſa peragentibus, aliquã aliam indulgentiã perpetuò, vel ad tempus nondũ elapſum duraturam conceſſerimus, præſentes nullæ ſint. Dat. Rom. apud Sanctã Mariam Maiorẽ, ſub annulo Piſcatoris, die X. Iulij 1615. Pontificatus noſtri anno vndecimo. Scipio Cobellutius. Gratis, & pro Deo.

OBSERVATIO

PAulus V. Sum. Pontif. Max. auguratus ann. 1605. *fecit præſentem conceſsionem ad petitionem Generalis Minorum. Extat hæc Bulla in regiſtro ordinis Minorum fol.* 129. *præſentata, & admiſſa Matriti apud D. D. Martinum de Cordoua Commiſſarium generalem Sanctæ Cruciatæ. Antiphona verò approbata à ſanctiſsimo D. N. Paulo illa eſt, quæ habetur in officio Fratrũ Minorũ in ſecũdis Veſperis ad quintũ Pſalmũ, ſcilicet:* Hæc eſt virga, in qua nec nodus originalis, nec cortex actualis culpę fuit. *Quæ ſecun-*

secundùm aliquos composita fuit à S. Ambrosio. Vide Bernardinum de Bustos serm. 5. de Concept. par. 2. Alij tribuunt S. Bernardo, vt Biuar, §. 10 fol. 142. Cui Sixtus IV. Pont. Max. vt referunt Galatinus lib. 7. de arcanis, & Biuar loco citato, addidit versiculum in CONCEPTIONE tua, Virgo IMMACVLATA fuisti. *Resp.* Ora pro nobis Patrem, cuius Filium peperisti. *& orationem:* Deus qui per IMMACVLATAM Virginis CONCEPTIONEM &c. *Hanc ergo Antiph. versic & orationem dicentibus concessit prædictas indulgentias, vt constat ex attestatione R. P. F. Ioanneti ni Niño Secretarij Generalis Reuerendiss. P. Antonij de Trexo Ordinis Minorũ. Data Matriti anno 1616. De hac indulgentia agit Miranda q. 17. fol. 395. P. Ojeda cap. 16. fol. 66. Porrennus cap. 3. Torres lib. 4. cap. 8. fol. 338. Biuar, vbi supra, Hieronym. Rodrig. in Compend. Resolut. 30 fol. 249.*

PAVLVS PAPA V.

Anno M.DC.XVI.

S. D. N.

D. PAVLI DIVINA PROuidentia Papæ Quinti constitutio innouans alias editas constitutiones de CONCEPTIONE Beatissimæ Virginis MARIÆ.

CONSTITVTIONVM à Sixto IV. & Pio V. de CONCEPTIONE Beatæ MARIÆ Virginis editarũ innouatio, impositioque maiorum pœnarum in transgressores à locorum Ordinarijs, & hæreticæ prauitatis Inquisitoribus puniendos.

Paulus Papa Quintus ad perpetuam rei memoriam.

REgis pacifici; quamquam nullo nostro merito diuina dispensatione vices gerentes in terris, ex muneris nostri debito, pacis, & concordiæ inter Christi fideles, præsertim Ecclesiasticas personas, quæ alijs in viam pacis dirigendo, & in vnitate spiritus continendo sunt præpositæ, conseruationi sedulo inuigilare cupientes, ea; quæ à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus ad scandalorum semina tollenda salubriter constituta sunt, cum hostis antiqui insidijs, qui ab initio dissidia serere cępit, minimè obseruati, aut varijs modis eludi dignoscũtur, vt inuiolata seruentur, opportunis remedijs, quantum cum Domino possumus, prouidemus. Olim siquidem per fœlicis recordationis Sixtum Papam IV. prædecessorem nostrum accepto, quòd nonnulli diuersorum ordinum Prædicatores in suis sermonibus ad populum publicè per diuersas ciuitates, & terras affirmare non erubuerant, & quotidie prædicare non cessabant, omnes illos, qui tenebant, aut asserebant, gloriosam, & IMMACVLATAM Dei Genitricem absque originalis peccati macula fuisse conceptam, mortaliter peccare, vel esse hæreticos, eiusdemque IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS officium celebrantes, audientesque sermones illorum, qui eam sine huiusmodi macula cõceptam esse affirmabant, grauiter peccare: sed & prædictis prædicationibus non contenti, confectos super eisdem suis assertionibus libros in publicum ediderant, ex quorum assertionibus, & prædicationibus non leuia scandala in mentibus fidelium exorta erant, & maiora merito exoriri formidabantur in dies. Idem Sixtus prædecessor huiusmodi temerarijs ausibus, & peruersis assertionibus, & scandalosis, quæ ex inde in Dei Ecclesia exoriri poterant, obuiare volens, huiusmodi assertiones Prædicatorum eorundem, & aliorum quorumlibet, qui affirmare præsumerent, eos, qui crederent, aut te-

tenerent, eandem Dei Genitricem ab originalis peccati macula in sua conceptione præseruatam fuisse, propterea alicuius hæresis labe pollutos fore, vel mortaliter peccare, aut huiusmodi officium Conceptionis celebrantes, seu huiusmodi sermones audientes alicuius peccati reatum incurrere, vtpotè falsas, & erroneas, & à veritate penitus alienas, editosquè desuper libros prædictos id continentes, quoad hoc reprobauit, & damnauit, ac statuit, & ordinauit, quòd Prædicatores Verbi Dei, & quicumque alij cuiuscumque status, gradus, aut ordinis, & conditionis essent, qui ausu temerario præsumerent in eorum sermonibus, ad populum, seu aliàs quomodolibet affirmare, huiusmodi sic per eum improbatas, & damnatas assertiones veras esse, aut dictos libros pro veris legere, tenere, vel habere, excommunicationis sententiam eo ipso incurrerent, à qua ab alio, quàm à Romano Pontifice, nisi mortis articulo nequirent absolutionis beneficium obtinere; similiquè pœnæ, & censuris subiecit eos, qui ausi essent asserere contrariam opinionem, tenentes, videlicet gloriosam Virginem MARIAM cum originali peccato fuisse conceptam, hæresis crimen, vel peccatum incurrere mortale, cum nondum id esset à Romana Ecclesia, & Apostolica Sede decisum. Hanc verò Sixti prædecessoris constitutionē Oecumenica Tridentina Synodus postea innouauit, ac deinde similis recordationis Pius Papa Quintus, etiam prædecessor noster, statuit, & ordinauit, & mandauit, quatenus nemo cuiuscumque ordinis, vel dignitatis existeret, in popularibus concionibus, vel vbicumque promiscua virorum, & mulierum multitudo conuenire solet, de huius controuersiæ alterutra parte disputare rationibus, vel doctorum auctoritate asserendo propriam sententiam, & contrariam refellendo, vel impugnando, aut de hac ipsa quæstione cuiusvis pietatis, aut necessitatis prætextu vulgari sermone scribere, vel dictare præsumeret; qui contra faceret, suspensionis pœnam à diuinis absque noua declaratione ipso facto incurreret, si modo esset in sacris constitutus, & à quocūque prætera gradu, siue dignitate, vel administratione fungeretur, illis omnibus foret ipso iure, priuatus, & ad eadem, vel similia munera obtinenda, vel obeunda perpetuo inhabilitatis censuræ ipso etiam facto obnoxius foret; super quibus nisi à Romano Pontifice pro tempore existente dispensari, siue absolui non posset, & nihilominus alijs pœnis, si opus foret, à proprio Prælato pro delicti mensura infligendis subiectus esset, prout subiecit. Cæterum quamdiu per Apostolicam Sedem altera pars diffinita non esset, oppositaquè sententia condemnata, liceret viris doctis in publicę Academiæ disputationibus, siue Generalium, aut Prouincialium capitulorum, vel vbi aliàs interessent, qui rem capere possent, nec scandali vlla subesset occasio, de illa quæstione differere, & argumētis vtramlibet partem, vel asserere, vel impugnare, dum tamen neutra, veluti erronęa prædicaretur, seruarenturquè illa ōmnia, quæ à dicto Sixto prædecessore statuta sunt, quorum singula etiam quantum ad alias pœnas duxit innouanda, & innouauit, prout in Sixti, & Pij prædecessorum litteris desuper confectis pleniùs continetur. Verum licèt hæc prouidè statuta sint, nihilominus, sicut accepimus, nonnulli in diuersis Christiani Orbis partibus interminatis quæstionibus nimis intenti, dissensionum huiusmodi iam pridem Ecclesiæ disciplinæ, vigore recissa germina coalescere procurant, indequè, contentiones, & rixæ non sine Dei offensa, & scandalo plurimorum exortæ sunt, & grauiores in dies, ne exoriantur periculum est, nisi à nòbis opportūnè prouideatur. Quamobrem motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris constitutionum Sixti, & Pij prædecessorum huiusmodi veriores tenores præsentibus, pro expressis, & ad verbum insertis habentes, easdem constitutiones Apostolica auctoritate, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, & etiam

etiam quoad earum pœnas quascumque, etiam absolutionis reseruationem innouamus, & inuiolabiliter ab omnibus, etiam regularibus cuiuscumque ordinis, & instituti, & alijs quibuscumque, tam Ecclesiasticis, quàm secularibus personis cuiusvis status, gradus, ordinis, & cōditionis, aut dignitatis, tam Ecclesiasticę, quàm secularis, etiam si specialis, specifica, & indiuidua earum esset necessariò facienda mentio, obseruari præcipimus, & mandamus, donec à Romana Apostolica Sede huiusmodi controuersia fuerit definita. Ac prætereà siquis quouis modo contrauenerit, præter supra dictarum constitutionum pœnas respectiuè ipso facto incurrendas, etiam concionandi, publicè legendi, seu docendi, & interpretandi facultate, ac voce actiua, et passiua in quibuscumque electionibus eo ipso absque alia declaratione, priuatus existat, necnon ad concionandum, et publicè legendum, docēdum, et interpretandum perpetuæ inhabilitatis pœnas similiter ipso facto incurrat, à quibus nō nisi à nobis ipsis, vel successoribus nostris Romanis Pontificibus pariter absolui, seu super ijs dispensari possit, et nihilominus alijs pœnis nostro, et eorumdem Romanorum Pontificum successorum nostrorum arbitrio infligēdis subijciatur, prout eum subijcimus per præsentes. Et contra huiusmodi transgressores, etiam regulares cuiusvis ordinis, et instituti, etiam quomodolibet exemptos, et alias quascumque Ecclesiasticas, et seculares personas cuiuscumque status, gradus, ordinis, aut dignitatis, tam Ecclesiasticæ, quàm secularis, vt præfertur, tam Episcopi, et Prælati superiores, alijquè Ordinarij locorum, quàm hæreticæ prauitatis vbique locorum deputati Inquisitores procedant, et inquirant, atque in eos seuerè animaduertant. Nos enim ijs, et eorum cuilibet, contra eosdem transgressores procedendi, et inquirendi, ac pœnis coercendi, et puniendi liberam facultatem, et auctoritatem ijsdem auctoritate, et tenore tribuimus, et impertimur, eosque, vt præfertur, procedere, inquirere, et punire præcipimus, et mandamus. Non obstantibus ijs, et singulis, quæ tam Sixtus, quàm Pius prædecessores prædicti in litteris suis huiusmodi voluerunt non obstare, quibus omnibus, et singulis eorum tenoribus præsentibus pro plenè, et sufficienter expressis, et ad verbum insertis habentes hac vice dumtaxat specialiter, et expressè derogamus, cæterisquè contrarijs quibuscumque. Et ne præmissorum ignorantia à quoquam prætendi possit, volumus, et dicta auctoritate decernimus, quòd præsentes litteræ, seu illarum exempla ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, in acie Campi Florę affixa omnes ita arctent, et afficiant, perinde, ac si vnicuique personaliter intimatæ fuissent, quodquè præsentium transumptis etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, et sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctam Mariam maiorem, sub annulo Piscatoris, die vj. Iulij millesimo sexcentesimo decimo sexto Pontificatus nostri anno duodecimo. S. Cobellutius.

OBSERVATIO.

Electus fuit Paulus V. an. 1605. *Extat hæc Bulla apud Laert. Cherub. in Append. to.* 3. *fol.* 68. *& Vuading. in legatione fol.* 6. *De ea agunt Miranda in tract. Lat. quæst.* 17. *& Hisp. cap.* 75. *D. Sosa fol.* 22. *Torres lib.* 4. *cap.* 7. *Castill. disputat.* 2. *q.* 1. *Daza cap.* 19. *Ojeda cap.* 16. *Salaz. cap.* 42. *arg.* 12. *Lezana cap.* 13. *Embid. cap.* 16. *Ægid. de Præsent. lib.* 3. *Hippolytus Marrac. cap.* 93. *Tamai. de Salazar ad an.* 1616. *& alij quàm plurimi.*



PAV-

PAVLVS V.

Feria quinta die xxxj. Auguſti à Natiuitate Domini noſtri Ieſu Chriſti M.DC.XVII.

In Generali Congregatione ſanctæ Romanæ, & vniuerſalis Inquiſitionis, habita in Palatio Apoſtolico in Monte Quirinali coram ſanctiſsimo noſtro Domino Paulo, diuina prouidentia Papa V.

SAnctiſsimus Dominus noſter, poſt longam, & maturam diſcuſsionem, auditis votis Illuſtriſsimorum, & Reuerendiſsimorum Dominorum Cardinalium, contra hæreticam prauitatem Generalium Inquiſitorum, re accuratè, ac diligenter perpenſa, prouidè conſiderans, quòd quamuis in conſtitutione fœlicis recordationis Sixti Quarti ſuper CONCEPTIONE Beatiſsimæ Virginis MARIÆ (pro ſubmouendis inter Chriſti fideles, ſcandalis, rixis, & contentionibus) edita à ſancta Tridentina Synodo innouata, & deinde in alia conſtitutione ſanctæ memoriæ Pij Quinti ſuper eadem re, quam ſimiliter ſanctitas ſua innouauit cum quibuſdam prouiſionibus, & adiectionibus pœnarum pro efficaciori earum obſeruatione, relinquatur vnicuique libera facultas tenendi, & etiam aſſerendi vtramque partem, quòd ſcilicet fuerit, vel non fuerit concepta cum peccato originali, dum tamen neutra, veluti erronea, aut hæretica damnetur, nihilominus ex occaſione aſſertionis affirmatiuæ in publicis concionibus, lectionibus, concluſionibus, & actibus publicis, quòd eadem Beatiſsima Virgo MARIA fuerit concepta cum peccato originali, oriuntur in populo Chriſtiano cum magna Dei offenſa, ſcandala, iurgia, & diſſenſiones: Propterea volens huiuſmodi ſcandalis ex debito ſui muneris prouidere, decreuit, & præcepit, ac præſentis decreti virtute mandat, & præcipit omnibus, & ſingulis cuiuſvis ordinis, & inſtituti regularibus, & alijs quibuſcumque, tam Eccleſiaſtici, quàm ſecularis, etiam ſi ſpecialis, ſpecifica, & indiuidua eorum neceſſariò eſſet facienda mentio, vt in poſterum, donec articulus huiuſmodi à ſancta Sede Apoſtolica fuerit definitus, vel per ſanctitatem ſuam, & Sedem Apoſtolicam fuerit aliter ordinatum, non audeant in publicis concionibus, lectionibus, concluſionibus, & alijs quibuſcumque actibus publicis aſſerere, quòd eadē Beatiſsima Virgo MARIA fuerit concepta cum peccato originali. Contra facientes eadem ſanctitas ſua voluit, & declarauit ſubiacere debere, & ſubiecit cēſuris, & pœnis contentis in ſupradictis cōſtitutionibus ſuorum prædeceſſorum, & ſua, ipſo facto incurrendis. Per huiuſmodi tamen prouiſionem ſanctitas ſua non intendit reprobare alteram opinionem, nec ei vllum prorſus præiudicium inferre, eam relinquens in eodem ſtatu, & terminis, in quibus de præſenti reperitur, præter quam quoad ſupra diſpoſita. Vlterius ſub eiſdem cenſuris, & pœnis, mandans, quòd negatiuam opinionem, videlicet quòd non fuerit concepta cum peccato originali, in prædictis publicis actibus aſſerentes, aliam opinionem non impugnent, nec de ea aliquo modo agāt, ſeu tractent. Inſuper voluit, & expreſsè mandauit, vt extra hos caſus publicorum actuum in reliquis omnibus ſupradictæ conſtitutiones, firmæ, et illæſæ remaneāt, et exactè obſeruentūr; perinde, ac ſi præſens decretum non emanaſſet. Et ita decreuit, et mandauit, vbique inuiolabiliter obſeruari, non obſtātibus in hac parte ſupradictis conſtitutionibus, et alijs omnibus in contrarium facientibus; volens, et decernens pro obſeruatione, et executione præſentis decreti, et omnium in eo contentorum, quòd contra huiuſmodi tranſgreſſores, et etiam regulares cuiuſvis ordinis, et inſtituti, etiam quomodolibet exemptos, et alias quaſcumque Eccleſiaſticas, et ſeculares perſonas cuiuſcumque ſta-

ſtatus, conditionis, gradus, ordinis, aut dignitatis, tam Eccleſiaſticæ, quàm ſecularis, tam Epiſcopi, & prælati ſuperiores, & alij Ordinarij locorum, quàm hæreticæ prauitatis vbique locorum deputati Inquiſitores procedant, & in eos ſeuerè animaduertant, tribuens eis, & eorum cuilibet liberam facultatem, & auctoritatem contra eoſdem tranſgreſſores procedendi, & pœnis coercendi, puniendi, &c. Voluit demum ne præmiſſorum ignorantia à quoquam prætendi poſſit, quòd præſens decretum, ſeu illius exemplar ad valuas Principis Apoſtolorum de Vrbe, & in acie Campi Floræ affixa omnes ita arctent, & afficiant; perinde ac ſi vnicuique perſonaliter intimata fuiſſent, quodque præſentium tranſumptis, etiam impreſsis, manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Andræas de Perinis ſanctæ Romanæ, & vniuerſalis Inquiſitionis Notarius.

OBSERVATIO.

SVperius decretũ integrum adducunt Vuading. in legatione fol. 14. D. Serranus in proœm. fol. 3. Daza init. lib. de Cõcep. Guerrerus de Eſpinar diſp. 21. fol. 278. Torres lib. 4. cap. 9. Qui verò illud allegant, vel explicant, & ex eo pro IMMACVLATA CONCEPTIONE argumentum ducunt, ſunt ferè omnes in præcedentibus obſeruationibus citati.

GREGORIVS XV.
Anno M.DC.XXII.

OMNIBVS, ET SINGVlis perſonis Eccleſiaſticis, tam ſecularibus, quàm cuiuſvis ordinis, & inſtituti regularibus mãdat, ac præcipit, vt in ſacroſancto Miſſæ ſacrificio, ac diuino officio celebrandis, tam publicè, quàm priuatim, nõ alio, quã CONCEPTIONIS nomine vti debeant.

Forma conſtitutionis hæc eſt.

FEria iij. die xxiv. Maij, anno à Natiuitate Domini noſtri Ieſu Chriſti M.DC.XXII. In Generali Congregatione ſanctæ Romanæ, & vniuerſalis Inquiſitionis, habita in Palatio Apoſtolico in Monte Quirinali, coram S.D.N. Gregorio diuina prouidentia Papa XV. ac Illuſtriſsimis, & Reuerẽdiſs. DD. S.R.E. Card. aduerſus hæreticam prauitatem Inquiſitoribus à ſancta Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.

Sanctiſsimus D.N. auditis votis Illuſtriſsimorum, & Reuerendiſsimorũ DD. Cardinalium contra hæreticam prauitatem Generalium Inquiſitorum, decretũ aliàs editum à fœlicis recordationis Paulo V. eius prædeceſſore tenoris ſequentis, videlicet.

Sanctiſsimus Dominus noſter, poſt lõgam, & maturam diſcuſsionem, auditis votis Illuſtriſsimorum, & Reuerendiſſ. DD. Cardinalium cõtra hæreticam prauitatẽ Generalium Inquiſitorum, re accuratè, & ligenter perpenſa, prouidè conſiderans, quod quamuis in conſtitutione fœlicis recordationis Sixti Quarti ſuper CONCEPTIONE Beatæ Virginis MARIÆ pro ſubmouẽdis inter Chriſti fideles ſcandalis, rixis, & contentionibus edita, à ſancta Tridentina Synodo innouata, & deinde in alia conſtitutione ſanctiſsimi Pij V. ſuper eadem re, quas ſimiliter ſanctitas ſua innouauit cum quibuſdam prouiſionibus, & adiectionibus pœnarum pro efficaciori earum obſeruatione, relinquatur vnicuique libera facultas tenendi, & etiam aſſerendi vtramque partem, quòd ſcilicet fuerit, vel non fuerit concepta cum peccato originali, dum tamen neutra, veluti erronea, aut hæretica damnetur; nihilominus ex occaſione aſſertionis affirmatiuæ in publicis concionibus, lectionibus, cõcluſionibus, & actibus publicis, quòd eadẽ Beatiſsima Vir-

go fuerit cum peccato originali concepta, oriuntur in populo Chriſtiano cum magna Dei offenſa, ſcandala, iurgia, & diſſenſiones. Propterea volens huiuſmodi ſcandalis, ex debito ſui muneris prouidere, decreuit, & præcepit, ac præſentis decreti virtute mandat, & præcipit omnibus, & ſingulis cuiuſvis ordinis, & inſtituti Regularibus, & alijs quibuſcũque, tam Eccleſiaſticis, quàm ſecularibus perſonis cuiuſvis conditionis, ſtatus, gradus, ordinis, aut dignitatis, tam Eccleſiaſticæ, quàm ſecularis, etiam ſi ſpecialis, ſpecifica, & indiuidua earum eſſet neceſſariò mentio facienda; vt in poſterum, donec articulus huiuſmodi à ſancta Sede Apoſtolica fuerit definitus, aut per Sanctitatẽ ſuam, & Sedem Apoſtolicam fuerit aliter ordinatum, non audeant in publicis concionibus, lectionibus, concluſionibus, & alijs quibuſcumque actibus publicis aſſerere, quòd eadem Beatiſsima Virgo fuerit concepta cum peccato originali. Cõtra facientes autem, eadem Sanctitas ſua voluit, & declarauit ſubiacere debere, & ſubiecit cenſuris, & pœnis contentis in ſupra dictis cõſtitutionibus ſuorum prædeceſſorum, & ſua, ipſo facto incurrendis. Per huiuſmodi tamen prouiſionem Sanctitas ſua non intendit reprobare alteram opinionem, nec illi vllum prorſus præiudicium inferre, eam relinquens in eiſdem ſtatu, & terminis, in quibus de præſenti reperitur, præter quam quoad ſupra diſpoſita. Vlteriùs ſub eiſdẽ cenſuris, & pœnis mandans, quòd negatiuam opinionem, videlicet, quòd nõ fuerit concepta cum peccato originali, in prædictis publicis actibus aſſerentes, aliã opinionem non impugnent, nec de ea aliquo modo agant, ſeu tractent. Inſuper voluit, & expreſsè mandauit, vt extra hos caſus expreſſos publicorum actuum, in reliquis omnibus ſupradictæ conſtitutiones firmæ, & illæſæ remaneant, & exactè obſeruentur, perinde ac ſi præſens decretum non emanaſſet, & ita decreuit, & mandauit vbique inuiolabiliter obſeruari, non obſtantibus in hac parte ſupradictis conſtitutionibus, & alijs omnibus in contrarium facientibus, &c.

Hoc ſuo præſenti decreto ex eiſdem cauſis euitandi ſcandala, diſſenſiones, atque diſcordias in populo Chriſtiano, quæ pari ratione oriri poſſunt, & vt accepit, in aliquibus regionibus iam orta ſunt ex ſermonibus priuatis occaſione aſſertionis affirmatiuæ; extendit, & ampliauit etiam ad priuata colloquia, & ſcripta, mandans, & præcipiens omnibus, & ſingulis ſupradictis, ne de cætero, donec articulus huiuſmodi à Sede Apoſtolica diffinitus, vel per Sanctitatẽ ſuã, & Sedem Apoſtolicam fuerit aliter ordinatum, neque etiam in ſermonibus, & ſcriptis priuatis audeant aſſerere, quòd eadem Beatiſsima Virgo fuerit concepta cum peccato originali, nec de hac opinione affirmatiua aliquo modo agere, ſeu tractare, exceptis tamen, quibus à ſancta Sede Apoſtolica fuerit ſuper hoc ſpecialiter indultum. Per hoc tamen Sanctitas ſua nõ intendit reprobare hanc opinionem, nec ei vllum prorſus præiudicium inferre, eam relinquens in eiſdem ſtatu, & terminis, in quibus reperitur, præter quam quoad in ſupra dicto fœlicis recordationis Pauli V. & hoc ſuo decreto diſpoſita. Eademque Sanctitas ſua voluit, & expreſsè mandauit, vt in reliquis omnibus, vbi huiuſmodi decretis non aduerſantur, conſtitutiones Sixti IV. Alexandri VI. & Pij V. ac Pauli V. eius prædeceſſorum ſuper CONCEPTIONE Beatiſsimæ Virginis MARIÆ firmę, & illibatæ remaneant, ac exactè obſeruentur; perinde ac ſi huiuſmodi decretum non emanaſſet. Et inſuper eadem Sanctitas ſua, cum ſancta Romana Eccleſia de Beatiſsima, & Intemerata Virginis MARIÆ CONCEPTIONE feſtum ſolemniter, & officium celebret, omnibus, & ſingulis perſonis Eccleſiaſticis, tam ſecularibus, quã cuiuſvis ordinis, & inſtituti Regularibus mandat, ac præcipit, vt in ſacroſancto Miſſæ ſacrificio, ac diuino officio celebrandis, tam publicè, quàm priuatim, nõ alio, quàm Conceptionis nomine vti debeant. Contrauenientes autem, Sanctitas ſua voluit, & declarauit ſubiacere debere, & ſubiecit cenſuris, & pœnis cõtentis

in supra dictis constitutionibus, ac præfato decreto suorum prędecessorum ipso facto incurrendis. Et ita decreuit, & mādauit vbique inuiolabiliter obseruari; nō obstantibus in hac parte cōstitutionibus suprascriptis, decreto præfato Pauli V. consuetudinibus etiam immemorialibus, necnon omnibus, & singulis, quæ prædecessores prædicti voluerunt non obstare, ac alijs quibuscumque in contrarium facientibus. Volens, & decernens pro obseruatione, & executione præsentis decreti, & omnium in eo contentorum, quòd contra huiusmodi transgressores, etiam Regulares cuiusvis ordinis, & instituti, etiam quomodolibet exemptos, & alias quascumque Ecclesiasticas, et seculares personas cuiuscumque status, conditionis, gradus, ordinis, aut dignitatis, tam Ecclesiasticæ, quàm secularis, tam Episcopi, et Prælati superiores, alijquè Ordinarij locorum, quàm hæreticæ prauitatis vbique locorum deputati Inquisitores procedant, et in eos seuerè animaduertant; tribuens eis, et eorum cuilibet liberam facultatem, et auctoritatem contra eosdem transgressores procedendi, ac pœnis coercendi, et puniendi. Voluit demum, ne præmissorum ignorantia à quoquam prætendi possit, quòd præsens decretum, seu illius exempla ad valuas Basilicę Principis Apostolorum de Vrbe, et in acie Campi Floræ affixa omnes ita arctent, et afficiant, perinde ac si vnicuique personaliter intimata fuissent, quodque pręsentium transumptis etiam impressis manu Notarij publici subscriptis, et sigillo alicuius personę in dignitate Ecclesiastica constitutę munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quę pręsentibus adhiberetur, si forent exhibitę, vel ostensę. Andręas de Pettinis, sanctę Romanę, et vniuersalis Inquisitionis Notarius.

OBSERVATIO.

GRegorius XV. Pont. Max. electus an. 1621. prædictum decretum promulgauit anno sequenti, cuius plurima, tam apud scriptores, quàm seorsim exempla passim extant. De ipso tractant ex professo D. Serran. in proœm. lib. de Immac. Concep. fol. 5. Vuading. in legat. sect. 4. fol. 446. Hipolyt. Marraccius cap. 94 fol. 228. Portel in dub. regul. fol. 156. Simanc. in epist. ad Innocent. X. Tamar. de Salaz. ad an. 1622. Castill. to. 1. disput. 2. quæst. 1. n. 46. Nouat. to. 1. quæst. 3. cap. 3. Lezana cap. 13. Miran. cap. 75. & quotquot de Immacul. Concept. post prædictum annum scripsère.

GREGORIVS PP. XV.

Philippo Regi Hispaniarum.

REGIS CATHOLICI erga Beatiss. Virginis CONCEPT. studium impensè commendat, suamquè mentem in procedendo circa hanc materiam aperit.

CHarissime in Christo Fili noster, salutem, et Apostolicam benedictionem. Catholicæ religionis decus, et Austriacæ pietatis argumētum est, Regē potētissimum, cui vtriusque Orbis Prouinciæ amplissimæ famulantur, tantò studio sanctorū laudibus, et B. Virginis dignitati inseruire. Benedicimus Maiestati tuæ, charissime Fili, dignāquè tibi à dominātiū Domino regia pietate fœlicitatē precamur. Sanè tibi, et populorum fidem, et hostium oppressionem polliceri haud temere possumus, cùm eius tibi Virginis patrocinium conciliare studes, quā terribilē esse, vt castrorum aciem ordinatā, diuina oracula testantur. Vix dici potest, quātò nos gaudio cumularint nuperæ litteræ Maiestatis tuæ de Immaculata Deiparæ Cōceptione disserentes. O Curam Catholico Rege dignā, et Christi Vicario gratissimā! Nequid tamen noui tanta in re decernatur in pręsentia, monet, tum negotij magnitudo, tum Romanorū Pōtificū prædecessorū nostrorū exēplū. Spiritus sancti enim voci auscultare; nō humanarum rationum ponderibus rem examinare debemus, qui in diuinæ sapientiæ ca-

cathedra Chriſtiano Orbi à Deo præfecti ſumus. Quare cùm nondum æterna ſapientia Eccleſiæ ſuæ tanti myſterij penetralia patefecerit, in Dei, Romanorũquè Pontificum auctoritate debent fideles populi conquieſcere. Magni tamen apud nos ponderis fuerunt preces Maieſtatis tuæ, tantumquè negotium iterum, accuratiuſquè penſauimus, aliquod tibi, regniſquè tuis ſolatium afferre cupientes. Tum autem valdè timuimus, ne veterator ille ſerpens, qui boni, maliquè ſcientiam proprijs Parentibus pollicens maximis humanum genus miſerijs cumulauit, ipſius pietatis armis abutatur ad Chriſtianæ plebis pacem dirimendam. Quæ enim opinionum diſſenſio eſt, fieri poteſt animorum contentio, dum magnificum victoriæ genus pleriſquè videtur, vbi quid in controuerſiam venit, de aliorum ingenijs triumphare. Quare diſsidiorum ſemina extinguere cupientes, antequam aſperior in iſtis prouincijs pullulet zizanij prouentus, ingeniorum peruicaciam, libertatemquè differendi Pontificio decreto coercendam cenſuimus. Ex eo, & ex dilectis filijs, nobilibus viris oratoribus tuis Comite Montis Regij, & Duce Albulquerque mentem noſtram vberiùs cognoſcet Maieſtas tua. Cùm enim nobis regiam petitionem elegantiſsimè exponerent, luculenter intelligere potuerunt, quàm inuiti refragemur, & quàm alacriter ſemper gratificaturi ſumus tantò Regi, quem Europæ ornamentum, & Catholicæ Eccleſiæ gaudium eſſe arbitramur, ac Maieſtati tuæ Apoſtolicam benedictionem amãtiſsimè impertimur. Datum Romæ apud ſanctam Mariam maiorem, ſub annulo Piſcatoris, die 4. Iunij 1622. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

OBSERVATIO.

Extat apud P. Lucam Vuad. in legatione ſect. 4. fol. 451. ſcripta poſt datum decretum, ſupra relatum.

GREGORIVS PP. XV.

Anno M.DC.XXII.

Ad futuram rei memoriam.

Concedit fratribus Ord. Præd. vt in priuatis colloquijs, & conferẽtijs inter ſe dumtaxat tractare poſsint de materia Conceptionis Beatiſsimæ Virginis MARIÆ.

Eximij, atque ſingulares fructus, quos dilecti filij fratres Ordinis Prædicatorum in militãti Eccleſia, cuius regimini diuina diſponente clementia præſidemus, attulerunt, & indies afferũt, promerentur, vt eoſdem fratres ſpecialibus fauoribus, & gratijs, quantũ cum Domino poſſumus, libẽter proſequamur. Aliàs ſiquidẽ fœlicis recordationis Paulus PP. V. prædeceſſor noſter, poſt longã, & maturam diſcuſsionẽ, auditis votis Ven. fratrum noſtrorum, tunc ſuorum, ſanctæ Romanæ Eccleſię Cardinaliũ contra hæreticam prauitatem Generalium Inquiſitorum re accuratè, & diligenter perpenſa prouidè conſiderans, quòd quamuis in conſtitutione fœlicis recordationis Sixti PP. IV. etiam prædeceſſoris noſtri ſuper CONCEPTIONE Beatæ Virginis MARIÆ pro ſubmouendis inter Chriſti fideles, ſcandalis, rixis, & contentionibus edita, à ſancta Tridentina Synodo innouata, & deinde in alia conſtitutione ſanctæ memoriæ Pij PP. V. ſimiliter prædeceſſoris noſtri ſuper eadem re, quas idẽ Paulus prædeceſſor innouauit, cum quibuſdam prouiſionibus, & adiectionibus pœnarum, pro efficaciori earũ obſeruatione, relinquebatur vnicuique libera facultas tenendi, & etiam aſſerendi vtramque partem, quòd ſcilicet fuerit, vel non fuerit cõcepta cũ peccãto originali, dũm tamen neutra veluti erronea, aut hæretica damnaretur: nihilominus ex occaſione aſſertionis affirmatiuæ in publicis cõcionibus, lectionibus, concluſionibus, & acti-

actibus publicis, quòd eadem Beatissima Virgo fuerit cũ peccato originali cõcepta, oriebantur in populo Christiano cum magna Dei offensa, scandala, iurgia, & dissensiones: propterea volẽs huiusmodi scãdalis ex debito sui muneris prouidere, decreuit, & præcepit omnibus, & singulis cuiusuis ordinis, & instituti Regularibus, & alijs quibuscumque, tam Ecclesiasticis, quàm sæcularibus personis cuiusuis cõditionis, status, gradus, ordinis, aut dignitatis, tam Ecclesiasticæ, quàm sæcularis; etiã si specialis, specifica, & indiuidua earum esset necessariò mẽtio faciẽda, vt in posterum, donec articulus huiusmodi à sancta Sede Apostolica fuerit diffinitus, vel per eundem Paulũ prædecessorem, & Sedem Apostolicã fuisset aliter ordinatũ, nõ audeant in publicis cõcionibus, lectionibus, conclusionibus, & alijs quibuscũque actibus publicis asserere, quòd eadem Beata Virgo fuerit Concepta cum peccato originali. Contrafaciẽtes autem dictus Paulus prædecessor voluit, & declarauit, subiacere debere, & subiecit censuris, & pœnis cõtẽtis in supradictis cõstitutionibus suorum prædecessorum, & sua ipso facto incurrendis. Per huiusmodi tamen prouisionem idem Paulus prædecessor non intendit reprobare alteram opinionem, nec ei vllum prorsus præiudiciũ inferre, eam relinquẽs in eisdẽ statu, & terminis, in quibus tunc reperiebatur, prȩterquã quoad supra disposita. Vlteriùs sub eisdem censuris, & pœnis mandauit, quòd negatiuam opinionem, videlicet, quòd non fuerit cõcepta cum peccato originali, in præfatis actibus asserentes, aliam opinionẽ non impugnarent, nec de ea aliquomodo agerẽt, seu tractarent. Insuper voluit, & expressè mandauit, vt extra hos casus expressos publicorum actuum, in reliquis omnibus supradictæ cõstitutiones firmæ, & illæsæ remaneãt, & exactè obseruẽtur, perinde ac si decretum huiusmodi nõ emanasset. Nuper verò nos sub die videlicet. 24. Mai. 1622. In generali Cõgregatione sanctæ Romanæ, & vniuersalis Inquisitionis, habita in Palatio Apostolico in Mõte Quirinali corã nobis, & Cardinalibus præfatis, ex eisdem causis euitandi scãdala, dissensiones, atque discordias in populo Christiano, quæ pari ratione oriri possunt, & vt accepimus in aliquibus regionibus iam ortæ sunt ex sermonibus priuatis occasione assertionis affirmatiuæ supradictum Pauli prædecessoris decretũ extendimus, & ampliauimus, etiam ad priuata colloquia, & scripta, mandantes, & præcipientes omnibus, & singulis supradictis, ne de cætero, donec articulus huiusmodi à Sede Apostolica definitus, vel per nos, & Sedẽ Apostolicã fuerit aliter ordinatũ: nec etiam in sermonibus, & scriptis priuatis audeant asserere, quòd eadem Beata Virgo fuerit concepta cũ peccato originali, nec de hac opinione affirmatiua aliquo modo agere, seu tractare, exceptis tamẽ quibus à S. Sede Apostolica fuerit super hoc specialiter indultũ. Per hoc tamẽ non intẽdimus reprobare hanc opinionẽ, nec ei vllum prorsus præiudiciũ inferre, eam relinquẽtes in eisdem statu, & terminis, in quibus reperitur, præter quã quoad in supra dicto dicti Pauli prædecessoris decreto disposita, voluimusq; & expressè mãdauimus, vt in reliquis omnibus, vbi huiusmodi decretis non aduersantur, constitutiones Sixti, ac Pij. & Pauli præfatorum, nec non rec. mem. Alexandri Papæ VI. prædecessorũ nostrorum, super Conceptione Beatissimæ Virginis MARIÆ firmæ, & illibatȩ remaneant, ac exactè obseruentur, per inde ac si huiusmodi decretum non emanasset, & in super cum sancta Romana Ecclesia de Beatissimæ, & Intemeratæ Virginis MARIÆ Conceptione festũ solemniter, & officiũ celebret, omnibus, & singulis personis Ecclesiasticis, tã sæcularibus, quã cuiusuis ordinis, & instituti Regularibus mãdauimus, ac præcepimus, vt in sacrosãcto Missæ sacrificio, ac diuino officio celebrãdis, tã publicè, quã priuatim nõ alio, quã Cõceptionis nomine vti debeãt: cõtraueniẽtes autẽ voluimus, & declarauimus subiacere debere, & subiecimus cẽsuris, & pœnis cõtentis in supradictis constitutionibus, ac præfato decreto nostrorũ prædecessorũ, ipso facto incurrẽdis, & ita decreuimus, & mãdauimus, vbique inuiolabiliter obseruari. Non obstantibus in hac parte constitutionibus supra dictis, decreto præfato Pauli prædecessoris,

cõſuetudinibus etiam immemorabilibus, nec non omnibus, & ſingulis, quæ Prædeceſſores præfati voluerunt nõ obſtare, ac alijs quibuſcumque in contrarium faciẽtibus. Volentes, & decernẽtes pro obſeruatione, & executione noſtri huiuſmodi decreti, & omnium in eo contentorum, quòd contra huiuſmodi tranſgreſſores, etiam Regulares cuiuſuis ordinis, & inſtituti, etiam quomodolibet exemptos, & alias quaſcumque Eccleſiaſticas, & ſeculares perſonas, cuiuſcumque ſtatus, conditionis, gradus, ordinis, aut dignitatis, tã Eccleſiaſticæ, quã ſecularis. tã Epiſcopi, & Prælati ſuperiores, alijque Ordinnarij locorũ, quã hæreticæ prauitatis vbique locorum deputati Inquiſitores procedant, & in eos ſeuerè animaduertant. Tribuentes eis, & eorum cuilibet liberam facultatem, & authoritatem cõtra eoſdem trãſgreſſores procedendi, ac pœnis coercẽdi, & puniẽdi. Nũc autẽ nos eoſdẽ Fratres Ordinis Prædicatorũ, quos in viſceribus gerimus charitatis, ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volẽtes, & eorum ſingulares perſonas, a quibuſuis excomunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque, Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis ocaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequẽdum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutas fore cenſentes. Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, omnibus, & ſingulis dicti Ordinis Prædicatorum Fratribus, vt de cœtero in quibuſcumque priuatis eorũ colloquijs, ſeu conferentijs inter ſe dũtaxat, & non inter alios, aut cũ alijs de materia eiuſdem Conceptionis Beatiſsimæ MARIÆ Virginis differere, & tractare, abſque vllo pœnarum in dictis decretis contentarum incurſu, liberè, & licitè poſsint, & valeant, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium licentiam concedimus, & impartimur. Decernentes, Fratres præfatos à quoquam quauis auctoritate, deſuper moleſtari, perturbari, aut inquietari nullatenus poſſe, aut debere, ſicque, & non aliter per quoſcumq; iudices ordinarios, & Delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, vbique iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus ſingulis præmiſsis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cœteriſque contrarijs quibuſcũque. Datum Romę apud Sanctam Mariam Maiorem, ſub annulo Piſcatoris, die 28. Iulij, anno 1622. Pontificatus noſtri anno ſecundo. S. Card. S. Suſannæ.

OBSERVATIO

Hanc Bullam nulla authentica auctoritate, aut publicatione ſuffultam adducit Vvading. in legatione, ſect. 4. fol. 456 qui & docet quomodo prædicta indulgentia Apoſtolicæ Sedis vſi fuerint illi, ad quos pertinebat.

EPISTOLA CIVITATIS Hiſpalenſis ad Sũmum Pontificem Gregorium XV. Gratias ei agunt ob decretum in fauorem IMMAC. CONCEP. publicatum.

BEATISSIME PATER:

VRBS Hæc, & vniuerſa adhærens Prouintia ita ſe locupletatam agnoſcit magno illo bono, & fauore, quem reſultaſſe ex ſacro decreto veſtræ Beatitudinis circa myſteriũ Immaculatæ Conceptionis Virginis Sanctiſsimæ Dei Genitricis, & Dominæ noſtræ cognoſcit; vt proſtrata ad ſanctiſsimos veſtræ Beatitudinis pedes, perquàm affectuoſas reddat gratias, quales debentur immortali huic, & veluti diuino beneficio. Quod fauſto hoc veſtrę Beatitudinis Pontificatu, cœlitus impulſa adeò concupitam, hanc gratiam præſtiterit veſtra ſanctitas fœliciſsimis ſuæ Maieſtatis Regnis (perquam æternum ſuum reddidit nomẽ, nullo

lo vnquam æuo à cordibus fidelium abolendum) Ciuitas hęc peculiari conatu nulli secundo, iuxta debitæ gratitudinis, & perpetuæ obligationis mensuram semper Dominum orabit, vt vestram Beatitudinem plurimis, & fœlicissimis annis tueatur incolumen, iuxta Christiani orbis necessitatem. Datum Hispali, Iulij 12. anno 1622.

OBSERVATIO.

De hac epistola P. Vuadingus in legatione ad finem, fol. 461. Hippolytus Marrac. cap 92. fol. 233.

GREGORIVS PP. XV. Dilectis filijs Senatui ciuitatis Hispalensis.

Hispalensium pietatē erga Beatissimā Virginem laudat, ob gratias ipsi actas decreto in causa CONCEPTIONIS euulgato.

Dilecti filij, salutem, & Apostolicam benedictionem. Opulentæ Indiarum classes, nō tantum vrbi vestræ decus afferre possunt, quantum Catholicæ Religionis cultus, & Christianæ pietatis studium: magnum quidem est alteriùs orbis diuitias in vestrum portum conuehi; sed profecto longè præclarius thesauris diuinæ gratię animas vestras locupletari; præterquam, quòd ea opulentia multos exterarum nationum homines ad Hispalensia littora conuocat; at enim pietas militiam cœlestis exercitus in vestras arces introducit, & Angelorum opem, consuetudinem que pijs fidelium cordibus conciliat. Beati profecto estis dilecti filij, cùm intelligatis, quanto perituris diuitijs præstantiora sint eloquia Domini, desiderabilia super aurum, & lapidem pretiosum. Proinde nos, quorum fœlicitas Christianarum nationum salute continetur, paterno solatio litteræ vestræ cumularunt, quas nobis nō ita pridè rediderunt dilecti filij Matthæus Vazquez, & Bernardus de Toro. Ex illarum enim sententia, & ex horum sermone intelleximus, quo studio Beatissimæ Virgini gloriosæ inseruiatis. Ita sentire, ita loqui par est, ciuitatem à dominantiū Domino custoditam, & solidę pietatis fūdamentis innixā. Neque enim vera mortalium laus, atque gratulatio à cœlestis aulæ gloria seiungitur. Vos autem scientiam salutis præclarè didicisse ostenditis, cùm beneficium vobis tributum esse profitemini, eo Apostolico decreto, quo altercantium Theologorū dissidia tollere, & cœlestis Reginæ dignitati consulere nuper voluimus. Non deerit vobis remuneratio ab eo, qui diues est in misericordia, & beneficentia illius Virginis perfruemini, quæ causa est nostræ lætitiæ, & diuinæ vltionis flagella tam sępè à Catholicæ plebis capite aberruncat. Nos autem paterna vos charitate in visceribus Iesu Christi complectimur, ac super vrbem istam non minus virtutibus, quàm diuitijs abundantem Apostolicę benedictionis thesauros liberaliter effundimus; Deum, Beatissimamque Deiparam orantes, vt Hispalensem ciuitatem illustrioribus semper locupletent diuinæ beneuolentiæ documentis. Datum Romæ apud sanctam Mariam Maiorem, die. 4. Nobembris, 1622 Pontificatus secundo.

OBSERVATIO.

Extat apud P. Lucam Vuading. in legationē sect. 4. fol. 461.

EXTRACTA E MISsalibus & Breuiarijs antiquis. Ex Missalibus Ecclesiæ Toletanæ, & aliarum.

MISSALE, Cuius titulus secundum ordinem primatis Ecclesiæ Toletanæ climatius, quàm antea, ac iam nulla ex parte confusum, cui accessit ordo celebrandi Missam cum officio Diaconi, & Subdiaconi, &c. *impressum iussu Ioānis Martini Silicei, Cōpluti in ædibus Ioānis Brocarij*

carij anno Domini M. D. L. fol. 332. In Conceptione Beatæ MARIÆ officiũ. *Introitus*. Gaudeamus omnes in Domino diem festum celebrantes sub honore Beatę Virginis, de cuius Conceptione gaudent Angeli, & collaudant Filiũ Dei. *Versiculus*: Magnus Dominus &c. *Oratio*. Omnipotens sempiterne Deus, qui humanæ fragilitati condolens, eique clemẽter misereri decernens, Verbum tuum ex gloriosa B. MARIA semper Virgine incarnari voluisti, pręsta, quæsumus, vt ipsa iugiter hanc misericordiam nobis obtineat in cœlis, cuius sanctam Conceptionem hodierna die te iubente festivè celebramus in terris. Per eundem, &c.

Epistola: *Ex lectione libri Sapientiæ*. Dominus possedit me: *Versiculus gradualis*. Conceptio tua Dei Genitrix Virgo, gaudium attulit vniuerso mundo, quia ex te ortus est sol iustitiæ Christus Deus noster *Euãgeliũ*, Liber generationis Iesu Christi. *Secreta*. Vnigeniti tui, &c. *Post cõmunionẽ*: Deus ineffabilis misericordiæ, qui primæ maculam mulieris per Virginẽ expiandã fecisti, da nobis, quæsumus, Cõceptionis eius digna solemnia venerari, quæ vnigenitum tuum virgo concepit, & virgo peperit Dominum nostrum Iesum Chistum filium tuum.

Missale in Integro folio *iusu D. D. Alphonsi de Fonseca, dum in humanis ageret* per viros litteris, & Ecclesiastica disciplina præstantes magna cum diligentia examinatum, *impræssum Compluti in ædibus Michaelis de Eugia, anno salutis nostræ M. D. XX. fol.* 239. *Omnia, vt supra*.

Missale mixtum almæ Ecclesiæ Toletanæ magna cum diligentia perlectum, & emendatũ per Deputatos à Capitulo eiusdem sanctæ Ecclesiæ in eadem regali ciuitate impressum, &c. *anno salutis nostræ M. CCCC. XC. IX. fol.* 266. *Omnia, vt supra*.

Missale Mixtum secundùm ordinem almæ Primatis Ecclesię Toletanæ, per viros Ecclesiasticarum cerimoniarũ peritissimos nuper auctius, & castigatius redditum, & *impresum Lugduni apud Bartholomæũ Fraelium anno M. DL. fol.* 286. *Omnia, vt supra*.

Alterum impressum anno M. D. XVIII. fol. 253. *Omnia, vt supra*.

Breuiarium in quarto regali impressum Compluti in ædibus Ioannis Brocarij anno salutis nostræ M. D. XXXIX. fol. 286. *Omnia, vt supra*.

Missale Toletanum *in 4. iussu, & approbatione D. D. Fr. Francisci Ximenez de Cisneros Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, Toletaniq; Archiepiscopi, cuius approbatio incipit*: Fratres charissimi, &c. *Impressum Burgis in officina Federici ex Basilea Germani anno Christianæ salutis M. D. XII. f.* 277 *Omnia, vt supra, excepta vltima oratione*.

Missale antiquum, *in membranis manu scriptum ante inuentam Typographiam, habet Cõceptionis festum. fol.* 207. *Omnia, vt supra*.

Missalia *tria conscripta in membranis antiquissima, habent etiam Conceptionis festum*.

Missale mixtum secundum ordinem, & regulam S. Ecclesiæ Toletanæ, *absque initio, & fine, & absque foliorum numeratione, Omnia, vt supra*.

Missale Asturicense *anno* 1564. *impressum, introitus fol.* 3. Gaudeamus.

Missale Placentinum *anno* 1554. *fol.* 364 *depicta imagine Conceptionis, introitus*, Egredimini. *Oratio*. Deus, qui per Immaculatam Virginis Conceptionem, &c.

Missale Ambrosianũ, *Impressum Mediolani per D. Ioannẽ Angelũ anno* 1522. *Introitus*, Lætemur omnes in Domino, diẽ festum celebrantes ob honorem B. MARIÆ V. de cuius Immaculata Conceptione gaudent Angeli, &c. *Super populum*, Supplicationẽ seruorũ tuorũ Deus miserator exaudi, vt qui in gloriosa Conceptione Dei Genitricis, &c. *Post epistolam*. Beata Conceptio MARIÆ Virginis, &c. *Super syndonem*. Gloriosæ Conceptionis eius votiua solemnitas, &c. *Super Oblata*. Gloriosæ Conceptionis eius solemnis, &c. *Præfatio*. Recensemus enim præclarissimę solemnitatis diem, in qua gloriosissima Dei Genitrix intemerata V. MARIA stella corusca, & admirabilis mundo concepta est, quæ nobis vitæ perennis ianuam, quam Eua in Paradiso clauserat, reserauit, nosque de tenebris ad lucis antiquæ gaudia reuocauit, &c.

Missale mixtum secundũ regulam B. Isido-

Isidori dictum Mozarabe maxima cũ diligentia perlectum, & emendatum per Reuerendum in vtroque iure Doctorem Dominum Alphonsum Ortiz, Canonicum Toletanũ, *impressum in Regali ciuitate Toleti iussu Reuerẽdissimi in Christo patris D. D. Fr. Francisci Ximenez de Cisneros eiusdem ciuitatis Archiepiscopi anno. 1500. fol. 413.* In Cõceptione B. Virginis MARIÆ *ad Missam*, &c. *Oratio.* Deus, qui nauem Ecclesiæ tuæ per mundi istius pericula fluctuantẽ optimus nauta gubernans, & ne infidelitatis procella obruat, vigilantissimus custos solicitas omnibus eius lauacro renatis tribue per intercessum Conceptionis gloriosæ Virginis MARIÆ, persequutionũ tẽpestates in tui nominis confessione deuincere, &c. Et in alia oratione: interuentu Cõceptionis gloriosæ Virginis MARIÆ, fac nobiscum misericordiam, &c. Quod sæpissime repetit.

EX BREVIARIIS SANctæ Ecclesiæ Toletanæ & aliarum Eccesiarum.

BReuiarium *secundũ regulã B. Isidori impressum Toleti anno 1502. quod cõmuniter dicitur Mozarabe fol. 422. Rubrica.* In festo Conceptionis Virginis MARIÆ, omnia dicuntur, vt in Assumptione Virginis MARIÆ, folio 394. & vbi dicitur *Assumptio*, dicatur *Conceptio*.

Breuiarium Toletanũ *impressum Venetijs anno 1488. iussu D. D. Petri Gonçalez de Mendoza, Archiepiscopi Toletani, & S. R. Ecclesiæ Cardinalis, tituli Sanctæ Crucis, fol. 418.* In Conceptione Sãctæ MARIÆ gaude Mater Ecclesia.

Breuiariũ *vetustissimũ eiusdem Ecclesiæ, fol. 522. vt supra.*

Breuiarium *impressum anno 1505. trãscriptũ ex altero manuscripto antiquissimo, vt dicitur in prologo, habet officium Conceptionis cum Octaua. Oratio.* Deus ineffabilis misericordiæ, &c.

Breuiarium *impressum Venetijs per Melchiorem de Goritio anno 1506. Officiũ:* Gaude Mater Ecclesia.

Diurnale Sanctæ Ecclesiæ Toletanæ *impres. anno 1507. fol. 353. Omnia, vt sup.*

Breuiarium Hispalense *impressum iussu, & approbatione D. D. Didaci a Deza Archiepiscopi anno. 1521. fol. 222. titulus.* Festum Conceptionis Immaculatæ Virginis MARIÆ. *Lectiones S. Anselmi. Idem habent Breuiaria eiusdem Ecclesiæ, impressa anno. 1510. & anno. 1531. & 1555. & 1563. & lectionarium eiusdem Ecclesiæ impressum anno. 1503. in quarto* Salmanticēse *anno. 1562. approbatum per D. D. Ludouicum de Alcozer Canonicum, & Vicarium Generalem, dicatũ D. D. Petro Gonzalez de Mendoza Episcopo, fol. 490. titulus* In festo Sãctissimæ Conceptionis. *Oratio.* Deus, qui per Immaculatã Virginis Conceptionẽ, &c. *Et omnia, sicut in officio Nogarolis. In altero Salmanticensi fol. 43. titulus,* In festo Sanctissimæ Cõceptionis MARIÆ Matris Christi fiat officiũ solemne. *Oratio, vt supra. Lectiones de dictis Sanctorum.*

Breuiariũ secundum morẽ S. Ecclesiæ Conchensis, in breuiorẽ lectionem redatũ, & nunc secundò elucidatũ, atque correctũ Cõchę, apud Ioannẽ à Canoua M. D. LX. *Quod extat approbatũ à D. D. Petro à Castro, illius Ecclesiæ Episcopo, fol. 322. titulus,* Officiũ Immaculatę Conceptionis V. MARIÆ, quod approbauit, publicauit, & cõfirmauit Sixtus Papa IV. cũ illa indulgentia illud celebrãtibus, quæ habetur per totã Octauam Corporis Christi, &c. *Oratio prima.* Omnipotens sempiterne Deus, qui humanæ fragilitati condolẽs, &c. *Vt in officio Eccles. Tolet. supra. Oratio secunda.* Deus, qui per Immaculatam Virginis Conceptionẽ. *Lectiones sunt ex S. Anselmo.* Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus, & Pastor Anglorũ, &c. *Primũ responsorium.* Fulget dies hodierna digna laude sempiterna, qui Concepta est MARIA. *Responsoriũ sextum.* Celebris dies colitur, in qua Virgo Concipitur, quę per obedientiam mundo refudit gratiã, &c. *Ad Laudes prima Antiphona.* Conceptus hodiernus MARIÆ semper Virginis næuum tersit, nexum soluit vetustæ originis, &c.

Breuiariũ Cæsaraugustanũ, *anno 1556 approbatum à D. D. Ferdinando de Aragonia, Episcopo. fol. 539. Officium.* Sicut liliũ. *Omnia, sicut in officio Minorũ. Alterũ impressum anno 1545. idẽ habet Conceptionis officium.*

Cc Gue-

Giennense, *cuius titulus*. In nomine Domini Amē. Incipit Ordo Breuiarij secūdū cōsuetudinē almę Ecclesiæ Giennēsis *fol*. 147. In Conceptione B. V. MARIÆ festum est. *Oratio prima*. Deus ineffabilis misericordiæ, &c. *Secunda*. Omnipotens sēpiterne Deus, qui humana fragilitate, &c. *Vt supra. lectiones de S. Anselmo. Respons. primū*. Fulget dies hodierna, qua concepta est MARIA, per quā pater vitę via germine regali, nenon & pontificali, &c. *Ad tertium nocturnum lectio prima*. Patriarcharū semine, Prophetarum origine, Regum, atque Pontificū genus vernat magnificum, vnde Virgo cōcipitur, &c. *Ad Laudes Antiphona*. MARIA plena gratia, stirpe concepta Regia, &c.

Vxamense *absque initio, & fine. fol*. 588. *Officium*. Gaude Mater Ecclesia. *Oratio*. Deus ineffabilis misericordiæ. *Lectiones de dictis Sanctorum*.

Valentinū, *anno* 1533. *Officium*. Sicut liliū. *Oratio*. Deus, qui per Immaculatam Virginis Conceptionē. *Omnia sicut in officio Minorum, præter lectiones primi nocturni, quæ sunt ex Concilio Basileensi*. Sacrosancta generalis Basileensis Synodus, &c.

Cordubense, *impressum anno* 1489. *Omnia sicut in officio Nogarolis. Habent etiam officium Conceptionis. Alia eiusdē Ecclesiæ, impressa anno* 1508. *& anno* 1557.

Pampilonense. *fol*. 447. *titulus*. Immaculatæ Conceptionis Virginis MARIÆ *Officium*. Sicut liliū. *Omnia sicut Nogarolis, exceptis lectionibus primi nocturni, quæ sunt ex Bulla Sixti Quarti Pontif. Maxi*. Cùm præexcelsa meritorum, &c.

Segouiense *absque initio, & fine, fol*. 532 *Oratio*. Supplicationē seruorum tuorum Deus, miserator exaudi, qui in Conceptione Dei Genitricis, & Virginis MARIÆ cōgregamur eius intercessionibus à te instantibus periculis eruamur. Per eundē, &c. *Lectiones* de Epistola S. Anselmi. *Euangeliū*. Liber generationis. *Homilia S. Anselmi*. Hodierna die fratres. *Post quam sequitur*: Te Matrem Dei laudamus, te Dominā confitemur. Te æterni Patris templū, &c. *Aliud huius Ecclesiæ extat impressum anno* 1527. *Omnia vt in officio Nogarolis*.

Giennense, *fol*. 439. Officiū Conceptionis. Gaude Mater Ecclesia. *Lectiones S. Anselmi. Est officium speciale*.

Cōpostellanū, *impressum Salmāticæ anno* 1569. *approbatū per D. D. Gasparē à Stunica & Auellaneda Archiepiscopū, fol*. 287. *titulus* Cōceptio Immaculatæ Virginis MARIÆ. *Omnia sunt, vt in officio Nogarolis, lectionibus tantum in aliquibus mutatis*.

Ilerdēse, *absque initio, & fine, titulus*, De festo Immaculatæ Cōceptionis Virginis MARIÆ: facimus festum totum duplex in quacumque die venerit, etiam si sit Dominica. *Ad Vesperas*. Sicut lilium. *Omnia, vt in officio Nogarolis*.

Granatense, *impressum anno* 1544. *approbatum, vt ibi dicitur à Paulo Tertio anno decimo sui Pontificatus, atque à D. D. Ferdinādo Niño Archiepiscopo. fol*. 306. *titulus*, Incipit officium Immaculatæ Conceptionis Virginis MARIÆ. *Ad Vesperas*. Sicut lilium. *Oratio*. Deus, qui per Immaculatā Virginis Conceptionē, &c. *Omnia sicut in officio Nogarolis*. Alterū *impressū anno* 1506. *iussu D. D. Ferdin. de Talauera. Idem modò recitat de Conceptione cum Octaua, ex concessione Summorum Pontificum*.

Burgēse, *impressum anno* 1538. *fol*. 163. *Officium speciale. Oratio*. Deus, qui Beatæ MARIÆ Virginis Conceptionem Angelico vaticinio parentibus prædixisti, pręsta familiæ tuæ ipsius muniri præsidijs, cuius Conceptionem sacram frequentatione congrua veneratur, &c. *Ad inuitatorium versiculus*, Virginis, & Matris celebretur nobilis Conceptio. *In primo nocturno Antiphona*. Hodie cōcepta est Virgo MARIA ex semine Abrahæ. *Lectiones sancti Anselmi. Sanctorale eiusdem Eccles. antiquissimum in* 4. *Regali fol*. 270. *Rubrica*. In Conceptione S. MARIÆ ad Vesperas, &c. Nota, quòd omnia necessaria, quæ hic deficiunt, inuenies plenè in festo de Natiuitate Virginis MARIÆ, &c.

Seguntinum, *impressum anno* 1560. *fol*. 474. *Officiū Conceptionis cū Octaua. Oratio*. Omnipotens sempiterne Deus. *Lectiones S. Anselmi. Extat approbatum per D. D. Petrum de la Gasca Episcopum*.

Auriense, *fol*. 410. *Oratio*. Qui primæ piacula mulieris. *Lectiones S. Anselmi. Est officium speciale*.

Tudēse, *impressum Salmāticæ anno* 1564

fol.

fol. 102. *approbatum à D.D. Ioanne Æmiliano Episcopo. Oratio.* Deus, qui per Immaculatam Virginis Conceptionē *Inuitatorium.* Immaculatam Conceptionē, &c. *Et alia quàm plura, quia officiū est speciale.*

Cauriense, *impressum anno* 1559. *approbatum per D.D. Didacum de Almazā Episcopū. fol.* 577. *Ad vesperas.* Sicut liliū. *Oratio.* Cuius Cōceptionis sacra solēnia, &c. *Inuitatorium.* Immaculatā Conceptionē, &c. *Et plura alia.*

Placentinū, *approbatum per D.D. Petrum Gundisaluum Manso Episcopū, impressum Hispali anno* 1521. *titulus.* In festo gloriosæ Cōceptionis Virgin. MARIÆ. *Lectiones S. Anselmi. Plura de Conceptione: & alterum impressum anno* 1529.

Abulense, *Salmāticæ impressū anno* 1567 *approbatum per D.D. Didacum Alauensem, & Præsidem Regum. fol.* 643. *titulus.* Festum Immaculatæ Conceptionis. *Lectiones de dictis Sanctorum, & alia quàm plura.*

Ciuitatense, *impressum anno* 1555. *folio* 371. *depicta imagine Conceptionis, titulus.* In Conceptione Purissima B. Virginis MARIÆ *Oratio.* Deus, qui per Immaculatam, &c. *Inuitatorium.* Immac. Conceptionem, &c. *Extat approbatū per D.D. Petrum Ponce de Leon Episcopum.*

Calagurritanū, *quod caret initio, & fine, fol.* 311. *Lectiones de* S. *Anselmo.*

Dertusense, *impressum anno* 1547. *approbatum per D.D. Hieronymum Requesū Episcopum. fol.* 389. *titulus,* Incipit officiū Immac. Conceptionis. *Omnia, sicut in officio Nogarolis.*

Palentinū, *impressū Metymnæ anno* 1565 *fol.* 508. *Omnia, sicut in officio Nogarolis.*

Asturicēse, *impressum anno* 1564. *habet officium Conceptionis.*

Placentinū, *impressum anno* 1579. *Officium Nogarolis. Item Breuiarium eiusdē Ecclesiæ, impressum anno* 1547.

Eborense, *dispositum per Cardinalem, & Archiepiscopum illius Ecclesiæ, vt dicitur, habet etiam officium Conceptionis.*

Breuiariū Tudelæ, *impres. ante annum* 1540. *fol.* 577. *Rubrica.* Conceptio Virginis MARIÆ solēne. *Anti.* Aue decus virgineū. *Oratio.* Deus, qui per Immac. *Antiph. ad Benedictus.* Benedicta est MARIA laus nostra, spes, & Domina, te collaudat, colit, tremet trina mundi machina in tua Conceptione, congaudētes cōfoue profutura largiendo, nocturna remoue, Alleluia.

Breuiarium Tarazonæ, *anno* 1541. *impressum apud Gregor. Coci. fol.* 534. *Omnia sicut in officio Nogarolis.*

Breuiariū Huescæ, *cū esset Episcopus D. D. Petrus Augustinus. fol.* 479. *Rubrica.* De festo Conceptionis MARIÆ fiat reduplex minus, sequens officium editum fuit à Magistro Leonardo de Nogarolis.

EX BREVIARIIS SACRARVM Religionum

Breuiarium Ordinis sancti Iacobi, *impressum in ciuitate Legionēsi anno* 1532. *fol.* 321. *habet officium speciale. Lectiones de Sancto Anselmo.*

Breuiarium *Religionis Sanctæ Mariæ de Mercede, impressum anno* 1556. *fol.* 219. *titulus.* Incipit officiū Immaculatæ Cōceptionis Virginis MARIÆ, sumptum ex officio edito per Reuerendum patrem Dominum Leonardum de Nogarolis Protonotarium Apostolicum, &c. *Omnia sunt, sicut in officio Fratrum Minorū.*

Breuiarium *ad vsum sacri Ordinis Sanctissimæ Trinitatis, impressū anno* 1545. *fo.* 10. *titulus.* Conceptio Immac. gloriosæ Virginis Mariæ, totū duplex. *Omnia sunt, sicut in officio Fratrū Minorū, exceptis lectionibus, & aliquibus antiphonis. De antiquitate huius officij latè P. F. Emanuel de Reinoso in tract. de Purissima Conceptione, fol.* 2.

Breuiarium Sancti Hieronymi *editum iussu Reuerendi Patris Leonardi de Aguilar, totius Religionis Generalis, electi anno* 1498. *& officio functi anno* 1501. *fol.* 6. In festo Conceptionis B. MARIÆ Virginis; *Officium.* Gaude Mater Ecclesia, &c. *Lectiones ex Epistola S. Anselmi.*

Breuiarium Carmelitanum, *impressum anno* 1579. *fol.* 426. *titulus* Conceptio Immaculatæ Virginis MARIÆ, totum duplex, cuius officiū fuit editum per Reuerendū Patrē D. Leonardum Nogaroliū Protonotarium Apostolicum, artium, ac sacræ Theologiæ Doctorem. *Inprimis Vesperis Antiphona.* Sicut lilium, *Versiculus* Immaculata Conceptio est hodie. *Inuitatorium.* Immac. Conceptionē, &c. *Omnia, vt in officio Minorum, exceptis lectionibus.*

Bre-

Breuiarium, *cuius titulus* Breuiarium Monasticum secundùm ritũ, & morẽ Cõgregationis Casinensis, aliàs sanctæ Iustinæ, diligentissimè reuisum, correctũ, & emẽdatũ *Venetijs, anno* 1511. *Officiũ particulare. Oratio.* Maiestatem tuã omnipotẽs Deus supplices deprecamur, vt qui hodie exultãtibus animis Beatissimæ semperque Virginis MARIÆ Conceptionis festum diem celebrare gaudemus, &c.

Breuiarium, *cuius titulus* Breuiarium secundũ ritum Sixensem monasterij Ordinis S. Ioannis Ierosolimitani, sub Regula B. Augustini *anno* 1547. *fol.* 342. *Rubrica*, in festo Conceptionis B. MARIÆ Virginis fiat duplex solẽne. *Officiũ est particulare, Hymni speciales. Lectiones S. Anselmi.*

OBSERVATIO.

SVpra memorata Missalia, & Breuiaria maiori ex parte extant in Bibliotheca S. Ecclesiæ Toletanæ, & de eis apud nos testimonium authenticum à Bac. Emanuele de Espinar, datum Toleti hoc anno 1648. *Aliqua habemus in Bibliotheca cœnobij S. P. N. Frãcisci Matritensis, tria apud D. Laurent. Ramir. de Prado, quatuor apud Ioan. Tamaium de Salazar; vnum apud D. Laurentiũ Coqui.*

EX MISSALI SECVNdum ritum Romanæ Ecclesiæ.

MIssale Romanũ nouiter impressum cũ annotationibus in margine, &c. *anno à Natiuitate Domini* 1513. *vndecimo Kalendas Februarij in alma Venetiarum vrbe, & fol.* 163. *titulus*, In Conceptione Virginis MARIÆ. *Introitus.* Egredimini, & videte. *Oratio.* Deus, qui per Immaculatã Virginis Concept. *& omnia sicut in officio Nogarolis, quo vtuntur Fratres Minores.*

Missale Romanum *summa reuisum diligentia, ac nouissimè impressum Venetijs* 1559. *fol.* 120 *Omnia, sicut in officio Nogarolis, quo vtimur Fratres Minores.*

Missale iuxta morem Romanæ Ecclesiæ expletum, solertique diligentia castigatum, ac quãplurimis figuris ad celebritatũ conueniẽtiã decoratũ, impensisque Lucæ Antonij de Iunta Florentini, &c. *Impressum Venetijs anno à Natiuitate Domini* 1508. *fol.* 173. *Introitus.* Egredimini. *Oratio.* Deus, qui per Immaculatam.

Alterum Missale *antiquũ, quod absq; initio, & fine extat in Biblioth. ca Eccles. S. Toletanæ in* 4. *fol* 140. *Introitus.* Egredimini. *Oratio.* Deus, qui per Immaculatam.

Missale alterum, *cuius titulus incipit*: Ordo Missalis secundũ cõsuetudinẽ Romanæ Ecclesiæ, *impressum Alutæ fol. vltimo, habet officium Conceptionis speciale. Introitus.* Gaudeamus omnes, &c. *Oratio.* Omnipotens sempiterne Deus, qui Conceptionis diem Genitricis Filij tui semper Virginis MARIÆ voluisti solẽnitate annua venerari, tribue quæsumus, vt omnes, qui eius implorant auxiliũ, petitionis suę salutarem consequantur effectũ. In oratione post cõmunionẽ; Cuius venerandã celebramus Conceptionem.

Missale Romanũ *impressum anno* 1528. *quod extat in eadẽ Bibliotheca Toletana fol.* 123. *Introitus.* Egredimini, &c. *Omnia, vt in officio Nogarolis.*

Missalia duo vetustissima in mẽbranis manuscripta, *alterũ in folio, alterum in quarto, inter festa mensis Decembris, habent Conceptionis festum.*

Missale, *cuius titulus incipit*, *Ordo Missalis secundũ consuetudinẽ Romanæ Curiæ. fol.* 165 *In Conceptione B. V. Mariæ, Introitus.* Egredimini, & videte, &c. *Oratio.* Deus, qui per Immac. *fol. verò* 282. *habet pro Conceptione Virginis MARIÆ sequentes prosas.*

De Conceptione Beatæ MARIÆ Virginis.

COr deuotũ eleuetur, & deuotè celebretur Virginis Conceptio. Gens amore inflãmetur, & amore copuletur laus, & iubilatio. Hæc Cõcepta miro more est vt rosa cũ nitore, & vt candẽs liliũ. Vt fructus exit à flore, est producta cum pudore, præuenta per Filiũ, sicut ros non corrũpitur, quando in terra gignitur elementi rubigine: sic Virgo nõ inficitur, cũ in Matre concipitur originali crimine. Nos ergo dulci carmine laudemus in hac Virgine Conceptũ sine nubilo. Hanc cõceptã ex semine, & mũdã ab origine laudet chorus cũ iubilo. Vt mota dulci modulo, nos seruet in hoc sæculo mũdos ab omni crimine. Et in mortis articulo liberet à periculo, & inferni voragine. Amẽ.

DE CONCEPTIONE Beatæ MARIÆ Virginis alia prossa.

Dies læta celebretur, in qua piè recensetur Mariæ Conceptio.

Huius laudes prosequamur nos, qui tanto gratulamur Dei beneficio.

Fœlix quidem hic cõceptus, per quem mundus est adeptus salutis exordia.

Hunc Prophetæ præuiderunt, Patriarchæ præsenserunt, inspirante gratia.

Virga florem conceptura, stella solem paritura hodie concipitur.

Flos de Virga processurus, Sol de stella nasciturus Christus intelligitur.

O quam fœlix, & præclara, Deo grata, mundo chara fuit hæc Conceptio!

Qua salute destitutis redit vera spes salutis, luctus cedit gaudio.

Virga Iesse floruit, Christum Virgo genuit, Virgo mundi Domina.

Nouo quidem ordine absque viri semine virum parit fœmina.

Noua mater nouã prolem, noua stella nouum solem, noua profert gaudia.

Noua prorsus genitura Creatorẽ creatura, patrem parit filia.

O mirãdã nouitatẽ, nouã quoque dignitatẽ, ditat matris castitatẽ Filij Cõceptio!

Gaude Virgo generosa, Virga flore speciosa, mater prole gloriosa, pleno plena gaudio.

Tu spes certa miserorum, vera mater orphanorum, tu leuamẽ oppressorũ, medicamẽ infirmorum, omnibus es omnia.

Te rogamus voto pari, laude digna singulari, vt errantes in hoc mari, nos in portu salutari tua sistat gratia. Amen.

Item de eadem Cõceptione prossa.

Salue Spõsa Deitatis, Maria fons pietatis, Angelorũ Domina, Aue dulcis Maria Christi Mater, et Filia vlla sine macula.

Tu Sol refulgens gloria, cœlorum lustrans atria, luce replens secula.

Tu puteus honestatis, fauus dulcis charitatis, tu nostra lætitia.

Rosa rubens castitatis, lilium Virginitatis cum omni fragrantia.

Tu Magistra clementiæ, Mater misericordiæ, nostra delens crimina.

Tu norma innocentiæ, Maria plena gratiæ, tu stella matutina.

Tu à Deo fabricata, in conceptu præseruata, nulla trahis scelera.

Tu in cœlis coronata, ab Angelis venerata, micans super sydera.

Nos famulos rege tuos, atque tibi fac deuotos pro tua clementia.

Ab inferno liberatos nos postremò fac beatos in cœli militia. Amen.

Alia de B. MARIA Virgine prossa.

Salue Mater Saluatoris, vas electum, vas honoris, vas cœlestis gratiæ.

Ab æterno vas prouisum, vas insigne, vas excisum manu sapientiæ.

Salue Verbi sacra parens, flos de spina, spina carens, flos spineti gloria.

Nos spinetum, nos peccati spina sumus cruentati; sed tu spinæ nescia.

Porta clausa, fons hortorum, cella custos vnguentorum, cella pigmentaria.

Cinnamomũ, calamum, mirrhã, thus, & balsamum superas fragrantia.

Salue decus Virginum, restauratrix hominum, salutis puerpera, myrtus temperantiæ, rosa patientiæ, nardus odorifera.

Tu conuallis humilis, terra non arabilis, quæ fructum parturit.

Flos campi, conuallium singulare lilium, Christus ex te prodijt.

Tu cœlestis paradysus, libanusque nõ incissus, vaporans dulcedinem.

Tu candoris, & decoris, tu dulcoris, et odoris habens plenitudinem.

Tu thronus es Salomonis, cui nullus par in thronis, arte vel materia.

Ebur candens castitatis, aut aurum fuluum charitatis præsignant mysteria.

Palmam præfers singularem, nec in terris habens parem, nec in cœli curia.

Laus humani generis, virtutum præ cæteris habens priuilegia.

Sol Luna lucidior, et Luna syderibus, sic Maria dignior creaturis omnibus.

Lux eclypsim nesciẽs Virginis est castitas, ardor indeficiẽs, immortalis charitas.

Salue Mater pietatis, & totius Trinitatis nobile triclinium.

Verbi tamen incarnati ſpeciale maieſtati præparans hoſpitium.

O Maria ſtella maris, dignitate ſingularis, ſuper omnes exaltaris ordines cœleſtium.

In ſupremo ſita poli, nos commenda tuæ proli, ne terrores, ſiue doli nos ſupplantent hoſtium.

In procinctu conſtituti, peruicacis, & verſuti, tuæ cedat vis virtuti dolus prouidentiæ.

Ieſu Verbum ſummi Patris, ſerua ſeruos tuæ Matris, ſolue reos à peccatis, & nos tuę claritatis cõfigura gloriæ, Amen.

Alia de B. MARIA Virgine.

Mariæ Conceptio ex ſemine regio mundum replet gaudio, propter Chriſtũ.

Erubeſcat concio garriens ex deuio, non dignum ſolemnio diem iſtum.

Nunc diem excolere, & ſolemnẽ agere, ex diuino munere iudicaui.

Dum multi ſummopere nixi ſunt deprimere, hunc tamen excreſcere comprobaui.

Triforme prodigium edocens officium, probant hoc ſolemnium iuſtum eſſe.

Dum Abbas naufragium, ſacerdos ſupplicium, leuita refugium vult adeſſe.

Virgo matre ſterili, & ex parte nobili carens labe flebili oriunda.

Modo admirabili ſine viro labili Virgo ineffabili fit fœcunda.

Aue ſtirps egregia, aue boni nuncia, aue Solis præuia, lux auroræ.

O Virgo Chriſtifera, nos in vitę veſpera duc tecum ad æthera cum honore, Amen.

Aliud Miſſale, *cuius titulus*. Miſſale Romanum ſumma reuiſum diligentia, ac nouiſsimè impreſſum, duas in partes diſtinctum, &c. *Venetijs anno* 1559. *folio* 120. De Conceptione Virginis Mariæ *Introitus*. Egredimini, &c. *Oratio*. Deus, qui per Immaculatam Virginis Conceptionem. *Omnia vt in officio Fratrum Minorum.*

Miſſale Romanum ex decreto ſacroſancti Concilij Tridentini, Pij Quinti Pontificis Maximi iuſſu edito, & Clemẽtis Octaui auctoritate recognitum, *impreſſum Romæ*, *Matriti*, *Antuerpiæ*, *Venetijs*, *& alibi* de Conceptione B. Mariæ Virginis, *omnia ſicut in Natiuitate eiuſdem*.

Miſſale ad vſum ſacroſanctæ Romanę Eccleſiæ recens, diligenti ſtudio recognitum, *Lugduni* 1560. *fol.* 138. Egredimini, &c.

Miſſale Romanum *impreſſum à Bernardino Stagnino*, anno 1511. fol. 142. *Introitus*. Egredimini, &c.

Ex Breuiarijs ſanctæ Eccleſiæ Romanæ.

Breuiarium Romanum, *cuius titulus eſt*, Breuiarium Romanum ex ſacra potiſsimum Scriptura, & probatis Sanctorum hiſtorijs nuper confectum cum priuilegio Summi Pontificis, & Regis Galliæ impreſſum Lugduni anno 1546. *pagina* 224. *habet rubricam* Conceptio Virginis duplex maius. *Oratio*. Deus, qui per Immaculatam Virginis Conceptionem, &c. *Ad Matutinum Inuitatorium*. Immaculatam Virginis Conceptionem celebremus, &c.

Breuiarium *antiquum, quod abſque initio, & fine extat in Bibliotheca Franciſcana ſancti Ioannis Regij Toleti, pluteo E, num.* 199. *titulus*. In ſolemnitate Conceptionis glorioſæ Virginis Mariæ omnia dicuntur, ſicut in Natiuitate eius, præter lectiones. *Lectio prima*, Anſelmus Cãtuarienſis Archiepiſcopus, &c.

Breuiarium *aliud manuſcriptum, quod extat ibidem Pluteo A. A. num.* 97. *in quarum rubrica*. In Conceptione fit officium, ſicut in Natiuitate.

Breuiarium *impreſſum Lugduni, anno* 1555. *cuius titulus*, Breuiarium Romanum exactiùs, quàm hactenus fuerit, nuper emendatum. *fol.* 220. *rubrica*. Incipit officiũ Immaculatæ Conceptionis. &c.

Breuiarium Romanum *abſque initio, & fine fol.* 241. *rubrica*. In Conceptione Virginis Mariæ omnia dicuntur, ſicut in feſto

festo Natiuitatis, præter lectiones, & vbi dicitur Natiuitas, dicatur Conceptio. *Lectiones sunt sancti Anselmi, sed fol.* 401. habet incipit officium Immaculatæ Conceptionis Virginis Mariæ. *Ad Vesperas*, Sicut lilium *omnia, vt in officio Nogarolis.*

Breuiarium Romanũ nouissimè exactissima cura emendatum per Franciscum Feltrensem, &c. *impressum Venetijs, anno* 1518. *fol.* 256. *rubrica.* In Conceptione B. Mariæ Virginis omnia dicuntur, sicut in natali eiusdem, præter lectiones, excepto, quòd vbicumque tum dicitur Natiuitas, hic dicitur Conceptio. *Lectiones sancti Anselmi.*

Breuiarium Romanum *impressum Lugduni, anno* 1556. *fol.* 769. *Ad Vesp.* Sicut lilium. *Oratio.* Deus, qui per Immaculatam Virginis Conceptionem, &c *sicut in officio Nogarolis.*

Diurnum, *cuius titulus Gallicè*, les presentes heures à Luisaige de Rome, &c. officium Conceptionis. *Oratio.* Deus ineffabilis misericordię, &c. *Hymnus.* Stupet infernus videns sine labe Virginem nasci, &c.

Horæ B. Virginis secũdùm vsum Romanum antiquum, *ex quibus Antonius Balingen Iesuita adducit Hymnos, & plura de Conceptione Virginis in Parnaso Mariano, fol.* 34. Hymni verò iidem sunt, quos infra in Horis ad vsum Ord. Prædicatorum exhibebimus.

Litania Ecclesiastica B. Virginis Mariæ, *sic precatoriam incipit orationem.* Per Immaculatam Conceptionem tuam libera nos Domina, per sanctam Natiuitatem tuam, &c.

Breuiarium Romanum *antiquissimum absque initio, & fine, fol.* 309. *ad Vesp. Ant.* Conceptio gloriosæ, &c. *sicut in die Natiuitatis.*

Breuiarium Romanum ex decreto sacrosancti Concilij Tridentini restitutum, Pij V. Pontificis Max. iussu editum, & Clementis Octaui primùm, nunc denuo Vrbani Papæ Octaui auctoritate recognitum, *impressum Romæ, Antuerpiæ, Matriti, Parisijs, Venetijs, & alibi sæpissimè, præcipuè typis Vaticanis, anno* 1632. *Cum quo omnia alia ex decreto Vrbani Octaui concordare debent.* Die octaua Decembris in festo Conceptionis B. Mariæ Virginis duplex. *Ad Vesperas Antiph.* Conceptio gloriosæ, &c. ℣. Conceptio est hodie sanctæ Mariæ Virginis. ℟. Cuius vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias. *Ad Magnif. Antiph.* Gloriosæ Virginis Mariæ Cõceptionem dignissimam recolamus, quæ & Genitricis dignitatem obtinuit, & virginalem pudicitiam non amisit. *In 1. Nocturn.* ℟. Hodie concepta est Beata Virgo Maria ex progenie Dauid, * per quã salus mundi credentibus apparuit, cuius vita gloriosa lucem dedit sæculo. ℣. Cõceptionem B. Mariæ Virginis cum gaudio celebremus. ℟. 4. Conceptio gloriosæ Virginis Mariæ ex semine Abrahæ, ortæ de tribu Iuda, clara ex stirpe Dauid, * cuius vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias ℣. Hodie concepta est B. Virgo Maria ex progenie Dauid, &c. *Et alia verba eiusdem officij, scilicet, sacra solemnitate, Conceptionem Hodiernam, &c. Quibus expresè indicat Ecclesia celebrari naturalem physicam, & materialem Conceptionem, sicut celebrat naturalem, physicam, & materialem Natiuitatem.*

OBSERVATIO.

EX Breuiariorum Ecclesiæ Romanæ inter se collatione liquidò constat, post approbatum à Sixto IV. officium Leonardi Nogarolij, eo vsam esse, cæterasquè ferè omnes per Orbem Ecclesias, & Regularium Cõgregationes, vsque ad factam à Pio V. prudentissimo, & pijssimo Concilio Generalem Breuiarij reformationem, quo statuente, & ordinante commutatum est in officium Natiuitatis. Quia verò Nogarolij officium expresè tribuebat Conceptioni titulum Immaculatæ, breuiter demonstrandum est, nullatenus eiusdem tituli iustam possessionem fuisse hac mutatione labefactatam, aut imminutam, sed potius mirum in modum stabilitam, & promotam.

Sciendum ergo est, tres potissimas causas Reformationis Breuiarij extitisse, quæ tam ex Bulla: Quod à nobis postulat, &c. *ipsi Breuiario reformato præfixa, quàm ex officijs, vel officiorum partibus ablatis, aut mutatis perspicuè colliguntur. Prima, & maxima*

ma fuit vniformitas diuini cultus quoad fieri poſſet, tot enim fere erant Breuiaria, quot priuatæ Eccleſiæ, alijs alias recitandi formulas pro libito recipientibus, quibuſdam etiam Eccleſiaſticis ſpecie officij commodioris, Breuiario Franciſci Quinnonij S.R.E. Card. opera compoſito vtentibus, quod inter omnia breuiſſimum erat: tanta autem varietas vnitati fidelium, & religionis minus congruere videbatur. Secunda cauſa fuit reuerentia antiquitatis, cuius ſemper Eccleſia Romana ſe tenaciſſimam exhibuit: & ideò, vt alia exẽpla omittamus, feſtum Præſentationis B. Virginis reuera antiquum, ſed tunc minus notum, Pius V. abſtulit; quod poſtea Sixt. V. vetuſtis monumentis conuictus reſtituit. Vide Coluener. in Kalend. Mariano to. 2. fol. 342. *Certè ex præſcripto Nicolai III. vt refert Radulphus de Canonum obſeruantia, propoſit.* 22. *folio* 665. *in Romana Eccleſia ſola Breuiaria fratrum Minorum recepta ſunt, cæteris remotis: quod exemplum, vt piiſſimum erga noſtrã familiam illius Pontificis animum oſtendit, ſic alijs Pontificibus ob antiquitatis venerationem nõ placuit. Tertia Reformationis cauſa fuit maieſtas, & auctoritas doctrinæ: irrepſerant enim in diuina officia plures lectiones ex Origene, Euſebio Emiſſeno, Richardo Victorino, & alijs ſcriptoribus, vel nullius, vel non omnino certæ ſanctitatis, quos in SS. Patrum conſortium admitti ſacrorum librorum puritas non patiebatur.*

Itaque cùm Breuiarij Reformatio procederet, & ad feſtum Conceptionis B. Virginis ventum eſſet, illud quidem Pius V. non modò ſanctè retinuit, ſed vt neceſſariò celebrandum ex præcepto, quod Sixt. IV. non fecerat, Breuiario, & Miſſali inſeruit, in quo, vt ait Hippolyth. Marracc. cap. 88. Specialem ſe Immaculatę Conceptionis Beatiſ. Virginis cultorem exhibuit. *Cæterum cùm multa de hoc feſto officia circumferretur, & Nogarolicum non vniformiter, ſed variè, vt vidimus interpolatum à pleriſque recitaretur, & à Natiuitatis officio antiquitatis præſcriptione vinceretur, vt patet ex noſtro Regeſto colum.* 2. *& ſeqq. haberetque Origenis, & Richardi Victorini admixtas ſententias, necnon homiliam nouam nullius ſancti Doctoris nomine inſignitam, Natiuitatis officium Pius V. omnibus maturè perpenſis Conceptioni adaptauit, cultus vniformitati, antiquitatis reuerentiæ, & auctoritati doctrinæ præclarè conſulens:*

Noluiſſe autem hac Reformatione, aut officiũ Nogarolij reijcere, aut Immaculatæ Cõceptionis titulum è medio tollere, pluribus, & euidentibus rationibus euincitur. Primò, quia ipſius officij Nogarolij recitationem fratribus Minoribus conceſſit, vt Obſeruat. ſeq. planũ faciemus. Secundò, quia Sixti IV. Extrauagantem, Graue nimis, *quam in Regeſto habes, colum.* 109. *& in qua titulus Immaculatæ Conceptionis continetur, ſuæ conſtitutioni inſeruit, eamquè in omnibus, & per omnia cõfirmauit. Tertiò, quia Conceptionem celebrari præcipiens cum Natiuitatis officio, myſterio Præſeruationis plus fauit, quàm ſi millies Conceptionem Immaculatam nominaſſet: ſic enim apertè docuit celebrari ab Eccleſia Conceptionem materialem, & naturalem B. Virginis ex ſemine Abrahæ, & ſtirpe Dauid, eamquè ſanctam, ſicut Natiuitatem prædicari, vt expendimus in Armamentario. Quartò, quia diſertis verbis in prima rubrica Breuiarij à Pio V. reformati, quæ eſt de officio duplici, ſtatuitur celebranda ſub huiuſmodi ritu illa feſta:* Quæ apud quaſdam Eccleſias, Religiones, vel Congregationes conſueuerũt ſolemniter celebrari, cum OFFICIIS PROPRIIS à Sede Apoſtolica approbatis, aut ex eiuſdem Sedis auctoritate receptis, vel recipiendis, ſeruata tamen forma huius Breuiarij. *Officium Nogarolij à Sede Apoſtolica iam approbatũ erat, & quidem in forma ſpeciali, Sixti IV. & Leonis X. diplomatibus ſupra ad verbum deſcriptis: & poſtea ab omnibus Summis Pontificibus receptum, & confirmatum eſt, vt Obſeru. ſeq. patebit: illud ergo Pius V. in ſuo priſtino bonore, & vigore reliquit, dummodo ad formam Noui Breuiarij redigeretur, quod accuratè ex Sedis Apoſtolicæ præſcripto factum eſt, remotis his, quæ paulò ante commemorauimus, & retento ſemper nomine Immaculatæ Conceptionis. Vnde prædictum officium non ſolùm Minorum Religionem ſed omnes fideles recitare licitè, & laudabiliter poſſe videtur, iuxta Six. IV. Bullam,* Præcelſa, *in nullo derogatam, & indulgentias in ea conceſſas conſequi.*

EX

EX MISSALI, ET BREuiario Fratrum Minorum.

PROPRIVM MISSARVM Sanctorum Ordinis Minorum ad formam Missalis Romani, ex Decreto sacrosancti Concilij Tridentini restituti, Pij V. Pontif. Max. iussu editi, quas S.D.N.D. Gregorius XIII. Pont. Max. Anno Domini M.D.LXXXIII. Viuæ vocis oraculo approbauit, & concessit, vt sic ordinatæ imprimantur, & à fratribus eiusdem Ordinis dicantur.

Rubrica in festo Cõceptionis Beatæ MARIÆ Virginis.

Introitus.

EGredimini, & videte, &c. *Oratio.* Deus, qui per Immaculatam Virginis Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum præparasti: quæsumus, vt sicut ex morte eiusdem Filij sui præuisa, eam ab omni labe præseruasti, ita nos quoque mundos eius intercessione ad te peruenire concedas. Per eundem. *Epistola. Ex libro sapientiæ.* Dominus possedit me, &c. *Graduale.* ℣. Dilecta nostra candida, & Immaculata, quasi aurora consurgens. *Euangelium.* In illo tempore loquente Iesu ad turbas, &c. *Secreta.* Suscipere digneris per temetipsum benignitatis auctorem, rogamus Domine, Matris, ac domus tuæ zelatorum deuotas cum hilaritate supplicationes, vt sicut ipsa, tua gratia præueniente, mundo hodiè immunis apparuit: ita ipsi mundandi de tuę matris munere, te concedente, exhibeant gratiarum actionem. Per temetipsum Iesum Christum Filium suum, qui viuis, & regnas cum Deo Patre, in vnitate: *Præfatio de B. Virgine.* Et te in Conceptione.

Officia propria sanctorum Ordinis Minorum, quæ Pius V. Pont. Max. tam pro fratribus, quàm Monialibus eiusdem ordinis viua voce concessit; postea autem denuo correcta ex cõmissione Pauli Papæ V. & iuxta Breuiarium Romanum ex decreto sacrosancti Concilij Tridentini restitutum, Pij V. Pont. Max. iussu editum, & Clementis VIII. auctoritate recognitum etiam recognita, & emendata *Rubrica.* Die octaua Decembris in festo Conceptionis B. MARIÆ Virginis, duplex. *Ad Vesperas Añа.* Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias Adæ. *Aña.* 2. Tota pulchra es MARIA, & macula non est in te. ℣. Immaculata Conceptio est hodie Sanctæ MARIÆ Virginis. ℟. Cuius innocentia inclyta cunctas lætificat deuotas animas. ℣. *Pro infra octauam in Sabbatis.* In Conceptione tua Virgo Immaculata fuisti. ℟. Ora pro nobis Patrem, cuius Filium peperisti, *Oratio, vt supra.*

Ad Matutinum inuitatorium.

IMmaculatam Conceptionem Virginis MARIÆ celebremus. * Christũ eius præseruatorem adoremus Dominũ. *Ad primum Noct.* ℣. Liberasti me Domine ex ore leonis. ℟. Et à cornibus vnicornium humilitatem meam. *In 2. Noct. Aña.* 2. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem; nec flumina peccatorum obruent MARIAM. *Aña.* 3. A custodia matutina, vsque ad noctem sperauit MARIA in Domino, quia copiosa apud eum redemptio. ℣. Eruisti à framea Deus animam meam. ℟. Et de manu canis vnicam matrem meam. *In lectione* 4. *Ex sermone S. Hieronymi presbyteri.* Et verè plena, quia cæteris per partes, præstatur; MARIÆ verò simul se tota infudit plenitudo gratię. Verè plena, quia si in sanctis Patribus, & Prophetis gratia fuisse creditur, non tamen eatenus plena; in MARIAM verò totius gratiæ, quæ in Christo est, plenitudo venit, quamquam aliter, & ideò inquit: Benedicta tu in mulieribus, idest, plus benedicta, quàm omnes mulieres. Ac per hoc quidquid male-

Ee di-

dictionis infuſum eſt per Euam, totum abſtulit benedictio Mariæ. *Lect. V.* De ipſa Salomon in Canticis quaſi in laudẽ eius: veni, inquit, columba mea, immaculata mea; iam enim hiems tranſijt, imber abijt, & receſsit. Ac deinde inquit, veni de libano, veni coronaberis. Non immeritò igitur venire de libano iubetur, quia libanus candidatio interpretatur. Erat enim candidata multis meritorum virtutibus, & dealbata, nunc candidior Spiritus ſancti muneribus, ſimplicitatem columbæ in omnibus repræſentans: quoniam quidquid in ea geſtũ eſt, totum puritas, & ſimplicitas; totũ veritas, & gratia fuit; totum miſericordia, & iuſtitia, quæ de cœlo proſpexit, & ideò Immaculata, quia in nullo corrupta. ℟. Fac tibi arcam de lignis læuigatis, ruptique ſunt fontes abyſsi magnæ, * & factum eſt diluuium peccati ſuper omnem terram. ℣. Arca verò Deifera eleuata eſt in ſublime, & ferebatur ſuper aquas, opertiquè ſunt omnes mõtes excelſi ſanctorum; & factum eſt diluuiũ peccati ſuper omnem terram. *Lectio VI.* Hortus concluſus, fons ſignatus, emiſsiones tuæ paradyſus. Verè hortus deliciarũ, in quo cõſita ſunt vniuerſa florum genera, & odoramenta virtutum: ſicque concluſus, vt neſciat violari, neque corrumpi vllis inſidiarum fraudibus. Fons itaque ſignatus ſigillo totius Trinitatis. *Ad VII. lect.* ℟. Omnes moriemini, qui in Adam peccauiſtis, quid habes Eſther eleuata in populis? Ego ſum frater tuus, noli timere, non morieris, * non enim pro te, ſed pro omnibus hæc lex cõſtituta eſt. ℣. Nõ extinguetur in nocte lucerna tua, & nõ timebis à frigore niuis. Non enim pro te, ſed pro omnibus hæc lex conſtituta eſt.

Ad Laudes Aña. IV.

DOminus cuſtodit te ab omni malo Maria, cuſtodiuit animã tuam, introitum tuum, & exitum tuum in ſeculum. *Aña. V.* Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei, ſanctificauit tabernaculum ſuũ Altiſsimus. ℣. Non accedet ad te malũ. ℟. Neque flagellum appropinquabit tabernaculo tuo. *Ad Benedictus Aña.* Quàm pulchra es amica mea, columba mea, immaculata mea, & odor veſtimentorum tuorum ſuper omnia aromata. Allel. *Ad II. Veſperas. Aña.* Nihil eſt candoris, nihil eſt ſplendoris, nihil eſt virtutis, quod non reſplendeat in Virgine glorioſa. *Aña. II.* Quæ neque ſerpentis perſuaſione decepta, neque eius venenoſis afflatibus infecta eſt. *Aña. III.* Hanc, quam tu deſpicis Manichæe, mater mea eſt, & de manu mea fabricata. *Aña. IV.* Decuit Virginem ea puritate nitere, qua maior ſub Deo nequit intelligi. *Aña. V.* Hæc eſt virga, in qũa nec nodus originalis, nec cortex actualis culpæ fuit. *Ad Magnif. Aña.* Vnica eſt columba mea, vna eſt perfecta mea, vna eſt Genitricis ſuæ electa. Viderunt eam animæ ſanctæ, & immaculatam prædicauerunt. Allel.

Die ſeptima octaua ex S. Auguſtino Epiſcopo in libro de natura, & gratia contra Pelagianos. Cùm de peccatis agitur, de ſancta Virgine Maria propter honorem Domini nullam prorſus habere volo quæſtionem. Inde enim ſcimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quòd concipere, ac parere meruit eum, quem conſtat nullum habuiſſe peccatum. Hac ergo virgine excepta, ſi omnes illos ſanctos, & ſanctas, qui in ſcripturis ſanctis, non modò non peccaſſe, verum etiã iuſtè vixiſſe referũtur, cum hic viuerent, congregare poſſemus, & interrogare, vtrùm eſſent ſine peccato, quid fuiſſe reſponſuros putamus? Quantalibet fuerint in hoc corpore excellentia ſanctitatis, ſi interrogari potuiſſent, vna voce clamaſſent illud, quod ait Ioannes Apoſtolus, ſi dixerimus, quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. *Ibidem ex libro ſancti Ildephonſi Archiepiſcopi Toletani contra eos, qui diſputant de virginitate, & puritate B. Mariæ.* Totum quidquid in Maria fuit, poſſedit Spiritus ſanctus, quoniam virtus Altiſsimi eam obumbrauit. Quod ſi virtus Altiſsimi ab omni æſtu peccati eam obumbrauit in conceptu, & in partu; ſicut ab omni æſtu libidinis libera fuit, ita & ab omni preſſura maledictionis, non ex ſeſe, ſed ex virtute Altiſsimi immunis, & aliena fuit. Quapropter cogitet iſti diſputatores natura-

turarum leges, cogitent & diuinarum rerum virtutem; quia non ex natura rerũ diuinæ leges pendent, sed ex diuinis legibus naturæ rerum, & leges manare probatur.

In die octaua B. Mariæ duplex. Ex libro sancti Anselmi Episcopi de excellentia Virginis. Summa Dei sapientia nullam in massa creationis humanæ viam inuenit, per quam (vt disposuerat) in mundum veniens, tam luctuosæ perditioni subueniret, donec ad istam, de qua loquimur, Virginem ventum esset, &c. *Ex libro eiusdem de cõceptu virginali.* Decebat, vt Christi conceptio de matre purissima fieret. Nempè decens erat, vt ea puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi, virgo illa niteret, cui Deus Pater vnicum Filium suum, &c. *Ibidem ex dictis diuersorum sanctorum. Ex presbyteris Achaiæ, vt refert Aloisius Lypomanus.* Andræas Apostolus. Quomodo de immaculata terra factus fuerat homo primus, necessarium fuit, vt de Immaculata Virgine natus Christus vitam æternam, quam omnes perdiderant, repararet. Augustinus. Sicut primus Adam de limi materia figuratus est, ita secundus Adam, quasi de intacta, ac rudi terra, de virginis carne formatus est. Hieronymus. Hæc est hortus conclusus, fons signatus, puteus aquarum viuentium, ad quam nulli potuerunt doli irrumpere, nec præualuit fraus inimici, sed permansit sancta mente, & corpore, multis donorum priuilegijs sublimata. Idem in Psalmos. Pulchrè Propheta appellat virginem nubem diei. Nubes enim illa non fuit in tenebris, sed semper in luce. Anselmus. O benedicta super mulieres, quæ Angelos vincis puritate, & sanctos superas pietate.

OBSERVATIO.

HOc est, & fuit semper à tempore Six. IV. officium Immaculatæ Conceptionis in Ordine Minorum à Leonardo Nogarolio Protonotario Apostolico ordinatum, ab eodem Six. IV. speciali approbatione, & concessione indulgentiarum Ecclesijs traditum, à Leone X. confirmatum, & multorum ordine succedentium Romanorum Pontificum auctoritate munitum, reformatum quidem, vt alia officia, maiori tamen ex parte retentum, ita vt idem censeri debeat, & ab omnibus absque exceptione censeatur.

Approbasse, & confirmasse prædictum officium inter alia propria Ordinis Minorum Pium V. in quæstionem vocari non potest, nisi grauissimi testes falsitatis arguantur. Sic enim legimus in prædictorum officiorum codicibus. Officia propria sanctorum Ordinis Minorum, quæ Pius V. Pont. Max. tam pro Fratribus, quàm Monialibus eiusdẽ Ordinis viua voce concessit. *Habentur hæc verba in editionibus Antuerpiensibus, an.* 1622. 1627. 1634. 1636. 1641. 1643. *Venetijs, an.* 1615. *&* 1636. *Matritensibus, an.* 1611. 1619. 1623. 1631. *Parisiensi, an.* 1630. *Romana, an.* 1644. *typis Bernardini Tani, & alijs quàm plurimis facultate, & subscriptione P. Vincentij Martinelli Socij R. P. F. Nicolai Radulphi Sac. Palat. Apost. Magistri, & P. Hiacynthi Petronij Socij R. P. F. Gregorij Donat. Sac. Palat. Apost. Magistri comprobatis. D. Vincentius Iustinian. tract. Hisp. de Immac. Concept. §. 3. fol. 3.* Pius V. Papa, cuius sanctitas, & eruditio magnam merentur venerationem, an. 1569. die 25. Maij, viuæ vocis oraculo concessit, vt in toto Ordine S. Francisci posset recitari officium à Six. IV. publicatum. *Idem affirmant Hippolyth. Marrac. cap. 88. fol. 198. Tamaius de Salaz. ad an. 1568. Vuading. in legat. sect. 2. orat. 7. fol. 192. allegato etiam Regesto Procuratoris Generalis Rom. Curiæ pro Familia Cismontana, vbi hoc viuæ vocis oraculum annotatur.*

Gregor. XIII. etiam viuæ vocis oraculo supra descripto approbauit officia Missarum festorum Ordin. Min. Sixtus V. officia Breuiarij speciali Bulla, supra similiter relata, necnon Paulus V. viua voce, quem iam quoque dedimus, & in nulla harum approbationum Apostolicarum referunt se Summi Pontifices ad oraculum Pij V. nec illius suppositione nituntur, sed absolutè constituunt, ordinant, approbant, & omne subterfugium calumniatoribus præcludunt.

OF-

OFFICIVM PARVVM *Immaculatæ Conceptionis approbatum à duobus Summis Pontificibus.*

AD *Veſperas verſiculus*. In Conceptione tua Virgo Immaculata fuiſti,&c. *Oratio*. Vt ſicut Genitricem Filij tui de labe originalis maculę diuinitus præſeruaſti,&c. *Ad Matutinum. Aña.* 3. Virgo Immaculata accepit benedictionem à Domino. *Ad Laudes. Oratio*. Deus, qui Immaculatæ Virginis MARIÆ Conceptionem Angelico vaticinio parentibus prædixiſti, &c. *Ad Primam,Oratio*. Deus, qui per Immaculatam Virginis Conceptionem. *Ad Nonam oratio*. Magnificet te Domine glorioſæ Virginis MARIÆ Immaculata Conceptio, &c. *Verſiculus*. Confeſsionem, & decorem induiſti Virgo Immaculata.

OBSERVATIO.

PRædictum de Immaculata Conceptione paruum officium pro Monialibus Conceptionis compilatũ à ſupra memorato R.P. Ambroſio Monteſino Franciſcano, confirmatum, & approbatum extat in forma ſpeciali ab Innocentio VIII.& Iulio II. Summis Pontificibus, vt ex eorum diplomatibus ſupra poſitis conſtat.

EX BREVIARIIS SAcri Ordinis Prædicatorum S.P.N.Dominici.

BREVIARIVM SECVNdum Ordinem Fratrum Prædicatorũ *(excuſſum anno* 1527. *& aliàs)* nouiſsimè impreſsũ optimè correctum,& multis auctũ in ſanctuario lectionibus, vt diuinũ celebrantibus officium patebit. *Venetijs,an.*1546.*Rubrica, fol.* 206.*vel*217.

IN ſanctificatione Beatiſsimæ Virginis MARIÆ fiat officium, per Reuerendiſsimum Patrem Magiſtrum Vincentium de Caſtronouo, totius Ordinis noſtri olim Generalem Magiſtrum editum,quod eſt ſequens officium.

Ad Veſperas ſup. Pſal.

ANtiph. Iſta eſt ſpecioſa inter filias Hieruſalem, ſicut vidiſtis eam plenã charitate,& dilectione;ita & in vtero matris per copioſum ſanctificationis munus ab omni ſorde peccati mundata eſt.*Pſal.* Laudate,*cum cæteris.Capitulum.* Et ſic in Sion firmata ſum, & in ciuitate ſanctificata ſimiliter requieui, & in Hieruſalem poteſtas mea. ℟. Virgo decus,IX.

Hymnus.

O Patris magni ſapiens imago: Spiritum ſanctum generata ſpirans, alpha,& Ω. mirum,via,vita lumen Chriſticolarum.

Gloriæ ſplendor Deitate clarens, ipſe conceptus ſine labe ſolus, gratiæ matrem veniens ſecundò, ſanctificaſti.

Vnde qui primò fuerat ligatus, fomes omnino legitur peremptus, cuius occaſu generoſa Virgo libera manſit.

Ipſa nam carnis ſtimulos rebellis ſenſit hinc nullos; nec enim valebat, inde iã primos tolerare motus ſanctificata.

Nullus hac de re dubitat beatus, doctor,& verax etiam; ſed aiunt ventre cõtractam maculam piaſſe munera prima.

Namque ſanctorum copula parentũ, fœmina,vt ſimplex generata conſtat,vnde peccati,vel originalis non fuit expers.

Illa ſed tãto reparata caſu, Spiritus ſancti bonitate ſcitur,qui Dei templum Geniti futuram ſanctificauit.

Cuius in laudem reparationis talis en feſto tituli vacamus: Chriſte Rex clemens faueas præcamur, mente benigna.

Summa ſit virtus,honor,& triumphus ſimplici, & trinæ dominationi, quæ ſibi gratam reparans MARIAM, ſanctificauit. Amen.

℣. Aufer rubiginẽ de argento. ℟. Et egredietur vas puriſsimum. *Ad Magnif. Aña.* Tota ſpecioſa es & ſuauis ſancta Dei Genitrix,pulchra,vt Luna,electa, vt Sol, & ſpe-

ſpecioſa, vt Ieruſalem, quia per ſanctificationis gratiam nulla macula manſit in te; fauus diſtillans labia tua, mel, & lac ſub lingua tua. *Oratio*. Deus, qui Beatiſsimam Virginem Mariam poſt animæ infuſionem per copioſum gratiæ munus mirabiliter ab omni peccati macula mũdaſti, & in ſanctitatis puritate poſtea cõfirmaſti, præſta quæſumus, vt qui in honorem ſuæ ſanctificationis cõgregamur, eius interceſsionibus à te de inſtantibus periculis eruamur. Per, &c. *Ad Complet. Aña*. Virgo Maria. *Ad Nũc dimittis. Aña*. Corde, & animo. *Ad Matutinum. Inuitatorium*. Sanctificationem Virginis Mariæ celebremus. Chriſtum eius Filium adoremus Dominũ. *Pſal*. Venite exultemus.

Hymnus. Mater æterni generoſa Regis, Virgo ſed clemens, humilis, pudica, quas tuis laudes meritis coęquas ſoluere poſsit?

Tu ſuper cunctas benedicta fœtas, nõ modo partu rutilas, ſed ortu: ſola nam lucem ſine labe cernis, ipſa parentum.

Sancta naſcendo mulier fuiſſe, nulla te dempta, legitur, ſed omnis nata peccatum retinet, quovſque ſanctificetur.

De viris autẽ duo ſunt reperti, alter eſt pluſquã Domini Propheta; nã Deũ monſtrat digito, ſed alter eſt Hieremias.

Te ſed hi læti venerantur ambo, & tibi gaudent ſubijci, ſcientes eſſe prælatam Domini parentem, te ſibi iuſtè.

Menſe nam ſexto latitans Ioannes, vẽtre materno Domini recepit gratiam, quòd plus fuerit moratus, creditur alter.

Tu, ſed hi quàm ſint meritò fuiſti Spiritu Sancto citius repleta, namque mox viuens anima recepta purificaris.

Summa ſit virtus, honor, & triumphus, ſimplici, & trinæ dominationi, quæ ſibi gratam reparans Mariam, ſanctificauit. Amen. *Sup. Pſal. Aña*. Ecce tu pulchra es amica mea: ecce tu pulchra, oculi tui columbarum; quoniam eleuata eſt magnificentia ſanctificationis tuæ ſuper cælos. *Pſal*. Domine Dominus noſter. *Aña*. Poſuit redemptor in Virgine ſanctificata, ſicut in ſole tabernaculum ſuum, & ipſe tanquam ſponſus proceſsit de thalamo ſancto ſuo. *Pſal*. Cæli enarrant. *Aña*. Fauus diſtillans labia tua ſponſa, quoniam accepiſti ſanctificationis benedictionem à Domino, & miſericordiã purificationis à Deo ſalutari tuo. *Pſal*. Domini eſt terra. ℣. Aufer rubiginẽ de argento. ℟. Et egredietur vas puriſsimũ.

Lectio I.

Diem fratres dilectiſsimi ſumma cum veneratione celebrare delectat, quo Beatiſsima Virgo, antequam naſceretur, citiſsimè poſt ſui animationem per copioſum ſanctificationis munus creditur eſſe mundata. Quamuis enim, vt ait Bernardus B. Virgo originalem maculam à parentibus traxerit, eam tamẽ omnimodè conſtat à peccati contagio ſola Dei gratia priuſquam naſceretur fuiſſe mundatam. Hanc nimirum pietas Chriſtiana credere prohibet, vel minus à Ieremia in vtero ſanctificatã; vel non magis Spiritu ſancto à Ioanne Baptiſta fuiſſe repletam. Et alibi. Attende, inquit, obſecro, diligẽter, quàm ordinata diſpoſitione ſpiritus ille multiplex Ieremiam ſanctificat, replet Ioannem, & ſuperuenit in Mariam. Et Ieremiæ quidem admirãda ſanctificatio, qui etſi in peccato conceptus eſt, naſcitur tamen ſine peccato. Ioannem verò longe glorioſior virtus repleuit, quoniam ſanctificatus eſt à peccato, & ita dominãte ſpiritu ſuper infuſus, vt purgatus exeat, & repletus. Ineffabiliori autẽ modo Spiritus Sanctus ſuperuenit in Virginem, quã tota diuinitatis plenitudo ſine menſuræ diſcretione perfudit, vt non ſolùm a peccatis abluta, & repleta ſpiritu, ſed & de Spiritu Sancto concepiſſe credatur, quia quod in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt. Vides, quàm remotiori priuilegio ſpecioſus forma præ filijs hominum in conceptione ab alijs diſcretus ſit? Illi enim in peccatis, & de peccatis concepti ſunt, hic autem in Spiritu, & de Spiritu Sancto cõcipitur. ℟. Sanctificationem celebramus hodie Virginis Mariæ, qua maternis adhuc circumſepta viſceribus per copioſum munus gratiæ ab originali peccato ſublimiter mundata eſt. Cuius vita glorioſa lucem dedit ſeculo. ℣. Beatiſsimæ Virginis Mariæ ſanctificationem deuotiſsimè celebremus. Cuius.

Lectio II.

BEata nempè Virgo hac singulari prærogatiua in cōcipiendo refulget, quia nō Filium in originali peccato, quemadmodum cæteræ omnes, sed superueniēte Spiritu Sancto de sanctificatione concepit. Omnes enim, qui de massa peccatrice mundum ingrediuntur, pestem originalis peccati nobiscum trahimus. Solus ille excipitur, quem virginalis aluus, ignorante viro, terris effudit. Cùm enim cæteri omnes in iniquitatibus concepti sint, neminem vnquam mortalium infra materna viscera legimus sanctificatum, præter Ieremiam, & Ioannem Baptistam: quāquam de singulari Virgine nulla sit ambiguitas, quoniam & ipsa maternis circumsepta visceribus sublimiori sanctificationis gratia à peccato mundata sit, vtpotè sacrarium illud, in quo Dei Filius carnē erat suscepturus. Quod itaquè vel paucis mortaliū constat fuisse collatum; fas certè non est suspicari tantæ Virgini esse negatum, per quam omnis mortalitas emersit ad vitam. Fuit proculdubiò & Mater Domini ante sancta, quàm nata. Ego puto, quòd & copiosior sanctificationis gratia in eam descenderit, quàm in alijs ab vtero sanctificatis, quæ excluso peccato, non solū ipsius sanctificaret ortum, sed & vitam eius deinceps immunē ab omni peccato custodiret, quod nemini alteri in natis quidē mulierum creditur fuisse donatū. Decuit nimirum reginam virginum singulari priuilegio sanctitatis vitam ab omni peccato immunem ducere, quæ dum peccati, mortisquè peremptorem pareret, vitæ, iustitiæquè munus omnibus obtineret. Sanctus igitur fuit eius ortus, quem immensa ex vtero prodiens sanctitas fecit illum. Quoniam igitur præcessit absque sanctitate cōceptus, oportuit nimirum sanctificari iam conceptā, vt sanctus sequeretur ortus. ℟. Sāctificationis gratia copiosior in Virginē descendit, quàm in alijs ab vtero sanctificatis Quæ originali expulsa rubigine, vitam eius immunem deinceps ab omni peccato præseruauit. ℣. Decuit, vt illa puritate niteret, qua maior sub Deo nequit intelligi. Quæ originali.

Lectio III.

SI igitur Beata Virgo ante conceptum sanctificari minimè potuit, quoniam non erat; nec in ipso conceptu propter peccatū, quod inerat; restat, vt post conceptum in vtero iam existens sanctificationem suscepisse credatur, quæ excluso peccato sanctam fecerit natiuitatem, non autem cōceptionem. Quamobrem, etsi quibusdam, vel paucis filiorum hominum datum sit cum sanctitate nasci, nemini tamen donatum est cum sanctitate concipi, vt vni sanè sancti seruaretur prærogatiua conceptus, qui omnes sanctificaret, solusquè absquè peccato veniens purgationem faceret peccatorum. Solus itaquè Dominus Iesus est de Spiritu Sancto conceptus, qui solus, & in conceptione sanctus. Quo excepto vniuersos respicit ex Adam natos, qui vnus humiliter, & veraciter de seipso fatetur, dicens: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. ℟. Magna potens Dominus mihi munera contulit; omnes vnde ferrent gentes nomen ad astra meum. ℣. Nam vice me bina clementer sanctificauit. Vnde. Gloria. Nomen ad astra.

In 2. Nocturno.

ANtiph. Diffusa est gratia in labijs tuis Dei Genitrix Virgo, quia vnxit te Deus oleo sanctificationis, & lætitiæ præ consortibus tuis. *Psal.* Eructauit. *Aña.* Fluminis impetus lætificat ciuitatē Dei, sanctificauit tabernaculum suum Altissimus; Deus in medio eius non commouebitur. *Psal.* Deus noster. *Aña.* Homo natus est in ea, & ipse sanctificauit eam Altissimus, ideò gloriosa dicta sunt de te Virgo Maria, ciuitas Dei. *Psal.* Fundamenta. ℣. Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. ℟. Sanctificauit tabernaculum suum Altissimus.

Lectio IV.

HInc est, quòd Ambrosius ait, solus per omnia ex natis de fœmina sanctus in conceptione Dominus Iesus, qui terrenæ contagia corruptulæ immaculati partus nouitate non sensit. Solus enim Dominus Iesus sine peccato venit, & in carne, quæ in matre peccato fuerat obnoxia, militiam virtutis exercuit. Sanè credi oportet (vt Magister sententiarum ait, iuxta Sanctorum attestationis conuenientiam) carnem Filij Dei, priusquam conciperetur, peccato fuisse obnoxiam in Maria, sicut reliqua Virginis caro, sed postmodum, Spiritu Sancto superueniẽte, ita mundatam fuisse ab omni peccati contagione, vt immunis vniretur Dei Verbo. Mariam quoque totam Spiritus Sanctus in eam veniens à peccato prorsus mundauit, & à fomite peccati liberauit, vel fomitem ipsum penitus euacuando, vel sic debilitando, & extenuando, vt ei postmodum peccandi occasio nullatenus extiterit. Vnde & B. Augustinus ait: Solus ille etiam homo factus manens Deus peccatum nullum vnquam habuit; nec sumpsit carnem peccati, quamuis de materna carne peccati. Quod enim inde suscepit, illud profectò suscipiendo mundauit. Caro namquè Christi sanctificatione diuinæ gratiæ per donum Spiritus Sancti ita formata est, & in vnitate Filij Dei absque vlla originalis peccati sorde assumpta, vt ex ipsa Conceptione sanctificata nullum posset deinceps recipere peccatum. Cæteri enim homines ad hoc sanctificãtur, vt peccatis careant, quæ priùs habebant; solus verò Christus ad hoc sanctificatus est, vt peccatum in se nullum haberet. ℟. Dies sanctificationis illuxit nobis; venite gentes, adoremus Dominum. Qui fugatis tenebris animam matris copioso celestis gratiæ perlustrauit lumine. ℣. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Qui fugatis.

Lectio V.

ET contra Iulianum scribens sic ait: Omnes enim homines illorum primorum Parentum peccato nascũtur obnoxij. Hoc qui negat, Christianæ fidei fundamenta subuertere conatur. Vna est omnium Catholicorum firma fides, qui per vnum hominem peccatum intrasse in mundum, & per peccatum mortem, & ita in omnes pertransijsse vno corde credunt, vno ore fatentur, & vestras nouitias præsumptiones Catholica antiquitate subuertunt. Propter hanc enim Catholicam veritatem Sancti, ac beatissimi in diuinorum eloquiorũ pertractatione clarissimi sacerdotes Irenæus, Cyprianus, Rheticius, Olympius, Hilarius, Ambrosius, Gregorius Theologus, Innocentius, Ioãnes, Basilius, quibus velis, nolis, addo Hieronymum presbyterum, aduersus vos proferunt de omnium hominum peccato originali obnoxia successione sententiam. Vnde nemo eruitur, nisi solus ille, quem sine lege peccati virgo concepit. Adam enim mortuus est propter peccatum. Maria ex Adam mortua est propter peccatum. Caro verò Domini ex Maria mortua est propter delenda peccata. Teneamus ergo indeclinabilem fidei cõfessionem. Solus vnus est, qui sine peccato natus est in similitudinem carnis peccati, & sine peccato mortuus est propter nostra peccata. ℟. Felix namque es sacra Virgo Maria, & omni laude dignissima; quia gloriosior sanctificationis virtus te in vtero matris à primaria labe purgauit, fomitẽ peccati extinxit, amictu munditiæ decorauit. Et in sanctitatis puritate postea confirmauit. ℣. Quod nemini inter natos mulierum creditur fuisse donatum. Et in sanctitatis.

Lectio VI.

QVid enim incoinquinatius illo vtero Virginis, cuius caro, etsi de peccati propagatione venit, non tamen de peccati propagatione concepit? Proinde quamuis corpus Christi de carnis semine assumptum sit, quæ de illa carnis peccati propagatione concepta fuerat; quia tamẽ non

non sic in ea conceptum est, quomodo fuerat illa concepta; idcircò ipsum non fuit caro peccati, sed similitudo carnis peccati. Quid est caro peccati, nisi illa, quæ mortem habet, & peccatum? Quid est similitudo carnis peccati, nisi illa, quæ mortem habet sine peccato? Similitudo enim carnis peccati est, in qua fuit pœna sine culpa. Caro verò peccati est, in qua culpa fuit, & pœna: & hinc apparet, & illam carnis concupiscentiam, per quam Christus nequaquam concipi voluit, fecisse in humano genere propagationem peccati, quam Mariæ corpus, quamuis ex tali concupiscentia venerit, non tamen eam traiecit in prolem, quam non inde concepit. Cùm enim sit in semine, & visibilis corpulentia, & inuisibilis ratio vtrumque currit ab Adam vsque in corpus Mariæ; quoniam & ipsum eodem modo conceptum est, sicut corpus aliorum. Christus verò visibilem carnis corpulentiam de Maria Virgine assumpsit; ratio verò conceptionis non à virili semine, sed longè aliter, ac desuper aduenit. Vulnus autem præuaricationis Adæ trãsfunditur per omnem carnem ab ipso seminali ratione propagatam. Cæterũ corpus Christi inde dictum est venisse in similitudine carnis peccati, quia eo excepto omnis reliquorum hominum caro, est caro peccati. Quisquis hoc negat, & carnem Christi ita comparat carni cæterorum hominum nascentium, vt vtramque afferat esse æqualis puritatis, detestandus hęreticus inuenitur. Hęc omnia Augustinus. ℞. Munere maiori priùs es, quoque flamine plena; quo superas cunctos, sanctificata viros. ℣. In te nã fomes vinctus fuit inde peremptus. Quo. Gloria. Sanctificata.

In 3. Nocturno.

ANtiph. Annunciate inter gentes gloriam, & pulchritudinem eius, quoniam sanctimonia, & magnificentia fuit in sanctificatione eius. *Psal.* Cantate. Añа. Lætamini iusti in Domino, & adorate eam omnes Angeli eius, & confitemini memoriæ sanctificationis eius. *Psal.* Dominus regnauit exultet. Añа. Mirabilia fecit Dominus in sanctificatione virginis; notum fecit salutare suum recordatus misericordiæ suæ. *Psal.* Cantate Domino. ℣. Speciosa facta es, & suauis. ℞. In delitijs tuis sancta Dei Genitrix.

Lectio VII.

HInc est, quod Gregorius ait, nullus Sanctorum quãtumlibet virtutibus plenus existat, vllo modo potest æquari ei, de quo ad distinctionẽ nostræ sanctitatis dictũ est. Quod ex te nascetur sanctũ, vocabitur Filius Dei, & quod in ea natũ est, de Spiritu sancto est. Nos quippè etsi sancti efficimur, non tamen sancti concipimur, quia conditione naturæ corruptibilis constringimur, vt cum Propheta dicamus: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea Solus igitur ille veraciter sanctus est natus, qui ex commixtione carnalis copulæ non est conceptus. Alij verò sancti, qui ex peccati nigredine ad gratiã veniunt, nequaquam æquari Deo homini in puritate possunt. Solus igitur Christus in carne sua mundus à peccato extitit, quia huc per carnalem delectationem nõ venit. Beatus quoque Eusebius Emissenus ad B. Virginem sermonem dirigens sic ait; initiator omnium rerũ abs te Virgo initiatur, & sanguinem pro mundi vita fundendum de corpore tuo accepit, ac de te assumpsit, vnde etiam pro te soluat. A peccati enim originalis nexu nullus immunis extitit, nec etiam ipsa Genitrix redemptoris. Solus Christus licèt de debitrice nascatur, originalis peccati debito non tenetur. ℞. Gloriosa huius diei solemnia deuota celebremus veneratione, qua Dei Genitrix Virgo ineffabiliori sanctificationis gratia cæteris candidior, & clarissima resplenduit. Cuius virtute peccati fomes in ea extinctus, vel adeò debilitatus remansit, vt postmodum ei peccãdi occasio nullatenus extiterit. ℣. Cęteris per partes gratia data est; Mariæ verò se infudit totius gratiæ plenitudo. Cuius virtute peccati.

Lectio VIII.

BEatus quoque Leo Papa hanc veritatem fatetur, dicens: Terra enim carnis humanæ, quæ in prima fuerat præuaricatione maledicta, in hoc solo Virginis par-

partu fructum edidit benedictum, & à vitio suæ stirpis alienũ. Cùm enim in omnibus matribus non fiat sine peccati sorde conceptio, hæc sola prolem sine peccato concepit. Quò enim paterni seminis transfusio non peruenit; illic peccati se origo non immiscuit. Assumpsit enim ex matre naturam, non culpam. Fides enim Catholica, & singularis in eo solo acquirit salutem, in quo solo se homo inuenit innocentem; nam & Hieronymus ait: vnica est anima Christi, quæ sola sine peccato fuit. Iustos quippe posse homines esse concedo; sine autem omni peccato neminem posse esse affirmo. Etenim absque omni peccato esse Christi proprium est, sibique soli competit, omnisquè humana creatura peccato subiacet, & indiget Dei misericordia. Magnus autem Athanasius sic ait: Christus enim singulariter sanctus, & ab omnibus alijs in sanctitate dissimilis, quia ipse solus sanctitatem simul cum natura susceperat. Et B. Theofilus; multæ, inquit, fuerũt sanctæ mulieres, nulla tamen nisi sola virgo prolem sine peccato concepit. Vnde, vt ipsa ab alijs discerneretur, sibi ab Angelo dictum est: benedictus fructus ventris tui. Ipsa enim sola fructum benedictum protulit, quia Filium sine peccato concepit, *Resp.* AVE MARIA gratia plena Dominus tecum, Spiritus Sãctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi: Quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur Filis Dei. *Vers.* Benedicta, & benerabilis es Virgo MARIA, quia sine tactu padoris, tuum, & omnium concepisti Redemptorem. Quod enim ex te.

Lectio IX.

HOC Est, quod sanctus Anselmus nobis clarius patefecit, dicens: licet quippe ipsa Christi Conceptio munda sit, & absque omni peccato, virgo tamen ipsa vnde assumptus est, in iniquitatibus concepta est, & in peccatis concepit eam mater eius, & cum originali peccato nata est. Et infra: virgo illa, de qua loquimur, de qua homo ille assumptus est, de illis est, qui ante natiuitatem eius mundati sunt à peccato, & in ipsa eius munditia de ea assumptus. Et alibi. Decuit, inquit, vt virgo, quam Deus vnigenito suo præparauerat in matrẽ, illa puritate niteret, qua maior sub Deo nequit intelligi. Quomodo autem à peccato mundata sit, dixi; vbi de eo, quo agitur, aliam rationem reddidi. Et in quadam meditatione ad Deum loquens sic ait: animã gloriosæ Virginis MARIÆ in macula culpæ originalis creasti, sed cõsequenter eamdem à primaria labe purgasti, & amictu munditiæ decorasti, & in sãctitatis puritate postea confirmasti. Cum hæc ita se habeant, fratres charissimi, festiuitatem hanc ad sanctificationis diem referentes firmiter teneamus, vt sancti tradidere Doctores, beatissimam Virginem post sui animationem citissimè, & prope rapidissimè ab originali peccato diuina virtute fuisse mundatam. Credamus insuper, vt dignum est, virginum Reginam post vltimam susceptam sanctificationẽ tanta puritate, tanta munditia, tanto spirituali nitore, ac omnium gratiarum splendore coruscasse; quanto nedum humanũ ingenium excogitare sublimius, verum nec purius aliquid amplissimo cæli ambitu contineri potest. Sanctitatem verò Conceptionis soli Christo sancto sanctorum attribuamus, qui solus, vt sancti asseruere Doctores, hac singulari prærogatiua gaudet per infinita sæcula sæculorum, Amen. *Resp.* Virgo decus cæli tanto fulgore coruscas; quanto nullus adhuc Angelus orbe nitet. *Vers.* Sanctificata Deum generas, nam lumine tanto. Quanto. Gloria. Angelus. *Vers.* Ora pro nobis.

In Laudibus.

ANtiph. Sanctificatio est hodie Beatæ MARIÆ Virginis, quæ originali exclusa rubigine, vitam eius immunẽ ab omni peccato præseruauit. *Psal.* Dominus regnavit. *Aña.* Sanctificationis gratia copiosior in Virginem descendit, quàm in alijs ab vtero sanctificatis. *Psal.* Iubilate. *Antip.* Cæteris per partes gratia data est; MARIÆ verò se infudit totius gratiæ plenitudo. *Psal.* Deus Deus meus. *Antip.* O pretiosum sanctificationis munus,

quo Virgo homines excedit puritate, & Angelos superat claritate. *Cantic.* Benedicite omnia opera. *Antip.* Decuit, vt B. Virgo sua sanctificatione illa puritate niteret, qua maior sub Deo nequit intelligi. *Psal.* Laudate Dominum de cælis. *Cap.* Et sic in Sion firmata sum.

In Laudibus Hymnus.

VIrgo præcelsi genitrix tonãtis, nata quę tanti Geniti vocaris, matris excedens vtero forasque sanctificatos.

Da rogo dulci modulo thaliæ, versibus gratis valeant referre; gratia cunctos superes creatos, qualiter ipsa.

Sanctior cunctis muliere natis, Angelis mundis etiam fuisti, qui semel saltem poterant receptum perdere munus.

Sic homo simplex, mulierve iusta, orbe dum viuunt leuiter supernum, aut valent Regem grauiter loquendo lædere cæli.

Virgo peccatũ neque perpetrasti grãde, vel paruum, neque potuisti; mansit ast in te decor ille primus semper abundãs.

Nam tuo Regno iacuit tyrannus, non vt in sanctis alijs solutus, vsquequo plenè fuit inde pulsus, inclyta mater.

Nec tibi solum tua corporalis, atque mentalis species fauebat, te sed inspecta fluuidi redibant, inde pudici.

Summa sit virtus, honor, & triũphus, simplici, & trinæ dominationi, quæ sibi gratam reparans MARIAM, sanctificauit, Amen.

℣. Elegit eam, &c. ℟. Et habitare eam facit. *Ad Benedictus Antip.* Speciosa facta es, & suauis per tuam mirabilem sãctificationem sancta Dei Genitrix, quam videntes filiæ Sion vernantem in floribus rosarum, & lilijs conuallium beatissimã prædicauerunt, & reginæ laudauerunt eã *Ad Tertiam Capit.* Et sic in Sion. ℟. Aufer rubiginẽ de argento, Allel. Allel. Et egredietur vas purissimum, Allel. Gloria Aufert. ℣. Fluminis impetus. *Ad Sextam Capit.* Factum est in die, qua compleuit Moyses tabernaculum, erexit illud, & sanctificauit cum omnibus vasis suis. ℟. Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei Allel. Allel. ℣. Sanctificauit tabernaculum suum altissimus. Allel. ℣. Speciosa facta es. *Ad Nonã Capit.* Postquam perfecta sunt omnia, nubes operuit tabernaculum, & impleuit illud gloria Domini. ℟. Speciosa facta es, & suauis, Allel. Allel. ℣. In delitijs tuis sancta Dei genitrix Allel. ℣. Elegit eam Deus, & præelegit eam ℟. Et habitare eam facit in tabernaculo suo. *In secundis Vesperis.*

Ad Magnificat Antip. Hæc est gloriosa illius diei solemnitas, in qua Dei Genitrix Virgo per copiosum sanctificationis munus, quasi aurora processit inter filias Ierusalem, speciosissima resplenduit, & cæteris clarior, candidior refulsit. Allel.

Breuiarium Ordinis Prædicatorum iuxta decreta Capituli generalis Salmanticæ, anno 1551. celebrati, & aliorum sequentium Capitulorum reformatum, & auctum, & auctoritate Apostolica cõprobatum: nunc denuo correctum auctoritate R.P. F. Seraphini Caualli, Magistri generalis *Salmanticæ* 1579. *Rubrica fol.* 305 In festo Sanctificationis B. MARIÆ Virginis omnia pręter lectiones, de officio Natiuitatis ipsius assumantur, mutato Natiuitatis vocabulo in Sanctificationem.

Breuiarium iuxta ritum sacri Ordinis Pędicatorum, *impressum Romæ iussu R. P. Hieronymi Hsauierre, fol.* 605. *Rubrica.* In Sanctificatione Beatissimæ Virginis totum duplex. Omnia præter lectiones infrascriptas de officio Natiuitatis ipsius assumantur, mutato Natiuitatis vocabulo in Sanctificationem. *In primo noctur. lectio* 1. Ab initio, & ante secula, &c. *In secundo noctur. lectiones* S. Ambrosij Episcopi de Virginibus. *In tertio noct. Euangel.* Liber generationis, &c. Homilia Sãcti Augustini lib. 2. de consensu Euangelistarum.

Breuiariũ *R. P. F. Nicolai Rodulphi, impressũ anno* 1625 *f.* 619. *Rubrica,* In Conceptione B. MARIÆ totum duplex. Omnia pręter lectiones infrascriptas de officio Natiuitatis ipsius, mutato Natiuitatis nomine in Conceptionis. *Lectio* 1. *noctur.* Ab initio, & ante sęcula. *In* 2. *noctur.* lectiones ex S. Ambros. *In* 3. *noct.* ex S. August. *vt supra.* Mis-

Missale *impressum anno* 1639 *fol.* 268. *Rubrica*, In Conceptione B. Virginis MARIÆ. *Omnia, vt in Natiuitate eiusdem.*

EX MISSALI SACRI Ordin. Prædicat. die octauo Decembris in Sanctificatione Beatissimæ Virginis MARIÆ. Officium.

Introitus

RORate cæli desuper, & nubes pluāt iustum, aperiatur terra, & germinet Saluatorem. ℣. Et iustitia oriatur simul: ego Dominus creaui eum. Gloria Patri, &c. Gloria in excelsis Deo.

Oratio.

SVpplicationem seruorum tuorū Deus miserator exaudi, vt qui in Sanctificatione Dei Genitricis, & Virginis congregamur, eius intercessionibus à te de instantibus periculis eruamur. Per eundem, &c. *Lectio libri Sapientiæ*. Ab initio, & ante secula, &c. ℟. Adiuuabit eam Deus vultu suo; Deus in medio eius non commouebitur. ℣. Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. Sanctificauit tabernaculum suum altissimus, Allel. ℣. Magnificat anima mea Dominū, & exultabit spiritus meus in Deo salutari meo. *Euangelium secundum Lucam. cap.* 1. In illo tempore missus est Angelus, &c. Credo. *Offertorium*. AVE MARIA, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. *Secreta*. Vnigeniti tui, Domine, nobis succurrat humanitas, vt qui natus de Virgine matris integritatem non minuit, sed sacrauit; in sanctificationis eius solemnijs à nostris nos piaculis exuens, oblationem nostram sibi faciat acceptam. Qui tecum viuit, &c. *Præfatio*. Et te in Sanctificatione. *Communio*. Beata viscera MARIÆ Virginis, quæ portauerunt æterni Patris Filium. *Post communio*. Sumpsimus Domine celebritatis annuæ votiua sacramēta; præsta quæsumus, vt & tēporalis nobis vitæ remedia præbeant, & æternæ. Per Dominum, &c.

HORÆ BEATÆ MARIÆ Virginis ad vsum Fratrū Prædicatorum Ordinis Sancti Dominici: figuris vtriusque testamenti, ac peruenustis imaginibus, & ijs quidem nō paucis, passim decoratæ, atque officio Conceptionis Immaculatæ Virginis, & officio Sancti Dominici in alijs horarijs hactenus impressis nequaquam insertis adauctæ.

VENVNDANTVR Parisijs in edibus viduæ spectabilis viri Thielmānij Keruer, in vico Diui Iacobi sub signo vnicornis. Vbi & impressæ anno M.D.XXIX.

Sequitur officium de CONCEPTIONE *Beatæ MARIÆ Virginis.*

Ad Matutinas.

DOmine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam. Deus in adiutorium meum intende. Domine ad adiuuādū me festina. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in secula seculorum, Amen. *Hymnus*. Benedicta Cōceptio Virginis Matris MARIÆ festiuetur cum gaudio; adsit dies lætitiæ. Lætetur tota regio seruiens Regi gloriæ. Non obstante obiurgio detrahentis inuidiæ. ℣. In conspectu altissimi Immaculata permansisti. ℟. Dei Genitrix intercede pro nobis. Domine exaudi orationem meam. Et clamor meus ad te veniat. *Oratio*. Deus, qui pro salute humani generis carnem gloriosæ Virginis MARIÆ assumere dignatus es; & ipsam sine macula Concipiendam ante secula in matrem præelegisti; cōcede propitius, vt

qui

qui de eius Conceptione, quæ fuit nostræ redemptionis, necnon temporum plenitudinis exordium, lætamur; eius pijs intercessionibus ab instantibus periculis, & à morte perpetua præseruemur. Qui viuis, & regnas Deus. Per omnia sæcula seculorum. Amen. Benedicamus Domino. Deo gratias. Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. Amen.

Ad Primam de Conceptione.

DEus in adiutorium meum intende. Domine ad adiuuandum me festina. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. Sicut erat in principio. *Hymnus.* Erubescant insensati, qui respuunt celebrare mysteria tam sacrati diei, ac festiuare: Quo fuerunt copulati vir cũ sua muliere. Pessime sunt aduisati sic volentes deuiare. ℣. *& oratio, vt supra.*

Ad Tertiam de Conceptione.

DEus in adiutorium meum intende. Domine ad adiuuandum me festina. Gloria Patri. Sicut erat. *Hymnus.* Conceptio laudabilis ab Angelo nũciata MARIÆ tam amabilis in conceptu præseruata. Est vnde venerabilis Ecclesia illustrata. Et in suis miraculis, & laudibus honorata. ℣. *& oratio, vt supra.*

A Sextam de Conceptione.

DEus in adiutorium meum intende. Domine ad adiuuandum me festina. Gloria Patri Sicut erat. *Hymnus.* AVE Regina cælorum inter omnes mitissima. AVE decus Angelorum inter omnes pulcherrima: simul & Archangelorum omni laude dignissima. Quæ concepta vitiorum sine labe purissima. ℣. *& oratio, vt supra.*

Ad Nonam de Conceptione.

DEus in adiutorium meum intende. Domine ad adiuuandum me festina. Gloria Patri, & Filio. Sicut erat in. *Hymnus.* Vnum corpus, & viscera, quæ Dominum portauerunt; virginalia vbera, quæ ipsummet lactauerunt, beata sint & opera tua: & qui crediderunt: Quæ sine labe concepta post, & ante remanserunt. ℣. *& oratio, vt supra.*

Ad Vesperas de Conceptione.

DEus in adiutorium meum intende. Domine ad adiuuandum me festina. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen. *Hymnus.* Salue Mater Saluatoris, quæ es soror insignita. Salue, quæ Deum paris, Angelorum spes, & vita. Salue virgo singularis, verè sacra margarita. Salue quæ stella maris es sine labe concepta. ℣. *& oratio, vt supra.*

Ad Completorium de Conceptione.

COnuertenos Deus salutaris noster: Et auerte iram tuam à nobis. Deus in adiutorium meum intende. Domine ad adiuuandum. Gloria. *Hymnus.* Matris Dei Conceptio est nostræ redemptionis potissima incæptio, atque reparationis: Et non mirum, exemptio antiquæ contagionis. Fuit & in principio ipsius creationis perpetua saluatio. ℣. *& oratio, vt supra.*

Recomendatio.

COnceptionis honore has horas Christe dicimus, corde deuoto, & ore Matris tuæ, quam petimus, vt nos mundes à fœtore peccatorum, quæ fecimus. Precum suarum fauore, vt in cœlo tecũ simus, Amen.

AVE, Cuius Conceptio solemni plena gaudio, cælestia terrestria noua repler lætitia.

AVE, Cuius natiuitas nostra fuit solemnitas, vt Lucifer lux oriens verum solem præueniens.

AVE Pia humilitas, sine viro fœcunditas: cuius annuntiatio nostra fuit redemptio.

AVE Vera Virginitas, Immaculata castitas, cuius purificatio nostra fuit purgatio.

AVE

AVE Præclara omnibus Angelicis virtutibus: cuius fuit assumptio nostra glorificatio.

℣. Ora pro nobis Sanctissima Dei Genitrix. ℟. Vt digni efficiamur promissionibus Christi.

Oratio.

DEus, qui nos Conceptionis, Natiuitatis, Annuntiationis, Purificationis, & Assumptionis Beatæ MARIÆ Virginis gaudia recolendo lætificas: concede nobis sic eius laudibus dignè insistere, vt eã in omni necessitate, & angustia, præcipuè in hora mortis assistentem, & auxiliatricem sentiamus; & tecum post mortem per ipsam, & cum ipsa gaudere mereamur in cælis. Per te Iesu Christe Saluator mundi, qui cum patre, & spiritu Sancto viuis, & regnas Deus. Per.

Inuiolata, integra, & casta es MARIA, Quæ es effecta fulgida cæli porta. O mater alma Christi Charissima. Suscipe pia laudum præconia, nostra vt pura pectora sint, & corpora. Te nunc flagitant deuota corda, & ora tua per precata dulcisona. Nobis concedas veniã per sæcula. O benigna. O benigna. O benigna. Quæ sola inuiolata permansisti.

OBSERVATIO.

H*Æc sunt præcipua officia sacri ordinis Prædicatorum, quæ ad manus nostras peruenerunt: ea vidimus, legimus, & apud nos in communi Bibliotheca Franciscani cœnobij Matritensis seruamus. In hac autem officiorũ varietate licet animaduertere, nec totam illam illustrissimam familiã, & Beatissimæ Virginis obsequio cum primis deditam, in celebranda eius Conceptione sub* Sanctificationis *nomine conuenisse, cum eodem tempore horariæ preces clarè, & palam IMMACVLATAM CONCEPTIONEM prædicantes excuderentur: multò minus in sugillanda adeo acerbè, & vafrè opinione pia, (quod non absque ingenti animi dolore scribimus,) sub prætextu diuini cultus; sed diu ante meditatum negotium magis potentia, & vi, quàm libero suffragiorũ, animorum ve consensu perfectum. Primitus enim Prædicatorum Ordinem festum Cõceptionis Beatissimæ Virginis celebrasse multi obseruarunt, & latissimè Doctor Marcus Antonius Palæus à fol. 79. & deinceps: & colligitur ex Raymundo Lullo in prologo tractatus de Conceptione fol. 1. sic loquente.* Contigit, quòd sedens in choro Fratrum Prædicatorum Auinnione 7. mens. Decembris sæcularis quidam, & pauper Canonicus, dum vesperos Conceptionis Virginis MARIÆ Fratres solemniter celebraret, alloquutus est, &c. *Exarsit postea vltra modũ cõtentio, quã præ omnibus pugnacissimè exercuit Vincẽtius Bandelus (aliàs de Bãdelis) à Castronouo primũ Bononiensis cœnobij Prior, & eiusdẽ studij Regens, deinde Prouinciæ Lõbardiæ Vicarius, ac tandem Magister generalis, Romæ electus anno 1501. teste Lopezio parte 5. Chronic. Dominic. lib. 1. fol. 67. & munere per quinquennium administrato, obijt septuagenarius in cœnobio Montis alti in Calabria anno 1506. Huius ab aliquibus existimatur Tractatus sine nomine auctoris contra* Immaculatam *Virginis Conceptionem, editus anno 1475. & Comiti Petro de Gambara dicatus. Sed anno 1481. proprio nomine adscripto, disputationem, vt vocat, solemnem ad Herculem Estensem Ferrariæ Ducem, directam publicauit, non sine grauissimis in totum Ordinem Minorum conuitijs: eamque iam Magister generalis auctam recudit, anno 1502. præfixa etiam secunda Sixti IV. Extrauagante,* Graue nimis, *tantum non vt impugnaret; nam officium Leonardi Nogarolij ab eodem Pontifice approbatum, & manifestè in alienos sensus detorquet, & liberrimè exagitat.*

Nec eo contentus, altare contra altare *extruxit, vt quondam S. Augustinus in alia causa conquestus est, & officium officio opposuit: sic enim, si meministi optimè Lector, titulus habet:* Officium per Reuerendissimum Patrem Magistrũ Vincentium de Castronouo, totius Ordinis nostri olim Generalem Magistrum editum: *quem non alium à Bandelo esse, & vtrumque cognomen habuisse, tam ex eius libris, tum ex Antonio Lusitano, & Alphonso Placentino in Bibliothe. Ordinis Prædicat. folio 439. Antonio Posseuino tom. 2. Apparatus sacri,* *Psal. cõt. part. Donat. tom. 7.*

& omnibus, qui de eo egerunt, absque dubio constat.

Qualem verò disputatorem, & quàm in SS. Patrum testimonijs producendis fidelem se Bandelus præstiterit, iam olim detexerunt viri doctissimi, nominatim Ægid. de Præsentat. lib. 3. quæst. 4. artic. 4. §. 1. folio 248. Illustrissi. Sosa Apolog. pro Concept. à folio 31. ad 36. Anton. Legionensis Bibliot. Marianæ classe IX. in Appendice, Vvading. in legat. sect. 2. orat. 5. folio 133. Sed cum præcipuæ nostræ defensionis partes in veris, tam pro pia opinione, quàm contra eam, & rationibus, & auctoritatibus eruendis positæ sint, officij Lectiones, quæ speciosis Patrũ nominibus decorantur, accuratè examinare cogimur, vt collatione cũ exemplaribus facta, legẽtibus pateat, an res ipsæ solidæ, an magnorum nominum vmbræ nobis à suspicioso teste Bandelo obtrudantur: & simile licentiam in scriptis diuino cultui destinatis sumpserit, ei, quam in scholis, & priuatis libellis vsurpauerat.

Collatio Lectionum officij Sanctificationis B. Virginis MARIÆ, editi à R. P. Vincentio Bandelo de Castronouo cum ipsis SS. Patrum fontibus, vnde haustæ dicuntur.

Lectio prima.

SIc *ergo in prima lectione Bandelus præfatur.* Diem, fratres dilectissimi, summa cum veneratione celebrare delectat, quo Beatissima Virgo, antequam nasceretur, citissimè post sui animationem, per copiosum sanctificationis munus creditur esse mundata. *Hoc nimirum celebrat Ecclesia ex mente Bandeli, & huic Sanctificationi festum summæ venerationis dicatum esse credi debet absque vllo testimonio antiquitatis.*

Pergit. Quamuis enim, vt ait Bernardus, Beata Virgo originalem maculam à parentibus traxerit; eam tamen omnimode constat à peccati contagio, sola Dei gratia, prius quàm nasceretur, fuisse mundatam. Hanc nimirum pietas Christiana credere prohibet, vel minus à Hieremia in vtero sanctificatam, vel nõ magis Spiritu Sancto à Ioãne Baptista fuisse repletam.

Verba Bernardi sunt serm. 2. de Assumpt. Beatæ MARIÆ, fol. 48. in edit. Lugdun. anno 1538. in Antuerp. autem anno 1609. col. 250. Absit enim, vt proprij quidquã inquinamenti domus hæc (*loquitur de B. Virgine MARIA sub metaphora domus*) aliquando habuisse dicatur, vt in ea proinde scopa Lazari quæreretur. Quod si originalem à parentibus maculam traxit; sed minus à Hieremia Sanctificatam in vtero, aut non magis à Ioanne Spiritu Sancto repletam, credere prohibet pietas Christiana. Hæc enim festis laudibus nascens honoratur. Postremò cùm omnimode constet ab originali contagio sola gratia mundatam esse MARIAM; & *post duas lineas* vt omnino pium est credere, proprium MARIA debitum non habuit, nihilhominus ab innocentissimo corde etiam pœnitentia longè fuit.

Hic primo Bandelus, omissa particula, Si *& tempore verbi mutato,* traxit *in* traxerit, *de conditionata propositione fecit absolutam: nimirum Bernardus de peccatis actualibus loquebatur, & Lazarum pœnitentiæ typum à Mariana domo excludebat; quod Bandelus, quia ad rem suam non faciebat, prætermisit; nos, quia ad nostram maximè facit, apponere grauati non sumus. Itaque Bernardus de peccato originali quæstionem obiter tangens, conditionali particula vsus est, vt solent optimi quique Scriptores, cùm aliquid etiam contra propriam sententiam indicare volunt: nec fas cuiquam est ex similibus digressionibus eorum mentem quasi manifestam colligere: nam* improbè facit (*vt ait ille*) qui in alieno libro ingeniosus est. *Secundò Bandelus clausulas loco mouit, vt post peccati originalis contractionem mundatã MARIAM, Bernardo auctore assereret, cum mundationẽ, sicut purgationem, sanctificationem, iustificationem, non semper pro mutatione à termino contrario, sed frequenter à negatiuo in scholis accipi non ignoraret. Tertiò, voces illas,* prius quam nasceretur, *de suo addidit: eas scilicet in lectionis exordio proposuerat, &*

non

non se Bernardo, sed sibi Bernardum adaptare studebat. Quartò, orationem causalem Bernardi transilijt: hæc enim festis laudibus nascens honoratur. *Sed cui bono? non obscura res est. Verebatur Bandelus, ne, cum Ecclesia MARIAM conceptam festis laudibus honoraret, eius Conceptio iuxta Bernardi pronuntiatum Sancta esset. Quinto, totam auctoritatem, vt initio, sic fine truncauit, vnde S. Doctorem de peccatis actualibus loqui innotescere poterat, & solum media verba aliorsum tracta nobis dedit.*

Pergit Bandelus Bernardum allegans. Et alibi. Attende, inquit, obsecro, diligenter, quàm ordinata dispositione spiritus ille multiplex Hieremiam sanctificat, replet Ioannem, & superuenit in MARIAM. Et Hieremiæ quidem admiranda Sanctificatio: quia etsi in peccato cōceptus est, nascitur tamen sine peccato. Ioannem verò longè gloriosior virtus repleuit: quoniam sanctificatus est à peccato, & ita dominante spiritu super infusus, vt purgatus exeat, & repletus. Ineffabiliori autem modo Spiritus Sanctus superuenit in Virginem: quam tota diuinitatis plenitudo sine mensuræ discretione perfudit: vt non solum à peccatis abluta, & repleta spiritu, sed & de Spiritu Sancto concepisse credatur: quia quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est. Vides, quàm remotiori priuilegio speciosus forma præ filijs hominum in Conceptione ab alijs discretus sit? Illi enim in peccatis, & de peccatis concepti sunt; hic autem in spiritu, & de Spiritu Sancto concipitur.

Locus hic ex sermone de priuilegijs S. Ioannis Baptistæ acceptus est: qui sermo non est Bernardi indubitatus, & ab aliquibus editionibus abest, vt à Lugdunensi 1538. *extat autem in Antuerp.* 1608. *col.* 1685. *his omnino verbis.* Attēde, obsecro, diligenter, quā ordinata dispositione spiritus ille multiplex Hieremiam sanctificat, Ioannem replet, & superuenit in MARIAM. Et Hieremiæ quidem admiranda sanctificatio: quia etsi in peccato conceptus est, nascitur tamen sine peccato. Ante enim quàm exiret de ventre, sanctificatus est: nec poterat nasci non sanctus, qui in vtero matris erat sanctificatus. Mira res, & à transactis sęculis non audita, hominem conceptum in peccatis nasci sine peccato. Ioannem verò longè gloriosior virtus impleuit, qui & sanctificatus est à peccato, & ita dominante spiritu superfusus, vt & purgatus exeat, & repletus. Verè magnus coram Domino, quem Angelus nuntiat, sanctificat Deus, spiritus replet, vita commendat. Ineffabiliori autem modo superuenit in Virginem, quam tota diuinitatis plenitudo sine mensuræ discretione perfudit, vt totum caperet, qui fecit totum, vt non solum à peccatis abluta, & repleta Spiritu Sancto; sed & de Spiritu Sancto concepisse credatur: quia quod in ea natū est, de Spiritu Sancto est. Inde est, quòd singulari prærogatiua Fides Catholica Filium Dei natum de Virgine, conceptum de Spiritu Sancto confitetur, vt humanitatis, & diuinitatis indiuisibilis adunata connexio vocabulorum indifferentia designetur. Vides ergo, quàm remotiori priuilegio speciosus forma præ filijs hominum à filijs hominum in concipiendo discretus sit? Illi etenim de peccatis, & in peccatis concepti sunt; hic in Spiritu Sancto, & de Spiritu Sancto concipitur.

Hoc testimonium Bandelus *primò pluries interpolauit, sublata continuatione, quæ ad rectam auctoris intelligentiam, vt si quod aliud, iuuat maximè. Secundò verba illa*, vt totum caperet, qui fecit totum, *omisit, ex quibus perfectissimum sanctificationis genus facilè elici poterat. Tertiò, pro illis verbis*, in concipiendo, *posuit*, in conceptione, *vt per vocem huius materiæ peculiarem, & Bernardi obcuraret sententiam, & suam commodiùs aperiret. Leuiores alias mutationes omittimus.*

Lectio Secunda.

B*Andelus ex eodem* Bernardo. Beata nempe Virgo hac singulari prærogatiua in

in concipiendo refulget, quia non Filium in originali peccato, quemadmodum cæteræ omnes, ſed ſuperueniente Spiritu Sancto de Sanctificatione concepit.

S. Bernard. ſerm. de verbis Apocalip. Signum magnum, &c. colum. 265. Excellentiſsimum nobis Virginis noſtræ meritum, & ſingularis gratia commendatur. Nihilominus fulget etiam nouus ille Cōceptionis modus, vt non in iniquitate, quemadmodum cæteræ omnes, ſed ſuperueniente Spiritu Sancto ſola, & de ſola ſanctificatione MARIA conciperet.

Primò quid quæſo, eſt dicta Sanctorum detorquere, ſi hoc nō eſt? Nam quod Bernardus *de actiua Virginis Conceptione dixerat*, Bandelus *ad paſsiuam tranſtulit, aut prorſus præter rem hoc teſtimonium invitum, & reluctans ſuis lectionibus inſeruit. Secundò prætermiſit illa verba*, nouus ille Cōceptionis modus. *Tertio de ſuo addidit*, in concipiendo. *Mirum, quàm Bandelo diſpliceat Conceptionis vocabulum, cùm adiuncta habet laudationis epitheta, & quàm placeat, cùm ignobiliora, & deprimentia. Quartò etiam addidit vocem*, Filium. *Quintò, pro* in iniquitate *poſuit* in originali peccato, *credo, vt à Latinæ linguæ ignaris hæc nomina in feſto Sanctificationis Beatæ Virginis crebriùs audirentur. Sextò ſuſtulit illa verba pulcherrima*, ſola, & de ſola, *quo conſilio, neſcimus: ſed certè illis ſignificantiſsimè Conceptio actiua Virginis exprimebatur.*

Bandelus etiam ex Bernardo. Omnes enim, qui de maſſa peccatrice mundum ingredimur, peſtem originalis peccati nobiſcum trahimus. Solus ille excipitur, quem virginalis aluus, ignorante viro, terris effudit. Cùm enim cæteri omnes in iniquitatibus concepti ſint, neminem vnquam mortalium infra materna viſcera legimus ſanctificatum, præter Hieremiam & Ioannem Baptiſtam: quamquam de ſingulari Virgine nulla ſit ambiguitas, quoniam & ipſa maternis circumſepta viſceribus ſublimiori ſanctificationis gratia à peccato mundata ſit, vtpote ſacrarium illud, in quo Dei Filius carnem erat ſuſcepturus.

Bernard. d. ſerm. de priuil. B. Ioan. Bapt. colum. 1635. *ſecundus honor eſt ſanctificatio in vtero matris.* Quicumque de maſſa præuaricante mundum ingredimur, longam reſtem originalis peccati nobiſcum trahimus; ſolus ille, qui peccatum non fecit, excipitur, quem Virginalis vteri thalamus ignorantis virum terris effudit: longe quippe aliter, quàm nos, & diſsimili modo conceptus eſt, Spiritu Sancto tota maieſtate Virginem inundante, ſuperans vſum carnis, naturæ ordinem, viri commixtionem: ſic quippe decebat, vt peccatum neſciret, qui peccatum tollebat, vt ſimilitudinem carnis peccati ſuſciperet, non autem carnem peccati. Cùm igitur omnes in iniquitatibus concepti ſint, neminem vnquam mortalium intra materna viſcera ſanctificatum legimus, præter Hieremiam, & Ioannē Baptiſtam; quanquam de ſingulari Virgine nulla ſit ambiguitas, quin ipſa maternis circumſepta viſceribus ſublimiori ſanctificationis genere mundata ſit, vtpote ſanctuarium illud, in quo Deus, & Dei Filius carnem fuerat ſuſcepturus. Sed longè minor Hieremię Sanctificatio, quàm Ioannis, &c.

Primo Bandelus pro illis Bernardi verbis, quicumque de maſſa præuaricante, *ſubſtituit*, omnes enim, qui de maſſa peccatrice, *vniuerſalitatem rotundius efferens, & maſſæ humani generis peccatricis titulum ſuo ſenſu tribuens. Secundò, dimiſſo adiectiuo* longam, *quod cum peſte malè cohærebat*, reſtem *mutauit in* peſtem, *graui ſententiæ iactura, nam* peſtis originalis peccati *ipſum peccatum eſt poſteros inficiens;* reſtis *verò* longa *mala pœnæ, & catenatos labores ex peccato ortos ſignificat. Tertiò, ſex integras lineas prætermiſit, ab illo loco*, longe quippe, *vſque ad* carnem peccati: *vnde conſtare poterat Bernardum ita excipere à peccato originali ſolum Chriſtum, vt non de ſola ſanctificatione, ſed de ſanctificationis cauſa loqueretur: ſolus enim Chriſtus ideo in ſua Conceptione fuit Sanctus, quia non deſcendit ab Adamo per ſeminalem propagationem, id eſt, Sanctus natura, non priuilegio. Quartò, vbi Bernardus*

cùm

Cùm igitur omnes, *Bandelus addidit*, cæteri omnes. *Quintò, pro* intra viſcera, *poſuit* infra viſcera. *Sextò, pro* quin ipſa maternis circumſepta viſceribus, *mutauit*, quoniam & ipſa *exceptiuam particulam conuertens in cauſalem, addenſquè coniunctionem, vt B. Virginem cæteris in vtero ſanctificatis abſque diſcrimine aggregaret. Septimò, loquutionem illam piæ opinionis auctoribus gratiſsimam*, ſublimiori ſanctificationis genere, *abſtulit, & pro aurea æream repoſuit*, ſublimiori ſanctificationis gratia, *vt B. Virgini non ſpeciale redemptionis genus, ſed copioſiorem gratiam tantùm tribueret.*

Bandelus adhuc ex Bernardo. Quod itaquè vel paucis mortalium conſtat eſſe collatum, fas certè non eſt ſuſpicari tantæ Virgini eſſe negatum, per quam omnis mortalitas emerſit ad vitam. Fuit proculdubio, & Mater Domini ante ſancta, quàm nata. Ego puto, quòd & copioſior ſanctificationis gratia in eam deſcenderit, quàm in alijs ab vtero ſanctificatis: quæ, excluſo peccato, non ſolum ipſius ſanctificaret ortum, ſed & vitam eius deinceps immunem ab omni peccato cuſtodiret: quod nemini alteri in natis quidem mulierum creditur fuiſſe donatum. Decuit nimirum Reginam Virginum ſingulari priuilegio ſanctitatis vitam ab omni peccato immunem ducere, quæ dum peccati mortiſquè peremptorem pareret, vitæ, iuſtitiæquè munus omnibus obtineret. Sanctus igitur fuit eius ortus, quoniam immenſa ex vtero prodiens ſanctitas fecit illum. Quoniam igitur præceſsit abſque ſanctitate conceptus, oportuit nimirum ſanctificari iam conceptam, vt ſanctus ſequeretur ortus.

Bernard. in epiſt. ad Lugdunenſ quæ eſt ordine 174. *colum.* 1538. Quod itaquè vel paucis mortalium conſtat fuiſſe collatum, fas certè non eſt ſuſpicari tantæ Virgini eſſe negatum, per quam omnis mortalitas emerſit ad vitam. Fuit proculdubio, & Mater Domini ante ſancta, quàm nata. Nec fallitur omnino ſancta Eccleſia ſanctum reputans ipſum Natiuitatis eius diem, & omni anno cum exultatione vniuerſæ terræ votiua celebritate ſuſcipiens. Ego puto, quòd & copioſior ſanctificationis benedictio in eam deſcenderit, quæ ipſius non ſolum ſanctificaret ortum, ſed & vitam ab omni deinceps peccato cuſtodiret immunem; quod nemini alteri in natis quidem mulierum creditur eſſe donatum. Decuit nimirum Reginam Virginum ſingularis priuilegio ſanctitatis abſque omni peccato ducere vitam, quæ dum peccati, mortiſquè pareret peremptorem, munus vitæ, & iuſtitiæ omnibus obtineret. Sanctus igitur ortus, quoniam immenſa prodiens ex vtero ſanctitas ſanctum fecit illum. *Et poſt duas, & viginti lineas.* Vnde etenim illa ipſi (*conceptui*) ſanctitas, quam ſequuturo (*ortui*) tranſmitteret? An non potiùs, quia præceſsit abſque ſanctitate conceptus, oportuit nimirum ſanctificari conceptam, vt ſanctus ſequeretur iam partus? An forte, &c.

Primò Bandelus integrum periodum omiſit: Nec fallitur omnino ſancta Eccleſia, &c. *quem vt fortiſsimum clypeum omnibus argumentorum iaculis opponimus: plus enim eſt ſanctam Eccleſiam B. Virginis Conceptionem quotannis cum exultatione vniuerſæ terræ celebrare, quàm multos ex Patribus (ſi ita eſſet,) B. Virginem in peccato conceptam aſſerere. Secundò, pro illis verbis*, ſanctificationis benedictio, *poſuit*, ſanctificationis gratia, *quæ in hac materia longè diuerſa ſunt. Tertiò addidit totum illud*, quàm in alijs ab vtero ſanctificatis, *quod apud Bernardum non legitur, & eſt ſanctum Doctorem allegantis ſcopus. Quartò, addidit etiam illa verba*, excluſo peccato, *quæ tametſi infra habeantur hoc tamen loco nullatenus leguntur. Multum autem refert ſcire non ſolum quid, ſed vbi etiam graues auctores ſcripſerint. Quintò, cùm Bernardus dixiſſet*, abſque omni peccato ducere vitam; *Bandelus poſuit*, ab omni peccato immunem: *& infra*, immenſa prodiens ex vtero ſanctitas Sanctum fecit illum, *omiſit vocem* Sanctum: *quæ duo ſententiæ officiant, nec ne, non diſputamus; certè videmus non eſſe fideliter relata. Eadem ratio de mutatione* partus *in* ortus. *Sextò, ex interrogatione Bernardi*, An non potiùs, &c. *affirmationem fecit*: quoniam igitur, &c. *& quod ipſe non dubitabat, neminem dubitare poſſe permiſit.*

Lectio tertia.

BAndelus ex S. Bernardo. Si igitur B. Virgo ante conceptum sanctificari minimè potuit, quoniam non erat, nec in ipso conceptu propter peccatum, quod inerat, restat, vt post conceptum in vtero iam existens sanctificationem suscepisse credatur, quæ, excluso peccato, sanctam fecerit natiuitatem, non autem Conceptionem. Quamobrem etsi quibusdam, vel paucis filiorum hominum datum sit cum sanctitate nasci; nemini tamen donatum est cum sanctitate concipi, vt vni sanè sancti seruaretur prærogatiua conceptus, qui omnes sanctificaret, solusquè absque peccato veniens purgationem faceret peccatorum. Solus itaquè Dominus Iesus est de Spiritu Sancto conceptus, qui solus & in conceptione Sanctus. Quo excepto, vniuersos respicit ex Adam natos; quod vnus humiliter, & veraciter de seipso fatetur, dicens: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.

S. Bernard. ead. epist. ad Lugdunen. colum. 1539. Si igitur ante conceptum sui sanctificari minimè potuit, quoniã nõ erat: sed nec in ipso quidem conceptu propter peccatum, quod inerat; restat, vt post cõceptum in vtero iam existens sanctificationem accepisse credatur, quæ, excluso peccato, sanctam fecerit natiuitatem, nõ tamen & Conceptionem. Quamobrem etsi quibusdam, vel paucis filiorum hominum datum est cum sanctitate nasci, non tamen & concipi, vt vni sanè seruaretur sancti prærogatiua conceptus, qui omnes sanctificaret: solusquè absque peccato veniens purgationem faceret peccatorum. Solus itaquè Dominus Iesus de Spiritu Sancto conceptus, quia solus, & ante conceptum Sanctus. Quo excepto, de cætero vniuersos respexit ex Adam natos, quod vnus humiliter de semetipso, ac veraciter confitetur: In iniquitatibus, inquiens, conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.

Primò, omisit Bandelus reciprocum sui, *quod amplius exprimebat, Bernardum excludere sanctitatem à B. Virgine ante animationem. Secundò, vbi Bernardus*, non tamen & concipi, *ipse adiecit*, nemini tamen donatum est cum sanctitate concipi, *signo vniuersali, & sanctitatis repetitione aliam orationem efficiens. Tertiò, illud Bernardi*, solus ante conceptum Sanctus, *apertè variando detorsit*, qui solus, & in Conceptione Sanctus, *valdè satagens, ne de sanctitate ante Conceptionem, vel instans infusionis animæ, quæ soli Verbo diuino conuenit, Bernardus explicari valeat. Quartò, expunxit particulas* de cætero, *quæ sanè emphaticæ sunt, nec parui momenti. Alia enim minutiora non consectamur, quamuis in controuersia adeò tunc vigente Patrum auctoritatibus fides etiam nimia, & scrupulosa debebatur.*

Lectio Quarta.

BAndelus. Hinc est, quod Ambrosius ait Solus per omnia ex natis de fœmina Sanctus in Conceptione Dominus Iesus, qui terrenæ contagia corruptelæ immaculati partus nouitate non sensit. Solus enim Dominus Iesus sine peccato venit, & in carne, quæ in matre peccato fuerat obnoxia, militiam virtutis exercuit.

S. Ambros. lib. 2. in Luc. cap. 2. colum. 30. tom. 3. Solus enim per omnia ex natis de fœmina sanctus Dominus Iesus, qui terrenæ contagia corruptelæ immaculati partus nouitate non senserit, & cælesti maiestate depulerit. Nam si litteram sequamur, quomodo Sanctus omnis masculus, cum multos sceleratissimos fuisse non lateat? *Hæc ibi Ambrosius, & nihil amplius: adducitquè hunc ipsum locum vsquè ad verbum depulerit, August. lib. 2. de grat. Christi, & pecc. origin. cap. 40. & lib. 1. cont. Iulian. fol. 203. edit. Parisien. an.* 1571. *Sed idem Ambros. in Psal.* 118. *octon. 7. ad illa verba, Ne auferas de ore meo verbum veritatis vsquequaque, to. 2. colum. 920. edit. Parisien. an.* 1632. Omnes *(inquit)* intra retia erant, imò adhuc intra retia sumus, quia nemo sine peccato, nisi solus Iesus, quę non cognoscentem peccatum, peccatum pro nobis fecit Pater. Etenim tradidit eum laqueis, tradidit eum retibus, mittens eum non in pec-

peccato, in quo erant omnes homines, ſed in ſimilitudine carnis peccati, vt de peccato damnaret peccatum in carne. Peccatum erat caro ſecundum illud; quin hæreditario erat dānata maledicto. Peccatum erat illecebra, & miniſtra peccati. Venit Dominus Ieſus, & in carne peccato obnoxia militiam virtutis exercuit.

Ex his duobus locis ſuum quartæ lectionis initium, quaſi teſſeletum emblema Bandelus compoſuit, quod & licere, & ſemper licuiſſe non negamus, dummodo fraus abſit, & in diuerſis operibus idem auctor eodem omnino ſenſu loquatur. Sed vitiauit grauiſſimè Bandelus Ambroſij dicta, idquè duplici pernitioſa additione; nam illam ſententiam, ſolus enim per omnia ex natis de fœmina ſanctus Dominus Ieſus: *ſic ipſe extulit*: Solus per omnia ex natis de fœmina Sanctus in Conceptione Dominus Ieſus; *aliam verò*, venit Dominus Ieſus, & in carne peccato obnoxia militiam virtutis exercuit: *addendo corrupit*: & in carne, quæ in matre peccato fuerat obnoxia. *Proh Dei, & hominum fidem! Tanti erat pertinaciter ſuſceptæ diſputationis victoria, vt cum de peccatis agebatur, per ſummam iniuriam Conceptionis, & Matris Domini mentio ad miſceretur? Hoc eſt doctrinam communem Patrum defendere, vt Bandelus glorioſiſſimè iactat? Hoc eſt inſtituere officium ex Sanctorum Patrum dictis? Hic eſt verus, & religioſus cultus? His verbis Mater Eccleſia loquitur? Sed de his ſatis.*

Bandelus. Sanè credi oportet, vt Magiſter ſententiarum ait, iuxta Sanctorum atteſtationis conuenientiam, carnem Filij Dei, priuſquam conciperetur, peccato fuiſſe obnoxiam in Maria, ſicut reliqua Virginis caro; ſed poſtmodum Spiritu Sancto ſuperueniente, ita mundatam fuiſſe ab omni peccati contagione, vt immunis vniretur Dei Verbo? Mariam quoque totam Spiritus Sanctus in eam veniens à peccato prorſus mundauit, & à fomite peccati liberauit, vel fomitem ipſum penitus euacuando, vel ſic debilitando, & extenuando, vt ei poſtmodum peccandi occaſio nullatenus extiterit.

Magiſt. libro 3. ſententiar. diſtinct. 3. Quæritur etiam de carne Verbi, an priuſquam conciperetur, obligata fuerit peccato, an & talis aſſumpta fuerit à Verbo? Sanè dici poteſt, & credi oportet, iuxta Sanctorum atteſtationes, conuenientiam ipſam priùs peccato fuiſſe obnoxiam, ſicut reliqua Virginis caro; ſed Spiritus Sancti operatione ita mundatam, vt ab omni peccati contagione immunis vniretur Verbo, pœna tantum, non neceſsitate, ſed voluntate aſſumentis, remanente. Mariam quoque totam Spiritus Sanctus in eam præueniens à peccato prorſus purgauit, & à fomite peccati etiam liberauit, vel fomitem ipſum penitus euacuando, (vt quibuſdam placet) vel ſic debilitando, & extenuando, vt ei poſtmodum peccandi occaſio nullatenus extiterit.

Vt errores, vel fraudes Bandeli in hoc Magiſtri teſtimonio (quod difficultatibus plenum, & apud ipſos etiam Scholaſticos obſcurum, diuinis officijs inſerere non dubitauit) detegantur: præfigendus eſt Magiſtri ſcopus, quem ipſe primis verbis explicat, agit enim, non de ſanctificatione B. Virginis in ſui formatione, ſed de purificatione illius materiæ, quam ex Virgine Verbum erat aſſumpturum. Peccat ergo primò Bandelus, quòd Magiſtri propoſitum non callens, aut illud callidè diſsimulans, quod ille de myſterio Incarnationis diſſeruerat, transfert ad Virginis paſsiuam Conceptionem. Secundò, totam illam clauſulam, Credi oportet iuxta Sanctorum atteſtationes, conuenientiam ipſam priùs peccato fuiſſe obnoxiam, ſicut reliqua Virginis caro, *miris modis deprauauit; nam vt omittamus* atteſtationis, pro atteſtationes, *poſitum, quod editionibus variantibus auidè arripuit; pro nomen* ipſam *ſuſtulit, verba illa*, priuſquam conciperetur, *ex ſuperioribus deſumens alieno loco poſuit; illa verò* Filij Dei, *&* in Maria, *Magiſtri textui addidit, & talem propoſitionem confecit.* Sanè credi oportet iuxta Sāctorū atteſtationis conuenientiā, carnem Filij Dei, priuſquā conciperetur, peccato fuiſſe obnoxiam

in Maria, ſicut reliqua Virginis caro: vt conuenientia, *quæ apud Magiſtrum iuxta correctiora exemplaria eſt corporea ſubſtantia, in qua Mater, & Filius conueniunt, dum in matre exiſtens fœtui formando deſeruit, ſignificaret. concordiam Sanctorum in tribuẽdo obnoxietatem, & immunditiam peccati carni Virginis, non aduertens nihil aliud hoc modo loquendi doceri, quàm quod Theologi clarius dicunt, deſcendere Chriſtum ab Adamo ſecundùm corpulentam ſubſtantiam præcisè, & ideò carnem Verbi fuiſſe obnoxiam peccato, quod Chriſtus Dominus contrahere non potuit, quia non accepit naturam humanam per ſeminalem propagationem. Tertiò, vbi Magiſter ait*, Spiritus Sancti operatione ita mũdatam, *immutans Bandelus poſuit*, poſtmodum Spiritu Sancto ſuperueniente: *& rurſus pro* Spiritus Sanctus in eam præueniens, *ſubſtituit*, in eam veniens: *quæ eo tendunt, vt Virginis ſanctificatio poſt eius paſsiuam conceptionem facta fuerit, quod Magiſter non affirmauit, imò valde opinioni piæ fauiſſe multi meritò exiſtimant, cum doceat*, totam Mariam Spiritu Sancto præueniente à peccato prorſus purgatam, & à fomite peccati etiam liberatam: *vnde rectè colligitur, purgationem à peccato eſſe præſeruationem, ſicut liberationem à fomite. At excuſabit aliquis Bandelum confugiendo ad diuerſas editiones? Omnes, quas vidimus, egregiè in omnibus, dempta illa voce* atteſtationes, *conueniunt. An etiam erit hic locus mendis typographicis, aut calami lapſibus? Sed bona verba, optime Lector; crederemus caſu, aut incuria errores admiſſos, ſi aliquando in fauorem puritatis Virginis typi, aut calami deuiaſſent.*

Bandelus. Vnde & B. Auguſtinus ait. Solus ille etiam homo factus manens Deus peccatum nullum vnquam habuit, nec ſumpſit carnem peccati, quamuis de materna carne peccati. Quod enim inde ſuſcepit, illud profectò ſuſcipiendo mũdauit. Caro namque Chriſti ſanctificatione diuinæ gratiæ per donum Spiritus Sancti ita formata eſt, & in vnitate Filij Dei abſque vlla originalis peccati ſorde aſſumpta, vt ex ipſa Conceptione ſanctificata nullum poſſet deinceps recipere peccatum. Cæteri enim homines ad hoc ſanctificantur, vt peccatis careant, quæ priùs habebant: ſolus verò Chriſtus ad hoc ſanctificatus eſt, vt peccatum in ſe nullum haberet.

S. Auguſt. lib. 2. de peccat. merit. & remiſſ. cap. 14. tom. 7. fol. 152. edit. Pariſien. an. 1571. conſentientibus alijs editionibus. Nos participes vitæ æternę, ille vita æterna. Solus ergo ille etiam homo factus manens Deus peccatum nullum habuit vnquam, nec ſumpſit carnem peccati, quãuis de natura carnis peccati. Quod enim carnis inde ſuſcepit, id profectò, aut ſuſcipiendum mundauit, aut ſuſcipiẽdo mundauit. Ideò Virginem Matrem non lege carnis peccati, ideſt, non concupiſcentiæ carnalis motu concipientem, ſed pia fide ſanctum germen in ſe fieri promerentem, quam elegerat, creauit, de qua crearetur, elegit.

Primò Bandelus pro illis verbis, quamuis de natura carnis peccati, *legere maluit*, de materna carne peccati. *Scimus hanc etiam lectionem in libris Auguſtini haberi, ſed ad marginem; Bandelus autem, quia Matri Dei peccatum coniungebat, libenter in textum admiſit. Nec propterea vim ſuæ probationi adiecit; eadem enim facilitate explicatur à Theologis hæc Auguſtini auctoritas, ſiue* natura *legas, ſiue* materna; *animum verò ſuum parum erga Virginem, & ſanctiſsimum Doctorem æquum planè detexit: ſi enim codices variabant, in dubio ea lectio, quæ vel ſpecie tenus Virgini fauebat, erat eligenda. Eadem mente Sedulij carmen corrupiſſe videtur in diſputat. de Concept. Virg. fol. 31. poſtremæ editionis; nam cùm Sedulius ſcripſiſſet:* Et quoniam natura prior vitiata iacebat. *Sub dictione necis, Chriſto naſcente renata: ipſe, carmine & ſententia vitiata, ſic citauit:* Et quoniam nata prior vitiata iacebat, *antithesin* natæ, & renatæ *Virgini accommodans. Erit etiam hic librariorum error? Sit ſanè; meretur enim Bandeli fides in citandis auctoribus, vt in quemuis potiùs, quàm in ipſum culpam reijciamus. Secundò prætermiſit alteram partem Auguſtinianæ diſiunctiuæ orationis*, aut ſuſcipiendum mundauit, *diligenter cauens ne Mariæ puriſsima caro, auctore Auguſtino, à macula omni ab ipſo animationis inſtanti eximeretur; quia etiam tum*

vt

vt à Verbo suscipienda præparabatur. Tertiò, alta omnia, quæ ab illis verbis, Caro nāquè Christi, *ad finem vsque huius quartæ lectionis protenduntur, ex Bandeliana officina prodijsse videntur. Legimus plures Augustini libros à capite ad calcem, illos præcipuè, in quibus de peccato originis disputat, & nec continuatas, nec diuisas prædictas sententias inuenire potuimus. Accedit, quòd ipse Bandelus in primo tract. de Concept. à fol. 53. sexaginta Augustini auctoritates pro sua opinione adducens, huius, quam præ manibus habemus, non meminit. Et in secundo tract. fol. 14. hoc titulo præmisso*, Caput nonum, in quo ponuntur quatuordecim auctoritates B. Augustini asserentes B. Virginem originale peccatum cōtraxisse: *eas deinceps recensens, hanc non apponit. Dicet tamen aliquis licuisse officij sanctificationis concinnatori proprium aliquid Sanctorum dictis adtexere, eis, vt fit, in vnum coagmentandis: licuerit sanè, seu potius libuerit; sed adhibita euidenti distinctione, quæ vsque adeò defuit, vt nemo in hanc Bandeli lectionem incidens, vel tenuiter dubitare posset, Augustinum ab eo, quo nominatus est loco, non omnia scripsisse. Tempestiuè nihilominus lectores admonemus, non nobis tantum arrogare, vt vniuersas Sanctorum Patrum scriptiones in numerato habere, & falsò citata euidenter deprehendere possimus: adhibuimus certè diligentiam maximam, tum lectione Patrum, tum aliorum Bandeli operum: quod si quis oculatior testimonia, de quibus dubitatur, absquè fuco protulerit, gratias habebimus, discere, non contendere amamus, vt in alterutris vincat veritas.*

Lectio quinta.

B*Andelus ex eodem Augustino.* Et contrà Iulianū scribens sic ait. Omnes enim homines illorum primorum Parentum peccato nascuntur obnoxij. Hoc qui negat, Christianæ fidei fundamenta subuertere conatur. Vna est omnium Catholicorum firma fides, qui per vnum hominē peccatum intrasse in mūdum, & per peccatum mortem, & ita in omnes pertransisse vno corde credunt, vno ore fatētur, & vestras nouitias præsumptiones Catholica antiquitate subuertunt. Propter hanc enim Catholicam veritatem Sancti, ac beatissimi in diuinorū eloquiorum pertractatione clarissimi Sacerdotes, Iræneus, Cyprianus, Rhetitius, Olympius, Hilarius, Ambrosius, Gregorius Theologus, Innocentius, Ioannes, Basilius, quibus, velis nolis, addo Hieronymum presbyterum, aduersus vos proferunt de omnium hominum peccato originali obnoxia successione sententiam. Vnde nemo eruitur, nisi solus ille, quem sine lege peccati Virgo concepit.

S. August. lib. 1. cont. Iulian. cap. 2. to. 7. fol. 202. colum. 4. edit. Parisien. Vertitur quæstio, quòd ego dico sic nuptias esse laudandas, vt nullo modo ad earum culpam, vituperationemquè pertineat, quòd omnes homines primorum illorum hominum peccato nascantur obnoxij. Hoc enim qui negat, ipsa Christianæ fidei subuertere firmamenta conatur. Hinc quippè factum est, vt de nuptijs, & concupiscentia librum scriberem, nuptiarum scilicet bonum discernens ab eo malo, vnde trahitur originale peccatum. *Et post octoginta octo lineas.* Habesne aliquid, quod aduersus nos tibi dicere videaris, quod non etiam in istum dicere compellaris, vel potius in istos? Vna est enim omniū Catholica fides, qui per vnum hominem peccatum intrasse in mundum, in quo omnes peccauerunt, vno corde credunt, ore vno fatentur, & vestras nouitias præsumptiones Catholica antiquitate subuertunt. *Et post decem integra folia, non longe à fine lib. 2. fol. 213.* Deus autem iustus, si tanta paruulis mala, quanta nunc dicere non sufficio, nihil peccati trahentibus irrogaret, magis appareret iniustus. Iustitiæ verò perfecta capacitas hominis non negatur, quia nec vitiorum omnium plenissima sanitas sub omnipotenti medico desperatur. Propter quam Catholicam veritatem Sancti, ac beati, & in diuinorum eloquiorum pertractatione clarissimi Sacerdotes, Irænęus, Cyprianus, Rhetitius, Olympius, Hilarius, Ambrosius, Gregorius, Innocentius, Ioannes, Basilius, quibus addo presbyterum, velis nolis, Hieronymum: vt omittam eos, qui nondum dormierunt, aduersus vos pro-

ferunt de omnium hominũ peccato originali obnoxia ſucceſsione ſententiam. Vnde nemo eruit, niſi quē ſine lege peccati repugnãte legi mẽtis Virgo cõcepit.

Qui Bandeli ſcripta non modò diligenter euoluerit, ſed vel leuiter, & aliud agens attigerit, facilè perſpiciet, quorſum ex locis Auguſtini adeò inter ſe diſtantibus quaſi farraginem conficiens, & vnam lectionem centonis in modum aſſuens, cum nec minimum verbum S. Doctor de Conceptione, vel ſanctificatione B. Virginis protulerit, eum nobis apponat, & pro MARIÆ laudibus, peccati originalis transfuſionē tanquam piæ opinioni aduerſantē ingeminet. Cũ enim ſæpè in ſua diſputatione, B. Virginē contraxiſſe peccatum originale, vt fidei dogma obtrudat, nec approbationē officij Immaculatæ Conceptionis, nec cenſuras Extrauagantis, Graue nimis, *quam & agnoſcit, & ipſi operi præfigit, reueritus: idem ſupercilium, & iudicij præcipitantiã diuino officio intrepidè miſcet, & Virgineæ puritatis aſſertores tacitè, (nunquid & non apertè?) Pelagianos facit. Quare grauiſsimas illas reprehenſiones:* ipſa Chriſtianæ fidei ſubuertere firmamenta conatur: veſtras nouitias præſumptiones: aduerſus vos proferunt ſentẽtiam: *quæ apud Auguſtinum in hæreticos pro merito cauſæ dicta à Catholico zelo proficiſcuntur, apud Bãdelum in piæ opinionis aſſertores conuitia ſunt, in Apoſtolicam Sedem blaſphemiæ. Tota verò illa Patrum aggerata nomenclatura ſimplicium ſeductio eſt, & inanis aurium illecebra, qua pia opinio, vt torrẽti Sanctorum reluctans traducatur. Quin & multorum periodorũ abſciſsio Auguſtini mẽtem indicantiũ falſificationis inſtar reputari debet, cum nuptiarum bonum defendatur, non obſtante originalis culpæ traductione: quod dogma vnius Virginis priuilegio adeò cohæret, vt Virgine non cõprehenſa, ſit ab Eccleſia definitum. Sed vitauerit Bandelus in Auguſtino mutilando prolixitatẽ. Eſto, quid autẽ coegit paucula verba,* repugnante legi mentis, *reſecare? Vt ſcilicet* lex peccati *non concupiſcentiam, ſed contractionem ſonare videretur, à qua ſolus Chriſtus Dominus eximi poſſet. Illud poſtremò diſsimulare religio eſt, ſi generales loquutiones, vt Virginis immunitati præiudicium inferentes rectè proferuntur, potuiſſe aliquem Bandeli ſimilem eiuſdem generis vniuerſalia pronuntiata de peccatis actualibus ex S. Scriptura, & Patribus decerpere, & ex eis officium ſanctificationis perſonalis B. Virginis impia applicatione conſtruere. Qualia eſſent, exempli cauſa, illud Eccleſiaſt.* 7. Non eſt homo, qui faciat bonum, & non peccet: *& illud Auguſt. lib. de bono perſeu. cap. 2. to. 7. recenſentis tria dogmata, quæ Eccleſia aduerſus Pelagianos defendit: & propoſito primo, ſubdit.* Alterum eſt, in quantacumque iuſtitia, ſine qualibuſcunque peccatis, in hoc corruptibili corpore neminem viuere. *Sed pergit adhuc*

Bandelus ex eodem Auguſtino. Adam enim mortuus eſt propter peccatũ. MARIA ex Adam mortua eſt propter peccatum. Caro vero Domini ex MARIA mortua eſt propter delenda peccata. Teneamus ergo indeclinabilem fidei confeſsionem. Solus vnus eſt, qui ſine peccato natus eſt in ſimilitudinem carnis peccati, & ſine peccato mortuus eſt propter noſtra peccata.

S. Auguſt. ſuper Pſal. 34. conc. 2. to. 8. fol. 56. ex edit. Pariſ. an. 1571. Sic ergo peccatum Domini, quod factum eſt de peccato, quia inde carnem aſſumpſit, de maſſa ipſa, quę mortem meruerat, ex peccato. Etenim, vt celeriùs dicã, MARIA ex Adam mortua eſt propter peccatum Adæ; Adam mortuus eſt propter peccatum; & caro Domini ex MARIA mortua propter delenda peccata. Hoc cilicio ſe induit Dominus, & ideò non eſt agnitus, quia ſub cilicio latebat.

In hac allegatione multipliciter Bandelus exceſsit. Primò, cum ſupra ſic allegaſſet: Et contra Iulianum ſcribens ſic ait: *auctoritatem ex commentarijs in Pſalmos abſque diſtinctione cõnexuit, addita etiã cauſa:* enim: *vt quia Auguſtinus contra Iulianum nullam B. Virginis mentionem fecerat, totum præcedentem ſermonem ad eam direxiſſe putaretur. Secundò, cum S. Doctor prius de MARIA, quã de Adamo loquutus eſſet, ordinem Bandelus inuertit, & Adamũ peccati originẽ præmiſit, vt peccatum, quaſi ex fonte riuum, rectà per conductũ ad MARIAM deriuaret. Tertiò, cum Auguſtinus ſignanter dixiſſet,* MARIA ex Adã mortua eſt propter peccatũ Adæ, *Bandelus inſigni corruptela nomẽ* Adæ

omi-

omisit, vt MARIA mortua propter peccatũ ab ipsa contractũ intelligeretur; cum effectus & passiones ex peccato ortæ, qualis est mors, sine peccati in propria persona contractione inueniri possunt, vt de Christo ex Augustino id expressè docente adducit Vazq. to. 1. in 3. p. disp. 60. cap. 1. Pudet tot infidelitatum in re tam seria, & scriptis, quæ ante sanctissimas aras decantabantur, cũ etiam in priuatis, & ludicris paginis indignæ essent viro modesto. Quartò, Augustini exceptionem, solus vnus est, qui sine peccato natus est, *præter rem, imò contra se clamantem adiecit; viderit ipse, quomodo salua hac generali regula, MARIA, Ioannes, & Hieremias sine peccato nasci potuerint, & similis regula de peccati originalis contractione stare non possit, si B. Virgo in instãti Cõceptionis fuerit sancta. Sed non omnia adulterare, aut ausus, aut permisus est, vt proprijs armis instar Goliath conficeretur.*

Lectio sexta.

B*Andelus adhuc ex Augustino.* Quid enim incoinquinatius illo vtero Virginis, cuius caro, etsi de peccati propagatione venit, non tamẽ de peccati propagatione cõcepit? Proinde, quãuis corpus Christi de carnis semine assumptũ sit, quæ de illa carnis peccati propagatione cõcepta fuerat; quia tamẽ nõ sic in ea cõceptum est, quomodo fuerat illa cõcepta, idcircò ipsum non fuit caro peccati, sed similitudo carnis peccati. Quid est caro peccati, nisi illa, quę mortẽ habet, & peccatũ? Quid est similitudo carnis peccati, nisi illa, quæ mortem habet sine peccato? Similitudo enim carnis peccati est, in qua fuit pœna sine culpa. Caro verò peccati est, in qua culpa fuit, & pœna. Et hinc apparet, & illã carnis cõcupiscentiã, per quã Christus nequaquã cõcipi voluit, fecisse in humano genere propagationẽ peccati: quoniã Marię corpus, quãuis ex tali cõcupiscẽtia venerit, nõ tamẽ eam traiecit in prolem, quã non inde cõcepit. Cũ enim sit in semine, & visibilis corpulãtia, & inuisibilis ratio, vtrũque currit ab Adã vsque in corpus Mariæ, quoniã & ipsum eodẽ modo cõceptũ est, sicut corpus aliorũ. Christus verò visibilẽ carnis corpulentiã de Maria Virgine assumpsit; ratio verò Cõceptionis nõ à virili semine, sed longè aliter, ac desuper aduenit. Vulnus autẽ præuaricationis Adę transfunditur per omnẽ carnẽ ab ipso seminali ratione propagatã. Cæterũ corpus Christi inde dictũ est venisse in similitudine carnis peccati, quia eo excepto omnis reliqua hominũ caro est caro peccati. Quisquis hoc negat, & carnem Christi ita comparat carni cæterorũ hominum nascentium, vt vtramque asserat esse æqualis puritatis, detestandus hæreticus inuenitur. Hæc omnia Augustinus.

S. August. lib. 10. de Gen. ad litt. to. 3. fol. 147. col. 2. Et quid incoinquinatius illo vtero Virginis? Cuius caro, etiãsi de peccato propagatione venit, nõ tamẽ de peccati propagine cõcepit, vt ne ipsum quidẽ corpus Christi ea lex seuerit in vtero Mariæ, quæ in membris posita corporis mortis, repugnat legi mẽtis, quã Sãcti Patres cõiugati refrænantes, non quidẽ, nisi quovsque licebat, in cõcubitũ relaxauerunt, nec tamẽ tãtũmodo quovsque licebat, eius impetũ pertulerunt. Proinde corpus Christi, quãuis ex carne fœminæ assumptũ est, quę de illa carnis peccati propagine cõcepta fuerat; tamẽ quia non sic in ea cõceptũ est, quomodo fuerat illa cõcepta, neque ipsa erat caro peccati, sed similitudo carnis peccati. *Et post octo, & septuaginta lineas.* Secundũ quã rationem, nõ ibi erat Christi caro, quãuis secũdũ ipsam ibi fuerit Mariæ caro. Quapropter, nec Leui, nec Christus in lumbis Abrahæ secundũ animã; secundũ carnẽ verò Leui, & Christus: sed Leui secundũ cõcupiscẽtiã carnalẽ, Christus autẽ secundũ solam substãtiã corporalẽ. Cũ enim sit in semine, & visibilis corpulẽtia, & inuisibilis ratio, vtrũque cucurrit ex Abrahã, vel etiã ex ipso Adã vsque ad corpus Mariæ, quia & ipsum eo modo cõceptũ, & exortũ est: Christus autẽ visibilẽ carnis substantiam de carne Virginis sumpsit; ratio verò cõceptionis eius non à semine virili, sed lõgè aliter, ac desuper venit. Proinde secũdum hoc, quod de matre accepit, etiam in lumbis Abrahæ fuit. *Et post duodecim lineas.* Eadem namque caro non Abrahæ tantum, sed ipsius primi, terrenique hominis simul habebat, & vulnus præuaricationis, & medicamentum vulneris: vulnus præuaricationis in lege mẽbrorũ repugnãte

te legi mentis, quæ per omnem inde propagatam carnem seminali ratione quasi transcribitur; medicamentum autem vulneris in eo quod inde sine opere concupiscentiali in sola materia corporali, per diuinam formationis, conceptionisquè rationem de Virgine assumptum est. *Et lib. 5. cont. Iulian. Pelagian. fol. 235. col. 2. to. 7.* Quid est quod laboras magnis argumentationibus peruenire ad impietatis abruptum, vt Christi caro, quia de Maria natus est, cuius Virginis caro, sicut cæterorum omnium ex Adam fuerat propagata, nihil distet à carne peccati? *Et post decem lineas.* Quod si dementis est dicere: & sine dubio caro Christi non est caro peccati, sed similis carni peccati: quid restat vt intelligamus, nisi ea excepta, omnem reliquam humanam carnē esse peccati? Et hinc apparet illam concupiscentiam, per quam Christus concipi noluit, fuisse in genere humano propaginem mali, quia Mariæ corpus, quamuis inde venerit, tamen eam non traiecit in corpus, quod non inde concepit. Cæterum corpus Christi inde dictum est esse in similitudinem carnis peccati, quia omnis alia hominum caro peccati est. Quisquis negat, & carnem Christi ita carni comparat nascentium hominum cæterorum, vt asserat vtramque esse puritatis æqualis, detestandus hæreticus inuenitur.

Hic primò Bandelus ex varijs Augustini locis, imò & tomis continentem orationem inducit additionibus, detractionibus, mutationibus, transpositionibus, plenam, sub eodem titulo contra Iulianum; cùm prior lectionis pars ex lib. 10. de Genesi ad litteram sumpta sit, vbi Augustinus de creatione rerum, & hominum propagatione promiscuè disputat, & præcipuè animas non esse ex traduce: posterior verò ex lib. 5. cont. Iulian. vbi agit de concupiscentia, & inhonesta carnis rebellione, quāuis aliqua de peccato originali, & eius transfusione in posteros dicat; ex quibus colligi non posse B. Virginem illud contraxisse multi ostē derunt, sed præ cæteris quoad textus enucleationem P. Matthias Hauqueur in sua Anotomia Augustiniana to. 2. colum. 413. & colum. 731. Secundò, in illis verbis, non tamē de peccati propagine concepit, propagine *vertit in* propagatione: *quam mutationem infra iterum fecit in illis*, quæ de illa carnis peccati propagatione concepta fuerat. *Mirum est tot variationes (alias enim præterimus.) casu accidisse, & semper contra Virginis puritatem. Tertiò, totum illud:* Quid est caro peccati, nisi illa, quæ mortem habet, & peccatum? Quid est similitudo carnis peccati, nisi illa, quæ mortem habet sine peccato? Similitudo enim carnis peccati est, in qua fuit pœna sine culpa. Caro verò peccati est, in qua culpa fuit, & pœna: *in Augustino à nobis non inuenitur: si id Bandelus adiecit, distinctione, & claritate magna vti debuit, vt sua ab Augustinianis discernerentur: si forsan ab Augustino alibi accepit, (nec enim hominem falsitatis, nisi euidenter constet, arguere volumus;) nimis sibi fidit quasi de omni posteritate securus. Quartò, corollarium, vt vocant, ex prætacta doctrina, & alieno loco posuit, & valde mutatum; nam quod Augustinus dixit:* Et hinc apparet illam concupiscentiam, per quam Christus concipi noluit, fuisse in genere humano propaginem mali: quia Mariæ corpus, quamuis inde venerit, &c. *Bandelus suo sensu*: Et hinc apparet, & illam carnis concupiscentiam, per quam Christus nequaquam concipi voluit, fecisse in humano genere propagationē peccati: quoniam Mariæ corpus, quamuis ex tali concupiscentia venerit, &c. *Diuersa sunt*, concupiscentiam fuisse propaginem mali, & fecisse propagationem peccati: *sicut*, Mariç corpus inde venire, & ex tali concupiscentia venire. *Quintò, vnicum verbum, quod totam auctoritatem cassam, & inefficacem reddit, studiosus Augustini discipulus omisit*: corpus Mariæ eodem modo conceptum, & exortum est: exortum *à Bandeli lectione abest, & loco eius substituitur comparatio*, sicut corpus aliorum. *Vos appellamus, quicunque estis Augustini doctrinæ, quæ hæreditas Ecclesiæ est, amatores. Si corpus Mariæ modo naturali exoriri non obest sanctitati Natiuitatis: cur eodem modo concipi obsit sanctitati Conceptionis? Sed quid Bandelus faceret? Victum se fateri nolebat, integro testimonio iugulabatur; dimidiato ergo ense, quod maioris dexteritatis est, fortius pugnauit. Vincet Au-*

gu-

gustini auctoritatibus, non alios tamen, nisi incautos: nec iure queri poterūt; dolus *enim*, an virtus, quis in hoste requirat? *Nec saltē voluit MARIÆ corpus singulari aliqua prouidentia formatum, sed* sicut corpus aliorū. *Longe aliter Ecclesia, cùm canit in oratione post Antiphonā*, Salue Regina, corpus gloriosæ Virginis Matris MARIÆ, vt dignum Filij Dei habitaculum effici mereretur, Spiritu sancto cooperante præparatū. *Sextò, quòd Augustinus dixerat de carne Christi*, ea excepta, *transponens mutauit in* eo excepto, *vt non de carne, quæ per se sola peccati incapax est, sed de persona sermo esset. Septimò, æquissimam cēsuram Augustini*, detestandus hæreticus inuenitur, *aut impiè adiecit, aut oscitanter. Nam si voluit assertores præseruationis B. Virginis sub ea comprehendi, censuras Extrauagantis* Graue nimis *susquè deque habuit, si tantùm Pelagianos, de qua re loqueretur, non considerauit. Octauò, totius Lectionis sextæ, imo sextæ, & quintæ clausula*, hæc omnia Augustinus, *apertè falsa est, nisi de Augustino à se deprauato intelligatur. Nam verum illum Augustinum hæreticorum malleum, quis credat contra Virginis puritatē sententiam tulisse*: de qua, cū de peccatis agitur, nullam prorsus vult habere quæstionem? *lib. de Nat. & Grat. c. 36. to. 7.*

Lectio Septima.

Bandelus. Hinc est, quòd Gregorius ait: Nullus Sanctorum, quantumlibet virtutibus plenus existat, vllo modo potest æquari ei, de quo ad distinctionem nostræ sanctitatis dictum est. Quod ex te nascetur sanctū, vocabitur Filius Dei: & quod in ea natum est, de Spiritu sancto est. Nos quippe, etsi sancti efficimur, non tamen sancti concipimur: quia conditione naturæ corruptibilis constringimur: vt cum Propheta dicamus. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis cōcepit me mater mea. Solus ergo ille veraciter sanctus est natus: qui ex cōmixtione carnalis copulæ non est conceptus. Alij verò Sancti, quia ex peccati nigredine ad gratiam veniunt, nequaquā æquari Deo homini in puritate possunt. Solus igitur Christus in carne sua mundus à peccato extitit, quia huc per carnalem delectationem non venit.

S. Gregor. lib. 18. Moral. c. 27 fol. 481. in edit. Antuerp. an. 1615. in Basileensi autem an. 1551. col. 626. Nullus sanctorum quibuslibet virtutibus plenus, ex ista tamen nigredine mundi collectus æquari ei potest, de quo scriptum est: Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. Nos quippe, etsi sancti efficimur, non tamen sancti nascimur: quia ipsa naturæ corruptibilis conditione constringimur, vt cum Propheta dicamus: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis peperit me mater mea. Ille autem solus veraciter sanctus natus est, qui vt ipsā conditionē naturæ corruptibilis vinceret, ex cōmixtione carnalis copulæ conceptus non est. Huic se sapientiæ quasi quoddam topazium, &c. *Et post integram fere columnam:* Non adæquabitur ei topazium de Æthiopia. ac si apertè insinuet dicens: hi, qui ex peccati nigredine ad cōuersionem veniunt, æquari Deo homini omnino non possunt, quamuis multis colorum virtutibus resplendere videantur. *Et lib. 11. c. 24. edit. Basileen. colum. 402. Antuerp. fol. 314. in fine.* Nec enim ex viro & fœmina, sed ex Sancto Spiritu, & MARIA Virgine processit: solus ergo in carne sua verè mundus extitit, qui delectatione carnis tangi non potuit: quia nec per carnalē huc delectationē venit.

Hic primò Bandelus illam Gregorianam determinationem sustulit, ex ista tamen nigredine mundi collectus; *quæ apertè insinuat reperiri posse aliquam sanctitatem nulla mundi nigredine infuscatam. Secundò, addidit illam exclusiuam* vllo modo, *quasi Gregorius vellet neminem Christi puritati adæquari posse, nec natura, nec priuilegio. Tertiò, eodem consilio adiecit dictis S. Doctoris*, ad distinctionem nostræ sanctitatis: *& cùm Gregorius locum Lucæ tantùm citasset*, quod nascetur ex te sanctum: *Bandelus alium Matthæi subiunxit*, quod in ea natum est, *vt includeret natiuitatem in vtero, id est, Conceptionem. Quartò, pro illo*, Nos quippe, etsi sancti efficimur, nō tamen sancti nascimur, *posuit*, non tamen sancti concipimur, *ne constaret, Gregorium loqui de lege communi, seclusis priuilegijs, & nō magis tollere præseruationem Virginis, quàm Ioannis, & Ieremiæ*

sanctificationem. Quintò, in citatione versiculi ex Psal. 50 & in peccatis peperit me mater mea, *legere maluit*, concepit me. *Sed sequutus est editionem Vulgatam. Quid tum? Defensorem agebat Vulgatæ editionis, an Gregorium fideliter referebat? Nec erat cur sacrosanctæ Vulgatæ auctoritati à nobis timeret, sicut nos Gregoriano textui à Bandeli corruptelis iure timemus. Sextò, abstulit illud*: qui vt ipsam conditionem naturæ corruptibilis vinceret. *Septimò, cùm post duodecim tantùm lineas extet in Gregorio illa sententia*: neque æquari potest gloria Vnigeniti habita per naturam, alijs accepta per gratiam: *quæ Christi Domini sanctitatem ita commẽdat, vt nihil B. Virginis priuilegijs deroget: Bandelus aliam sententiam longius petiuit, in qua nõ de gratia, sed de peccato, & nigredine ageretur; nec tamẽ eam fideliter adduxit: nam vbi Gregorius scripserat*, hi, qui ex peccati nigredine ad conuersionem veniunt, æquari Deo homini omnino non possunt: *ita mutauit*: Alij verò Sancti, quia ex peccati nigredine ad gratiam veniunt, nequaquam æquari Deo homini in puritate possunt. *Loquutio hæc*, alij verò Sancti, *vniuersalior est Gregoriana*, hi, qui: *deinde* ex peccati nigredine ad gratiã venire *cõprehendit originalis maculæ contractionẽ, quam Gregorij phrasis non admittit*, ex peccati nigredine ad conuersionẽ veniunt: *nam iuxta communiorem loquendi modum*, gratia *omnium est, qui iustificantur*, conuersio *tantùm adultorum. Iam*, æquari Deo homini *absolutè, & vt Gregorius ait*, omnino *neminẽ posse, verissimũ est*; æquari verò in puritate, *quatenus solã significat omnis maculæ negationem, & possibile, & Dei Matris dignitati congruentissimũ est. Octauo, in vltimis Gregorij verbis*, solus ergo in carne sua verè mundus extitit, *addidit Bandelus* à peccato, *vt soli Christo Domino tribueret munditiam, non vt personæ debitã, sed vt peccatum excludentem. Qui tot, ac tãta in Patrum monumentis sibi impunè licere putauit, veritatem sciens, & prudens deserere voluit.*

Bandelus. Beatus quoque Eusebius Emissenus ad B. Virginẽ sermonem dirigens, sic ait. Initiator omniũ rerum abs te, Virgo, initiatur: & sanguinem pro mundi vita fundendũ de corpore tuo accepit: ac de te assumpsit, vnde etiã pro te soluat. A peccati enim originalis nexu nullus immunis extitit, nec etiã ipsa Genitrix Redemptoris. Solus Christus, licet de debitrice nasca tur, originalis peccati debito nõ tenetur.

Apud Bibliothecã veterum Patrum edit. Colonien. to. 5. par. 1. fol. 545. extat homilia de Natiuitate Domini, ordine secunda, nomine Eusebij Gallicani, in qua ita legimus. Initiator omnium rerum abs te initiatur: & profundendũ pro mundi vita sanguinẽ de corpore tuo accepit, ac de te sumpsit, quod etiam pro te soluat. A peccati enim veteris nexu per se non est immunis, nec ipsa Genitrix Redemptoris. Solus ille, licèt ex debitore nascatur, (*sic videtur legẽdum pro* ex debito renascatur, *neutra autem lectio nostro instituto incommodat;*) lege tamen veteris debiti non tenetur.

In primis, quòd Bãdelus Eusebio Emisseno Ariano Beati nomen apponit, & eius allegat scripta, quamuis auctores huius lapsus habeat, nota dignus videtur, cũ in veterum libris versatissimus videri velit. Homilia ergo, ex qua locũ desumpsit, Eusebij Gallicani est Emisseno posterioris, cùm Emissenus seculo Constantini, Gallicanus Valentini, & Theodosij vixerit. Vide Baron. to. 12. Annal. Bellarm. de scriptoribus Ecclesiasticis fol. 143. Molanum, Andream Schotum, Aubertũ Miræum in Bibliot. Eccles. fol. 28. & 187. Posseuin. in Apparatu sacro fol. 537. qui & alij prædictam homiliam Eusebio Gallicano adscribunt, & tempora distinguunt. Secundò, testimoniũ, cuiuscunque sit, apertè detorsit duarum vocũ ablatione per se, *quæ præseruationi B. Virginis fauent adeò expressè, vt inter piæ opinionis assertores indubitatos Eusebius Gallicanus referri debeat: cùm enim dicat* Genitricem Redemptoris immunem per se nõ fuisse à peccati veteris nexu, *supponit vtique fuisse immunem, non quidem* per se, *idest, suapte natura, sed* quia de corpore eius Christus accepit, quod pro illa solueret, *egregiè prorsus consonans Orationi Immaculatæ Conceptionis approbatæ ab Ecclesia*, ex morte eiusdẽ Filij sui præuisa eam ab omni labe præseruasti. *Quare nescimus, quid sibi voluerint auctores editionis Bibliothecæ veterum Patrum, qui particulas* per se *retinentes margini adscripserunt*, D. Thomæ opinio, *cùm*

ve-

verius dixissent, pia vel communis opinio, cui si Angelicum Doctorem consentire iudicant, id libenter amplectimur. Tertiò, pro illo ex debito renascatur, *quod interpretentur, qui sic legunt, vel* ex debitore nascatur, *quod ad Adamum referri potest, Bandelus posuit* de debitrice, *vt B. Virginem diuina maternitate ingenuam, faceret seruam. Quartò, pro* lege veteris debiti, *mutauit*, originalis peccati debito.

Lectio octaua.

B*Andelus. Beatus quoque Leo Papa hanc veritatem fatetur, dicens*: Terram enim carnis humanæ, quæ in prima fuerat præuaricatione maledicta, in hoc solo Virginis partu fructum edidit benedictum, & à vitio suæ stirpis alienum. Cùm enim in omnibus matribus non fiat sine peccati sorde conceptio; hæc sola prolem sine peccato concepit. Quo enim paterni seminis transfusio non peruenit, illic peccati se origo non immiscuit. Assumpsit enim ex matre naturam, non culpam. Fides enim Catholica, & singularis in eo solo adquirit salutem, in quo solo se homo inuenit innocentem.

S. Leo Papa serm. 4. de Natiuit. fol. 17. *edit. Lugdun. an.* 1623. Terra enim carnis humanæ, quæ in primo fuerat præuaricatore maledicta, in hoc solo B. Virginis partu germen edidit benedictum, & à vitio suæ stirpis alienum. Cuius spiritualem originem in regeneratione quisque consequitur, & omni homini renascenti aqua baptismatis instar est vteri virginalis, eodem Spiritu Sancto replente fontem, qui repleuit, & Virginem: vt peccatum, quod ibi euacuauit sacra conceptio, hic mystica tollat ablutio. *Et epist.* 10. *ad Flauianum, cap.* 4. *fol.* 106. Noua autem natiuitate generatur, quia inuiolata virginitas concupiscentiam nesciuit, carnis materiã ministrauit. Assumpta est igitur de Matre Domini natura, non culpa; nec in Domino Iesu Christo ex vtero Virginis genito, quia natiuitas est mirabilis, ideò nostræ est naturæ dissimilis.

Hæc sunt omnia, quæ apud S. Leonem inuenire potuimus, ex quibus Bandelus vnum confinxit testimonium, sed tribus additionibus interpolatum. Prima est: Cum enim in omnibus matribus nõ fiat sine peccati sorde conceptio. *Secunda*. Quo enim paterni seminis transfusio nõ peruenit, illic peccati se origo non immiscuit. *Tertia*. Fides enim Catholica, & singularis in eo solo adquirit salutem, in quo solo se homo inuenit innocẽtem. *Et quia Bandelus in primo tract. de Concept. fol.* 65. *hæc eadem verba refert ex epistola ad Flauianum, non solum epistolam decimam, sed reliquas, quæ ad Flauianum scriptæ sunt, semel, iterum & tertio legimus, & spe inueniendi frustrati, cæteram alia S. Leonis opera euoluendi Bandeli defensoribus reliquimus.*

Bandelus. Nam & Hieronymus ait. Vnica est anima Christi, quæ sola sine peccato fuit. Iustos quippè posse homines esse concedo: sine autem omni peccato neminem posse esse affirmo. Etenim absque omni peccato esse Christi proprium est, sibiquè soli competit; omnisquè humana creatura peccato subiacet, & indiget Dei misericordia.

Hierony. lib. 2. *aduersus Pelagianos to.* 2. *fol.* 284. *edit. Lugdun. an.* 1530. *Colonien. autem an.* 1616. *pag.* 235. *col.* 2. CRITOB. Si innumerabiles iusti sunt, & hoc negari nõ possit: quia malè locutus sum, posse esse hominẽ sine peccato, si velit? Hoc est alijs verbis dicere, posse iustũ sine peccato esse, in eo quod iustus est. ATTIC. Iustos esse concedo; sine autẽ omni peccato omnino nõ assentior. Etenim absque vitio, quod Grecè dicitur KAKIA, hominẽ posse esse aio: ANAMAPTETON, id est, sine peccato esse nego: id enim soli Deo competit, omnisquè creatura peccato subiacet, & indiget misericordia Dei, dicente scriptura: Misericordia Domini plena est terra.

Primò, desunt in Hieronymo illa verba, Vnica est anima Christi, quæ sola sine peccato fuit. *Sed manuducit nos Bandelus in suo tract. de Concept. fol.* 12. *ad Commentarios in Psalmos: sic enim ait*. Beatus quoque Hieronymus fundamentũ eloquẽtiæ fulgidæ, ac perspicuũ doctrinæ fulmen, hanc Saluatoris singularẽ prærogatiuã attestatur: vnde in expositione versus Psalmi, Erue à framea, Deus, animam meam, sic dicit. Vnica est anima Christi, quæ sola sine peccato fuit. Hæc ille. *Audiamus ergo Hieronymum super Psalm.* 21.

ad

ad illud, de manu canis vnicam meam, *to.8.fol.19*. Canes Iudæi: vnica, idest, anima Christi. Vnica dicitur, quia nō habet peccatum illa anima, et aliç animæ ab ipsa mundantur, vel vnica Ecclesia, &c. *Vbi illa exclusiua*, sola sine peccato? *Nihil sumit in manus Bandelus, quod non contaminet. Secundò, ex actuali Hieronymi enuntiatione*, iustos esse concedo, *fecit de possibili*, iustos posse homines esse concedo, *quasi actualem sanctitatem, & iustitiam, vt Virgini in Conceptione auferret, toti Ecclesiæ negaret. Tertiò, cùm Hieronymus dixisset*, sine autem omni peccato omnino nō assentior, *& statim*, sine peccato esse nego, *semper de actu loquens: Bandelus iterum ad possibilitatem extendit*, sine autem omni peccato neminem posse esse affirmo: *quod si* posse *de proximo suppleuit, & eandem vim vtrique assertioni esse iudicauit, suum fecit locum, non Hieronymi. Quartò, eadem licentia, quod S. Doctor dixerat*, id enim soli Deo competit, *ipse scopo à se præfixo accommodans inuertit*, etenim absque omni peccato esse Christi proprium est. *Quintò, disputationē Hieronymi, nam de actualibus peccatis, ad originale transtulit. Sextò, cùm nihil in toto testimonio de B. Virgine dicatur, illud ei adaptauit, quasi inter mundi Reginam, & seruulos nihil esset discriminis.*

Bandelus. Magnus autem Athanasius sic ait. Christus enim singulariter Sanctus, & ab omnibus alijs in sanctitate dissimilis, quia ipse solus sanctitatem simul cum natura susceperat.

Noluit Bandelus Magni Athanasij nomen à suis collectaneis abesse, illud ergo quoquo modo producere statuit, & discipulis gratū fortasse fecit, quibus illud Pythagoreorum sufficeret, ipse dixit; *eos verò, qui fontes ipsos adire volunt, inquirendi molestia vexauit. In disputatione solemni de Concept. edita an. 1502. fol. 20. ita Bandelus scripsit*. Magnus etiam Athanasius Alexandrinus Episcopus, sanctitate, & doctrina mirabilis, super Lucam prærogatiuam Christi protestatus est, sic dicens. Christus enim singulariter sanctus erat, et in hoc ab alijs sanctis in sanctitate dissimilis, quia sanctitatem simul cum natura suscepit. *Eodem modo citat Athanasium Petrus de Vincentia Ord. Prædicat. in suo Indiculo, fol. 6. colum. 3. Habemus Synopsin Athanasij in Lucæ Euangelium, indicis, aut epitomes instar, nihil exegeticum continentem, multò minùs dogmaticum. Si aliquid præterea expositionis tantus Ecclesiæ Magister super Lucam elaborauit, ingens beneficium Orbi Christiano conferet, qui illud è tenebris eruerit; nam ignotum est Baronio, Trithemio, Bellarmino, Posseuino, & alijs, qui opera SS. Patrum studiosissimè recensuerunt. Sed nec in his, quæ D. Thomas in sua Catena verè aurea super Lucam ex Athanasio refert, quidquam huiusmodi apparet.*

Euolutis igitur diligenter Magni Athanasij scriptis, vbi de Christo Domino loquitur, hæc solum inuenimus, quæ aliquam habent similitudinem cum sententia à Bandelo citata. Sequuti autem sumus editionem Parisien. an. 1581. & recentiorem 1608. In lib. de Incarnat. Verbi Dei fol. 31. col. 1. lit. B. Quis, quęso, omnium, quorum mentio fit in sacris historijs, iustorum, et sanctorum, tum Patriarcharum, tum Prophetarum, ex sola Virgine ortum sui corporis habuit? Aut quæ mulier sine viro vnquam suffecit ad hominis procreationem? Nonne Abel ex Adam genitus est? &c. *& infra colum. 2. lit. C.* Omnium Sanctorum natiuitatem poteris addiscere ex narratione scripturæ ab ipsa vsque origine, qui, et à quibus ortum trahant; at eius, qui vita est, inenarrabilem esse natiuitatem diuinę litteræ produnt. Quis igitur est ille, de quo sacræ litteræ pronuntiant? Aut quis denique tantus, vt et Prophetæ talia de ipso pronuntient? Nullus certè istiusmodi in scripturis reperitur, præter communem omnium Saluatorem Dei Verbum, Dominum nostrum Iesum Christum. Hic enim est, qui ex Virgine prodijt, et vt homo in terris apparuit, cuiusquè inenarrabilis secundum carnem natiuitas censetur. Non enim est, qui patrem eius carnalem dicat, cùm non ex viro, sed ex Virgine sola corpus eius ortum trahat. *Item lib. 4. contra Arianos, fol. 134 colum. 2. lit. B.* At quis est, qui illi hanc necessitatem imposuerit? Quod si absurdum est dicere in Deo esse necessitatem, ac propterea illum natura bonum esse, multò magis, veriùsquè Filij sui Pater natura extiterit, et non

non voluntate. *Et in epist. cont. hæreticos, fol.*41.*col.*2.*lit. A.* Si enim Verbum ad eum modum venit, cur ex Virgine, quæso, ac non ex viro, & muliere prodijt? Ita enim quisque Sanctorum genitus est. Aut cur si ea ratione venit Verbum, ipsius tantùm, non omnium mortes dicuntur pro nobis fuisse toleratæ? *Hactenus conati sumus Bandelum à falsæ allegationis vehementissima suspicione liberare, Patrum dicta etiam contra nos, nullo pacto dissimulaturi.*

B*andelus*. Et Beatus Theophilus. Multæ, inquit, fuerunt sanctæ mulieres, nulla tamen nisi sola Virgo prolem sine peccato concepit. Vnde vt ipsa ab alijs discerneretur, sibi ab Angelo dictum est, benedictus fructus ventris tui. Ipsa enim sola fructum benedictum protulit, quia Filium sine peccato concepit.

*Duos Theophilos illustris nominis scriptores memorat antiquitas, vtrùquè Sancti prænomine insignitum, Alexandrinum, & Antiochenum: itaquè ex Lectione incertum est, vtri prædicta sententia à Bandelo tribuatur. Sed expeditè ab hac dubitatione ipse nos liberat in citata disputatione, fol.*21.*vbi ait*. Idem tenet (*scil. B. Virginem conceptam fuisse in peccato originali,*) B. Theophilus Alexandrinus Episcopus Doctor illustris, cuius opera sunt per Ecclesiam, & Concilia approbata, qui floruit ad annum Domini 385. sub Valētiniano, & Theodosio, super Lucam capite secundo, dicens: Multę quidem fuerunt sanctæ mulieres, &c. *Refert enim auctoritatem ad verbum, vt supra. Quis ad fragorem Claudiani tonitrui non expauescat? Quis damnationis sententiam iam prolatam, si Virginis puritatem defendat, non existimet? Theologica est hæc disputatio, an vulgaris, imò & puerilis? Cuius scriptoris, præter Canonicos, opera in vniuersum approbarunt Ecclesia, & Concilia? Sed ad rem. Opuscula Theophili Alexandrini, quæ extant to.*4. *Bibliot. Vet. Patr. à fol.*709. *editionis Coloniensis habentur; cætera enim temporis iniuria perierunt, de quo legendi Baron. to.*5. *Annal. ad an. Dom.* 412. *fol.* 261. *Gennadius, Trithem. Bellarm. Posseuin. Miræus, & alij Catalogorum conditores: in illis verò, quæ supersunt, quod Bandelus adduxit, frustra requiras, idcò prudenter omissum à P. Petro de Vincentia, ab ipso Ecclesiæ principio auctores contra Immaculatam Conceptionem in suo Indiculo congerente. An* Bandelus *in peruetustas aliquas incidit membranas? Nihil minùs, antiquarius non est; Theophylactum* Bulgariæ *Archiepiscopum Græcum interpretem, sed nec Sanctum, nec valdè antiquum, vt qui anno* 1071. *vixerit, teste* Bellarmino, *pro S. Theophilo Alexandrino supposuit, aut miserè citatione decurtata apud D. Thomæ Catenam delusus est, vbi cum quinque tantùm litteris THEOP. exprimatur Theophylacti nomen, ipse Theophilum intellexerit. Quidquid sit, certè Theophylacti testimonium à Bandelo adduci dubitari non potest: quare illud, tam vt apud D. Thomam legitur, quàm ex ipso Theophylacti Commentario integrum describemus.*

Theophylactus apud D. Thom. in Catena aurea, ad caput 2. *Lucæ, folio* 797. *colum.* 1. *littera D. edit. Parisien. an.* 1637. THEOP. Quia verò aliæ sanctę mulieres fuerunt, quæ tamen genuerunt filios peccato inquinatos, subiungit: (*Elisabeth, scilicet, non Angelus, vt perperam* Bandelus;) Et benedictus fructus ventris tui. Vel aliter intelligitur. Dixerat, benedicta tu inter mulieres: deinde quasi interrogante aliquo, quare? Subiungit causam, & benedictus fructus ventris tui, sicut dicitur in Psalmo, benedictus, qui venit in nomine Domini, Deus Dominus, & illuxit nobis. Consueuit enim sacra Scriptura, Et, pro Quia, recipere.

Theophylactus Comment. in Euangel. Lucæ, capite 2. *folio* 151. *edit. Basileen. an.* 1554. Deinde, quia multæ sanctæ mulieres pepererunt improbos, vt Rebecca Esau, dicit: Sed & fructus ventris tui benedictus. Aliter quoque intelligi potest. Benedicta tu in mulieribus: deinde, veluti quispiam interroget, quare? Ipsam causam dicit: Benedictus enim fructus vētris tui; hoc est: Deus enim est fructus ille vētris tui: Benedictus enim solus Deus, sicut & Dauid dicit: Benedictus, qui venit. Cōsueuit enim Scriptura coniunctionē, Et, pro Enim accipere: vt, da no-

nobis auxilium, & vana salus hominis: hoc est, vana enim salus hominis. Et iterum: Tu iratus fuisti, & nos peccauimus: hoc est, nos enim peccauimus. Fructum autem ventris Dei genitricis dicit Dominum, & ideò sine viro conceptum. Pueri enim alij fructus sunt patrum; Christus verò solius ventris MARIÆ fructus, ipsa enim sola hunc fructum protulit.

Cernis, qua reuerentia Doctorum scripta Angelicus Doctor tractauerit? Ea enim in compendium redacturus, saluum omnino relinquit sensum, vt illa ipsa, quæ citat, non rarò meliora faciat; certè commodiora: & si aliqua diuersitas apparet, interpretationum ex Græco varietati tribuenda est. Quomodo ergo Bandelus sanctissimum magistrum suum imitatur? Primò, illam clausulam addidit: Nulla tamen, nisi sola Virgo, prolem sine peccato concepit. *Secundò, similiter illud adiecit,* vt ab alijs discerneretur. *Tertiò, totam sententiam alia additione clausit:* quia Filiũ sine peccato concepit. *Parum refert Theophilos, an Theophylactos, superos, an inferos adducat Bandelus; omnes vna lingua, sed sua, loquentes facit, & quidvis cuiuis affingere probè nouit.*

Lectio nona.

B*andelus* Hoc est, quod sanctus Anselmus nobis clariùs patefecit, dicens. Licet quippè ipsa Christi conceptio mũda sit, & absque omni peccato; Virgo tamen ipsa, vnde assumptus est, in iniquitatibus concepta est, & in peccatis concepit eam mater eius, & cum originali peccato nata est.

S. Anselm. lib. 2. cur Deus homo, cap. 16. fol. 110. editionis Lugdunen. an. 1630. Parisiensis autem an. 1549. to. 2. fol. 33. BOSVS. Nam licet ipsa hominis eiusdem conceptio sit munda, & absque carnalis delectationis peccato; Virgo tamen ipsa, vnde assumptus est, est in iniquitatibus concepta, & in peccatis concepit eam mater eius, & cum originali peccato nata est, quia & ipsa in Adam peccauit, in quo omnes peccauerunt. ANSELM. Postquam constat hominem illum esse Deum &c.

Hoc tantùm deerat Bandeli fraudibus, vt ex libro per dialogum conscripto, quæ discipulus interrogando dicere introducitur, quibus deinde Anselmus latissimè satisfacit, pro resolutoria, & fixa Anselmi sententia recitaret. Eadem ratione Pelagij, Iouiniani, & Iuliani Apostatæ dicta, tanquã Augustini, Hieronymi, & Cyrilli citare poterat, quia ea prædicti sanctissimi Doctores, vt confutarent, suis libris inseruerunt. Sed nec ipsam Bosi interrogationem fideliter retulit, quia vt in libro Anselmi proponitur, nihil Bandeli sententiam iuuabat. Nam licet (*inquit*,) ipsa hominis eiusdem conceptio sit munda, & absque carnalis delectationis peccato, Virgo tamen ipsa, &c. *His verbis nomen peccati impropriè accipi potest pro concupiscentia, vel discipuli ignorantiæ tribui, quòd nullam coniugalem copulam culpa vacare putauit. Solum ergo affirmabat, Christum Dominum à B. Virgine sine viri concursu, ac proinde sine delectatione, & carnali concupiscentia conceptum: at B. Virginem ex naturali viri, & fœminæ commixtione procreatam, & ideò non sine peccato, idest, non sine aliquo rebellionis sensu, & motu concupiscentiæ ex peccato primi Parentis originẽ ducente. Ex quo nihil omnino inferri potest contra Virginis præseruationem. Sed Bandelus quasi ex Anselmo posuit Christum conceptũ fuisse* absque omni peccato, *vt loquutione vniuersali etiam originale comprehenderet, & postea per sequentem contrapositionem illud B. Virginem contraxisse affirmaretur. Prosequamur reliqua.*

Bãdelus etiam ex Anselmo. Et infra. Virgo illa, de qua loquimur, de qua homo ille assumptus est, de illis est, qui ante natiuitatem eius mundati sunt à peccato, & in ipsa eius munditia de ea assumptus.

Anselmus ibid. fol. 111. col. 1. lit. C. Virgo autem illa, de qua homo ille assumptus est, de quo loquimur, fuit de illis, qui ante necessitatem eius per eum mundati sunt à peccatis, & in eius ipsa munditia de illa assumptus est.

Primò, mutauit Bandelus necessitatem *in* natiuitatem, *contra omnes, quas vidimus, editiones; nam Virginẽ mũdari, antequã ordinariæ legi relicta, necessariò contrahere debebat, minùs eius proposito congruere videbatur. Secundò, abstulit illa verba* per eum. *Tertiò, pro* à peccatis, *posuit* à peccato, *vt ad solũ originale referretur, nec conspicuè appareret,* ser-

sermonem esse de mundatione præseruante, cum de alijs peccatis ab originali quoad B. Virginem inter Catholicos quæstio non sit.

Bandelus adhuc ex Anselmo. Et alibi. Decuit, inquit, vt Virgo, quam Deus Vnigenito suo præparauerat in matrem, illa puritate niteret, qua maior sub Deo nequit intelligi. Quomodo autem à peccato mũdata sit, dixi, vbi de eo, quo agitur, aliam rationem reddidi.

Anselm. lib. de conceptu virginali, & pecc. orig. cap. 18. *edit. Lugdun. fol.* 110. *Parien. to.* 2. *fol.* 52. Sed quia decebat, vt illius hominis cõceptio è Matre purissima fieret: nempè decens erat, vt ea puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus Pater vnicum Filium suum, quem de corde suo ęqualem sibi genitum, tanquam seipsum diligebat, ita dare disponebat, vt naturaliter esset vnus, idemquè communis Dei Patris, & Virginis Filius, & quam ipse Filius substantialiter facere sibi matrem eligebat, & de qua Spiritus Sanctus volebat, & operaturus erat, vt conciperetur, & nasceretur ille, de quo procedebat. Qualiter autem Virgo eadem per fidem, ante ipsam conceptionem mundata sit, dixi, vbi aliã rationem de hoc ipso, vnde agitur hic, reddidi.

Non deficient in hoc certamine Bandelum vires etiam expirãtem. Testimonium Anselmi (quis crederet?) eam omnem puritatẽ B. Virgini concedens, quæ infra Deum humana cogitatione capi potest, nobis extorquere, & sibi adsciscere conatur. Sic in sua disputatione Scotũ ipsum seriò contra Immaculatam Conceptionem adducere cunctatus non est. Et quidem solent acuta ingenia paradoxis confirmandis non inutiliter exerceri: in diuino autem officio, vbi sola veritas regnare debet, subdolas argutias quis non execretur? Sed qua arte Bandelus in speciem Anselmum sibi fauentem inducit? Eãdem, qua alios auctores solet, verborũ, quæ sensum peruertunt mutatione. Qualiter (*ait Anselmus,*) Virgo per fidem ante ipsam conceptionem (*Verbi, scilicet,*) mundata sit, dixi, &c. *Bandelus autem:* Quomodo autem à peccato mundata sit. *Quis te docuit, Bandele, mundationem B. Virginis, de qua Anselmus hic loquitur, fuisse à peccato? An nescis duplicẽ in B. Virgine sanctificationẽ ab aliquibus Theologis agnosci, aliam in vtero, vt nasceretur, aliam post natiuitatem, vt Verbum diuinũ purior, & splendidior conciperet? Quod puritatis incrementum, vel in omnimoda extinctione fomitis, vel in aliogratiæ speciali dono iuxta illos Doctores consistere dicendum est. Hæc difficultas ad hunc locum non pertinet, sed tantùm euincere Bandelum non bona fide Anselmi verba recitasse.*

Bandelus adhuc quasi ex Anselmo. Et in quadam meditatione ad Deum loquens sic ait. Animam gloriosæ Virginis MARIÆ in macula culpæ originalis creasti, sed consequenter eãdem à primaria labe purgasti, & amictu munditię decorasti, & in sanctitatis puritate postea confirmasti.

Hac auctoritate expressior desiderari nõ potest; sed oportet eius veritatem probari. Relata est etiam à Bandelo cap. 17 *suæ disputationis, fol.* 25 *ex S. Anselmi meditationibus, & à Petro de Vincentia in Indiculo fol.* 7. *Non tamẽ à Caietano in opusculo de Cõcept. B. Virginis, quãuis cap.* 4. *fol.* 204. *col.* 2. *quindecim auctoritates Sanctorũ expressiores suo iudicio selegerit, quibus præseruationẽ impugnaret: nec credibile est hanc ignorasse, quæ in sui Ordinis Breuiario publicè legebatur, aut eã, cũ expressissima esset, si verã comperisset, omissurum. Legimus omnes S. Anselmi meditationes, quæ in edit. Parisiensi extant an.* 1549. *to.* 2. *à fol.* 94. *ad* 98. *in Lugdunẽsi autẽ an.* 1630. *à fol.* 249. *ad* 262. *& inuenimus de B. Virgine in meditatione octaua fol.* 261. *col.* 1. *lit. B. sequentia verba* Beata mater, quæ sola sine dolore genuisti, quia tu sola peperisti Virgo, beata, & benedicta inter mulieres, quia natus ex te Virgine Christus Deus noster sua sanctissima Natiuitate primi Parentis, & primæ mulieris in dolore pœnaliter parturientis soluendo maledictionem, dedit per te sine dolore parturientem, dimissa veteri culpa, nouæ gratiæ, & salutis æternæ mellifluam benedictionem. *Item, Medit.* 9 *ibid. lit. D.* Virgo sanctissima, corpore castissima, moribus omnium pulcherrima. Virgo virginum, nec corde vnquam polluta, nec ore, sed tota pulchra, tota sine macula. Intemerata Virgo corpore, intemerata Virgo mente, nihil debens legibus, quia nullis

tacta

tacta excessibus, vt humilitatis in te ostẽdas exemplum, &c.

Bandelus continuatè ad Anselmi citationẽ, nulla distinctione interiecta. Cùm hęc ita se habeant, fratres charissimi, festiuitatem hanc ad sanctificationis diem referentes, firmiter teneamus, vt Sancti tradidere Doctores, B. Virginẽ post sui animationem citissimè, & propè rapidissimè ab originali peccato diuina virtute fuisse mũdatam. Credamus insuper, vt dignum est, Virginum reginam, post vltimã susceptã sanctificationẽ, tanta puritate, tanta mũditia, tanto spirituali nitore, ac omnium gratiarum splendore coruscasse, quanto nedum humanum ingenium excogitare sublimius, verùm nec purius aliquid amplissimo cæli ambitu contineri potest. Sanctitatẽ verò conceptionis soli Christo Sancto Sanctorum attribuamus: qui solus, vt Sancti asseruere Doctores, hac singulari prærogatiua gaudet, per infinita secula seculorum. Amen.

Hæc peroratio, siue adhortatio tota sine dubio Bandeli est, cùm nec in S. Anselmi meditationibus, vel tenue eius appareat vestigiũ, nec ab ipso Bandelo, aut vllo alio Immaculatæ Conceptionis impugnatore inter auctoritates recenseatur. Debuit ergo, si res syncerè ageretur, à reliquo Lectionis corpore, manifesta aliqua diuisione separari, nam ipsa recitationis connexio, & perpetua absque interruptione pronũtiatio species fraudis est. Sed hoc leue sit & frigidũ in Bandelo post adeò apertas locorũ Patrum deprauationes notare. Cur verò Anselmum in finem vsque distulerit, & sub eius nomine ad B. Virginis sanctificationem, conceptionis sanctitate remota, suos adhortari voluerit, in promptu est ratio. Viderat piæ opinionis assertores vna, & altera Anselmi adhortatoria epistola, (quas Bandelus, vt suppositititas traducit in sua disp. cap. 3. fol. 26.) mentes accẽdere fideliũ ad Conceptionis solẽnitatẽ; dedit operam, ne suo officio adhortatio Anselmianæ similis, & quæ ipsius Anselmi legitima videri posset, imò stylo, & sententijs germana deesset, aut officium hac etiam in parte, decenti nitore destitueretur.

Satis, vt opinamur, inter Bandeli salebras luctati sumus, satis tædij, & deuorauimus, & legẽtibus ingessimus. Sed exigui, ac propè nullius zeli pro domus Dei honore est, tantũ laboris pro eius defensione non suscipere, quãtum alij ad eam maculandam sponte susceperunt.

Ex tota verò hac prolixa obseruatione abunde patet vero verius esse, quod Ambrosius Catharinus lib. 1. opusc. pro Immaculata Dei Genitricis Cõceptione, non longè ab initio, de Bandeli similibus, aut scriptoribus, aut disputatoribus scripsit. Cur hæc in me (*inquit*) solũ obijciuntur, qui Immaculatã defendo Conceptionẽ syncerè, & ex veritate? Ex veritate audeo dicere, quã confidẽtissimè, nec ad scandalũ vllum, quod ex me est. In illos verò, qui illã asserunt in communi lapsu, ac labe derelictã à Deo suo, & Filio Christo, nihil mouentur? Quid dico, nihil mouentur; cũ insuper eos recipiant, legant, probẽt, terant manibus, seruent in Bibliothecis ad instruendũ nouitios, qui postmodo huiusmodi imbuãtur doctrinis, ac zelo? Ego enim, fateor, primo anno professionis meæ, cũ paulò curiosior in huius rei disquisitione essẽ, incidi in huiusmodi quorumdam tractatus, quos vt legi, facilè, fateor, seductus sum, & ad eas partes tractus, quas nunc ab omni veritate prorsus destitui existimo. Nã pro illa, quã sustinent, opinione, tot, ac tanta congesserant, vt eã, quã nunc arbitror veritatẽ, penè blasphemiã existimarẽ. Nõ enim tũc bene callebã argumẽta sophistica, nec deprehenderã citationes falsas: denique totã disputationem ex contẽtione, ac zelo magis tractatã, quàm syncerè, & ad veritatis manifestationem, nõ sane perspiciebã. Dent, obsecro, mihi veniã in gratiã veritatis, qui hæc molestè ferunt: non enim hæc sic assererem, teste Christo, nisi cõperta haberẽ, & in prõptu etiã cuiuis postulãti possè ostẽdere. *Rẽ nõ difficilem pollicebatur Catharinus, & ex vno Bandelo cumulatissimè fidem suam liberaret.*

Cũ igitur Immaculatæ Conceptionis *impugnatores, hac, vt ipsi dicunt, ratione; vt nobis videtur, prætextu, se tueãtur, quòd prædicto titulo iniuria fiat opinioni, cõsona Patrũ auctoritate suffultæ, & clarissimè cõspexerint Patres syncerè citatos, & intellectos, illi adeò nõ fauere, vt necesse fuerit, eorũ scripta ad speciẽ quãdã auctoritatis repræsentãdã, tot modis deprauari: rẽ totã ex integro discutere nõ dedignẽtur, & verissima testimonia omniũ ætatum pro* Immaculata Cõceptione *æqua iudicij lãce appẽdere: vt cõstet an ex mente, & doctrina Patrũ Ecclesiæ* Cõceptionis Immaculatæ *titulus retineri debeat.* *DI-*

Dilectæ in Christo filiæ nobili mulieri, Sorori Margaritæ à Cruce, sanctimoniali, Regis Catholici Amitæ.

Gregorius Papa XV.

DIlecta in Christo filia, nobilis mulier salutem, & Apostolicam benedictionem. Angelicis choris interesse, & Beatorum gaudia in terris ante capere videntur illæ animæ, quæ à mortaliũ rerum contagione secretæ, se ipsas Beatissimæ Virgini deuouerunt. Eiusmodi fælicitatis cõpotem esse speramus nobilitatem tuam, quæ in Religiosis claustris delitescens, animo quotidiè in cœlestem patriam demigrare studet. Cognouimus enim ex literis tuis, & ex sermone dilecti filij, nobilis viri, comitis Montis Regij, quanto studio Deiparæ laudibus inseruias. Ita enim scribis, vt tibi gloriæ principatum adipisci videreris, si dissentiẽtes Theologorũ, populorumq; disputationes in vnam aliquãdo Purissimæ Cõceptionis sententiã cõuenirent. Verum cũ ipsi Beatissimæ MARIÆ obedientia gratior sit, quàm sacrificium; ij tum eam piè, ac sapienter colũt, qui Apostolicæ authoritatis legibus se ipsos, suasque opinationes subijciunt. Spiritus Sanctus accuratissimis precibus exoratus, nondum tanti mysterij arcanum Ecclesiæ suæ patefecit. Nos autem non nisi eo præeunte æternitatis volumẽ in Christianę sapientię Cathedra legere debemus. Quare in tam graui deliberatione à Pontificum Maximorum, qui nos antecesserunt, sententia recedendum non esse hoc tempore arbitramur. Obuiam quidem eundem censemus peruicaci cuidã ingeniorum licentiæ, assiduisque Theologorũ altercationibus, ne discordiarum pater simulatione pietatis animas decipiens, in nimijs istis disputationibus aliquãdo triumphet. Pontificio decreto eiusmodi periculum propellimus: ex eo cognoscet maiestas tua, quàm propensa tibi voluntate gratificemur. Te enim paterna charitate prosequimur, quæ è regnatrice domo in sacrum istud sodalitium Christianarum virtutum exempla transtulisti, vt Religiosas istas Virgines nobilitatis tuæ imitatione ad currendas diuinorum mandatorum semitas acriùs incitares, his omnibus, tibique cœlestiũ consolationũ vbertatẽ precamur, atque Apostolicam benedictionẽ peramanter impartimur. Datũ Romæ apud Sanctã MARIAM Maiorẽ sub annulo Piscatoris, Die iiij Iunij, M. DC. XXII. Pontificatus nostri anno secundo. Ioannes Ciampolus.

DECRETVM CAPITULI Prouincialis Patrum Prædicatorum prout habetur in Manuali ipsius Ordinis impresso anno M.D.XXIV.

QVIA Ordo Prædicatorum solitus est semper Sanctorum doctrinæ adhærere, sustinuit hucusque opinionem, quòd B. Virgo fuit concepta in originali: sed iam de hoc non est curandum, cũ sit materia nullius vtilitatis, & valdè scãdalosa, præsertim cum tota ferè Ecclesia (cuius vsus, & auctoritas secundùm Beatum Thomam 2. 2. quæst. 10. arti. 12. & 3. part. quæst. 68. artic. 10. præualet dictis Hieronymi, & cuiuscunque alterius Doctoris) iam asserat, quòd fuit præseruata.

OBSERVATIO.

HOc Manuale P. P. Prædicatorũ impressum est Hispali, & factum præsidente R. P. Alberto de las Casas: de hoc autẽ decreto latè Doc. D. Marcus Antonius Palau in defẽsione Dominicana pro Immaculata Virginis Conceptione capi. vlti. fol. 81. Pater Oxeda cap. 10. fol. 33.

INDEX TABVLÆ ANtiquæ Barchinonensis, ex testimonio Tabulæ.

Anno incerto.

IN nomine Sanctissimæ, & indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, ac Immaculatæ Conceptionis

Sacratissimæ Deiparę Dominæ nostræ, & totius curiæ celestis, &c.

Infra, Ac noniter, siue de nouo celebrare ipsius Sacratissimæ Virginis MARIÆ Dominæ nostræ Immaculatæ Conceptionis celebritatem, &c.

Infra, Ipsius purissimæ Genitricis suæ, & aduocatæ nostræ, Immaculatæ Conceptionis documentum, &c.

Infra, Et continuata verba, & testimonia aurea dictæ Immaculatæ Conceptionis Sacratissimæ Genitricis, & semper Virginis MARIÆ, &c.

Ex tabula ipsa.

In tertio Hymno.

Concepta Purissima,
Quam Deus priuilegio
Dotauit æterno
Esse exemptam,
Nulloque modo infectam
A quocunque vitio
Originali, & alio.

In Hymno quinto.

Si in peccato concepta
Fuisset Mater nuenta,
Esset in puncto illo
Odiosa Deo;
Sed quia magis illa,
Quæ sunt Deo propinqua
A Dei iustitia
Snnt magis dilecta:
Ideo est nulla
Conclusio contraria.

In Hymno sexto.

Cùm directè odium
Amoris sit contrarium,
Et creaturæ sordidæ
Deo sint odiosæ
MARIÆ Concessa
Eternè dilecta
In Matrem Filij Dei
Omnium iustissimi
Ex merito concedenda
Omnimodè semper pura,
Et in nullo momento
Infecta peccato

Ex Hymno septimo.

Quolibet anno
Cum cordis, & organo
In Sede Barchinone,
Vbi cum procesione
De puritate Virginis
Festiuitas fit solemnis.

In Cantilena

Verges purissima
La vostra Conceptio
Y ates que fosteis engendrada
Por Ioachin, è donada
A sant Ana facundada.
Ab natural actio
Per gracia especial
Del Senior Deu eternal
Del pecat original
Agues preseruacio
E de puritat dotata
E santament amada
Fos per Deu, è preseruada
De tota corrupcio
En vostre concebiment, &c.

Et in prossa.

Et ad publicandum cunctis viuentibus prædictam euidentissimam veritatē, fit quolibet anno per vniuersam Dei Ecclesiam de ipsius Virginis, & Matris purissima Conceptione festum solemniter celebratum.

Infra ex sancto Augustino in suo millelo-quio in sexto sermone Assumptionis. Hoc idē voluit concedere in originali principio suæ sanctissimę Matris, vt Conceptio Filij corresponderet Conceptioni Matris; & è conuerso.

Infra ex eodem Augustino. Si Mater mea potuit inquinari, dū eam facerem, potui & ego inquinari, dum ex ea nascerer.

Infra ex sancto Dominico Prædicatorum Patriarcha.

Dominicus sanctus, & gloriosus Pater Sacri Ordinis Prædicatorū venit de partibus Hispaniæ ad Tholosanam ciuitatem pro Ecclesiæ defensione, quam miraculo consummauit tempore, quo Albigenses affirmabant principaliter tres errores. Primus, quòd Iesus Christus non erat ille, qui iam dicitur venisse, qui debebat humanum genus redimere. Secundus error erat, quòd Hostia consecrata non continebat verum Corpus Christi. Tertius error erat, quòd sicut Adam formatus fuerat in campo Damasceno ex luto mundo, & nō macu-

maculato; sic ille, qui debebat redimere humanum genus, debebat nasci de Virgine non maculata: sed Virgo, quæ dicitur Mater Iesu Christi, fuit maculata per culpam originalem. Ergo natus ex tali virgine non est ille, qui debebat mundum redimere, contra quos hæreticos, & eorum errores, prędictus beatus Dominicus fecit quoddam libellum de corpore Christi, affirmando, quòd Christus redemit humanum genus, & firmissima veritate confitendo, Christum natũ de Virgine Immaculata, & prædicti Albigenses furiosè insurgentes contra ipsum beatum Dominicum, dicebant, quòd illa Virgo fuit Concepta in peccato originali & B Dominicus, prout in suo libello continetur, respõdit, quòd non erat verum, quod dicebant; quoniam Virgo MARIA est illa, de qua Spiritus Sãctus per Salomonem ait. Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Finaliter existentes hęretici in eorũ errronea intentione, venerunt ad miraculi experientiam, videlicet, quòd B. Dominicus proijceret libellum suum in quodam furno ardente, & si ibi nõ combureretur, crederent dictis suis & B. Dominicus proiecit ipsum in furno ardente, & libellus inustus exiuit. Nec ob hoc crediderunt dicentes, quòd etiam poneret in ipso furno hostiam, in qua dicebat verum Corpus Christi contineri, & B. Dominicus posuit hostiam consecratam super libellum suum, & iterum proiecit ipsum in furno ardente, & sicut priùs sine aliqua conbustione ab ipso furno exiuit. Et infra, de tãta puritatis gratia, de qua eligendo æternaliter Virginem MARIAM in Matrem suam æterno priuilegio dotauit ipsam exemptam ab omni macula originali, & quacunque alia, & etiam non debeat cũ ardenti, & deuota affectione festum Purissimæ Conceptionis deuotè colere, & solemniter honorare, &c.

Et infra, vt omnes de eius Conceptione obloquentes conuersantur ad simpliciter credendum, & sine duplicitate solemniter celebrandum festum purissimæ, & sacratissimæ Conceptionis ipsius gloriosissimę, & multum Reuerendissimæ Matris Dei.

OBSERVATIO.

Tabula præsens latissima est, ideo ea solũ, quæ ad intentum attinere possint, extraximus. Extat in hoc archetypo Matritensi signata à Gaspare Monserrato Xemallau Apostolica & Regiá auctoritate Notario publico signata, & à P. Petro Gil Theologo societatis Iesu. D. D. Ludouici Sauz Episcop. Barchinonensis iussu approbata, typis mandata Cæsar Augustæ apud Ioannem à Lanaja anno 1619. ad finem, quæ præsentis trãsumpti authentici subscripto à Episcopo Barcinonensi dicitur Hispanicè. Escriuiose esta tabla, que se halló en los Archiuos de Barcelona cercano a los tiempos que sancto Domingo passò à Frãcia, como lo prueua el señor D. Luis Tena, Obispo de Tortosa en el Sermon impresso predicado à 25 de Nouiembre. 1618.

CONSTITVTIO SYNODALIS Archiepiscopi Cesaraugustani super festum de IMMACVLATA CONCEPTIONE Dominæ nostræ.

Anno M.CCC.LXXVIII.

DVM In consistorio reuoluimus mẽtis nostræ, quòd diuinæ prouidentiæ altitudo humanam creaturam eius imagini, & similitudini, figuram, quam misericordi respiciens pietate collapsam fore lapsu viderat Protoplasti à nexibus reatus, per quem damnationis sententia incurrisse humani generis posteritas videbatur: miro decreuit consilio releuandam; erigens Sanctam, & Immaculatam ex clara stirpe Reginam MARIAM Virginem gloriosam. In cuius vtero mystico spiramine Verbum, quod erat in principio apud Deũ; carnẽ veram susciperet, ac requiesceret Domini spiritus super eam, ipsam præexcellentem Reginam in Matrem eligendo, quæ tanto Regi dignum meruit habitaculum præparare. In quo Regem cæli Redemptorẽ, & Saluatorem gentium Dominum Iesum Christum, eadem Beata Virgo concepit, &

pro-

produxit in lucem populis, ſub mortis caligine miſerabiliter obolutis. Declaramus ipſam præexcelſam Virginem ante thronum diuini culminis reſidentem, omnium defenſatricem, ac impetrantem veniam pro peccatis, affluentis vbera gratiæ filijs adoptionis vberibus exhibentem, cultu deuotionis, & fidei in reuereri. Quapropter, vt eidem Virgini laudes feſtiuæ venerationis, & gratiæ referantur; Sancta Synodo approuãte, ſtatuimus, præcipimus, & ordinamus, volumus, & mandamus, quod de cetero feſtum Conceptionis ipſius Virginis, quod eſt octaua die mẽſis Decembris, tam Clericis, quàm populis per ciuitatem, & totam Cæſarauguſtanam Diœceſim, ſingulis annis perpetuis temporibus celebretur, colatur, & ſeruetur ab omni ſeruitij, & ſeriali opere quieſcendo. Adijciendo huiuſmodi ordinationi, vt in feſto tranſfixionis eiuſdem Virginis glorioſæ, cuius animam in crucifixione, & paſsione eiuſdẽ Filij ſui Domini noſtri Ieſu Chriſti diri doloris gladius penetrauit, quod feſtũ ſequenti Sabbato poſt octauas Corporis Chriſti decernimus de cætero feſtiuari nouem lectionum per Eccleſias dictarum ciuitatis, & Diœceſis ab omnibus celebretur. Nos enim Chriſti fideles ad colendum dictæ Conceptionis feſtum, & dictas nouem lectiones in feſto tranſfixionis prædictæ celebrandum, donis ſpiritualibus inuitantes, omnibus verè pœnitentibus, & confeſsis feſtum colentibus, & ipſas nouem lectiones cælebrantibus, de omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius authoritate, Beatæque Virginis MARIÆ, & beati Valerij meritis confidentes, quadraginta dies de iniunctis ſibi pœnitentijs per Spiritus Santi gratiam relaxamus.

OBSERVATIO.

Inuenitur præſens conſtitutio in volumine Conſtitutionum Synodalium regni Aragoniæ, impreſſum Cæſarauguſtæ anno 1500. *& eſt tertia in ordine in titulo de reliquijs, & veneratione Sanctorum folio* 53. *edita in quarta conuocatione Synodi celebratæ à R. SS. D. D. Lupo Fernandez de Luna Archiepiſcopo Cæſarauguſtano, anno à Chriſti Natiuitate* 1378 *ante* 16. *forum Pijſsimi Regis D. Ioannis I. Aragoniæ, infraſcriptum, & editum Valentiæ; ex quo conſtat, quòd ad prædictum forum Regis præceſsit lex Eccleſiaſtica. Ipſam integram conſtitutionem Synodalem adducit, & explicat P. Torresfol.* 287.

PRIVILEGIVM, SANctio, vel Pragmatica Sereniſsimi Ioannis I. Regis Aragonum de CONCEPTIONE Sacratiſſimæ Virginis MARIÆ. XI. in Ordine.

Anno M. CCC. XC. IV.

NOs Ioannes Dei gratia, Rex Aragonum, Valentiæ, &c. Quid mirãtur religioſi quidam, (ne dicemus, quanquam verius, curioſi, ſuperſtitioſique homines) ſingularem Virginem Matrem Dei Benedictam MARIAM fuiſſe Cõceptã ſine originali peccato? Dum Ioannem Baptiſtam materno in vtero ſanctificatum ab illo ſanctorum, (qui à ſummo cælo, & throno æternæ, ac indiuiduæ Trinitatis egrediens, ſe in eiuſdem Virginis alma viſcera clauſit, inneffabili myſterio factus homo) non dubitant? Quid, quæſumus, pater omnium, & Creator cæli, & terrę dignum honori diuino, in principio ſui operis, cùm naturæ humanæ ſecreta conderet, reſeruauerit in Matre? Quæ ante partum, in partu, & poſt partum virgo inuiolata permanſit. Nonne igitur (qui) de nihilo cuncta fecit, propriæ Genitrici, & Virgini ſemper, in Conceptione, in Natiuitate, in vita, in moribus, & demum in omnibus cuſtodiuit ſingularia, & perfecta priuilegia ſanctitatis? Quid rurſum de tantæ Virginis glorioſa Conceptione ambigitur, de qua niſi magnalia, & mirabilia magna, Fides Catholica, certitudo miranda non recipit? Nõne ſingulis in Chriſto credentibus longè præſtantior admirandi materia quoque fuit creatura creatorẽ producere? Et Virgo ſine tactu pudoris effici Mater Dei? Quid, inquam, hu-

humanæ mentes ad laudes ipsius Virginis gloriosæ sufficiunt, quam diuina maiestas disposuit illibata gaudia Matris habentem cum virginitatis honore, ab inferis, & supernis Sanctorum exercitibus in ęternum, velut eorum Dominam, & Reginam attoli? Defuit ergo, tam excellentissimæ Virgini in conceptu almifici sui corporis aliquid puritatis, vel gratiæ ob prætensum originale peccatum? Quam missus ad eam cœlestis nuncius, pacis Angelus, salutando, Aue MARIA gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, prædicauit? Quippè taceant vociferatores inutiles; disputatores stolidi erubescant, dē tam præclara, Immaculata, & pura Conceptione Virginis, violenta producere argumenta. Decuit enim, vt ea puritate niteret, qua sub Deo nequit maior intelligi. Decuit & profectò perfectam, & perfectissimā, purissimam, & decoram semper extitisse, & esse in omnibus, quæ omnium genuit cōditorem, & patrem, quæque ab initio, & ante secula decreto ęterno, in consilio diuinæ maistatis electa fuit, & prælecta gestare, quem totus Orbis, nec ipsa immensa magnitudo cælorum capere non sufficit. Et nos, qui licet immeriti, dona tāta, & beneficia gratiarū ab ipsa matre misericordiæ, inter cæteros mundi Catholicos Reges, suscepimus, firmiter credimus, & tenemus quòd præfatæ huius sanctissimæ Virginis sancta fuit penitus, & electa Cōceptio, in cuius tabernaculo Vnigenitus Dei Filius habitare dignatus est, & benignus sumere quoque corporis nostri formam. Huius itaque beatæ Conceptionis Beatissimæ Virginis colimus puro corde mysteriū, & eius festiuitatē solemnē; quā Regia domus nostra quolibet anno deuota exultatione cōcelebrat, & perinde perpetuā nostri prædecessores, illustres memoriæ colendæ. Et nos vtique dedicauimus confatriā. Disponimus, & iubemus per omnia regna nostra, & terras annuatim cū reuerentia maxima celebrari perpetuò ab vniuersis, & singulis fidelibus ortodoxis, tā Religiosis, et Clericus, quā laicis, infimis, atque medijs, et supremis. Nec amodo liceat, imo fortiter prohibemus quibuslibet Euangelizantibus, siue prædicantibus verbum Dei, quidquā exponere, vel proferre in aliquam puritatis ipsius benedictæ Conceptionis iacturam: sed potiùs dicti Prædicatores, & qui aliud voluerunt sentire, aut voluerint, strictè digitum ori suo apponant; cum nulla id exigat fidei ortodoxæ necessitas conſiteri. Cæteri vero sanctam huiusmodi, & salubrem nostram opinionem, habentes illam in corde, in ore, & sermonibus suis magnopere venerentur, & publicent, colant, & celebrent, magnificent, & extollant ad laudē Altissimi, & honorē, & gloriam Matris eius, Reginæ cœlestis, portæ paradysi, animarū custodiæ, salutis portus, & anchoræ firmæ spei omnium in se sperantium peccatorum. Perenniter huius serie statuētes expressè, quòd si fortè de cætero aliqui Prædicatores, vel cæteri cuiuscūque fuerint conditionis, vel sexus in nostro dominio, non seruauerint ordinationē huiusmodi, nullo alio præcedente edicto nostro, claustra, domosquè suas prorsus deserant: & quādiu in cōtraria opinione, in confessione permāserint, fiant, tanquā inimici nostri, extra omnes terminos vniuersæ nostræ Regiæ dictionis. Mandantes insuper de certa sciētia, & consultè, sub iræ nostræ, & indignationis incursu, vniuersis, & singulis officialibus nostris, tam citra, quā vltra mare cōstitutis, præsentibus, & futuris, quatenus huiusmodi nostrę ordinationis edictū seruātes perpetuò, & facientes cū magna diligētia, & reuerentia custodiri, mox illud cum ad aures eorū peruenerit; faciat vnusquisque ipsorum in districtibus suis per omnia loca solita valdè solemniter, tubis clangentibus, publicari; nequis inde queat ignorātiam vllo modo prætendere: atque deuotius Christiani deuoti deuotionē iam dudum conceptam in cordibus suis de tam sacratissimæ Virginis gloriosa Conceptione adaugeāt. Et amodo nostris in populis semper huiusmodi os iniqua loquētium obstruatur. In cuius rei testimoniū præsentem fieri iussimus nostro pendenti sigillo munitam. Datū Valentiæ secunda die Februarij, qua festum Purificationis huius sanctissimæ Virginis celebramus. Anno à Natiuitate Domini M.CCC.XC.IV. Regnique nostri viij.

OBSERVATIO.

*S*Vpra *scriptum priuilegium sanctio, vel Pragmaticæ extat in opere deaurato priuilegiorum regalium Regni, & ciuitatis Valentiæ, impressum ibidem apud Didacum Gumiel, anno* 1515. *& extat fol.* 153. *de quibus, & alijs scitu dignißimis legēdus P. Ioannes de Pineda Societatis Iesu in integro libro; cuius titulus est,* aduertencias al Priuilegio nueuo de los del Señor Rey D. Iuan Primero de Aragon, *impressum anno* 1615. *& in secundo, cuius titulus*, Memorial de respuestas a las oposiciones, que se hazen contra el Priuilegio del Señor Rey Don Iuan Primero de Aragon, *impressum Hispali, etiam anno* 1615. *extat etiā transcriptum in quodam libello R. P. F. Vincencij Iustiniani Antist. Dominicani, typis mandatū anno* 1615. *apud Ludouicum Sanchez, Matriti in P. Torres, lib.* 4. *cap.* 2. *fol.* 268. *& respondit ad obiectiones latè fol.* 278. *Miranda in cap.* 77. *fol.* 573. *Lezana cap.* 22. *fol.* 96. *De ipso etiam Poxeda cap.* 8. *fol.* 12. *Porren. cap.* 12. *fol.* 34. *R. P. Sosa fol.* 27. *Hieron. de Huerta fol.* 49. *& addit.* Certū præterea est, Regem Catholicum, pium, & iustum hoc non fecisse absque Romanę Ecclesiæ consensu, *P. Salazar, cap.* 42. *argum.* 12. *fol.* 438. *Hiero. Aznar, cap.* 19. *fol.* 101. *Tama. de Salazar ad annum* 1395. *Christoph. Morenus, & alij quàm plurimi. Latißimè de hoc priuilegio agit Raymundus Lullus in tractatu de Conceptione Virginis.*

PRIVILEGIVM PRImū Domini Regis Martini Primi. & statutū factum, ne aliquis audeat prædicare, disputare, vel quomodolibet improbare, exponere, vel proferre in aliquam puritatis gloriosißimæ Virginis MARIÆ Conceptionis iacturam.

Anno M.CCCXCVIII.

MArtinus Dei gratia Rex Aragonū, Valentiæ, Maioricarum, Sardiniæ, & Corcicæ, Comesque Barchinonæ, Rosilionis, & Ceritaniæ, vniuersis, & singulis officialibus nostris vbilibet constitutis, cuiusvis præeminentiæ, & auctoritatis existant, hanc paginam inspecturis, ad quos hæc spectent, præsentibus, & qui pro tempore fuerint, & eorum loca tenētibus, cum dilectione salutem. Etsi tanta nos vrgeat agendorum frequentia, vt nullius, vel modicæ sit quietis solatium nobis indultum, in ipso tamen laborum, & solicitudinum medio beneficia pensamus innumera, singularissimaque, & immensa donaria meditamur, quæ sua ineffabili bonitate gloriosissima, ac purissima Domina nostra, Dei, ac Domini Iesu Christi Genitrix, semperque Virgo MARIA, quam ab adolescentia nostra aduocatam elegimus, & patronam nobis frequenter, non solum misericorditer, sed etiam mirabiliter est conferre dignata: quæ quantò attentiùs cogitamus, locumque attēdimus potiorem, quem post suum Vnigenitū ipsa præ cæteris meruit obtinere, tanto feruentiùs ad ipsius Virginis deuotionem accendimur, & ad eius præconia, & honores nos ipsum, & alios visimur excitari. Hæc enim verè est laude dignissima, quam etiam, vt credimus, Angeli, super quorū choros est exaltata, collaudāt. Hæc est fœlicissima cæli porta, quæ Deum suis visceribus Deum, & hominem genuit, nobis aditum ad cęlestia præparauit. Hæc est lucidissima stella maris, mater misericordiæ, vitæ dulcedo, & spes Christi fidelium, ad quam quisque inter fluctus turbulentissimos huius mūdi, firma, & perseueranti fiducia deuotæ mentis oculos erigit, proculdubio suæ spei naufragium non incurrit, sed ipsius precibus, atque iuuamine ducimur ad portum salutis, & fœlicitatis æternæ. Hæc, in quam est, de qua veluti ex singulari priuilegio omni labe exēpta potest cum beato Bernardo veridicè prædicari, sancta, & Immaculata Virginitas, quibus te laudibus efferam, nescio, quia quem cęli capere non poterant, tuo gremio contulisti, & per consequens rectè, & verè concludi, quòd tantæ Virginis, Reginæ, & Dominæ munditiæ puritatem, excellentiā quoque

que virtutum,plenitudinem perfectionis, ꝗ gloriæ ſedem ſublimem, & potentiæ vbertatem, nec humani ſufficiunt intellectus perpendere, & minùs hominum organa perſonare,& ideò proprijs ſubiecto luminibus;& intellecto ad plenũ quodã edicto ſereniſsimi Domini Ioannis Regis Aragonum, fratris noſtri in memoriæ celebris tenorem,qui ſequitur cõtinentem.

Hic inſerit priuilegium ſereniſsimi Regis D. Ioannis Primi ſupra poſitum. Deinde verò proſequitur.

Opinioni prædicti quõdã Regis Fratris noſtri. hoc eſt,quòd glorioſiſsimæ Virginis,& Matris Mariæ Beata Cõceptio fuit ab omni labe originalis peccati exẽpta, omnino firmiter inhærens, tanquam ſalubri, Catholicæ, piæquè non modicum, & deuotæ tenore huiuſmodi pro videmus,ſtatuimus,volumus,& etiam inhibemus,ne à modo quiſpiam Religioſus,ſeu Clericus,vel alia quæuis perſona, cuiuſuis ſit conditionis, ſeu ſtatus, audeat,vel præſumat dicti quondam fratris noſtri,ac noſtram opinionem huiuſmodi prædicãdo,diſputando, aut aliter impugnare,arguere, ſeu quomodolibet improbare, & minus aſſerere, dicere vè illam eſſe damnatam,erroneam,indeuotam, ſeu in aliquo reprobatam,quin potiùs ab inde fræno abſtinentiæ ſe compeſcant, totaliter ori ſuo cuſtodiam imponẽtes. Et vt præſens noſtra prouiſio, ſtatutum, & inhibitio firmiter, & ad vnguem ſeruetur, vobis,& veſtrum cuilibet dicimus, & mandamus de certa ſcientia,ſub iræ, & indignationis noſtræ incurſu, & quanto expreſsiùs poſſumus,quatenus faciatis,& inconcuſsè ſeruari, & in ciuitatibus, villis, & locis ſubiectis iuriſdictionibus,vobis cõmiſsis ſolemniter publicari voce præconis, vt omnibus melius innoteſcant, nec valeat inde quiſquam ignorantiam prætendere aliquam. Et, ſi, ac quoties ſcieritis,aliquem, vel aliquos inconſulta ſeductos præſumptionis audacia contra hanc noſtram prouiſionem inſurgere, ſeu in aliquo præmiſſorum contrarium attentare, quia poſſet de facili ex ſcintilla occaſionis, ſeu cauſa huiuſmodi ignis maximus exoriri, & futuris eſt caſibus celeri prouidendum remedio, & obſtandum principijs tanti mali,procedatis cõfeſtim ad captionem ipſorum, captoſquè, ſi laici fuerint, teneatis eoſdem, & diligentiùs cuſtoditos, donec plena conſultatione, inde à vobis primitus habita per nos aliter ſit prouiſum: ſi vero Religioſi, ſeu Clerici fuerint, Eccleſiaſtico foro ſubiecti, ad ſuum Ordinarium illos protinus remittatis debitè corrigendos per eum,ſic viriliter,& ſolerter circa hec vos geſturi, quod per veſtrum laudatum myſterium ſolidetur, vigeat, & accreſcat in cordibus illam tenentium dicti quondam fratris noſtri,ac noſtra ſalutaris opinio memorata. & demum ſit Deo, cuius negotium in hac parte geritur,veſtra operatio placida,& Chriſti fidelibus,eo propicio, fructuoſa. Rogamus prætera, & attentè requirimus, ac in Domino exortamur omnes, & ſingulos Archiepiſcopos, Epiſcopos, alioſquè Prælatos, & perſonas Eccleſiaſticas conſtitutas vbilibet infra noſtrum dominium, quòd dicti Regis, & noſtram piam, & ſalubrem opinionem huiuſmodi promptis,deuotiſquè mentibus amplectentes & aduertentes aptiùs, quod ipſi, quibus cum gregis Dominici ſit in ſpiritualibus Præſidis & Paſtoris principalior cura,& onus cuſtodiæ,obſeruantiæ, & augmenti huius,tam ſalubris, tamquè deuotæ opinionis incũbunt circa illa, in attentionis vigilantiam excitari,totis intendant conatibus, & illi horum,ad quos pertineat, ſtudeant opinionem eandem omnibus ſuadere de grege prædicto, vt horum ſalutaribus inductionibus,& ſuaſsionibus,quos dictæ opinionis profeſsio ſuos habet, in illa conſtanter perſiſtant, & iugi proficiant incremento; reliqui verò ad eam, eiuſquè cultum ſalubriter pertrahantur, & inſuper corrigant fortiter remedijs, quibus decuerit illos omnes Eccleſiaſticæ iurediction ſubiectos, quos ſciuerint prouiſionem,ſtatutum,& inhibitionem huiuſmodi violare, ſeu eidem quomodolibet contra ire, vt ſic ipſi de ſua compeſcãtur malitia, & de commiſsis exceſsibus puniantur, quod in eis dedecus culpæ per decorem ordinetur iuſtitiæ, & in alijs auda-

dacia cõmittẽdi ſimilia, pœnę formidine refrænetur. Alioquin ſciant indubiè dicti Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Prælati, Eccleſiaſticæquè perſonæ, quòd circa hæc, & cõtra eoſdẽ opportuna remedia nõ deerunt; inexcuſabilis enim conuincitur negligentiæ vitio, & nõ leuis culpæ ſe reum cõſtituit, qui tantum, & tam ſalubre myſterium qualibet hominis prouiſione non adiuuat, ſed illud conquati patitur, vel turbari; nec hoc ad quorumlibet fidelium culpam, aut notam iuſtè reducitur, ſed horum potiſsimè negligentia condemnatur, ad quos ius, & auctoritas prouiſionis, executionis iſti huiuſmodi pertinere noſcuntur. Datum ſub noſtro ſigillo pendenti Ceſar Auguſtæ decimaſeptima die Ianuarij, anno à Natiuitate Domini M.CCCXCVIII. Regniquè noſtri tertio. Matthias Vic.

PRIVILEGIVM SECVNdum eiuſdem Regis Martini.

Anno M.CCCCVIII.

MArtinus, Dei gratia Rex Aragonũ, Valentiæ, Maioricarum, Sardiniæ, & Corcicæ, Comeſquè Barchinonæ, Roſilionis, & Ceritaniæ. Nobilibus dilectis, & fidelibus vniuerſis, & ſingulis officialibus noſtris vbilibet conſtitutis, præſentibus, & futuris, eorumque loca tenẽtibus, ad quos præſentes peruenerint, ſalutem, & dilectionem. Meminimus pridem cum quadam charta noſtro ſigillo appenditio inſignita data Cæſar Auguſtę decimaſeptima die Ianuarij, anno à Natiuitate Domini milleſsimo treceenteſimo nonageſimo octauo, Regniquè noſtri tertio, inhæſiſſe firmiter veraciſsimæ opinioni, quã habuit illuſtris Ioannes Rex Aragonũ frater noſter, memoriæ celebris, hoc eſt, quòd glorioſiſsimę Virginis, & Matris MARIÆ Beata Conceptio fuit ab omni labe peccati originalis exempta: quam quidem opinionem dictus frater noſter illuſtris, cum quodam edicto ſuo ſecreto ſigillo munito, dato Valentiæ quartadecima die Martij, anno à Natiuitate Domini milleſimo, treceenteſimo, nonageſimoquarto, quo inter cætera cauetur, quòd nullus ex euangelizantibus, ſeu prędicãtibus Verbum Dei, quidquam exponere, vel proferre auderet in aliquam puritatis benedictæ Conceptionis iacturam, fecit, dum viuebat ſolemniter tubis clangẽtibus publicari; reminiſcimur, inquam, nos cum charta noſtra predicta prouidiſſe, ſtatuiſſe, voluiſſe, & etiam inhibuiſſe firmiter, & diſtrictè, nequamodo quiſpiam Religioſus, ſeu Clericus, vel alia quæuis perſona, cuiuſvis ſtatus, ſeu conditionis exiſteret, auderet, vel præſumeret, dictiquè fratris noſtri, ac noſtram opinionem huiuſmodi prædicando, diſputando, aut aliàs impugnare, arguere, ſeu quòmodolibet improbare, & minus aſſerere, dicere vè illam eſſe damnatam, erroneam, indeuotam, ſeu in aliquo reprobatã, ſub certarum pœnarum incurſu in charta noſtra dicta proximè contentarũ: nunc autem, quia noſtrum nouiter (quod diſplicenter referimus) pulſauit auditũ, nonnulli Spiritu præſumptionis circundati, non ſine euidenti periculo perſonarũ ſuarũ, & grãdi ſcandalo Religionis, cuius ſe fore fatẽtur; conantur cõtinuè, ac preſumunt aſtutè, & ſub verborum inuolucro nedũ prædicare, tam directè, quàm indirectè, & duplicibus eructationibus eorum opinionẽ falſiſsimam, verum etiam arguere, reprehendere, & vt famelici, & rabidi canes mordere alios, qui veram opinionem noſtrã, iam dictam tueri conantur: illis præſertim diebus, quibus nouerunt eoſdẽ in ipſius Virginis decus hanc veriſsimã opinionem imprimere cordibus fidem colẽtium ortodoxã; & quod pernicioſius eſt, illos inquietare, ac proſequi in iudicio, & extra, ac eis hæreſis crimẽ impingere, qui ſatagentes cum dictis Sanctorum Patrũ, & Doctorum Eccleſiæ, dictam veracem opinionem probare, quandoque confirmant eandem cum ethnicis, quandoque cum alijs infidelibus; (cum fas ſit ab hoſte doceri) quandoque cum Philoſophis, & Poetis, & demum cum perſuaſiuis eloquijs, & probabilibus argumentis, allegãtes, quòd in eorum dictis, & probationibus, quas in ſenſum deducunt contrarium,

quam-

quamquam de principali non curent, à fidei Catholicæ tramite deuiarant. Volentes huic morbo pestifero debitã adhibere medellã, & occurrere imminentibus scãdalis, quæ parantur: statuimus, & ordinamus, & volumus, ac vobis mãdamus, etiã cũ præsenti, quòd edictũ, de quo supra fit mentio, factũ per dictũ fratrẽ nostrũ, nec non et prouisio, statutum, et inhibitio facta per nos super his, vt superiùs continetur, per vos, et quascũque personas cuiusvis status, præeminẽtiæ, seu dignitatis existãt, de cætero irrefragabiliter obseruẽtur. Statuimus etiã, ordinamus, & volumus pro prædictorũ firmitate maiori, quòd omnes, & singuli cuiusuis status, & conditionis existant, prædicantes, seu pertinaciter obloquentes contra edictum huiusmodi, pro inimicis nostris publicis reputentur, & pro talibus à cunctis officialibus, & nostris subditis de cætero habeantur. Quibus quidem inimicis nostris mandamus sub pœnę mortis incursu, quatenus postquam contra edictum præfatum deliquerint, confestim infra decem dies extra ciuitatem, villam, vel locum, vbi peccauerint, & postea infra triginta dies, inde continuò secuturos, à Regnis, & terris nostris exeant, sub spe ad eas nullo tempore reuertendi: quòd si non fecerint, vt præfertur, per nostros officiales quoscunque ad ea complenda compelli, & cogi volumus rigidè, & districtè. Et ad tollendam omnem materiam occasionis, & scandali, rogamus, & attentè requirimus, ac in Domino exortamur omnes, & singulos Archiepiscopos, Episcopos, aliosque Prælatos infra nostrũ dominiũ, vbilicet constitutos, ad quos hæc spectare modo aliquo videãtur, quatenus casu quo aliquis prædicando, vel disputando, aut aliàs de materia præiacenti oberrauerit taliter, quòd inquisitio sequi debeat contra illum, talem inquisitionem per dictos Fratres de Ordine Prædicatorum, Inquisitores hæreticæ prauitatis (eo quia naturaliter soli, & singulares inimici existunt omnium, & singulorum contentorũ in edicto præfato, cum cæteri Religiosi, imo & quæcunque scientiarum vniuersitates sint eis in hac veritate contrarij) fieri de cœtero non permittant, nec tales sint iudices, nec conclusiones huiusmodi, seu aliquorum dependentium, seu emergentium ex eadem: cùm sit dissonum rationi, & alienum à moribus coram suspecto iudice litigare, sed hoc fiat per prædictos Archiepiscopos, & Episcopos, aut officiales ordinarios eorundẽ, quos iã sacri Canones Inquisitores primarios statuerunt. Dat. Barchinonæ sub nostro sigillo secreto 26. die Aprilis, anno à Natiuitate Domini M. CCCC. VIII. Rex Martinus.

OBSERVATIO.

Extãt hæc duo priuilegia in Archetypo huius Matritensis Conuentus, typis mandata, & authentica rescripta à Matthæo Nebot, & Galcerando, Francisco Calopa, de quibus etiam mentionẽ faciunt P. Lezana cap. 22. fol. 97. Miranda cap. 78. fol. 579. epistola missa ad Philip. III. §. 5. num. 18. fol. 12. P. Ojeda cap. 8. fol. 12. Porren. cap. 12 folio 34. P. Torres lib. 4. cap. 4. fol. 295. Tama. de Salazar ad annũ 1395 Ægid. Salaz, & alij quàm plurimi.

PRIVILEGIVM DE IMMACVLATA CONCEPTIONE D. N. Virginis MARIÆ, Reginæ Aragonis D. *Mariæ.* Anno M. CCCC. XXXVI.

Maria Dei gratia Regina Aragonum, Siciliæ, Valentiæ, Maioricarum, Sardinię, & Corsicæ, Cõmitisa Barchinonæ, Ducisa Athenarum, & Neopatriæ, ac etiam Commitisa Rosilionis, & Ceritaniæ, locum tenens generalis Serenissimi Domini Regis, viri, & Domini nostri charissimi dilecto, & fidelibus nostris Vicario, & Baiulo villę Podij Ceritaniæ, & Ceritaniæ, Consulibusque dictę villæ, cœterisque vniuersis, & singulis officialibus, & subditis dicti Domini Regis, & nostris, & dictorum officialiũ loca tenent. salutem, & dilectionem.

Pp Excel-

Excellentiſsima Regia domus Aragonū in excelſam, inexpugnabilemque fortitudinem, quam conſtruxit, & fundauit altiſsimus, ſpem ſuam fiducialiter ponēs Reginam illam Virginē glorioſam MARIAM, quam à dextris ſuis in veſtitu deaurato Deus ipſe in plenitudine ſanctorum conſtituit circundatā varietate virtutum, ſemper venerari, & extollere conata eſt, omniaque æſtuāti deſiderio proſecuta, quæ in laudem, & gloriam illius, & Sacratiſsimæ Conceptionis eiuſdem, quam Angeli plenè laudare non ſufficiūt, poſſunt quomodolibet redundare. Hac ſiquidem freti deuotione Reges Aragonum memoriæ laude dignæ feſtiuitatem magnam, quam ſancta Mater Eccleſia de Conceptione dictæ Beatæ Virginis toto in orbe terrarum multa veneratione concelebrat, ad eam augendā per totam dictionem eorum ſtatuerit vniuerſaliter celebrari. Et vt magis, ac magis interna deuotio exteriùs refulgeret, nonnulla ſuper hoc ediderunt decreta, quorū vnum, videlicet Domini Regis Martini proauunculi noſtri memoriæ celebris hic inſeri volumus, cuius tenor ſequitur in hunc modum.

Hic inſerit priuilegium ſecundum Domini Regis D. Martini primi, ſuprapoſitum, finitumque proſequitur Domina Regina Maria.

Veſtigia igitur eorum ſancta ſequi, & imitari volentes, nonnullis inſolentijs per Fratrem Andream Stephani Ordinis Prædicatorum in die feſtiuitatis CONCEPTIONIS Beatæ Virginis MARIÆ, anni milleſimi quadringenteſimi trigeſimi quinti in dicta villa Prodijceritaniæ, commiſsis perperam, & fatuè attentis, præbentibus nobis cauſam, ſuper quibus per alias noſtras litteras die præſenti confectas procedi mandauimus, iuxta earundem litterarum cōtinentiam, & tenorem, dicimus, & mandamus vobis, & veſtrum cuilibet de certa ſcientia, & expreſsè ſub pœna decem millium florenorum auri, Regiæque, ac noſtræ iræ, & indignationis incurſu, quatenus dictum præinſertum, & contenta in eo teneatis, & obſeruetis, tenerique, & obſeruari per quoſcunque firmiter, & inuiolabiliter faciatis, & contrafacientes pœnas in eodem adiectas, & appoſitas ſine remiſsione aliqua exequamini rigidè, & potenter, vt ſic illi, quos temeraria præſumptio in tam excelſis actibus agitat, pœna debita comprimantur, & in illos, quos non facit ignis deuotionis ardeſcere, metus pœnarū eorum indeuotionem intra eorum corpora in fœtore ſepultam ipſis ſolis nocituram conterat. & conculcet. Vt autem hæc fiant recentia vniuerſis, mandamus ea voce præconis per dictam villam, & alia loca ſolita veſtræ vicariç publicè nūciari. Datum Barchinonæ trigeſimo die Ianuarij, anno à Natiuitate Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo ſeptimo. De Ortig. Vidit Raimundus Bazuli ex prouiſione facta per Iaume de Ortig Regentem Cancelleriæ.

Signum meum Gaſparis Amat, Sacræ Catholicæ, & Regiæ Maieſtatis Archiuarij, & ſcribç mandati per totam terram & dictionem Regij Notarij publici Barchinonæ populati, qui huiuſmodi exemplum à ſuo originali regeſto diuerſorum locum tenens ſeptimæ ſereniſsimç Dominæ Reginæ MARIÆ ſereniſsimi Domini Alfonſi quarti diui nominis, Regis Aragonum conſortis, & locum tenētis generalis annorum M. CCCC. XXX. VI. & VII. & VIII. Intitulato in Regio Archiuo, recondito, & cuſtodito fideliter ſumptum ſcribi feci, & clauſi, &c.

MANDATO DE LA Reyna doña Maria de Aragon en fauor de la limpia CONCEPCION de la Virgen.

Anno M. CCCC. XXXIX.

MARIA por la gracia de Dios, Reyna de Aragon, de Sicila, de Cafarro, è de Ella, de Farro, de Valencia, de Vngria, è de Hieruſalem, & de Mallorca, de Cerdeña,

deña, & de Corcega, Contesa de Barcelona, Duquesa de Athenas, & de Neopatria & encara, Cōtesa de Rosedo, & Empuidas: lugar tiniente General del muy Illustre señor Rey, y marido, y Señor nuestro muy amado, &c.

A los muy Reuerēdos, y venerables en Iesu Christo, Padres Religiosos, è a los amados vniuersalment, è à cascuno singularment Arcebispes, Vispes, Abbades, Priores, è otros, qualesquiere de qualesquiere Iglesias, & Monasterios, Prelados en dignidades, oficios constituidos, & encara à los egregios, nobles, & amados, & encara a los fieles, Duques, Cōptes, Viscomptes, Varones, Caualleros, Gouernadores, Iusticias, vegueros, Baylles, Zalmedinas, & todos oficiales otros, & subditos del dicho señor Rey, & Lugartenientes de los dichos oficiales, presentes, & advenideros, salud, & dileccion, & si per muitos entro aqui en dubitaciones ventilados se la bendita Virgen MARIA engendradora de Dios aura seydà concebida en peccado original, empero los Christianissimos Reyes de Aragon de recordable memoria han decernido, & determinado la festiuidat de Concepcion en sus tierras, & Regnos, por todos sus subditos celebradera, & a present la sagrada sancta Synodo de Basilea inspirante el Espiritu Sancto, de largas, è varias disputationes, habidas en la dubitacion sobredita, por su decreto ha declarado, & difinido, & encara determinado la dicta muy gloriosa Virgen MARIA, en ninguna manera en su Concepcion à la macula del original pecado auer estado encayda, ni submetida: ans mayormente pura, & encara à toda taca del dito pecado limpia, auer sido concebida; segun que en el dito decreto del tenor, que tantos se sigue, mas largamente se contiene.

Aqui trae a la letra el decreto del Concilio de Basilea, y luego prosigue.

E Para aquesto à los q̄ deu seyerē requeridos de vosotros, requerimos à todas otras personas firmamēt damos mādamiento, que el dito decreto, & las cosas contenidas en aquel firmament obseruēys, & encara à todos los Catolicos del Rey, y nuestros fagays obseruar, & defecto, & tenor del dito decret, vos ditos Prelados, Religiosos, Ecclesiasticos, durant el oficio diuinal, è vosotros oficiales del Rey, & los otros subditos, por los lugares acostumbrados de las ciudades, villas, & lugares, & nuestras jurisdiciones, & destritos de los sujetos à nosotros, fagades con voze de pregionero con trompas sonantes, publicament seyer auisado el dia de sus dito de la celebrirat, & festiuidat de la Concepcion de la dicta Virgen gloriosa, de seyer guardado, & celebrado, assi como el dia del Domingo, à todos obseruar fagades, & los temerarios, & locos (se algunos sean trouados) contraditores, rigurosamente refrenando en estas cosas: talmente no sauiendo, que por intercessiones, & rogationes de la Virgen sobredita, por causa de la qual aquesto se fa presente della en la caridad del muy alto Dios podays seyer exaudecidos. Dada en Zaragoça diles nostro sigillo Real empendiente el primer dia de Decembre de. M.CCCC.XXXIX.

OBSERVATIO.

Supra scripta priuilegia D. Mariæ Aragonis Reginæ, quæ fuit vxor Alphonsi IIII. Regis Aragonum, filia Enrici Castellæ Regis huius nominis III. Sororque Ioannis II. Castellæ, etiā Regis: marito namque absente Neapoli Regni expugnationi implicato, regnorum Aragonis curationi præposita, multa, & magna dedit prudentiæ, sanctitatis, ac fortitudinis signa, complura comitia celebrauit, in quibus multæ leges saluberrimæ constitutæ sunt sub Mariæ Reginæ locū tenentis nomine conscriptæ. Inter ea autem præclara, quæ an. 1436. constitutiones, & pragmaticas sanctiones Ioannis 1. & Martini. 1 de Immaculata Conceptione Dei Genitricis, tenenda, & venerāda ab omnibus, confirmauit, & de nouo statuit, vt supra extat positum. De hoc priuilegio Miranda latè cap. 79. fol. 602. Epistola scripta ad Philip. IV. §. 5. num. 21. fol. 13. Andel. del Valle cap. 7. fol. 43. Lezana in Apolog. cap. 22. f. 97. Ojeda cap. 8. fol. 12. Porren. cap. 12. fol. 34. Tor. libr. 4. cap. 6. fol. 312. & fol. 318. transcriuit ipsum, & alij quàm plurimi.

Ioan-

IOANNIS I. REX NAuarræ, anno M.CCCC.LI.

CONSTITVCIONS, Y altres drets de Catalunia, compilats en virtut del cap. de Cort 24. de las Corts per la S. C. y Real Maiestat del Rey Don Philip nostre senior, celebradas en la villa de Montso any 1585. volum. 1. En Barcelona any 1588. fol. 10. libre 1.

DE LA CONCEPCIO IMMACVLADA de la Sacratissima Verge MARIA. Titulo 11.

I. Ioan Rey de Nauarra, Loctinēt general de Alfons Quart sou germa, en la Cort de Barcelona, any 1451. *Capitol 1.*

Eſta fue la forma como referida lleuo del juramento, la qual fue leyda por el Diacono, para que todos los que auian de hazer dicho juramento, la oyeſſen, que todos ſe hallauan dentro de la Capilla mayor. Y acauada el Illuſtriſsimo, y Reuerendiſsimo ſeñor Don Fernando de Andrade, y Sotomayor Arçobiſpo, y Obiſpo que entonces era de dicha Santa Igleſia, hizo el juramento el primero por eſtas palabras: *Sic voueo, ſic iuro, ſic ſpondeo, ſic Deus me adiuuet, & hæc ſancta Dei Euangelia.* Deſpues el ſeñor Dean D. Lorenço Frances de Vrrutigoyti por eſtas palabras: *Sic voueo, ſic iuro per hæc ſancta Dei Euangelia.* Y dellas vſaron todos los demas que juraron. Iurò el Doctor Antonio Ortiz Doualle, Arcediano de Siguença. Doctor Don Andres Manrrique, Arcediano de Almazan. Don Aluaro de Valençuela, y Mendoza, Arcediano de Molina, y Canonigo. Doctor Don Luis Zapata Chantre, y Canonigo. Doctor don Cipriano Gallego, Prior, y Canonigo. Doctor don Pedro de Anguita, Capellan mayor, y Canonigo. Doctor don Gaſpar del Mōte, Arcipreſte, y Canonigo. Doctor D. Felipe de Villaverde, Arcediano de Ayllon, y Canonigo, Dignidades. Doctor Diego Ximenez de la Vega. Iuan Antonio de Morales. Don Gaſpar Brauo. Doctor don Baltaſar Melendez. Die-

Diego Ramirez de Iauregui. Martin de Valencia. Antonio Ximenez. Alonso de Pelegrina, y Lorençana. Iuan de Lespada. Don Christoual Cadena. Doctor Diego Perez Descoto. Don Antonio Carrillo. Matias de Arteaga, y Vrueña. Don Ioseph Carrillo. Doctor Iuan de Molina y Hozes. Doctor Iuan Fernandez Delgueta. Doctor Iuan Martinez Serrano, Catedratico de Prima en santa Theologia. Doctor Garcilaso de la Vega, Catedratico de Visperas en santa Theologia. Doctor don Francisco de Valcarce, Doctoral, y Catedratico de Prima de Canones. Don Tomas Zupide de Vergara. Matias Lagunez. Doctor Pedro Pelegrin. Doctor don Matias de Moratinos, de Escritura. Doctor Iuan Ruiz Colmenero Magistral de Pulpito Canonigos, y Diego Yague, y don Fernando de Ormaza, ansi mesmo Canonigos. Iuan de la Fuente. Iuan Pacheco. Doctor Iuan de la Lança. Gregorio Ximenez. Don Geronimo Zamudio. Martin Malo Crespo. Andres de Torres. Don Ioseph de Ascasua. Don Francisco de Morales. Doctor Garcia Barrientos. Pedro Calvo, y Francisco Xamon Racioneros enteros. Sebastian de Hernando. Francisco de Lara. Francisco Recio. Maestro Iuan Saez de Arana. Francisco de Carauias. Iuan Bautista de Fuentes. Geronimo de Almazan. Melchor del Monte. Francisco de Caravantes. Doctor Bernabe de la Olmeda. Alonso de Aparicio. Pedro de Azcutia. Pablo Garcia. Iuan Ximenez medios Racioneros, todos Preuendados en dicha santa Iglesia; que juraron como dicho lleuo; y despues la ciudad hizo su voto, y juramento; y al hazerle los seculares, empuñauan las espadas. Y despues en veinte y nueue de Febrero de dicho año de mil y seiscientos y quarenta y quatro, los dichos señores Dean, y Cabildo, por su decreto de dicho dia ordenarõ, y acordaron, que todos los que ayan de ser Preuendados en dicha santa Iglesia, antes que se les dè la possessión, hagan juramẽto de defender, que la Virgen MARIA nuestra Señora fue concebida sin pecado original; y que en el libro que se llama juratorio, se ponga en esta forma. Iten prometo, y juro por los santos Euangelios de Dios, de defender segun mi estado, que la serenissima Virgen nuestra Señora fue concebida sin pecado original. Lo qual se obserua, y guarda inuiolablemente en esta dicha santa Iglesia. Y todo lo que aqui va expressado, y de suso va referido, y se haze mencion, consta de los decretos capitulares del Cabildo de ella, y de vna copia autentica de la forma del dicho juramento, que està en los archiuos de dicha santa Iglesia, a que me remito; y para que de ello conste de pedimiẽto del Padre Fray Antonio de Sobarço, Guardian del Conuento de señor san Francisco desta dicha ciudad, y de mandato de los dichos señores Dean, y Cabildo, de veinte y siete de Abril deste año de seiscientos y quarenta y ocho, di el presente testimonio, y lo signè, y firmè. En Siguença, a primero de Mayo de mil y seiscientos y quarenta y ocho años. En testimonio de verdad. Don Ioseph Carrillo, Secretario, y Notario.

Nos los Notarios publicos Apostolicos por autoridad Apostolica, vezinos de la ciudad de Siguenza, que aqui signamos nuestros signos, y firmamos nuestros nombres, hazemos fee, y verdadero testimonio, a los que el presente vieren, como don Ioseph Carrillo, Canonigo de la santa Iglesia Catedral de ella, de quien va signado, y autorizado el testimonio nuestro, antes desto; es tal Notario publico Apostolico por autoridad Apostolica, y Secretario del Dean, y Cabildo de ella, fiel, legal, y de confiança, y como tal a las escrituras, y autos, y demas instrumentos, que ante èl han passado, y passan, siempre se les ha dado, y da entera fee, y credito en juizio, y fuera dèl. Y para que de ello conste, de pedimiento del Guardiã, y Frayles del conuento de san Francisco desta ciudad de Siguença, dimos el presente en ella, a dos dias del mes de Mayo de mil y seiscientos y quarenta y ocho años. En testimonio de verdad, Bernardo Sedeño Escriuano. En testimonio de verdad, Antonio Gomez Barragan Notario.

Iuramentum Vrbis Seguntinæ.

Anno M.DC.XXXXIV.

YO Bernardo Sedeño Sarmiento, Eſcriuano por el Rey nueſtro Señor publico del numero, y juriſdicion de la ciudad de Siguença, y que lo fuy de ſu Ayuntamiento, doy fee, y verdadero teſtimonio, a los que el preſente vieren, como en cumplimiento de lo contenido en vn decreto, y acuerdo del dicho Ayũtamiento de primero de Febrero del año de mil y ſeiſcientos y quarenta y quatro. En ſiete del dicho mes, y año, Domingo por la mañana el dicho Ayuntamiento, Iuſticia, y Regimiento de la dicha ciudad, fue conuocado a ſus caſas del Conſiſtorio con otros muchos vezinos ciudadanos. Y de ellas para el efecto que abaxo ſe dirà, con danças, y mucho regozijo, y con tambores ſalieron, y por las calles mas publicas con todas galas, las que cada vno pudo lleuar; llegaron deſpues de Prima a la ſanta Igleſia Catedral de la dicha ciudad, de la qual fueron recibidos con todo aplauſo, y tomaron ſu aſsiento en ſu Capilla mayor, eſtando patente, y deſcubierto el ſantiſsimo Sacramento, diziendo, y celebrando ſu Miſſa Pontifical el Iluſtriſsimo, y Reuerendiſsimo Señor Don Fernando de Andrade, y Sotomayor, Arçobiſpo Obiſpo, y Señor que fue deſta ciudad, para que en la tal feſtiuidad ſe hizieſſe, como ſe hizo, el voto, juramento, y pleito omenage, de defender la limpia, y pura Concepcion de la Virgen MARIA Señora nueſtra. Y en la dicha Miſſa Pontifical, deſpues de ſu proceſsion, y ſermon, que predicò el Doctor Iuan Fernandez, Canonigo de dicha ſanta Igleſia. El Dean de ella Don Laurencio Frances de Vrritigoitti, y ſus Dignidades, Canonigos, y Racioneros, y demas Clerecia, de los que ſe hallaron preſentes, hizieron en manos del dicho Prelado el juramento, voto, y pleito omenage, ſobre los Euangelios del libro que eſtaua abierto a la aſsiſtencia del dicho ſeñor Arçobiſpo, Diaconos, y demas Miniſtros para el dicho efecto. Y tambien lo hizieron la dicha Iuſticia, y Regimiento, y combidados ciudadanos, y en eſpecial los que ſe ſiguen, por ſi, y por la dicha ciudad, è in voce de ella, que fueron.

Iuſticia, y Regimiento.

DON Iuan de Albizu, y Herrazquin, Alcalde ordinario por el eſtado de hijoſdalgo. Iuan de Anguita, Alcalde ordinario por el eſtado de hombres buenos. Diego de Morales, Regidor por el eſtado de hombres buenos. Roque Fernandez de Ergueta Procurador, Sindico general por el eſtado de hombres buenos.

Diputados del Ayuntamiento.

EL Doctor Diego de la Lança Abogado, Catedratico de Prima de Leyes en eſta Vniuerſidad. Don Rodrigo de Aledo. Martin Pacheco. Don Martin Tamayo de Recalde. Alonſo Sanchez de Saauedra. Iuan de Santiuſte, y Iuan Sanz.

Ciudadanos.

IVan de Morales, Teſorero de Millones. Aguſtin Zetina, y Pedro de Mentera Secretarios. Iuan de Ardança. Miguel Toribio Garcia. Diego de Soto. Melchor Suarez. Pedro de Anguita. Pedro de Hambrona Teniente de Alguazil mayor por auſencia de Franciſco Gomez. Bernardo de Torremocha Eſcriuano, y Alonſo de Palencia Portero del dicho Ayuntamiento, y eſtos eſpeciales, y otro mucho numero de vezinos por dicha ciudad, y por ellos, que por ſu prolixidad no ſe eſcriuieron; y por no ſer poſsible ſegun ſu numero, y atencion tan deuota de hombres, y mugeres, y otros que de todo genero concurrieron a cauſa tan juſta, y obligatorie.

El Secretario, que dio fee del dicho juramento, y pleito omenage, por el Cabildo de dicha Catedral, fue el Canonigo Diego Ramirez de Xauregui,

El

El Secretario de la dicha ciudad, y su Ayuntamiento por lo que a ella tocò. Yo el dicho Bernardo Sedeño Sarmiento.

Todo lo qual saquè, y recuperè de la formalidad de lo que arriba se refiere, que puse por annotacion, y fee, que desto, y mas largo que de ella se contiene en mi poder queda, à que me remito. Y para que de ello conste de pedimiento del Guardian, y Religiosos de San Francisco desta ciudad de Siguença, di el presente en ella à primero de Mayo de mil y seiscientos y quarenta y ocho años, y lo signè. En testimonio de verdad. Bernardo Sedeño.

Nos los Escriuanos publicos del numero, y jurisdicion de la ciudad de Siguença, y vezinos de ella, hazemos fee, y verdadero testimonio, a los que el presente vieren, como Bernardo Sedeño Sarmiento, de quien va signado, y firmado el testimonio antes deste contenido, ha sido, y es tal Escriuano, como por ello se dize, y fiel, y legal, y de toda confiança; y lo mesmo Pedro de Mentera, tambien escriuano deste numero, que en su Ayuntamiento hizo el dicho decreto por ausencia del dicho Bernardo Sedeño Sarmiento, que lo era. Y a las escrituras, autos semejantes, instrumentos, y todos los demas, que ante ellos han passado, y passan, siempre se les ha dado, y da entera fee, y credito, en juizio, y fuera dèl. Y para que de ello conste, de pedimiento del Padre Guardian, y Religiosos del conuento de san Francisco extramuros desta ciudad, como tales Escriuanos del Rey nuestro Señor, dimos el presente en la dicha ciudad, a dos dias del mes de Mayo de mil y seiscientos y quarenta y ocho años. En testimonio de verdad Augustin Zetina Escriuano. En testimonio de verdad. Geronimo Fernandez de Vrbina Secretario.

Vniuersitatis Parisiensis decretum pro Immaculata Virginis Conceptione, ex Ioanne Trithemio in Chronico Spanheimensi.

Anno M.CCCCXCVII.

HOc anno quidam Doctor Parisius fuit Ordinis fratrum Prædicatorum nomine Ioannes Veri, homo temerarius, & præsumptuosus, qui in die Conceptionis purissimæ semper Virginis Dei Genitricis (vt mos est illorum hominũ) in oppido quodam Deppe Rothomagensis Diœcesis, publicè in ambone prædicauit, Beatissimam Virginẽ MARIAM purgatam ab originali macula, & nõ præseruatam. Ex qua prædicatione scandalum grande in populo fuit exortum, quia omnes formè hodie (præter paucos Prædicatores) credunt, sentiunt, & prædicant, Dei Genitricem omni laude dignissimam, originali nunquam subiacuisse peccato, sed præseruatam semper. Vndè citatus ad Vniuersitatem Parisiensem, propositiones suas erroneas, & falsas, XV. die Mensis Septẽbris publicè reuocare, & abiurare cõpulsus fuit, cũ iuramẽto, quòd nunquã aliter de Conceptione B. MARIÆ semper Virginis sentire, credere, aut prædicare velit, quàm præfata vniuersitas determinauit. Sequẽti autẽ die, hoc est 17. mensis Septembris congregati sunt apud Sanctũ Maturinum in ciuitate Parisiẽsi LXXXII. S. Theologiæ professores viri doctissimi, & omnes in eadẽ Vniuersitate de rigore promoti in præsentia totius Vniuersitatis vno ore, vnaquè sententia statuerunt, & determinauerunt: *Quòd nemo deinceps præfatæ Vniuersitati adscribatur, nisi se huius determinationis (quòd videlicet Beatissima Dei Genitrix, & Virgo MARIA semper ab originali macula fuerit immunis, & præseruata) assertorem, strenuumquè propugnatorem pro viribus futurum confirmet iuramento.* Ipsi etiã antea iurauerunt, sicut in statuto continetur, se omni tempore huic veritati pu-

rissi-

risfsimæ Conceptionis Marianæ firmiter adhæsuros. Mirum nobis videtur, quòd tantis viribus se nonnulli opponere audent. *Hucusque Trithemius.*

OBSERVATIO.

P*Ræfati celeberrimi decreti meminerunt Canisius lib. 1. de Deipara cap 7. Clichthoueus sermone de Conceptione fol. 241. Corduba lib. 1. quæst. 44. Suarez tomo 2. in 3. par. disp. 3. sect. 2. Cucarus in Elucidario par. 2. Ægidius lib. 3. quæst. 6. art. 4. §. 2. Pineda aduert. 4. ad priuileg. Reg. Arag. Miranda de Concept. quæst. 19. fol. 542. Ioannes Baptista Nouatus de eminentia Deiparæ cap. 3. Porrennus fol. 52. Torres fol. 388. Daza cap. 5. fol. 38. Lezana cap. 22. fol. 98. Antonius Dauroutius in floribus exemplorum cap. 1. tit. 30. nu. 6. Et habetur authenticum in archiuo huius conuent. S. Francisci Matritensis.*

VNIVERSITATIS Coloniensis decretum pro Immaculata Virginis Conceptione: ex Abbate Ioanne Trithem.

Ad annum M.CCCC.XCIX.

HOc anno facultas Theologica almę Vniuersitatis Coloniensis statuit, & decreuit, constitutione firmissima tenendum, sentiendum, credendum, docendũ, prædicandum, & constantissimè defendendum ab omnibus suppositis suis, Quòd *B. Dei Genitrix Virgo MARIA ab omni labe originalis peccati, ex singulari prærogatiua diuinæ potentiæ semper fuerit præseruata, exempta, & priuilegiata*, & qui contrarium fecerit ab ipsa Vniuersitate resecatus honoribus, & emolumentis Theologicæ facultatis omnino, & omni tẽpore sit priuatus, & quòd nullus in ea facultate promoueatur, nisi iurauerit, se hoc statutum semper obseruaturum. *Huc vsque Trithemius.*

OBSERVATIO.

P*Rædicti decreti etiam mentionem faciunt Surius in additionibus ad Nauclerum, sub anno 1501. Miranda quæst. 19. fol. 542. Porrennus fol. 52. Daza fol. 38. Torres fol. 389. Vbi nota, insignem hanc Academiam à Doctore Subtili edoctam, an. 1307. cæpisse Immaculatæ Conceptionis piæ opinioni fauere. Videatur Dermitius Thadæi in Nitela Franciscana, & Brizennus in vita Scoti fol. 21. num. 7.*

DECRETVM VNIuersitatis Moguntinæ pro Immaculata Virginis Conceptione; ex Abbate Ioanne Trithemio.

Ad annum M.DI.

ANno 1501. facultas Theologica Vniuersitatis Mogũtinæ exẽplo Parisiensium, Coloniensiumquè prouocata statutum fecit 13. die Mensis Octobris pro fidei veritate, ac defensione purissimæ Cõceptionis Beatissimæ MARIÆ semper Virginis determinans eam ab omni originali macula semper præseruatam, exemptam, & immunem, contrariamquè assertionem impiam, erroneamquè iudicauit. Et nihilominus decreuit neminem in Theologiam promouendũ deinceps, nisi iuret, quòd nunquam velit fauere opinioni contrariæ in aliquo. *Hæc Trithemius. Cui etiam concordant Surius in append. ad Naucler. ad an. 1501. Daza fol. 38. Porren. fol. 52. Torres fol. 389.*

Celebris Academia Oxoniensis.

A Temporibus Scoti Doctoris Subtilis Virginem MARIAM ab omni originali crimine mundissimã prædicãt, & fatentur Oxonienses Academici. *Ita R. P. Cucarus in elucidario Mariano 2. p. fol. 64. §. Necnon. P. Daza in opere pro Immaculata Conceptione fol. 38. & alij.*

Illu-

Illustris Tolossana Academia.

ASsertioni pijssimæ de Immaculata Virginis Conceptione à diebus antiquis Scholæ Tolossanæ firmiter adhæserunt. *Ita testatur Cucarus Episcopus Acernensis, vbi supra.*

Insignis Vniuersitas Bononiensis.

BEatissimam Virginem MARIAM nunquam peccati originali subiacuisse; sed ab illo diuinitus præseruatam, studium Bononiensium ab antiquo gloriatur sensisse, ipsoq; die Cõceptionis festo, Domini Rectores, Doctores, & Scholares, cum instrumentis musicis, apparatuque singulari ad Conuentum Sancti Francisci processionaliter incedunt, & in Capella sub inuocatione Immaculatæ Conceptionis hoc mysterium deuotissima commemoratione percelebrant. *Ita Cucarus, vbi supra.*

Cantabrigiensis Academia.

AB omni originalis peccati sorde præseruatam cęli, terræque Reginam pijssimam, Cantabrigiensium Theologorum pręclara facultas sæculis multo retro actis firmauit, suscepitque defendendum. *Ita Cucarus, vbi suprà.*

Academia Louaniensis.

VIrginis Immaculatam Conceptionem totis defendit viribus, totisque amplectitur visceribus Louaniensiũ Doctorum Illustris Senatus. *Ita testatur R. P. Doctor Laurentius de Aponte Ord. Cleric. Regul. in cap. 1. sapientiæ, num. 4. diggres. 2. §. 5. fol. 47.*

DE SACRARVM RE-ligionum erga IMMACVLATAM CONCEPTIONEM Beatæ Virginis cultu, & obsequio.

VEri Beatæ Virginis amatores à contentione, & æmulatione longè absunt, nisi contentio sit ardentiùs amare; & in amore quidem superari nolle; gloria autem, quæ apud homines ex promoto Virginis cultu oriri potest, alijs libentissimè cedere. Nostra Seraphica familia, vt impensè pro Immaculata Conceptione laborauit, nec affectum suum aut occultare velit, si posit, aut posit, si velit: ita cæteras Religiones egregia cum laude eidem pijssimo studio intentas, non modò veneratur, ac suspicit; sed & per illas profecisse gaudet, ingenuaque confessione palam testatur. Neminem deprimit, quidquid Beatam Virginem extollit: etsi forsan magis assidua, & nunquam intermissa opera nostrà est, illustrior sit tamen, nobis non repugnantibus, illorum, quos, vt cum Tertulliano loquamur, aut *vetustas nobiles*, aut *nouitas fecit fælices.* *Tertull. initio lib. de Pallio.*

Nec solum hac ratione modestiæ consultum optamus, sed etiam fortitudini; nihil enim concordia firmius, in pietate præsertim: & tunc tribuit *Dominus verbum euangelizantibus virtute multa*, cum *inhabitare facit vnius moris in* Ecclesiæ *domo.* *Ps. 67.*

Vt igitur omnes Religiosas familias honore merito prosequamur, & eis armorum societate vniti nihil formidemus: quid vnaquæque Religio ad communem hanc causam contulerit, hinc inde colligemus, non quæ ad priuatas personas pertinent, esset enim infiniti negotij; sed ad ipsa Congregationum corpora, & à communitatibus præstita obsequia: in quibus etiam non dubitamus multa ignorari à nobis, quæ enixè à confratribus nostris petimus nota fieri, vt data occasione publicentur.

Sacra Religio Sancti Basilij.

IN Constitutionibus Congregationis Hispaniæ Ordinis Sancti Basilij cap. 4. extat sequens constitutio. *Decernimus, quòd omnes Prouinciæ congregationis nostræ aliquo nomine Santissimæ Virginis discernantur, ac nuncupentur, scilicet, Prouincia Bæthicæ dicatur Prouincia Assumptionis: Prouincia Castellæ dicatur Prouincia Natiuitatis, & Prouincia Sardiniæ dicatur Prouincia Conceptionis.* Legatur *Hippolytus Marracius de fundatoribus Marianis cap. 2. fol. 17.*

Sacra Religio Sancti Benedicti.

HVic sacræ Religioni omnium consensu debetur maxima illustratio, & propagatio festi Conceptionis Beatissimæ Virginis. Nam cùm Diaconus ille Hungariæ Regis Frater, postea Aquileiensis Patriarcha tempore Caroli Francorum Regis, (scilicet ab anno Domini 840. ad 900. de quo Consule *Salazar. cap.* 35. *nu.* 34. *pag.* 309.) initium huic festiuitati in Italia dedisset; post duo circiter sæcula de eadem celebranda accepit diuinam reuelationem Abbas Helsinus; & vt ea erat instructus, prædictum festum in suo Beccensi cœnobio celebrari præcepit, *& ipse quamdiu vixit, deuotis obsequijs celebrauit*, vt totidem verbis testatur S. Anselm. in Epist. ad Episcopos Angliæ, quæ habetur initio huius Regesti.

Sed & idem S. Anselm. eiusdem instituti professor, eruditionis, & sanctitatis suo sæculo princeps, euectus insuper Cantuarensis Archiepiscopatus dignitate, valde huius festi celebrationem auxit, & promouit, ita vt eius primus author à nonnullis credatur. Præiuit ergo magni Patris Benedicti religio exemplo, quod tota Ecclesia sequētibus sæculis imitata fuit. Vide *Arnoldum de Voton in ligno vitæ lib.* 3 *fol.* 389. *& latiùs lib.* 5 *fol.* 835. *Petrum de Natalibus, & Yepes in Chronicis S. Benedicti tomo* 7. *à fol.* 99.

Nec solùm veteres, sed & recentiores huius mysterij progressus huic Illustrissimæ familiæ adscribi debent: vt quæ à tot sæculis fuit monasticæ obseruationis norma, sit etiam magistra pietatis. Ex ea enim prodijt R. P. Placidus Tosantius, Benedictinorum in Hispania Generalis, postea Episcopus Accitanus, à Rege Catholico Philippo III. ad Sāctissim. P. N. Fæl. rec. Paul. V. ob hoc ipsum destinatus: cui, & muneris consortibus accepto referendum est decretum S. Rom. Gen. Inq. corā prædicto Pontifice emissum anno 1617. die 31. Aug. quod suprà dedimus colū. 180. Vide *Vvading. in exord. legat. pag.* 12. *num.* 10. *Yepes tom.* 7. *an.* 1009 *fol.* 105. *colum.* 1.

Eiusdem magni Patriarchæ Benedicti filiæ gloriosæ Ildegardis, Getrudes, & Machthildis de Immaculata Conceptione diuinas reuelationes accepere, *Yep. ibid. fol.* 104. *colum.* 4.

Sacra Congregatio Cisterciensis.

HVius Sacræ Congregationis ex B. Virginis speciali reuelatione orta circa festum Conceptionis deuotio constat ex fidelissima narratione *Ioannis de Assignies lib.* 3. *tom.* 2. *virorum illustrium Cisterciensis Ordinis*, excusso anno 1603. apud Carolum Michaelem in montibus Hanoniæ, cuius hæc sunt verba. *Tertia die à festo Sancti Nicolai, cælorum Regina, Angelorum Domina, & Cisterciensis Ordinis aduocata specialis, apparuit ipsi Petro, & dixit: fili mi, dies ista dedicata est vni ex meis festiuitatibus; expedit igitur, vt in ea specialiùs meis laudibus intentus assistas, quàm in alijs diebus. Ille verò respondit: O Domina mea, hactenus ignoraui festiuitatem istam; deinceps tamen vita comite, eam memoriæ mādabo, ac deuotè, quoad desuper datum fuerit, celebrabo. Facta autem inquisitione, accepit diem illam, tertiam à S. Nicolai festiuitate, id est, 8. Decembris, in Kalendarijs consecratam esse Conceptioni eiusdem Virginis: quare eam singulis annis deinceps celebrare curauit singulari quodam affectu lætitiæ, & deuotionis. Sed quo fructu? Plerumque in ea festiuitate reuelationibus, ac consolationibus cælestibus donabatur à Domino, quæ verbis exprimi nequeunt. Quadam die Conceptionis, dum in Ecclesia exercitiorum suorum gratia interesset, subitò raptus in spiritu, ad Domini Iesu Christi, & eius Sanctissimæ Matris conspectum adductus est. Ibi monet eum Dominus, ne desistat ab incepta deuotione, & quam erga Virginem Matrem suam gerebat fidelitate; & quòd pro certo sciat, sibi gratissimam rem facere, præfatum seruitium, & honorem impendens Matri suæ. Vide Franciscum Biuarium in sanctis Patribus vindicatis fol.* 163. *& Chrysostomum Henriquez in Menelogio Cisterciensi ad* 8. *Decembris.*

Sacra Religio Celestinorum.

ANtonius Solerius in Opusculo de veneratione, & inuocatione Sanctorum apud Episcop. Acernensem, Serran. lib.

lib. 2. cap. 13. fol. 191. *Hoc vnum fuit, quod Religiosis patribus visum fuit satis admirandũ, qui cum ex diuersis Cœnobijs Parisium conuenirent ad generalẽ conuentũ, ibi in horum Monasterio celebrandũ, vnumquemque illorum separatim hic Frater Nicolaus rogauit, vt cum esset in capitulo vnà cũ alijs, sibi liberet annuere, quòd diuæ Parthenices Immaculatæ Cõceptionis octaua dies in eius laudem vno quoque anno in toto Celestinorũ Ordine celebraretur, coleretur q; sed licet quilibet hoc se facturũ abnegasset, dicens, sat esse, quòd ipsius Cõceptionis festum in vniuersa Celestinorum Religione solẽniter obseruaretur, cùm istud nouũ sit, & insolitũ, euitandæque sint nouitates, huius octauæ dies celebratio minimè introduci debebat. Ipse tamen Dei gratia, & eius Matris auxilio fretus, dum illi omnes in cõmuni eorum conuentu pariter essent congregati, vt ibi negotijs totius suæ Religionis cõsulerent, corã eis hanc rem iterũ proposuit, supplicãdo, vt suam petitionem admittere dignarentur: mox cuncti vna voce consensêre, statueruntque, vt id fieret, ac perpetuò esset in toto eorũ Ordine obseruandũ, quod antea, quàm vnà conuenirent, fieri penitus abnuerant. Itaq; ab illinc in hanc vsque diẽ octaua dies Cõceptionis Sãctissimæ Virginis Dei Matris in cũctis Celestinorũ Ecclesijs semper opportuno tẽpore fuit celebrata. Cæterum frater hic animaduertens se id tandẽ obtinuisse, quod iam dudũ peroptauerat, magno fuit delibutus gaudio, & ingressus viridariũ, inde rubicundã rosam cæteris pulchriorẽ excerpsit, quã ante Dei Genitricis imaginẽ (nonnullis ex suis Religiosis cernẽtibus) reuerenter apposuit, dicẽs: Benigna Mater, si hoc, quod hodie in nostro generali Capitulo pro honore tuo fuit statutũ, est tibi gratũ, hunc florẽ, anno reuoluto ad hanc vsq; diem in hoc conspicuo vigore, ac fragranti odore, in quo nunc conspicitur, tua benignitas (humiliter quæsumus) cõseruare dignetur. Multi ex Religiosis florem illum in sequenti anno, & tali die, quo ibi fuerat affixus, viderunt æquè virentẽ, ac redolentem, atque si tunc fuisset selectus ab horto; vt illi Religiosi, de quibus suprà mentionem fecimus, mihi retulerunt, asserentes etiam semet hoc vidisse miraculum.*

Sacra Religio Carthusiensis.

Dionysius Richelius Carthusianus in 3. dist. 3. quæst. 1. §. Verumtamen. *Festum ipsius non sub nomine Sanctificationis, sed Conceptionis, celebrandum est, sicut & hodie celebrat Ecclesia. Ita etiam ordo noster Carthusiensis obseruare videtur.* Scripsit post Cõcilium Basileense, & ante extrauagantes Sixti IV. Vt ex dicto loco, & Trithemio lib. de Scriptorib. apertè colligitur.

Sacra Religio Sancti Norberti communiter dicta Præmonstratensis.

Sanctissimo huius Sacræ Religionis Pathriarchæ Norberto habitu Canonici Regularis nigri coloris induto apparuit Beatissima Virgo plurimis aulæ cælestis ciuibus comitata, eumque vestibus albis superinduens, vt eis in postmodum vteretur, præcepitque, vt Religionem in honorem suæ puræ Conceptionis institueret, quæ perpetuò ipsam Patronam haberet. Norbertus iussa executus est, & Religionem ab eo institutam Callixtus II. confirmauit, albas vestes absque alterius coloris mixtura nouis Religiosis assignans sub nomine Ordinis Conceptionis Virginis de Præmonstre, propter habitum cælitus præmonstratum. *Pater Magister Bernardus de Leon Abbas Monastery de la Vid in prolog. ad Lectorem præfixo primæ parti Opusculorum, citans historias manuscriptas prædictæ Religionis ab Hugone S. Norberti discipulo editas, & totius familiæ vniuersalem traditionem.*

Idem Sanctissimus Patriarcha Norbertus officium Immaculatæ Conceptionis approbatione sua firmauit, in quo ad Beatiss. Virginem dicitur: *Aue Virgo Spiritu Sancto præseruante, quæ de tanto parentis primi peccato triumphasti innoxia,* & similia sparsim in toto officio continentur. Celebrauitque hæc Sacra Religio à sua primæua origine festum B. Virginis sub titulo puræ, & mundæ Conceptionis, vt constat ex Missalibus, Breuiarijs, Processionarijs, & Diurnalibus, quibus ab antiquo vsa est. *Leon ibidem, & Bernal tract. de Concept. disc. 3. fol. 36.*

Huius Religionis priuilegia Ludouicus Vndecimus Francorum Rex generali cõfirmatione roborauit, & in diplomate ita

ita ait. *Ludouicus Dei gratia Francorum Rex, ad perpetuam rei memoriam. Dum penes mentis nostræ arcana propensius reuoluimus securitatē, integritatem, longæuamq; durationē, ac diuinā, immo miraculosam institutionem Præmonstratensis Ordinis, qui magnis iam defluxis temporum curriculis, mystico spiramine, ac Beatissima, & gloriosissima Virgine MARIA Christi Redēptoris nostri Matre reuelante per ptum illius Ordinis Patrē primumque institutorem Norbertum, virum quidem vitæ sanctimonia, multisque coruscantem, clarescentemq; miraculis noscitur institutus, atque illi candidus dicti Ordinis habitus in honorem suæ purissimæ Conceptionis pariter, atque locus in pago Laudunensi per eandem Beatissimam, & gloriosissimam Virginem MARIAM, vbi Præmonstratense Monasterii præfati Ordinis caput, & fundamentum constitui debet et præmonstratus, unde Præmonstratensem Ordinem sibi nomen multis authenticis documentis, historijsque probatissimis compertum est.* Expeditum fuit hoc regium diploma anno 1145. *Ex P. Bernardo de Leon, vbi suprà.*

Præterea Carolus VIII. similiter Francorum Rex in alio priuilegio dato 1475. de Beato Norberto sic loquitur. *Habitum tamen album iam deliberauerat assumere, de quo à B. Virgine admonitus fuerat: aspiciebat enim in honorem suum, & suæ purissimæ Conceptionis candidum ordinem præparari, ideoque aliquando dictum est ab ea: Norberte accipe candidam vestem: quo factum est, vt locum, & habitum sancto viro mirabiliter præmonstraret.* Ex eodem.

Habet hæc Sacra Religio Monasteria, & Ecclesias purissimæ Conceptioni B. Virginis dicatas à quingentis annis, qualis est in Oxomensi Episcopatu Basilica à fidelibus frequentata, quondam Monialium monasterium, à primo Abbate dicti monasterij de la vid erecta.

Anno 1305. Magister Adamus huius Ordinis Generalis, simul cū toto capitulo litteras expediuit ad hoc, vt Abbas, & Conuentus Osterovensis in Bauaria (habet autem hic Abbas locum inter Bauarię status adeò eminentem, vt cunctos Episcopos, & Archiepiscopos præcedad) festum purissimæ Conceptionis celebrarent. Instrumentū adducit Christophorus Godelebus Serenissimi Babariæ Ducis Consiliarius, tom. 3. de Metropoli Saburgensi. Ita *Doctor Paulus de Zamora in approbatione libri Patris Philippi Bernal.*

In statutis huius sacræ Religionis Parisijs impressis anno 1632. dist. 1 cap. 10. vbi assignantur dies, quibus ieiunium seruari debet, sic habetur. *Vigilia Assumptionis, Natiuitatis, Conceptionis, & Purificationis Beatissimæ Virginis MARIÆ, &c.*

Sacra Religio Prædicatorum S.P.N. Dominici.

MVlta, & præclara documenta pijssimi erga Immaculatam Conceptionem obsequij huius sacræ familiæ proferemus, liquidò ostendentes, communi nomine nunquam à pia opinione dissensisse; immo valde suffragatam esse: id, quod decretis, testimonijs, authoritatibus intra subijciendis, constabit: nunc autem duobus euidentissimis indicijs omnibus facilè persuaderi debet.

Alterum est, nullā in re Theologica inter huius instituti professores iudicandam vniuersalem cōcordiam, quæ apertam, & indubitatam D. Thomæ sententiam non tueatur, cui, post veteres Ecclesiæ Patres, totos se, orbe mirum in modum fauente, addixerunt. At constat, Angelici Doctoris discipulos de præceptoris mēte valde dissidere: quo modo ergo existimabimus, id veros Thomistas pro comperto recipere, quod an ipse D. Thom. docuerit, ab ipsis in vtramque partem differitur? Hoc itaq; consilio tam D. Thomæ loca, quàm eius interpretum, & sectatorum adducemus, vt planissimus aditus Immaculatæ Conceptioni ad eorum scholam iam olim patefactus appareat.

Alterum indiciū propensæ ergà Immaculatam Conceptionē sententiæ est, quòd Doctores fama celeberrimi, summa dignitate, & loco inter Patres Prædicatores, scriptis in lucē editis, B. Virginis à peccato originali immunitatē eruditissimè propugnauerint, nec cuiquam eam sentiendi, & scribendi libertatem fraudi fuisse, quominus apud Religiosissimos sodales gratia, & existimatione valeret. Quod ipsorum re-

Religionis Capitū, & gubernatorum propensum fauorem, & præstantis pietate animi studium haud dubie declarat. Videamus ergo, quantæ auctoritatis testes ex vna Prædicatorum schola pro Immaculata Conceptione pronuntiauerint.

In primis ergo proferimus voti nuncupationem à Patribus Prædicatoribus in territorio Senensi, quam ita memorat noster Vbadingus in legatione sect. 3. § 5. pag. 412. Cum Senenses votum illud superiùs relatum emiserunt de celebranda festiua Concept. Virginis in omni sua iurisdictione, & Dominio ab omnibus in ea commorantibus, annuit, & consensit summus Pontifex per Diploma Apostolicum, vt & ipsi Prædicatores votum hoc obseruarent & vnanimiter cum ciuitate celebrarent. Quod & fecerunt, vt refert oculatus testis Ambrosius Catharinus in præfatione ad Cap. Generale sui Ordinis, & in explanatione controuersiæ exortæ inter Senenses & Prædicatores ad finem defensionis rationis secundæ.

Eadē sect. pag. 378. & 402. Emissum autē fuit votū anno 1520.

In Martyrologio Ordinis Prædicatorum impresso anno 1254. quod postea correxit, & emendauit R. Pater Seraphinus Cauallus Magister Generalis eiusdem Ordinis, & extat correctum à Patre Fr. Ioanne de Palentia, Salmanticæ 1579. Die 8. Decembris. Conceptio Sanctissimæ Virginis MARIÆ. De hoc Martyrologio, atque de Manuali agit Tamaius à Salazar ad annum 1254. fol. 251. Ojeda cap. 10. fol. 32. & 33.

In Manuali Prædicatorum edito anno 1524. in Capitulo Prouinciali Hispali celebrato, cap. vltimo extat decretum de afferenda præseruatione Beatæ Virginis ab originali, quod supra ad verbum dedimus colum. 279. & præter Auctores ibi relatos, eius meminit D. Ioannes Serranus Episcopus Azernensis lib. 2. de Concept. cap. 30. qui & addit anno 1602. sub Generali Hieronymo Xauierre ordinatum fuisse pro toto Ordine Dominicano sequens statutum. *Strictè prohibemus, nequis audeat in publico prædicare, vel docere, quòd Beata Virgo fuit Concepta in originali, propter scandalum fidelium.* Vide Hormachen in Cantic. Prolog. 3. fol. 154. De inuentione autem supradicti Manualis Toleti in monasterio Monialium Sancti Dominici extat epistola typis excussa Hispali anno 1615. die 15. Iunij in archiuo Matritensi huius cœnobij Sancti Patris nostri Francisci.

Valentiæ in cœnobio Patrum Prædicatorum campana maxima hanc inscriptionem habet in ambitu: *MARIA Virgo ab omni peccato originali fuit immunis.* Refert Iustinianus tract. de Conceptione §. 18.

Idem auctor testatur in pluribus suæ Religionis cœnobijs, non sub nomine Sanctificationis, sed Conceptionis, die octaua Decembris festum celebrari; & id ipsum affirmat Ambrosius Catharinus de tota Germania intra montes, lib. de controuersia inter Senenses, & Prædicatores; immò apertè constat ex Breuiario prædicti Ordinis, impresso Hispali anno 1530. & Parisijs 1550. Vide Episcopum Serranum lib. 2. cap. 30. fol. 315.

In cœnobio Patrum Prædicatorum huius oppidi, & Curiæ Matritensis de Rosario nuncupato in via Sancti Bernardi supra maiorem ipsius portam aureis litteris hæc inscriptio legitur.

D. O. M.

DEIPARÆ VIRGINI SINE LABE CONCEPTÆ, VIRGINI SPONSO IOSEPH, ET FRANCISCO SERAPHICO, &c. ANNO M.DC.XXXVII.

Doctrina, & auctoritates, quibus Sanctus Thomas IMMACVLATAM Virginis CONCEPTIONEM oppugnare videtur.

Tertia part. quæst. 27. artic. 2. in corp. *Respondeo dicendum, quòd Sanctificatio Beatæ Virginis non potuit intelligi ante eius animatio-*

mationem. Et paulò inferiùs. *Et ſic quocunque modo ante animationem Beata Virgo ſanctificata fuiſſet, nunquam incurriſſet maculam originalis culpæ, & ita non indiguiſſet redemptione.* Et in fine corporis articuli. *Vnde relinquitur, quòd ſanctificatio Beatæ Virginis fuerit poſt eius animationem.* Et ibi ad 2. *Sed Beata Virgo contraxit quidem originale peccatum.* Et ibi ad 4. *Nihilominus Beata Virgo peccatum originale contraxit.* Idem obiter repetit artic. 3. 4. & 5. ſequentibus.

In 3. diſtinct. 3. quæſt. 1. artic. 1. §. ad 1. quæſtionem ait: *Dicendum, quòd nullo modo in parentibus ſanctificari potuit, nec etiam in ipſo actu Conceptionis eius.* Et infra: *Et ideo Beata Virgo in peccato originali fuit concepta, propter quod Bernardus epiſt. 174 ad Lugdun. ſcribit, Conceptionem eius celebrandam non eſſe.* Repetit hanc ſententiam ad 1. primę quæſtionis, & §. ad 3. quæſtionem: ibi in eadem diſtinct. 3. quæſt. 1. art. 1. & idem obiter ibi artic 2.

In 3. diſtinct. 3, quæſt 1. artic. 2. §. Reſpondeo loquendo de Beata Virgine, & de duplici ſanctificatione eius, ſcilicet in vtero, & in conceptione Chriſti dicit: *In prima enim* (Scilicet ſanctificatione) *ſecundum quod ab omnibus cõmuniter tenetur, à peccato originali quantum ad maculam, & reatum purgata fuit.* Et in fine §. *Vnde relinquitur, vt alij dicunt, quòd fomes per eſſentiam poſt primam ſanctificationem remanſit, ſed impeditus per gratiam Sanctificantem, ne in peccatũ inclinaret, aut à bono retraheret; contingit enim habitum aliquando ligari, ne in actum exire poſſet, ſicut ſcientia per ebrietatem, vt dicit Philoſophus in 7. Æthic. in ſecunda verò ſanctificatione eſſentialiter fomes ille ſubſtractus eſt.*

In 4 diſt. 43. queſ. 1. art. 4. ad 3. primæ quæſtiunculę ait: *ad tertium dicendum, quòd hoc eſt erroneum dicere, quòd aliquis ſine peccato originali concipiatur præter Chriſtum, quia ille, qui ſine peccato originali conciperetur, non indigeret redemptione, quæ facta eſt per Chriſtum.*

Quodlibet. 6 quæſ. 5. articul. 7. *Sic autem proceſſit ab Adam Beata Virgo, quia nata fuit per cõmiſtionẽ ſexuum, ſicut & cæteri, & ideo concepta fuit in originali peccato, & in cluditur in vniuerſitate illorum, de quo Apoſtolus dicit, ad Roman. 5. In quo omnes peccauerunt, à qua vniuerſitate ſolus Chriſtus excipitur.*

Opuſculo. 2. quod eſt compendium Theologiæ cap. 224. & eſt de ſanctificatione, loquendo de Virgine dicit: *Oportuit quidem, quòd cum peccato originali conciperetur, vtpote, quæ ex vtriuſque ſexus commiſtione concepta fuit.* Et Paulò inferius: *Similiter etiam, quia ſi cum peccato originali concepta non fuiſſet, non indigeret per Chriſtum redimi.*

Opuſculo 8. ſuper Aue MARIA, loquendo de Beata Virgine ait: *Peccatum enim aut eſt originale, & de iſto fuit mũdata in vtero, aut mortale, aut veniale, & de iſtis liberafuit.*

Et poſt quatuordecim lineas: *Sed Chriſtus excellit Beatam Virginem in hoc, quòd ſine originali conceptus, & natus eſt; Beata autem Virgo in originali eſt concepta, ſed non nata.*

Doctrina, & auctoritates quibus S. Thomas IMMACVLATAM Virginis CONCEPTIONEM videtur deffendere.

IN 1. ſent. diſt. 17. quæſt. 2. artic. 4. ad 3. ad illud D. Anſelmi: *Ea puritate enituit, qua maior ſub Deo nequit intelligi;* dicit: *Ad illud, quod obijcitur de Beata Virgine, dicendum eſt, quòd differt puritatis augmentum, & charitatis: augmentum enim puritatis eſt ſecundum receſſum à contrario, & quia in Beata Virgine fuit depuratio ab omni peccato, ideo peruenit ad ſummum puritatis: ſub Deo tamen, in quo non eſt aliqua potentia deficiendi, quæ eſt in qualibet creatura, quantum in ſe eſt. Charitatis autem augmentum eſt per acceſſum ad diuinam bonitatem, & ideo non habuit Beata Virgo ſummam charitatem, qua maior non poſſit intelligi, quia etiam profecit in charitate, & gratia.*

In 1. ſent. diſtin. 44. artic. 3. ad 3. reſpondens ad eandem auctoritatem, D. An-

D. Anselmi dicit: *Ad tertium dicendum, quod puritas intenditur per recessum à contrario, & ideo potest aliquid creatum inueniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si nulla contagione peccati inquinatum sit; & talis fuit puritas Beatæ Virginis, quæ à peccato originali, & actuali immunis fuit; fuit autem sub Deo in quantum erat in ea potentia ad peccandum.*

Super epistolam Pauli ad Galat. cap. 3. Lect. 6. Dicit: *Nam ipse solus, & singularis est, qui non subiacet maledictioni culpæ; & si maledictio pro nobis dignatus sit fieri, vnde dicitur in Psal. 140. Singulariter sum ego, &c. Item non est, qui faciat bonum, &c. Ecclesiast. 7. virum de mille vnum reperi, scilicet Christum, qui esset sine omni peccato; mulierem autem ex omnibus non inueni, quæ omnino à peccato immunis esset, ad minus originali, vel veniali, excipitur purissima, & omni laude dignissima Virgo.* Ita in editione Parisijs facta anno 1541. fol. 157. Nam in altera editione Venetijs, anno 1593. ablata sunt illa verba: *Excipitur purissima, & omni laude dignissima Virgo.*

Guillelmus Pepin Doctor Parisiensis Ordinis Prædicatorum, serm. de CONCEPT. impressionis Parisiensis 1541. circa finē. Postquam fol. 21. plures auctoritates Sanctorum attulisset ad probandam IMMACVLATAM Virginis CONCEPTIONEM subdit.

CÆterū prædictis omnibus non iniuria connumerandus est B. Tho. de Aquino, laus, honor, & gloria Ordinis Prædicatorū, qui 1. sent. dist. 20. (error typographi, quoniā hæc verba solum reperiuntur d. 44. eiusdem primi) art. 3. in solut. ad tertiū dicit, quod *B. Virgo fuit immunis ab originali, & actuali peccato.* Et quamuis in 3. p. aliter senserit, nihilominus excusandus est, eo quod tunc loquebatur, vt plures. Tunc enim tēporis erat problema neutrum dicere Virginē MARIAM in originali peccato fuisse conceptam. Cuius quidē problematis vtraq; pars olim famosos Doctores habuit; hodie autem alma Theologorum facultas Parisiana, in qua (quamuis indignus) professionem feci, pro constanti tenet opinionem B. Thomæ in 1. sentent. vt supra allegatum est, videlicet, quod Christifera MARIA immunis fuit ab originali.

Illustrissimus, & Reuerendissimus Pater D. Ambrosius Catharinus Ordinis Prædicatorum Archiepiscopus Compsanus, Opusculo de CONCEPTIONE lib. 2. pag. 51. impressionis Lugdunensis 1542.

IDeo nec magnopere mirandum, si hoc Reginæ nostræ priuilegium Thomam latuit, aut Bernardum, aut Bonauenturam, & alios; satis enim, superque, satis accepit Thom. Aquinas, qui quasi sapientiæ cælestis abyssus tantis salutaris doctrinæ aquis exundat, vt penè dixerim cunctam solus ille valeat irrigare Ecclesiam. Neque propterea detrahimus quidquam Thomæ doctrinę, nec impugnamus eam (vt quidam imperitè putant) nam pro eminenti eius scientia ego frequenter illud vsurpare soleo. Ille sciat se valdè profecisse, cui Thomas valdè placebit. Recipimus & nos præclarissima summorum virorum testimonia de eius doctrina, Et quod quidam Pontifex de illo testatus est obseruatum esse, nullum vnquam eius impugnasse doctrinam, qui non fuerit de veritate suspectus, facile comprobamus, certò tamen scientes, multos ignorare, quid sit impugnare doctrinam Thomæ; ille enim verè Thomæ doctrinam impugnat, qui in vniuersum, aut bona ex parte, quasi non valde vtilem improbat, & contemnit, aut (quod est horrendius) quasi minus Catholicam,

imo

imo hereticam, & tanquam vnam ex phialis iræ Dei fuiſſe blaſphemant, id quod Lutherus in ea reſponſione, quam mihi, & operi meo (quod in illius blaſphemias edideram, diabolico furore actus obiecit) non timuit pronuntiare. Ille impugnat Thomæ doctrinam, qui non cum reuerentia, & formidine, ſed parum ſobriè & vt ſectatum zelus, aut propriæ arrogantiæ trahit impetus, de illa in vniuerſum iudicat, & obloquitur. At verò in vno, aut altero, & vbi ratio poſtulat, aut aliorum etiam, præſertimque Eccleſiæ auctoritas mouet, ſaluis modeſtiæ finibus, ab eo diſſentire, quod magni, & glorioſi viri fecerunt, etiam qui de huius ſancti fontibus hauſerunt, tãtum abeſt, vt hic impugnet doctrinam Thomæ, vt etiam magis ſaluam illam velit, quando ea demum ſit vera doctrina, & ille verus Doctor, qui malit prehonorari veritatem. Ille igitur potiùs impugnat eius doctrinam, qui ita pertinaciter illi inhæret, vt velit ad vnum, & minimum iota pro illa contendere, & eius auctoritatẽ æquare ſcripturis, & ſuperiorem facere, etiam Pontificum decretis, & ita præbere ſe doctis ludibrio, hæreticis occaſionem porrigere blaſphemandi in illã, æmuliſque indignandi cauſam in hoc noſtrum ſupercilium tam immodeſtum. Ille denique potius impugnat doctrinam Thomæ, qui fraternam violans charitatem ideo fratrem ſuum odit, quia de Beatæ Virginis Conceptione, aliter docet, quàm aliquando Thomas ſenſerit, cùm vel ipſe Thomas in primis docuerit magis ſequendam eſſe Eccleſiæ vocem, quã ſuam, quod in vltimo vitæ ſuæ Spiritu (quando fælix eius anima recedebat in cælum) toto corde conteſtatus eſt, vt in Bulla canonizationis ſuæ non abſque exprimitur, &c. *Et paulò poſt*. De Beato Thoma, etiam qui inſignes Thomiſtæ habentur, Capreolus, & Caietanus fatentur ingenuè in nonnullis eum variè ſcripſiſſe; & poſterius quæ anteà ſcripſerat retractaſſe. Quin etiã ipſos Thomiſtas in pleriſque de Thomæ ſenſu inter ſe diſceptare; quinimo (ſi verum amamus) Diuum Thomã ex Anſelmi ſententia pro Immaculata Virginis Conceptione apertè pronuntiauit, ita ſcribens: Puritas intenditur per receſſum à contrario, & ideo poteſt aliquid creatum inueniri, quo nihil purius eſſe poteſt in rebus creatis, ſi nulla contagione peccati ſit inquinatũ, & talis fuit puritas B. Virginis, quæ à peccato originali, & actuali immunis fuit; ſuit tamen ſub Deo, in quantum in ea erat potentia ad peccandum. Neque verò, quæ afferũtur à Thomiſtis gloſſæ ad hũc locum recipiendæ ſunt. Primò quidem, quia nec inter ſe conueniunt, nam quidam dicunt (vt Capreol.) quòd Thom. intellexit eam immunem ab originali poſt primam ſanctificationem, quæ fuit in vtero. Quidam verò à die ſecundæ ſanctificationis, quando Verbum Dei concepit. Deinde, quia Beatus Thomas ſimpliciter, & abſolutè prædicauit Virginem immunẽ ab originali ſine vlla temporis diſtinctione. Præterea, vox illa (immunis) perpetuam ſignificat abſolutionem ab ea re, à qua dicitur quis immunis: vnde ipſe Beatus Thom. Virginitas hoc, inquit, importat, quod perſona, cui ineſt, immunis ſit ab omni concupiſcentiæ aduſtione. Quæ certè diffinitio falſa eſſet, niſi illa voce (immunis) perpetua ſignificaretur immunitas. Adde, quod et validius eſt, quòd Sanctus Doctor copulat duo, hæc originale, & actuale peccatum, à quibus illam immunem dicit; ſed de actuali haud dubium, quin perpetuam immunitatem dixerit Beatus Thom. cur ergo non pariter, & de originali, cùm hæc ambo, quoad immunitatem ita iungantur, vt æquari videantur? Quia ex regula ad rectè interpretandum ducente, vna determinatio, quæ plura reſpicit determinabilia, debet ea pariformiter determinare: at verò monſtroſè claudicaret ſermò ille, ſi ab actuali immunis perpetuò diceretur, ab originali verò à prima ſanctificatione, vel quod abſurdius eſſet, & à ſecunda, quãdo concepit Filiũ. Ad hæc cõtra eos, qui dicunt poſt primã demum ſanctificationẽ fuiſſe illam immunem ab originali; ſpecialiter arguitur, quoniam ſi habuit adhuc fomitẽ (vt volunt)

volunt) non nituit ea puritate, qua nequit maior intelligi sub Deo; Quod tamen ibi asserit Thom. Præterea puritas, quæ non est perpetua, non potest dici maior omni puritate, quæ sub Deo est, etiam per recessum à contrario (vt B. Thom. docet in expositione salutationis Angelicæ.) Postremò, vt claudantur omnium ora, ibi declarat ipsemet S. Doctor, quomodo sub Deo intelligi debeat illa immunitas B. Virginis, videlicet per recessum à contrario, idest, à peccato, quoniam ipse quidem Deus à peccato liber est, non secundùm actum solùm, verum etiam secundùm potentiã: sub Deo ergo erit semper B. Virginis puritas, si ponatur à peccato immunis secũdum actum perpetuò, quia non ponitur per hoc immunis secũdùm potentiam. Et hæc est puritas, quam illi tribuit B. Thomas, cui satis fuit, vt esset sub Deo. Ex quibus arbitror nõ valdè proteruos persuaderi satis posse, quòd B. Tho. hanc aliquando sententiam probauit, quod neque Capreol. omnino negare est ausus, neque audet Caiet. sed aiunt, quæ scripsit in summis Tho. sunt eius vltimum testamentum, cui standũ est. Cur ergo Caiet. nonnunquam probat magis, quæ super sententijs scripsit? Ego verò optima mihi videor cõiectura colligere; S. Doctor eo lumine veritatis, quo interiùs afficiebatur, hoc aliquãdo probauit, quod & nos sentimus. At quia tunc alia erat communis Magistrorum doctrina, cui etiam antiquorum sententiæ astipulari prima facie videbantur, neque Dei Ecclesia quidquam interloquuta erat hac de re, ipse (vt erat verè humilis) maluit, hoc spiritu impulsus, aliorum sensui cedere, quàm proprium retinere, vt sic magis placuerit Deo, non error ille, sed humilitas illa, &c.

Et paulò post pag. 55. Beatus enim Tho. ita consuetudini Ecclesiæ innititur, vt non solum censeat faciendum esse, quod ipsa facit, verum etiam (quod longè est maius) non faciendum, quod ipsa non consueuit. Qua propter cum nõ baptizãdos esse Iudæos inuitis parentibus defenderet, hoc maximi loco argumenti adduxit, his verbis: Dicendum est, quòd maximam habet auctoritatem Ecclesiæ consuetudo, quæ est in omnibus æmulanda; quia & ipsa Catholicorum doctrina ab Ecclesia auctoritatem habet; vnde magis standum est auctoritati Ecclesiæ, quã August. & Hieron. vel cuiuscumque doctrinæ. Hoc autem Ecclesiæ vsus nunquam habuit, quòd Iudæorum filij inuitis parentibus baptizentur. Hæc Thomas. Vbi aduerte, quòd non in his loquitur, quæ Ecclesia expressè determinat, & mandat, sed in his, quæ absque determinatione in vsum recipit; imò (quod multò est mirabilius) in his, quæ non recipit, ob quam certè gratiam timuerunt eo tempore viri Dei hanc B. Virginis Conceptionem admittere, quia tunc Ecclesia Romana non admittebat: vt hinc planè accipias, quod si admisisset, & ipsi ambobus pedibus, & certè hilariter, secuti essent. Quod autem hoc sit verissimum, audi, quæso. Cũ pro Immaculata B. Virginis Conceptione arguens Thom. assumeret, quòd de re non sancta, non debeat celebrari festum, simulquè induceret cõsuetudinem quarumdam Ecclesiarum, quæ festum Conceptionis huius celebrabant, respondit his verbis: Licèt Romana Ecclesia non celebret, quia tamen tolerat alias Ecclesias ita celebrantes, talis celebratio non est totaliter reprobanda. Vide quanti faciat Romanæ Ecclesiæ auctoritatem, vt non solùm, quod probat recipiendum sit, verum etiam quod scienter tolerat, etiam tolerandum. Et post hæc, vt accommodaret eam celebrationem Ecclesiarum illarum, sensui, quẽ putabat esse Romanæ Ecclesiæ, interpretatur, illius festi celebrationẽ sanctificationis esse potiùs, quàm Cõceptionis, dictaut tamen Conceptionis; quia mox, vt concepta fuit, etiam sanctificata fuit. At iam nunc quando certissimum est, Ecclesiam Romanam recepisse festum, & officium Conceptionis, in sensu claro, videlicet, non vt exponebat Tho. referendo ad sanctificationem, sed planè respiciendo ad ipsam sanctam, & Immaculatam Conceptionem, (vt patet ex ipsa extrauaganti) quis dubitat, quòd nec ipse Thomas suum sensum iam

vlterius contra ſenſum Eccleſiæ defenderet? Cum ideò illo modo ſenſiſſet, quia ſic Eccleſiā ſentire putabat. Nec ſe vellet, à quoquam defendi. Quoniam non tam defenditur iſto modo eius doctrina, quàm impugnatur, cum ſemper, & verbo, & facto docuerit non ſibi in huiuſmodi, ſed magis illi Eccleſiæ credendum eſſe, &c.

Et paulò poſt pag. 57. Cum igitur iam latè pateat, Eccleſiam Romanam, & iam cæteras omnes ſub hoc titulo, & in hoc ſenſu Immaculatam celebrare Conceptionem, quis ambigat demente S. Doctoris Thomæ, quòd libentiſsimè in hanc ſententiam conueniret, cum ſemper in obſequium ſedis illius promptus fuerit captiuare intellectum? Nam audi, quæſo Caiet. qui cum de irregularitate commentaretur B. Thomæ dictum, contra quod poſtmodo Pontificis ſanctione declaratum fuit, ſic rectè annotat, ſi ea Decretalis fuiſſet tēpore Thomæ, Thomas non ſcripſiſſet illud: quin etiam audi opportunius ad rem propoſitam, cum B. Thomas clarè docuiſſet Papam ſuper voto Religionis diſpenſare non poſſe, & hoc noſſet Caiet. tamen ita contra ſcripſit ad verbum. Teneo, quòd apud S. Thom. poteſt Eccleſia diſpenſare in voto Religionis, & Ordinis; quòd autem hoc ſit demente S. Thomę, manifeſtè poteſt concipi ex initio, & fundamento poſitionis ſuæ in contrarium in ſecunda ſecundæ; ſiquidem ibi concludere volens, quòd Papa non poſſet diſpenſare cum Religioſo, pro radice poſitionis aſſumit auctoritatem Decretalium, dicens: Sed quia Decretalis, *Cum ad monaſterium*. manifeſtè dicit, &c. Et deinde, vt conformaret ſe decretali, adinuenit illam adaptationem de conſecratione, vt ibi patet. Ex quibus omnibus paſsione ſemota, quilibet perſpicacis ingenij elicere poteſt, quòd ſi tempore ſuo Summus Pontifex dixiſſet oppoſitum verbo, vel facto (vt poſt modum fecit) quòd ipſi quoque acommodaſſet rationem, in obedientiam Sedis Apoſtolicæ, & propterea illa opinio non eſt ſua, niſi pro quanto ſuſtentatur ab illa decretali. Hæc ille. Per quæ voluit concludere, quòd probandum ſumpſerat, videlicet, illam opinionem non eſſe ſuam, ideſt, ipſius Thomæ, quia per illam Decretale iuxta veriorem ſenſum non ſuſtentabatur. Cur igitur in re propoſita non mihi liceat eodem argumento, ac prudentia coniectare, quòd opinio B. Thomæ contra Immaculatam Dominæ Conceptionem pro tanto eſt ſua, pro quanto ſuſtentari videbatur à ſenſu Eccleſiæ, quæ tunc ignorabat hoc Virginis priuilegium? At nunc, quādo ſe ipſam apertè Eccleſia declarauit, aſſerens, celebrare ſe talem Conceptionem, videlicet Immaculatam, iam planum reſultat, quòd ea eſt verè B. Thomæ ſententia, quæ iam conſpicitur eſſe ipſius Eccleſiæ, & non, quæ olim Thomæ videbatur, &c. *Legatur idem Catharinus diſp. pro veritate Immaculatæ Conceptionis Beatiſsimæ Virginis, & de eius celebranda à cunctis fidelibus feſtiuitate ad ſanctam Synodum Tridentinam Romæ anno M.DLI. & præcipuè col.* 27. *in fine*, & *à col.* 61. *in fine in* 5. *ratione*, & *à col.* 96.

Præfata opuſcula extant nouiſsimè impreſſa in Biblioteca Mariana R.P.Fr. Petri de Alva, tomo 2. à fol. 9. Matriti M.DC.XXXVIII.

Reuerend. P. Fr. Ioannes à Sancto Thoma Olyſsiponenſis, Ordinis Prædicatorum, ſacræ Theologiæ Magiſter in Compluteſi Academia Cathedræ Veſpertinæ Theologiæ moderator, in ſupremo fidei Senatu cenſor, & Regis Catholici Philippi IV. à ſacris Confeſsionibus.

In primam partem Diui Thomæ, 1. tomo diſp. 2.

AR-

ARTICVLVS I.

Proponuntur, quæ in Diuo Thoma obijciuntur.

DVplex propositionum genus in D. Thom. iactatur. Quædam, vt erroneæ, aut indefensabiles. Aliæ, vt dignæ, quæ deserantur, vt minùs commodiores explicandæ fidei, & Theologiæ, aut in scholis minùs benè visæ.

Circa primum genus.

PRimò obiicitur, quia in materia de Cõceptione Beatissimæ Virginis duo protulit D. Thom. quæ hodie sustineri non possunt. Alterum, quia affirmat esse erroneum dicere, quòd aliquis præter Christum sit sine originali peccato conceptus. Quæ censura est expressè contra determinationem Sixti IV. Pij V. Concilij Tridentini, & aliorum Summorum Pontificum, qui declararunt, non esse erroneum dicere B. Virginem esse præseruatam ab originali, & prohibent quamcunque censuram in oppositum. Quòd autem id dixerit D. Thom. constat ex 1.2.q.81.art.3. *Dicendum, quòd secundū fidem Catholicam firmiter est tenendum, quòd omnes homines, præter Christum solum, ex Adam deriuati peccatum originale contrahunt; alioquin non indigerent redemptione per Christum, quod est erroneum.* Alterum, quod protulit D. Thom. est, quòd *quia ignoratur, quo tempore B. Virgo fuerit sanctificata, celebratur festum sanctificationis eius potiùs, quàm Conceptionis.* Ita 3 par. q. 27. art. 2. Hoc autem reprobatum est à Gregor. XV. in peculiari decreto, quo prohibet nullo modo in officio diuino vtendum esse nomine sanctificationis, sed Conceptionis.

Has duas propositiones ex D. Thoma affert Auctor Elucidarij Deiparæ lib. 4. tract. 5. pag. 969. quasi ab alijs obiectas. Et proferens iudicium de his, pag. 973. dicit, quòd si Doctor sanctus has propositiones docuisset, eius auctoritas in hac parte esset debilitata per Sedem Apostolicam. Sed auctoritatem relatam ex 3. p. dicit ex fraude, & corruptela irrepsisse in textum D. Tho. In 1.2. verò illam censuram non esse D. Tho. sed à nonnullis iniquè declaratam. Et D. Thom. solùm damnare id, quod infert tanquam inconueniens, scilicet aliquem non indigere redemptione per Christum, non verò errore notare, quòd aliquis sine peccato sit conceptus.

ARTICVLVS II.

Quis sit sensus D. Tho. circa ea, quæ Ecclesia docet de Immaculata Virginis Conceptione?

HÆC est apud oppositos auctores fortior machina, quæ in solidissimū doctrinæ D. Thomæ murum arietat, & plures ad classicum excitauit, nec modicam vtriusque partis bilem accendit in asserenda, vel profliganda alterutra sententia. Vnde coacti sunt Romani Pontifices iteratis edictis publicas disputationes in hac re inhibere, & tandem indictū est silētium parti affirmatiuæ, & cautum, ne, qui piam opinionem sequuntur, aliam impugnent, aut de ea quomodolibet agant aut tractent. Ita Paulus V. & Gregorius XV. in suis constitutionibus pro Immaculata Conceptione. Excepit tamen ab hoc silentio ipse Gregorius XV. Fratres Ordinis Prædicatorum, vt licitè possint inter se, & non cum alijs de ipsa tractare; vt constat ex Bulla, quæ incipit: *Eximij, & singulares fructus.* 28. Iulij anno 1622. Quare nobis non licèt quidquam tractare, vel agere de opinione affirmante contractionem peccati; licèt tamen Ecclesiæ sensum, quem omnibus Apostolica Sedes proponit, hic etiam exhibere, & quid senserit D. Thom. explicare, & sicut ab alijs auctoribus in suum sensum adducitur, ita nobis licebit verum illius sensum indagare, nihil de ipsa opinione tangentes.

Quam

Quàm sobriè Ecclesia in hoc mysterio loquatur.

ARcanum hoc mysterium Ecclesia Spiritu Sancto gubernata, & instructa, sic summa pietate veneratur, vt tamen magna cum moderatione in re tanti momenti procedat, & loquatur, & à suis fidelibus sic sentire velit.

Primò igitur docent, & testantur Pōtifices articulum hunc nondum esse ab Apostolica Sede definitum, seu declaratum. Ita Sixtus IV. in Extrauag. *Graue nimis*, Pius V. in constitutione, quæ incipit, *Super speculam*, & Greg. XV. infra citandus. Vnde quod aliqui afferunt ex decreto quodam Concilij Basileensis sess. 36. in quo definitur probabiliorem esse sententiam piam de Immaculato conceptu Virginis, constat omni auctoritate carere, tum, quia Concilium illud iam in ea sessione erat acephalum, & à vero, & legitimo Pontifice Eug. IV. seggregatum; tum, quia Sixtus IV. qui fuit post illud Concilium, alijquè eius successores expresse docent articulum hunc nondum esse à Sede Apostolica declaratum. Ergo quantum ad hoc nunquam illud decretum Basileense admissum est, neque confirmatum.

Secundò, quanta sollicitudine, attentione, & cautela in hac parte Apostolica Sedes processerit, & procedat, non aliunde, quàm ex ipsis litteris Gregorij XV. constare poterit, in cuius Pontificatus initio diligentissimè procuratum est, vt res ista tandem ad optatam definitionem perduceretur. Is enim Pontifex in litteris ad Catholicum Regem Philippum IV. pro hac re sollicitè pro sua habita pietate vrgentem, sic rescripsit: *Ne quid tamen noui in tanta re decernatur, monet tum negotij magnitudo; tum Romanorum Pontificū prædecessorum exemplum. Spiritus Sancti enim vocem auscultare, non humanarum rationum ponderibus rem examinare debemus, qui in diuinæ sapientiæ cathedra Christiano Orbi à Deo præfecti sumus. Quare cùm nondum æterna sapientia Ecclesiæ suæ tanti mysterij penetralia patefecerit in Dei, Romanorumquè Pontificum auctoritate debent fideles conquiescere.* Ita habetur ex libro legationis Episcopi de Carthagena, & refert Grauina in Apologetico pro sacro deposito cap. 12. in fine. Sed præstat integras litteras auscultari eiusdem Pontificis ad Serenissimam Infantem Margaritam de Cruce (rarum huius sæculi, & superiorum exemplum) in Regio Discalceatarum Cœnobio Matritēsi, olim Sanctimonialem, cui de hac materia sic Pontifex rescripsit, breui, sed pleno maiestatis stylo rem tantam ponderans.

Hic Auctor inserit Bullam, quæ incipit, Angelicis choris interesse. &c. Romæ 4. Iunij 1622. vt habetur in Regesto col. 278.

His planè litteris edocemur, quanta sobrietate, grauitate, & circumspectione in hac materia loqui nos decet, quantum à proprij iudicij peruicacia, aut tenacitate; & ab opinionum propriarum adhæsione auelli, & sola mentis, atque opinionum resignatione ipsi gloriosissimæ, & purissimæ Virgini ad pedes Romani Apostolatus deseruire debeamus: hoc enim ipsi verè, & super omnia gratissimum fore Ecclesia ipsa nos docet. Satagamus ergo hoc diligenter exequi quicumque in vera humilitate tantæ Reginæ purè, fideliterquè obsequi profitemur. Hanc modestiam planè sequutus est D. Thomas, & hanc nos docuit, & ita in hac parte sensit, vt semper locum dederit illi sensui, qui modo ab Ecclesia admittitur, nec illi vnquam contradixit. Quid? Quod Scotus ipse subtilissimus, ita & modestissimus Doctor, adeò sobriè, & cautè rem istam tractauit, vt mirandum posteritati de hac re exemplum reliquerit? Cū enim in 3. dist. 3. q. 1. difficultatem hanc ventilasset, & quibus modis possibile Deo fuisset, suæ purissimæ matris animam in primo instanti animationis gratam, sanctamquè efficere, descendens ad quæstionem de facto, & quid in illo occultissimo, atque cælesti mysterio ineffabilis Dei misericordia exequuta sit, hæc verba subijcit: *Quid autem horum trium, quæ ostēsa sunt esse possibilia, factum sit, Deus nouit; si auctoritati Ecclesiæ, vel auctoritati Scripturæ non repugnet, videtur probabile, quòd*

ex-

excellentius est, attribuere MARIÆ. Nihil plus in hac quæstione defacto Scotus determinauit, & multum in breuibus istis verbis nos docuit.

Ad D. Thomæ sensum declarandum quædam prænotantur.

NIhil mihi videtur ita commendare cælestem D. Tho. doctrinam, quàm si attentè inspiciamus, quanta vigilantia sancti D. calamum in hac re diuina prouidentia temperarit, ne in particulari aliquid describeret, quod præsenti Ecclesiæ statui, & sensui, quem habet circa Virgineum conceptum, contradicere posset.

Duo ergo opportet diligenter prænotare in D. Tho. doctrina pro huius determinationis luce. Primum, longè aliter locutum fuisse D. Tho. cum in generali, & in communi ageret de vniuersalitate peccati originalis, quãtum est ex vi legis, & omni priuilegio secluso, aliter cum in particulari de B. Virgine tractauit, vbi de ipsius præseruatione ex vi priuilegij agebatur. Nam loquendo ex vi legis ita vniuersalitatem originalis peccati extendit, vt nulli exceptioni dederit locum, & oppositum censura inusserit, vt statim ostẽdemus: vbi autẽ in singulari agit D. Tho. de ipsa B. V. an sit excepta à peccato originali, nusquam censuram aliquam apposuit. Secundum, quod aduertimus est, quòd D. Tho. nunquam proposuit quæstionem directè: *An B. Virgo contraxerit peccatum originale; an verò fuerit præseruata, sed vtrum fuerit sanctificata ante animationem?* Quia cum in Conceptione B. Virginis attendantur duo, scilicet, & persona concepta, vt terminus, & actio ipsa generandi, seu concipiendi, & vtrumque conceptionis nomine significari soleat, & possit, non fuit sollicitus D. Tho. quęrere de persona, an fuerit præseruatione priuilegiata, sed de actione, & de principijs, ex quibus generata est persona, scilicet, anima, vel carne ante animationem, an ex vi sua induxerint sanctitatem in persona, & curæ fuit ipsi excludere ab actione priuilegium, & carentiam debiti contrahendi peccatũ; hæç enim carẽntia ex ipsa actionis generatiuæ sanctitate, seu priuilegio sequebatur. De persona verò concepta, an fuerit priuilegiata, non obstante actione ipsa, seu actiua conceptione, quæ de se in peccatum ruebat, D. Tho. non multum tractauit, etsi loquendo de opinionibus, quæ suo tempore iam currebant, de vtraque locutus sit probabiliter, sicut illo tẽpore debebat loqui propter Romanę Ecclesiæ auctoritatem, nondum tunc positiuè fauentis, sed solùm permittentis opinionem piam, & ita ad Ecclesiæ auctoritatem se remittit, sicut & Scotus fecit, cum iudicium de hac re protulit, quantum ad quæstionem defacto.

Igitur circa primum hoc punctum, quod notamus, aduertendum est, quòd fuit necessarium D. Thomę tractare illam quæstionem, cum ageret de peccato originali, an vniuersaliter in omnes homines pertranseat ex vi legis, & secluso priuilegio, quia hæresis Pelagiana, licèt à principio negaret peccatum originale in paruulis, sed peccatum Adæ sibi soli nocuisse affirmaret; tamen posteà ita peccatum originale confessi sunt, qui tamen asserebant non in omnes homines per transire, nullo excepto (ex vi legis loquebantur, non ratione priuilegij.) Et cum Apostolus dicit Rom. V. *In omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt*; ly *omnes*, dicebant idem esse, quod *multos*, nõ autem omnes, nullo excepto, qui in eodem cap. dicebant, Apostolum indicasse, dum dicit: *Per vnius inobedientiam peccatores constituti sunt multi*, & sic ly *omnes*, idem est, quod multi. Et dicẽdo de Christo. *Per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem*, ly *omnes*, non intelligitur de omnibus, nemine excepto, sed de multis, qui iustificantur.

Hoc ergo aduertens August. in Pelagio, & Iuliano, eius discipulo, non solùm contra fidem esse asseruit negare peccatũ originale in paruulis, sicut primò negauit Pelagius, sed etiam affirmare, quòd non omnes tangit, nemine excepto ex vi legis ordinariæ, sicut secundò Pelagius dixit. Videndus est August. lib. de natura, & gratia cap. 41. vbi inquit: *Illud, quod commemoraui, per vnum hominem peccatum in-*

trauit in mundum,& per peccatum mors,& ita in omnes homines mors pertranſijt, in quo omnes peccauerunt,& antiquos, & recentiores,& nos, & poſteriores noſtros ſententia iſta complectitur. Ponit etiam Pelagius teſtimonium, vnde probet,cum dicitur omnes, non ſemper omnes nullo prætermiſſo debere intelligi, ſicut inquit, per vnius hominis delictum in omnes homines in condemnationem, ſic per vnius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem vitæ,cum per Chriſti, inquit, iuſtitiam non omnes homines, ſed eos tantùm, qui illi obedire voluerunt, ſanctificatos eſſe non dubium ſit. Non planè teſtimonio iſto probat,quod vult; nam ſicut dictum eſt, ſicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, vt nullus prætermitteretur, ſic in eo, quod dictum eſt per vnius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem vitæ nullus prætermiſſus eſt, non quia omnes in eum credunt, ſed quia nemo iuſtificatur, niſi in eum credat. Ad hæc in lib. 6. contra Iulianum cap. 12. aliàs 24. poſtquam probauit Auguſt. illud verbum, *omnes*, ſignificare omnes, nullo prætermiſſo, ſubdit: *Vos autem dum non omnes, ſed multos per Adam condemnatos, ſiue per Chriſtum liberatos vultis intelligi, horrenda peruerſitate Chriſtianæ Religioni reſiſtitis.* Deniquè in libro de perfectione iuſtitiæ cap. 21. tomo 7. eiſdem fere verbis, & ſub eadem cenſura loquitur Auguſt. ac D. Tho in prima ſecundæ quæſt. 81. iam citata, dicit enim Auguſt. *Quiſquis eſſe, vel fuiſſe in hac vita aliquem hominem, vel aliquos homines putat vno excepto mediatore Dei, & hominum, quibus non fuerit neceſſaria remiſsio peccatorum, contrarius eſt diuinæ Scripturæ, vbi Apoſtolus ait; Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum,& per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſijt, in quo omnes peccauerunt. Et neceſſe eſt, vt impia contentione aſſerat, eſſe poſſe homines, qui ſine mediatore Chriſto liberante, atque ſaluante ſint liberi, ſaluiquè à peccato.* Hæc Auguſt. Illatio apertè ſequitur in Pelagij ſententia, ſi ex vi legis, & ſecluſo priuilegio non in omnes homines nullo prætermiſſo peccatum tranſiret, ſed aliquis ſine illo generaretur; tunc enim ille non indigeret redemptione per Chriſtum, quia ex ipſa lege ordinaria careret peccato.

Ex his ergo manifeſtè deducitur, quòd cum D. Tho. tractauit de natura peccati originalis, eiuſquè vniuerſalitate, & amplitudine in totum genus humanum, oportuit determinare contra Pelagium, & ſecundùm fidem Catholicam non ſolùm contrahi peccatum originale à paruulis, ſed etiam in omnes homines, nullo prætermiſſo, peccatum hoc tranſire, excepto Chriſto, ex vi legis loquendo, cùm etiam hoc ſecundum fuerit à Pelagio aſſertum, & tanquam diſtinctus articulus in Concilio Paleſtino fuerit ei propoſitus ad abiurandum. Nam primò dictum eſt, vt abiuraret; *Quòd peccatum Adam ipſum ſolum læſerit, & non genus humanum.* Secundò; *Quòd per mortem, & præuaricationem Adã non omne genus humanum moriatur, & quòd non per reſurrectionem Chriſti omne genus humanum reſurgeret.* Igitur D. Tho. debuit explicare hoc ſpecialiter, quia ſecundùm fidem Catholicam contra Pelagium fatendum eſt, omnes homines nullo excepto, niſi vno mediatore Chriſto, loquendo ex vi legis, & ſecluſo priuilegio (vt loquitur D. Tho. & Auguſt. vtpotè contra Pelagium) contrahere peccatum originale, & ſic poſuit D. Tho. 1. 2. q. 81. art. 3. & q. 4. de malo, art. 6. & in 4. diſt. 43. quæſt. 1. art. 4. ad 3. & ſub cenſura id debuit affirmare, quia eſt dogma Catholicum contra Pelagij hæreſim, & ſub eadem cenſura notatur ab Auguſt. locis cit. & ob eandem rationem, qua vtitur D. Tho. ſcilicet, quia aliàs non indigeret aliquis redemptione per Chriſtum, de quo etiam videndus eſt Auguſt. 6. cõtra Iulianum cap. 4. & 5. contra Iulianum cap. 2. & 20. de ciuit. cap. 6. & lib. de fide ad Petrum cap. 26.

Neque verba D. Thomæ, & Auguſt. ita vniuerſalia, & ſub cenſura poſita in aliquo lædunt, aut tangunt ſingulare Beatiſsimæ Virginis priuilegium, quia quando lex aliqua fertur vniuerſaliter pro omnibus, in toto rigore veritatis dicitur, quòd lex illa omnes nullo prætermiſſo comprehendit, etiamſi aliquis per priuilegium excipiatur: non enim hæc duo inter

ter se pugnant, quòd ex vi legis omnes sint comprehensi, & ex vi priuilegij aliquis sit exemptus; imò potiùs natura priuilegij supponit, ex vi legis oppositum deberi, alioquin priuilegium non esset, si ab vniuersalitate legis non exciperet; hoc enim sensu, dixit optimè August. epist. 50. *Quòd dispensatio est vulnus contra integritatem seueritatis*. Non ergo priuilegium tollit vniuersalitatem ex vi legis, sed supponit; excipit autem ex vi priuilegij. Vnde Esther 15. dixit Assuerus Rex: *Non pro te, sed pro omnibus hæc lex lata est.* Vbi conuenientiùs videbatur dicendum, non pro te, sed pro reliquis; non autem dixit sic, sed pro omnibus, vt daretur intelligi optimè stare, quòd lex sit pro omnibus vniuersaliter, licèt non sit pro aliquo ex vi priuilegij. Ergo benè stat, de fide esse, quòd ex vi legis ordinariæ omnes incurrunt peccatum, solo Christo excepto, & tamen in nullo lædatur singulare priuilegium Virginis.

Scio Caiet. & Medinam super illum locum ex prima secundæ, propositionem D. Thomæ in hoc sensu accipere, quòd solum sit de fide omnes homines contrahere peccatum originale quoad debitum, non defacto; sicut est de fide omnes homines habere debitum moriendi, non tamen est de fide, sed in opinione, an aliqui defacto non sint morituri, illi videlicet, qui in vltimo fine mundi inuenientur. Cæterum communior D. Thomæ interpretatio est, quòd loquitur D. Tho. in illa vniuersali propositione ex vi legis ordinariæ, relinquendo semper locum priuilegio. Ita censent Ferrara 4. contra Gentil. cap. 50. Zumel 1. 2. quæst. 81. art. 3. quæst. vnica, Lorca, & Alvarez ibidem; Pater Azor to. 1. instit. lib. 4. cap. 34. Salas tomo 2. in 1. 2. tract. 13. disput. 11. sect. 5. quæst. 11. Valentia 1. 2. disput. 6. quæst. 11. puncto 2. Mõtesinos 1. 2. quæst. 81. artic. 3. disput. 11. quæst. 8. num. 124. Cornel. à Lapide super epist. ad Rom. cap 5. Eodem modo explicant propositiones vniuersales Sanctorum, quod loquantur ex vi legis, non ex vi priuilegij, Paramo lib. 3. de edicto fidei quæst. 5. Bellarm. lib. 4. de amissione gratiæ cap. 16. Ægidius à præsentatione de Immaculata Conceptione lib. 3. quæst. 4. præsertim art. 2. & quęst. 5. seq. Suarez 2. tomo 3. p. disp. 3. sect. 5. Vazquez 2. tomo ad 3. p. disp. 117. cap. 10. & sequentibus. Quare ex illa vniuersali propositione D. Tho. & eius censura, quæ solùm respicit id, quod ex vi legis ordinariæ comprehenditur, nullum præiudicium, nec censura resultat in eam opinionem, quæ ex priuilegio cõcedit B. Virginis præseruationem à peccato, non ex vi legis; prohibitio autem Sedis Apostolicæ in censurando, solum est circa opinionem piam, quę ex priuilegio dicit B. Virginem esse præseruatam, nõ ex vi legis ordinariæ, quæ est pro omnibus. Vnde quãdo D. Th. agit de B. Virgine in particulari nõ censurat, licèt vtatur eadem ratione, quia aliàs non egeret redemptione Christi, vt patet 3. p. q. 27. art. 2. & in 3. dist. 3. q. 1. art. 1. & alijs locis infra adducendis.

Circa secundum, quod in D. Th. notãdum diximus, illud est præ oculis habendũ, ipsum benè aduertisse omnes modos, quibus poterat contingere ista sanctificatio Virginis, non solũ modo ordinario, sicut fit in alijs hominibus ex peccato, sed etiam prę̨seruatione, ne in illud incideret, aut etiam per gratiam aliquam ante animationem, vel collatam animæ, vel purificantem materiam seminalem, aut embrionem. Quod benè aduertit Seraphinus à Porrecta super 3. par. quæst. 27. artic. 2. Fuit autem sollicitus D. Tho. excludere non tam ipsam præseruationem personæ Virginis in instanti reali suæ productionis, quàm præseruationem carnis, vel animæ, ita quod ex vi conceptionis actiuæ, seu generationis redderetur sancta illa persona; in se autem in quantum persona singularis, & producta non eguisset gratia liberationis, nec debitum haberet incurrendi, sed tota gratia fieret, vel parentibus, vel actioni, seu principijs ipsis, vnde persona illa resultare debebat, id est, carni, vel animæ ante animationem. Hoc fuit intentum D. Thomæ, & ideò semper inquisiuit, an fuerit

ante

ante animationem sanctificata? Quod verò ipsa persona iam producta, quę ex vi, & modo suæ conceptionis habebat debitum incurrendi, defacto non incurrerit peccatum, D. Tho. non fuit multum sollicitus, sed vtrique sententię dedit locum Ecclesię, ad quam solum pertinet iudicare hanc quęstionem defacto.

Hoc autem euidens fiet ex ipsis locis D. Tho. vbi ex professo hanc quęstionem tractat, in quibus videbimus eum agnouisse etiam pręseruatiuam redemptionem, & præcipuè intendisse negare, quòd gratia ista non fieret parentibus, vel naturę, sed si fieret, deberet fieri personæ ipsi Virginis in singulari; in ipsa verò persona producta requirit solùm, vel debitum, vel peccatum, vt dicatur redimi, & liberari, non verò solum peccatum. Et in primis occurrit ad hoc insignis locus D. Tho. in 4. dist. 43. q. 1. art. 4. ad 3. & habetur in additionibus ad 3. par. quæst. 78. art. 1. ad 3. Proposuerat D. Tho. argumentum, quòd aliquando Deus hoc Ecclesiæ præstabit, vt nascantur homines absque peccato originali, eo quòd Ecclesia petit sibi debita relaxari, & sic, vt plenariè assequatur hanc petitionem, oportet, quòd plenariè aliquando assequatur relaxationem debitorum, quod non erit, nisi aliquis homo sine peccato originali concipiatur. Respond. D. Tho. *Quòd hoc est erroneum dicere, quòd aliquis sine originali peccato concipiatur præter Christum, quia sic non indigeret redemptione per Christum.* Et subdit. *Nec potest dici, quòd non hac redemptione indiguerunt, quia præstitum fuit eis, vt sine peccato conciperentur* (ecce gratia, seu redemptio pręseruatiua) *quia illa gratia facta est parentibus, vt in eis vitium naturæ sanaretur, quo manente, sine originali peccato generare non possent, vel ipsi naturæ, quæ sanata est. Oportet autem ponere, quòd quilibet personaliter redemptione Christi indigeat, non solum ratione naturæ; liberari autem à malo, vel à debito absolui non potest, nisi qui debitum incurrit, vel in malum deiectus est* (ecce distinguit contrahere malum, vel debitũ tantùm) *& ita non possent omnes fructum dominicæ redemptionis in se ipsis percipere, nisi omnes debitores nascerentur, & malo subiecti, vnde dimissio debitorum, & liberatio à malo non potest intelligi, quin aliquis sine debito, vel immunis à malo nascatur, &c.* Ita D. Tho. vbi ponderandum est, D. Tho. negare illam gratiam pręseruatiuam, quę fieret parentibus tantùm, vel naturæ, non ipsi personæ, eo quod reputat, vt magnũ inconueniens, quòd aliqua persona in se personaliter non egeat redemptione, sed gratia, quæ illi fit, sit in suis parentibus, vel ipsi naturæ, aut principijs naturæ, puta animæ, vel carni ante constitutam personam, & ante animationem. Secundò pondera, quòd ad liberationẽ per Christum disiunctiuè postulat D. Tho. vel debitum, vel culpam in eo, qui redimendus est, ergo si sufficienter saluat D. Tho. redemptionem per Christum in aliquo, qui solùm nasceretur cum debito, non amplius requirit, quando loquitur de Virgine, & infert pro inconuenienti, quia aliàs non indigeret redemptione per Christũ; intelligit enim, quòd non indigeret, si cõciperetur sine debito, aut sine peccato; nõ tamen si conciperetur sine peccato, dummodo conciperetur cum debito in persona. Et quoties D. Tho. infert, quòd nõ indigeret redemptione, ly *non indigeret*, est quia excluditur etiam debitũ; hoc enim, si datur, sufficit ad indigentiam liberationis, vt ex isto loco colligitur. Et ita locus hic maximè pręlucet menti D. Thomę in trospiciendę in alijs locis.

Deinde oportet conferre inter se loca D. Thomæ ex 3. sententiarum, & ex 3. p. vt constet, quomodo ipse distinxerit gratiam istam præseruatiuam, & quomodo negauerit. Nam in 3. dist. 3. q. 1. art. 1. inquirit in prima quæstiuncula, an B. Virgo fuerit sanctificata, antequam conceptio carnis eius finiretur, idest, dum caro illa erat sub forma embrionis, vel in seminali materia? Et respondet negatiuè. In quęstiuncula 2. inquirit, an sanctificata fuerit ante animationem, seu infusionem animę? Et respõdens huic quęst. dicit: *Ad secundum dicendum, quòd sanctificatio B. Virginis non potuit esse decenter ante infusionem animæ, quia gratiæ capax nondum erat, sed neque etiam in ipso instanti infusionis, vt scilicet per gratiam tunc sibi infusam con-*

con-

conseruaretur, ne culpam originalem incurreret. Ecce manifestissimè agnoscit D. Th. gratiam præseruatiuam, ne incurratur macula in illo instanti infusionis animæ, & distinguit illam ab ea gratia, quæ fieret Virgini ante animationem, & constitutionem personæ, siue in suis parentibus, siue in materia sui corporis, aut in anima, cùm tanquam distinctas difficultates ista pertractet. Et idem colligitur ex 3. ad Anibaldum dist. 3. q. 1. art. 1. vbi dicit: *Quòd nec ante conceptionem, nec in conceptione ante animationem, nec in ipso instanti infusionis animæ sanctificata est*: distinguit ergo omnes istos modos sanctificationis, tum ante instans animationis, tum in ipso instanti, in quo iam præseruaretur, seu conseruaretur persona, ne incurreret in peccatum, & non solùm ipsa actio, seu materia corporis, aut parentis præseruarentur, ne generarent prolem in peccato. Licèt autem D. Tho. in istis locis tertij sententiarum omnes istos modos sanctificationis excluserit, tamen postea, idest, in 4. sentētiarum cit. & in 3. p. q. 27. art. 2. illum vltimum modum de sanctificatione præseruatiua in eodem instanti infusionis animæ, vel suppresit, & omisit, vel explicauit. Suppresit quidem in 3. p. cit. vbi inquit: *Quòd sanctificatio B. Virginis non potest intelligi ante eius animationē*, & concludit: *Et sic quocūque modo B. Virgo ante animationem sanctificata fuisset, nunquam incurrisset maculam originalis culpæ, & ita non indigeret redemptione per Christum*. Vbi S. Doctor per ly *incurrisset maculam*, intelligit etiam debitum, tum ex explicatione supra relata ex 4. sentētiarum, tum quia loquitur in casu sanctificationis ante animationem, in quo casu ipsa personaliter non esset obnoxia, sed in sua persona careret omni debito, tum ex ratione adiuncta, quia nō indiguisset redemptione; verbū autem *indigere* semper refertur ad debitū, vt ostendimus ex D. Thoma. Qui autē habet debitum, etsi nō peccatū, indiget redimi, seu indiget liberatore periculi, in quo est, quod D. Tho. nō negat. Quare in hoc loco 3. p. omnino omisit illum modū sanctificationis præseruatiuæ pro eodē instanti, & sic solū loquitur in casu ante animationem, dicens: *Et sic quocumque modo ante animationem, &c*. Explicauit autem in 4. sentētiarum dist. 43. cit. quod ad liberationem, & redemptionem sufficit, vel debitum in persona, vel culpa, & ita si B. Virgo præseruata est à culpa, dummodo in persona habuerit debitū, nihil contra D. Tho. sicquè ista duo loca, quia sunt posteriora illis ex 3. sententiarum citatis, plenius explicant mentem S. Doctoris, vt iam facimus.

Conformat se D. Thomas sensui Ecclesiæ.

EX his prænotatis liquidò cōstabit de mente Doctoris S. quæ si attētè fuisset considerata, & collatis diuersis suis locis inspecta, nihil sinistrū vnquam de illo fuisset suspicatū in hac parte. Itaquè inuenit D. Tho. iam suo tempore controuerti hanc difficultatem, & multos inclinare in immaculatum conceptū Virginis, Ecclesiasquè non paucas celebrare hoc festum ex tolerātia Romanæ Ecclesiæ; ipsam tamen Ecclesiā Romanā nondum illud celebrare. Vnde permaximè sollicitus fuit de vno puncto, quod in hac materia grauius, & considerabilius est, & ad doctrinā Christianā præcipuè spectans, videlicet, ne gratia sanctificationis, quæ tribuebatur Conceptioni Virginis, ita sinistrè intelligeretur ab aliquibus, quòd non ipsi personæ Virginis diceretur fieri hæc gratia, sed quæcunque gratia, seu beneficium hoc sit, ipsi personæ Virginis debet fieri, non parentibus sanando vitiū naturæ, nō conceptioni actiuæ, seu præparatiuæ, & cōmistioni seminum, non embrioni; postremò non animæ, neque carni ante animationē, & constitutionē personæ. Hoc voluit maximè obseruari D. Tho. & in hoc totum suum studium posuit, quia videbat, si in hoc sinistra aliqua intelligētia inolesceret, & semel admitteretur, nō ipsi personæ Virginis fieri hoc beneficiū, destrui grande principiū in fide, quod daretur aliqua persona inter homines, quæ in se personaliter, seu ratione suæ personæ non indigeret redemptione Christi. Ad hoc autem necesse erat ponere debitum aliquod, seu periculum in ipsa persona, à quo, si nō teneretur, nō liberaretur. Propter quod in his duobus locis, quæ videtur

esse postremæ determinationis in D. Th. scilicet in 4. dist. 43. cit. & 3. p. q. 27. art. 2. solùm fuit sollicitus, ne gratia ista, & beneficium sanctificationis fieret Virgini ante animationem, ita quòd non ipsi personæ fieret, sed antecedenter ad existentiam personæ, vel ipsis parentibus, vel conceptioni actiuæ, vel carni, dum generabatur, vel animæ ante infusionem; hæc enim nondum sunt persona.

Hoc puncto stabilito, quod præcipuè fuit curæ D. Thomæ, & in quod totum pondus rationis suæ librauit, scilicet, quia aliàs non indigeret redemptione in sua persona, si debitum saltem non haberet, in quo & Scotus conuenit, dum ponit solùm in instanti reali potuisse Virginē liberari, & in instanti naturæ esse cū debito, vt patet in 3. dist. 3. q. 1. §. *Si autem.* respondēdo ad secundam replicam: hoc, inquam, stabilito, de reliquo, an scilicet habēdo debitum in sua persona, de facto nō contraxerit culpam, sed præseruata fuerit B. Virgo in instāti reali suæ animationis? Vtrique opinioni locum dedit D. Tho. quia erat quæstio de facto. Sed quia videbat Romanā Ecclesiam nōdum celebrare, sed tantùm tollerare illud festum, voluit adhærendo Romanæ Ecclesiæ, eius saluare rationem. Ratio autem, qua Romana Ecclesia tunc ducebatur, ea erat, quam affert Doctor Sanctus quodlib. 6. q. 5. art. 1. Quia Romana Ecclesia, inquit, & aliæ plurimæ considerantes Conceptionem Virginis in originali peccato fuisse, festū Conceptionis non celebrant. Si ergo Ecclesia hoc tunc cōsiderabat, & sentiebat, quo modo poterat Doctor S. non magis inclinare in hanc partem, tum, quia sic sentiebat tunc Romana Ecclesia, cuius sensum debebat Sanctus Doctor defendere; tum in determinando quęstionem de facto, qualis ista erat, oportebat expectare iudicium Ecclesiæ, & non rationum humanarum ponderibus duci, vt in suis litteris docet Gregorius XV. supra relatus. Noluit ergo in quęstione de facto D. Thomas aliud sequi, quā id, quod indicabat, & sentiebat tunc Ecclesia Romana, in cuius auctoritate debent fideles cōquiescere. Sed tamen, vt locum etiam alteri opinioni daret, quantū Ecclesia tunc permittebat, addidit 3. p. q. 27. art. 2. & 3. *Quòd quia Ecclesia Romana tolerabat illius festi celebrationē, non erat totaliter reprobanda.* Ecce quomodo semper D. Tho. inhæret sensui Romanæ Ecclesiæ, semper eam honorat, semper saluat. Vnde cū modo Romana Ecclesia, non solū toleret, sed etiā positiuè præcipiat celebrari tale festū, illudquè magnis fauoribus prosequatur, loquendo in vi doctrinæ D. Thomæ oportet vice versa de his sentētijs cēsere, & D. Tho. sic censeret; si enim ex sola tolerātia Romanæ Ecclesiæ illa festiuitas tunc non erat spernenda ex positiuo præcepto, & fauore, quāto magis diceret venerandā? Præsertim cū ex hoc probet B. Virginē sine peccato fuisse natā, quia eius natiuitas celebratur ab Ecclesia, vt patet eadē q. 27. art. 1. Ergo idē de conceptione diceret, si tunc eodē modo celebraretur, sicut Natiuitas. Pro illo ergo tēpore sic cēsuit D. Tho. sicut Ecclesia Romana sentiebat, pro isto verò sentiret id, quod illa sentit, & eo modo, quo sentit: in his enim quæstionibus de facto iuxta diuersa tempora variatur iudicium, & crescit rerum notitia paulatim.

Quod verò aliqui afferunt ex 1. sentētiarū dist. 44. q. 1. art. 1. ad 3. vbi D. Th. inquit: *Talis fuit puritas B. Virginis, quæ peccato originali, & actuali immunis fuit*, vbi sicut ly *immunis* cadens super actuale peccatū, omnē eius contagionē excludit, ita cadens super originale, omnē eius cōtractionē excludere debet. Resp. quòd hoc dixit D. Tho. vel quia vtrique opinioni fauit, quæ tunc currebat in Ecclesia, vna, vt tolerata ab Ecclesia Romana, alia, vt asserta, licèt propter illius Ecclesię honorē, & obediētiā magis, & pluries inclinauerit D. Tho. in assertā, quā in toleratam. Vel illud verbum *immunis* summitur generali modo pro immunitate, vel præseruante, vel liberante, atque adeò verbum illud non est omnino expressum, nec plenè declarat mentem S. Doctoris, præsertim, quia ibi solū obiter, & per trāsennā rem istam tangebat. Mens autem alicuius auctoris ex locis, in quibus ex professo rem aliquam tractat, indaganda est.

Et

Et ita hanc nostram sententiam tenet Porrecta. 3. par. q. 27. art. 2. & videndus est Mag. Medina super eundem locum defendens etiam opinionem piam probabiliter, & Caiet. vt probabilem reputat to. 2. opusc. tract. 1. cap. 5. & Mag. Soto in cap. 5. epist. ad Romanos loquens iuxta consuetudinem celebritatis huius, quæ modò est in Ecclesia, inquit: *Quòd exceptio B. Virginis ab hac vniuersali sententia Pauli est vsque adeò celebris, non modò inter plebeios, sed inter bonos Doctores, quales præcipuè sunt Illustrissimi Parisienses, vt siqui hanc sibi exceptionem persuadere non possunt, vt cui Paulus refragari videatur, haud tamen debeant publicitus talem prodere disputationem.* Ita Soto, quæ ideò dixerim, vt constet, illustres Thomistas sequentes D. Tho. non multùm hærere in hac quęstione de facto, nec in illa magis radicari, quàm Ecclesiæ sensus postulat.

Dices in quodlib. 6. cit. expresè dicit S. Tho. B. Virginem fuisse inclusam in illa vniuersali, in quo omnes peccauerunt, *A qua solus Christus excipitur, qui in Adam non fuit secundum seminalem rationem; alioquin si hoc alteri conueniret, quàm Christo, non indigeret Christi redemptione*; ergo vtitur illa consequentia non indigendi redemptione, non solùm ad probandum, quòd habeat debitum, sed etiam peccatum. Resp. attendēda esse verba D. Thomę; dicit enim, ab illa vniuersali solùm Christum excipi, qui non fuit in Adam secundum seminalem rationem, alioquin si hoc alteri conueniret, idest, si conueniret non esse in Adam secundum seminalem rationem, (id enim refert, & demonstrat pronomen *hoc*) & ita non contraheret peccatum, non indigeret Christi redemptione, quod manifestissimum est: qui enim per seminalem rationem ab Adam non descenderet, nullum debitum incurrendi peccatum habuisset, nec indigentiam redemptionis, cùm ex vi legis non deberet contrahere peccatum. Vnde directè solùm probauit D. Tho. non indigere redemptione, non qui de facto nō contrahit peccatum in persona sua, sed qui non contrahit; quia in Adam non est secundum seminalem rationem, atque adeò nec debitum contrahendi habet, & ita negatio indigentię redemptionis semper excludit debitum apud D. Tho. Quia tamen, vt in illo quodlib. refert, Ecclesia Romana, & aliæ Ecclesiæ tunc sentiebant de facto contraxisse B. Virginem peccatum, ideòquè non celebrabant illud festum, ideò non redemptionem præseruatiuam ibi posuit, sed ordinariam, sicut alijs locis; non tamen in hoc multum fuit sollicitus, quin etiam alij opinioni locum alijs locis non dederit, vt vidimus.

Responsio ad obiecta circa hanc propositionem.

EX his relinquuntur exposita, quæ cōtra D. Tho. in hac parte obiecta sunt artic. præcedenti dum referebamus ea, quæ in D. Thoma notantur. Itaquè ad primam obiectionem dicimus, D. Tho. in illis verbis non censurare aliquomodo assertionem opinionis piæ, sed solùm asserto illi Pelagij se opponit, quo dicebat loquendo ex vi legis, quòd non omnes peccauerunt in Adam nullo prætermisso, sed solum multi. Contra hos dirigit censuram D. Tho. vt vidimus; hæc autem censura non est contra eos, qui dicunt ex priuilegio B. Virginem esse præseruatam, non ex vi legis, vt satis ostensum est.

Ad 2. in quo obijcitur D. Tho. dum dicit celebrari potiùs festū sanctificationis, quā Conceptionis, contrarium decreto Greg. XV. iubētis vbique sub nomine Cōceptionis celebrari. Resp. omnino insulsè, & insipienter id obijci. Primò quidē, quia D. Tho. non reddit ibi rationem celebrationis huius festi eo modo, quo nunc facit Ecclesia Romana; sed reddit rationem, quare tunc tolerabat Ecclesia Romana illam celebrationem in alijs Ecclesijs; ipsa tamen non celebrabat. Et dicit hoc fecisse tunc, quia attendebat magis ad sanctificationem, quàm ad Conceptionem. Quæ ratio optima est respectu illius tolerantiæ, quæ tēpore D. Tho. erat, pro quo casu non loquitur decretū Gregorij. Nunc verò iam Ecclesia nō

fo-

solū tolerat, sed & præcipit illud festum, in quo casu nō loquitur D. Tho. Vnde ergo cōtrarietas est inter dictū S. Thomæ, & decretū Gregorij? Secundò, quia illud est agere de nomine, seu titulo, sub quo celebrari debet hoc festum, aliud de ratione celebrandi. De nomine non negat D. Tho. quin potiùs admittit non esse reprobandam festiuitatem de Cōceptione; (ecce titulus, seu nomen, sub quo celebratur) de ratione vero celebrationis dixit potiùs esse sanctificationis festum, quàm Conceptionis. Et hoc verū est, quia non celebrat Ecclesia de aliquo, nisi ratione sanctitatis. Et Gregorius XV. iubet sub nomine Conceptionis celebrari, de ratione verò celebrandi nihil dicit. Tertiò illa restrictiua. *Potius celebrat festum sanctificationis, quàm Conceptionis*, non negat Conceptionem celebrandam; imò ly *potiùs*, supponit etiam de illa celebrari, sed quid potiorem rationem celebrationis obtineat, ostendit: aliud est enim potiùs sanctificationem attendi, aliud est Conceptionem excludi. Et Cardin Bellarminus in 2. to. lib. 3. de cultu Sanctorū cap. 16. dicit, quòd præcipuum fundamentū huius festi non est Conceptio Immaculata, sed simpliciter Conceptio Matris Dei futuræ; qualiscumque enim fuerit illa Conceptio, eo ipso, quòd Conceptio fuit Matris, singulare gaudium affert mundo. Si ergo hoc est præcipuum fundamentū, qualiscumque fuerit cōceptio, cur sugillatur D. Tho. quia dixerit, potius sanctificationem, quàm Cōceptionem celebrari, idest, præcipuum fundamentum esse sanctificationem? Denique hoc solū pertinet ad quæstionem de facto, in quo mutatio accidere potest iuxta diuersa Ecclesiæ decreta. Tunc Ecclesia Romana nōdū decreuerat celebrari sub nomine Cōceptionis, nec celebrabat ipsa. Modò & celebrat & decernit. D. Tho rationem, & narrationem reddidit eius, quod suo tempore currebat. Non contrariatur ei, quod alio tempore, idest, nunc Ecclesia decernit. Nec Gregor. XV. determinat, quòd tempore D. Thomæ sic celebrabatur, sed solùm præcipit, vt modò sic celebretur. Vnde ergo contrariantur?

R. P. Vincētius Iustinianus Antist. Valētinus, sacri Ordinis Prædicatorum Magister in tractatu de Immaculata Conceptione Virginis MARIÆ in additionibus ad vltimū capitulum vitæ Venerabilis P. Fr. Ludouici Beltran, §. 3. parum à principio hæc habet.

Y Debese ponderar mucho, que el Angelico Doctor Santo Tomas en el articulo 1. de la quest. 27. de la 3. p. para probar, que el nacimiento de la Virgen fue santo, trae por irrefragable argumēto la fiesta que haze dèl la Iglesia. Donde el Santo Doctor supone, como constante principio, que la Iglesia Romana, no celebra fiesta, que no sea aueriguadamente santa. Pues si a esta doctrina añadimos, que la misma Iglesia ha instituido fiesta de la Concepcion de nuestra Señora, en las dichas extrauagantes; que ay que dudar, sino que siguiendo la doctrina de Santo Tomas, auemos de dezir, que la Concepcion de nuestra Señora fue santa, como el Nacimiento? Porque en buena Logica, la razon que de su forma concluye en vna materia, ha de concluir en quantas ay en el mundo. Y assi no fue mucho, que el bienauenturado S. Tomas escriuiesse lo q̄ escriuio, respondiendo al 3. argum. del 2. art. de la misma questiō; porq̄ entōces era verdad, q̄ la Iglesia Romana, aun no celebraua la dicha fiesta. Y tābiē se podia dudar en aquel tiēpo, q̄ entēdian por Cōcepcion los pocos que la celebrauā en algunas Iglesias, como alli dize S. Tomas. Pero aora ya va el negocio de otra suerte; porq̄ en nuestros tiempos, los que en honra de la Concepcion labrā tēplos, instituyen Cofadrias, hazen processiones, conceden indulgencias, cōponen oficios, estāpan libros, entran en la ordē. q̄ (segun diremos) fue instituida, debaxo del titulo de la Concepcion; y los q̄ traen escapularios de ella, claramente pretenden (y assi lo dizen) honrar a la Reyna del Cielo, por

por la grande merced que la hizo Dios en preseruarla de pecado original, y adornarla con su gracia en el mismo instante, y punto de tiempo, en que su alma fue criada, &c.

Et §. 18. *circa finem.* Verdad es, que como en el tiempo, que Santo Tomas escriuia a la Iglesia Romana, (en quien este Santo Doctor tenia puesta la mira) no se mostraua por esta opinion, se retirò algo de ella en la Suma; pero no demanera, que si este lugar lo permitiesse, no me atreuiesse yo a probar, que consideradas muchas cosas, que el Santo Doctor dixo en las partes, se puede muy bien glossar su sentencia, con la misma distincion, que glossamos muchos lugares de la sagrada Escritura; que quanto a la Virgen, no se entienden de hecho, sino solamente de derecho.

Hucusque præcipui Doctores Ordinis Prædicatorum de mente Angelici Doctoris pro Immaculata Virginis Conceptione.

ALij eiusdem Ordinis scriptores, qui quamuis mentem Angelici Doctoris ex professo non examinauerint, opinionem piam amplectuntur.

Magister F. Ioannes Thaulerus Dominicanus, Clarissimus, ac Illuminatus Theologus, in festo Purificationis MARIÆ serm. 1. Coloniæ edito Apud Arnoldum Quemtellum.

Anno M.DC XV.
Pag. 547.

VIres namque eius supremæ absque medio in suam sese verterant originem, vnitæ eidem: infimæ verò supremis instar Adam in originali persistentis iustitia, innocentiaquè perfectè obtemperabant. Qui nimirum hinc illi accessit decot, quòd culpæ originalis perpetuò expers fuit, à qua præseruarat illam Filius eius, ita vt momento quidem temporis, vel iræ filia, vel vas immundum, vel diabolico (sicut nos alij omnes) subiecta dominio fuerit. Præuenit hoc enim sapientia æterna, nolens electissimum templum suum aliqua labe adspergi.

B. Ludouicus Beltranus.

BEatus Ludouicus Beltran Ordinis Prædicatorum, de cuius sanctitate illustria dant testimonia Thomas Bozzius to. 1. de signis Ecclesiæ lib. 6. sig. 19. cap. 12. Coccius de signis Ecclesiæ lib. 8. art. 3. & alij apud Castellinum de certitudine gloriæ sanctorum in fine operis fol. 496. Hic igitur Beatissimus vir huic deuotissimo mysterio Immaculatæ Conceptionis valdè afficiebatur, & sæpissimè repetebat: *Si antiqui Patres modò viuerent, dicerent, scriberentquè id, quod & nos sentimus de Immaculata Reginæ cæli Conceptione, ob nimium, quod Pontifices, & Ecclesia in eius fauorem fecere.* Videantur Vincentius Iustinianus Ordinis Prædicatorum in vltimo capite additionum ad ipsius viri sancti historiam; Lezana cap. 20 fol. 91.

Reuer. P. M Fr. Dominicus Soto Ordinis Prædicatorũ, Cæsareæ Maiestatis à sacris Cõfessionibus, in Salmanticensi Academia sacræ Theologiæ primarius moderator. In epist ad Rom. cap. 5. Postquam dixisset, quòd Adam originalis macula in omnes posteros pertransijt, subdit.

ABsit, vt vllum hic verbum de sacratissima Virgine Genitrice Dei faciã.

Nam etsi Concilium Trident. decretum Sixti innouando, libertatem fecerit sentiendi in vtramque partem; est tamen exceptio B. Virginis ab hac vniuersali sententia Pauli, vsque adeò celebris, nō modo inter plebes, sed etiam inter bonos Doctores, quales præcipuè sunt Illustrissimi Parisienses, vt si qui hanc sibi sententiam persuadere non possunt, haud tamen debeant publicitus talem prodere disputationem, adeò id absque odio, & inuidia nequirent facere, &c.

Ioannes Viguerius Granatensis sacri Ordinis Prædicatorū Magister in Institutionibus sacris Parisijs M.D.LIV. apud Guillelmum Thiuout cap. 18. de peccato originali, §. 5. vers. 2. fol. 251.

SI dicatur, quòd D. Virgo non habuit peccatum originale, licèt processerit ab Adam secundùm rationem seminalē: dicēdum est, quòd ipsa sola speciali gratia præuenta fuit, & præseruata, eo quòd fuit præuisa esse mater, & domus Dei. Vnde Psal. domum tuam Domine decet sanctitudo, & de ea Solom. tota pulchra es amica mea, tota pulchra, & macula nō est in te, ex quibus auctoritatibus potest haberi priuilegium, maximè autem ex auctoritate Ecclesiæ, quæ errare non potest. Et licèt mortua fuerit; mors tamen non fuit illi pœna, sed conditio naturæ, & quamuis aliqui ex priuilegio possent præseruari à morte; (licèt de nullo legatur) non tamen propterea sequeretur, quòd fuissent immunes à peccato originali: quia sicut Deus pœnas peccatorū actualium potest condonare, sic etiam peccati originalis.

Idem de mysterio Incarnationis cap. 20. §. 9. fol. 280.

PRimo eam humiliter, & reuerenter salutauit, dicens, *Aue, &c.* Per *Aue* nomen trium litterarum ostendit se nuntiū sanctissimæ Trinitatis; *A.* enim significat amorē, & repræsentat Spiritum Sanctū. *V.* significat veritatem, & repræsentat Filium. *E.* significat æternitatē, & repræsentat Patrem. *Aue* secūdùm Grammaticos est dictio salutantis, & significat gaude & lætare, vel Deus det gaudiū, & lætitiam. Theologi, & Expositores duo dicūt: Primò quòd *Aue* est dictio composita ex littera *A.* & *Ve*, interiectione execrantis, & maledicentis, & sic significat absque Ve, seu malectione, tam peccati originalis, quàm venialis, & mortalis.

Magister Alphōsus Cabrera Ordinis sancti Dominici, à Philippo II. & III. magno in pretio habitus, eiusque cōcionator Illustris, to. 1. considerationum Euangelicarum, Cæsaraugustæ apud Lucā Sanchez M.DC.X. in serm. 1. de Concept. in introductione post medium fol. 79. hæc habet.

PEro ninguno fue ayudado al amanecer, esse priuilegio es de la Virgen: que en el mismo punto que amanecio en ella el ser natural, salga esta aurora dorada cō la luz, y arreboles de la gracia, a sola ella se concedio. A los otros no madrugò tāto la gracia a ayudarles, q̄ no los hallasse caidos hijos de yra, y enemigos de Dios: pero en esta justificacion preuino Dios al pecado, y hizo santa, a la q̄ nunca fue pecadora. Nueua manera de redempciō, y singular. Mas es preseruar de la enfermedad, q̄ curarla despues que se ha incurrido; y Dios no solo es poderoso para libertar de captiuerio, y seruidūbre; sino para librar de la obligacion de venir en prisiō, &c. *Idem serm. 2. consid. 2.* Sola esta Señora es montō de trigo, rodeado de azuzenas, todo grano, flor sin espina, toda llena de gracia, sin rastro, ni olor de culpa original, ni actual, mortal, ni venial. Esto significa el Espiritu Santo, con aquellos epitectos, que le da especialmente llamandola, *Columba mea, Immaculata mea.* Y en otra

Sacra Religio Heremitarum S. Augustini.

R. P. Doctor Fr. Ægidius de Præsentatione libr. 3. de Immaculata Virginis Conceptione quæst. 6. art. 4. §. 3. num. 18. pag. 325.

In hoc etiam laudandus est noster Heremitarum ordo, qui cum doctissimi Ægidij Romani doctrinam summè veneretur, & colat; in hac tamen controuersia zelo Beatæ Virginis iam annis ab hinc plusquam 300 *eum non probat: etenim noster Thomas de Argentina eiusdẽ Ægidij acerrimus defensor, duce suo relicto, Conceptionis puritatem constãter defendit, qui post Ægidium (qui obijt anno* 1280*) annis ferè septuaginta scripsit anno* 1350. *& post eum Paulus Benetus (qui floruit anno* 1400*) annis quinquaginta post Argentinam eamden probauit sententiam, post quos eandem opinionem sequuti sunt omnes eiusdem ordinis innumeri Theologi, quorũ opera temporum iniuria sepulta fuerũt: nec aliquis ex nostris post Ægidium & Gregorium Ariminẽsem reperitur, qui hanc B. Virginis puritatem impugnauerint; immo à pluribus annis in omnibus Vniuersitatibus Italiæ, Galliæ, Hispaniæ, & Lusitaniæ nostri Theologi semper approbauerunt hanc piam sententiam, &c.*

Sacra

Sacra Religio Carmelitarum.

ANno 1306. in Capitulo Generali in Gallia celebrato, factũ eſt ſtatutum pro celebranda Virginis MARIÆ Immaculata Conceptione. Ita refert Paleonidorus li. 3. antiqui Montis Car. cap. 10. teſtis ocularis apud Ojedã ca. 15. fol. 63. & Torres fol. 509. Tamai. de Salaçar ad annũ 1306. fol. 253. Porren. fol. 47.

Sixtus IV. Pon. Max. plures illis conceſsit indulgentias in die Conceptionis, & infra Octauas Hiſto. Carm. fol. 204.

In curia Romana in Conuentu Carmelitarum coram S. R. Eccleſiæ Cardinalibus celebrabatur ſolemniſsimè Conceptionis feſtum, teſte Baconio in. 3. diſt. 3. quæſt. 1. artic. 1.

Habebat officium de Immaculata Cõceptione, vt ſupra.

S. Thereſia huic myſterio addictiſsima Valliſoleti ædificauit Monaſterium ſub inuocatione Conceptionis B. Virginis: aliud Paſtranæ ſub eadẽ inuocatione. Legatur Hyppol. Marrac. fũdatores Mariani cap. 37 & Lezana cap. 22. fol. 99. qui de hac eadem Sancta ita fatur: nec illa mulier fortis, totius mundi prodigiũ, noſtræque Carmelitanæ familiæ decus Thereſia de Ieſu, Immaculatæ Conceptionis deuotionem occultare potuit. Cùm enim cap. 5. lib. ſuæ vitæ cuiuſdam conuerſionem deſcriberet, illius cauſam reddẽs ait: *Deiparã Sanctiſsimam illi auxiliatam fuiſſe, quia nimium ſua Conceptionis deuotus erat, ipſoquè die magnum celebrabat feſtum*. Vbi manifeſtè quantum, & quàm rectè de illibata MARIÆ Conceptione ſentiat Virgo Mater, protulit. Hæc Lezana.

Sacra Religio Sanctiſsimæ Trinitatis.

PAter Reinoſus in lib. inſcripto *Probatio Cõceptionis* impreſſo Toleti an. 1616. affirmat, hanc ſacrã Religionem ab exordio celebrare feſtũ Conceptionis B. Virginis ſub titulo Præſeruationis: in cuius rei teſtimonium allegat fol. 2. Breuiarium antiquitus in vniuerſa prædicta Religione & modò in Prouincijs Gallicis, & Belgicis receptum, cum hoc inuitatorio ad Matutinum: *Immaculatam Conceptionem Virginis MARIÆ celebremus: Chriſtum eius præſeruatorẽ adoremus Dominum*. In ſecũda lectione primi Nocturni hæc verba continebantur: *Talis profectò laudanda eſt, quæ ſola ſuper omnes electa, & poſt ruinã, mei gratia, ſola Immaculata Cõcepta eſt*: & huic ſimiles ſetẽtiæ in alijs lectionibus, & toto officio, quod per Octauam recitabatur, repetebantur.

Supra poſuimus huius ſacræ Religionis proprium *Breuiarium*, vbi officiũ de Immaculata Conceptione habetur: in *Diurnali* verò excuſſo an. 1556. f. 191. aſsignãtur Antiphonæ, *Sicut lilium*, &c. Et in *officijs proprijs* anno 1641. Romæ impreſsis, feſtum Conceptionis Beatę MARIÆ ponitur cum Octaua.

Eadem ſacra Religio ter in die cõmemorationem Immaculatæ Virginis Cõceptionis agit: poſt Matutinum, & Completorium cum Antiphona, *Conceptio tua*; poſt meridiem cum alia, quæ incipit, *Gaude Dei Genitrix*.

Huius Ordinis Prælatus Generalis fuit eximius Doctor Robertus Gaguinus, qui contra Bandelum pro Immaculata Cõceptione ſcriptis pugnauit, pluresque eius fraudes detexit, vt ferè omnes referunt, qui de Conceptione ſcripſerunt. Vltima editio libri Gaguini, quam viderimus, eſt Pariſienſis anno 1617. habetque officium Conceptionis ab eodem elaboratum, cuius exordium eſt, *Incipe ſancta cohors*.

Eſt etiam obſeruanda antiqua huius ſacræ Religionis conſuetudo ſoluendi ieiunium in die Conceptionis, quamuis in Aduentu celebretur, vt ſoluunt fideles in die Natiuitatis Domini, cùm celebratur feria 6. quod inſignis ſolemnitatis, & à multo tẽpore celeberrimæ argumẽtũ eſt.

Sacra Religio Beatæ MARIÆ de Mercede.

ERecta fuit hæc ſacra Religio ex Beatiſsimæ Virginis reuelatione, & præcepto:

apparuit enim Aragonio Regi Iacobo, S. Petro Nolasco, & S. Raimundo de Pennafort Dominicani instituti professori, fundationemquè nouæ religionis iniũxit, cuius fratres vestibus albis vterẽtur: & huius coloris vsus in ipsorum constitutionibus, dist. 1. cap. 10. his verbis præscribitur. *Fratres nostri vestes laneas, & omnino albas semper, & vbique ferant*. Scholium autem antiquum ad eadem verba, docet vsum albæ vestis esse *in memoriam Immaculatæ Conceptionis Deiparæ Virginis MARIÆ.*

Priuincia Aragoniæ, in quo Regno hæc sacra Religio initium habuit, est omnium eius Prouinciarum primaria, & habet pro sigillo imaginem Immaculatæ Conceptionis, vt latè refert Pater Torres fol. 522.

Recitasse hanc sacram Religionem officium Immaculatæ Conceptionis constat ex proprio ipsius Breuiario, quod inter alia supra dedimus.

Sacra Religio S. Hieronymi.

MAximam piissimæ sententiæ de Immaculata Conceptione auctoritatẽ conciliauit hoc sacrum D. Hieronymi institutum, de quo Hierony. Ormachea to. 1. in Cant. Prolog. 3. fol. 154. num. 178. hæc asserit: *Hieronymianus ordo omnis deuotissimè semper fuit affectus in hanc piam sententiam. &c.* Recitauat olim officium Immaculatæ Conceptionis, quod incipit, *Gaude Mater Ecclesia, &c.* Vt dicitur in Regesto. Pius V. anno Domini M. D. LXVII. concessit omnibus monasterijs huius Ordinis, quòd *tempore cuiuscumque, tam generalis, quàm specialis interdicti officium diuinum, & Missa, tam per Religiosos, quàm Religiosas alta voce, & ianuis apertis in die Conceptionis B. Virginis publicè dici, celebrari, & cantari possit.* Refertur in Compendio priuileg. huius ordinis, Matriti excusso anno 1593. collecto à Fr. Garcia à Toleto, eiusdem Ordinis in Romana Curia Procuratore Generali.

Sacra Religio Minimorũ, S. Frãcisci de Paula.

AB exordio fundationis solemni ritu celebrat festum Immaculatæ Conceptionis, vt refert *Torres fol.* 533.

In Capitulo Generali huius sacræ Religionis, multis ab hinc annis Valentię celebrato, publicè defensa fuit Beatissimæ Virginis immunitas, non solum à peccato originali, sed etiam à debito proximo illud contrahendi, vt testatur *Pater Breton in sermone quodam de Conceptione apud eundem Torres, vbi supra.*

Sacra Religio Societatis Iesu.

INter decreta Congregationum generalium huius sacræ Religionis impressa Romæ anno 1616. extat infrascriptum fol. 385.

Regulæ pro delectu opinionum pro Theologis cap. 4. § 1.

S*Equantur nostri Doctores in scholastica Theologia doctrinam S. Thomæ, &c. De Conceptione autem B. Mariæ, ac de solemnitate votorum sequantur sententiam, quæ magis hoc tempore communis, magisquè recepta apud Theologos est.* Huius decreti meminerunt Salazar de Concept. sæculo 16. fol. 442. Ojeda cap. 10. fol. 34. & alij quàm plures. Et quod caput est, adeò inuiolabiliter à Patribus Societatis dicta lex obseruatur, vt nemo hucusque inuentus sit, qui contra piam opinionem de Conceptione Virginis Immaculata docuerit, vel senserit.

Venerabilis vir, & Dei seruus Alphonsus Rodericius diuina reuelatione didicit Societatem Iesu ad defensionem Immaculatę Conceptionis inter alias causas institutam. Ita testatur Pater Michael Iulianus Rector Collegij Maioricensis in relatione vitæ eius, his verbis ex Hispanico translatis. *Quadraginta anni, & amplius fluxerant, ex quo officium Immaculata Conceptionis quotidie reci-*

extabat: fuit enim huic mysterio cum primis deuotissimus,& Beatissima Virgo eam deuotionem sibi valdè placere illi declarauit: quare nos ad eandem adhortans, dixit: Vnam ex causis, ob quas Deus hanc Societatis Iesu religionem fundauit, fuisse, vt prædicaremus,& defenderemus Conceptionem suæ Matris: quod tanto affectu,& spiritus ardore affirmauit, vt nihil affectuosius dicere auditus sit; addens hoc non ex suo capite proferre, sed quia cælitus sibi fuerat reuelatum. Videatur *Franciscus de Torres lib. de Concept. fol.* 532.

Sacra Religio Clericorum Regularium Minorum.

SEmper hæc sacra Religio vnanimi consensu Immaculatæ Conceptioni suffragata est; quantumque suis eruditissimis viris hæc pia sententia profecerit, refert Hieron. Ormachea to. 1. in Cant. Proleg. 3. p. 159. n. 195. loquendo de R. P. Hurtado de la Fuente, his verbis; *Hic Pater egregiam operam nauauit Romæ in promouenda hac pia sententia, assistens,& consilio,& calamo Procuratoribus huius mysterij pro Rege Catholico apud Summum Pontificem.*

De reliquis sacris Religionibus (quarum institutiones,& cōsuetudines in speciali videre non placuit) proferat illustre testimonium R. P. Ægidius de Præsent. qui lib. 3. de Præseruat. Virg. q. 6. art. 4. §. 3. num. 16. hæc subscribit. *Hanc piam, veram, & certam opinionem amplexati sunt Ordines Camaldulensis, Cluniacensis, Seruitarum; denique omnes Ordines, tam Mendicantes, quàm non Mendicantes.*

Sacra Religio Fratrum Minorum Seraphici P. N. Francisci.

NOstra Seraphica Religio, cùm mysterium Immaculatæ Conceptionis antiquitatis veneratione commendatum, festo die apud multas Ecclesias celebre, & ab alijs Religionibus egregiè illustratum reperisset, ardentissimè à suis initijs amplexa est, & eius defensioni totam se penitus dedicauit. Quod cum omnium historiæ,& alia scripta testentur, nec solū in memoria, sed in oculis hominum obvium sit, minus erit à nobis domesticæ laudis expectandum: quamquam & hoc ipsum magis cælestia, humanaquè beneficia, quàm nostram industriam commendabit.

Huius Minoriticæ familiæ erga Immaculatam Conceptionem pietas tunc maximè enituit, cùm validissimè oppugnabatur. Constat enim circa an. Domini M.CCC. paucos scholasticæ Theologię classicos auctores, eosquè priuatim, & subtimidè pro Virginis præseruatione loquutos: donec SCOTVS noster Doctor Subtilis piam opinionem, nō quidem primus inuenit, sed nec renouauit; primus tamen eam in publicis Academiarum, frequentissimisquè consessibus è cathedra defendit, similiterquè ab antiquioribus acceptam redemptionem præseruantem ita stabiliuit, vt via regia omnibus ad puritatem Virginis extollendam aperiretur. Sic passim scriptores. Bozius de signis Eccles. to. 1. sig. 36. lib. 9. cap. 8. *Conceptionis porrò festum Scoti acutissimi Theologi doctrina maximè confirmatum, &c.* Salazar cap. 42. sæculo 14. *Ioannes Duns Scotus præcipuus, ac maximus puræ Conceptionis vindex, qui tantam huic doctrinæ suæ auctoritate fidem comparauit, quantam nullus alius ante, vel post ipsum.* Et cap. 13. n. 1. *Subtilissimus Doctor, quemadmodum omnibus Theologis Immaculatæ Conceptionis propugnandæ auctor extitit; ita etiam nihil prætermisit, quòd in hac re ad maiorem Virginis gloriam facere possit.* A Scoti tempore piā opinionem cæpisse esse communem, ex *Vazq. disp.* 117. *in* 3. *p. Ægidio*, & omnibus, qui auctores vtriusque partis ordine collegerunt, constat.

De Scoti Parisiensi disputatione ita officium Bernardini Bustij à Six. IV. approbatum, de quo statim, supra col. 74. lect. 4. *Dominus noster Iesus Christus ad protegendam dilectæ Matris dignitatem, Scotum Ordinis Minorum Doctorem eximium ad ciuitatem illam protinus destinauit; qui aduersariorum fundamentis, argumentisquè omnibus*

bus inconuincibili sermone confutatis, ita Conceptionis Dominæ innocentiam, clarissimè comprobauit, quòd omnes illi fratres sublimitatem eius plurimum admirati, obmutescentes in disputando defecère. Quapropter opinio Minorum à Parisiensi studio illico approbatur. Hæc ibi. Idem referunt *Pelbart. in stellar. 1. p. art. 3. Cucar. in Elucid. Virg. p. 2. Pet. Rodulph. lib. 3. hist. Seraph. & Epitaphium* Scoti sepulchro Coloniæ inscriptum, quòd omnes eius vitæ scriptores adducunt. De pluribus verò eiusdem argumenti disputationibus Coloniensibus *Vuad. to. 3. Annal. an. 1308. n. 14. ex Middendorp. & aliis.* Vide *Magnes. apolog. contra Iansen. pag. 42.*

Quod autem sententia B. Virginis præseruationem à peccato originali defendens *Opinio Minorum* appelletur, Bustio antiquius est, vt patet ex *Abbate Panormitano cap. Conquestus, de feriis, & Ioanne Varzone 3. d. 3.* apud Bust. serm. de Concept. & *Salazar cap. 42. sec. 15.* quem modum loquendi nobis honorificentissimum *Abulen. Parad. 1. cap. 21.* & plurimi alij vsurpant, indefessis subtilis Scoti, illuminati Mayronij, aliorumquè eius discipulorum, eisquè succedentium studijs, & piissimis conatibus debitum. Quapropter Hieronymus Hormachea to. 1. in Cant. Proleg. 3. fol. 154. num. 180. hanc nobis egregiam laureolam libentissimè attribuens hæc ait; *Iure optimo Religionem Seraphicam appellare possumus Vexilliferam, & Antesignanam in hac pia sententia de IMMACVLATA CONCEPTIONE.*

Sustinuit ergo Seraphica Religio aduersariorum Immaculatæ Conceptionis impetum per centum septuaginta annos, dubium cõstantia, an fælicitate maiore; donec tempore Sixti IV. vberrimum assidui, & gloriosi laboris fructum percepit, incomparabili viro R. P. Francisco de Brixia cum Vrbis, & Orbis admiratione, eo ingenij robore argumentorum machinas disijciente, vt verus Sanson fit appellatus ab eodem Pontifice; qui paulò post notissimo illo diplomate, *Cum præcelsa.* Proprium officium de Immaculata Conceptione instituit; & mox duabus Extrauagantibus, *Graue nimis.* Impugnantium audaciam compescuit. Vide *Armament. art. 2. num. 3. & 4. & hoc Regest. à colum. 46. ad 70. & à 106. ad 112.*

Per idem tempus claruit venerabilis P. Bernardinus de Busti, auctor officij supra positi à colum. 71 & deinceps, cuius strenui Virginis puritatis propugnatoris, vt amplior in hoc opere extet memoria, qualiter à Sede Apostolica illud officium approbatum fuerit, ipsius verbis referendum censuimus.

De approbatione officij Immaculatæ Conceptionis à R. P. Bernardino de Busti compositi ex ipso auctore in Mariali, post serm. 9. de Concep. fol. 49. col. 3.

BEatissimus in Christo Pater Sixtus Papa IV. cum sibi præsentatum fuisset sequens officium Conceptionis B. Virginis, atque rogatus esset, vt per aliquem, vel aliquos sapientes Theologos illud examinari faceret: dixit, quòd ipsemet volebat examinare. Postquam verò diligenter ipsum officium examinauit, primò illud ore tenus approbauit, atque vt imprimeretur, ordinauit. Deinde per hoc infrascriptum Breue Apostolicum (quod extat authenticum apud Eman. Roderic. in Bullario sub Sixto IV. Bulla 16) corroborauit, & confirmauit, & est, vt sequitur.

Dilecto filio Bernardino de Busti de Mediolano Ordinis Minorum de obseruantia, Sixtus PP. IV. salutẽ, & Apostolicam benedictionem.

DIlecte fili. Libenter ad ea concedenda inducimur, quæ deuotionis respiciunt incrementum. Tuis igitur in hac parte supplicationibus inclinati, vt officium

cum Conceptionis B. Virginis Mariæ per te compilatum, & ordinatum, tu, & omnes, qui id voluerint pro deuotione sua dicere, & recitare, liberè, & licitè possitis, ac valeatis, seu possint, ac valeant, Apostolica auctoritate, tenore præsentium concedimus pariter, & indulgemus. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisquè cõtrarijs quibuscũque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die IV Octobris, M. CCCC. LXXX. Pontificatus nostri anno decimo. L. Grifus.

Reuerendus P. Matthæus de Nouaria Ordinis Minorum, dum esset Commissarius in Curia Romana Reuerend. P. F. Angeli de Clauasio Vicarij Generalis quoad Fratres de obseruantia in partibus Cismontanis, existens coram Sanctis. D. N. Sixto IV. Summo Pontifice dixit. Placeat sanctitati vestræ, quòd celebrantes officium Conceptionis B. Virginis MARIÆ editum per F. Bernardinum de Busti, habeant eandem indulgentiam, quam sanctitas vestra ccõessit celebrantibus officium Domini Leonardi Nogaroli. Summus autem Pontifex respondit. Nos sumus contẽti: & dedit benedictionem suam.

De eodem Sixto IV. ita *Hippolythus Marraccius in Pontificibus Marianis, cap. 76. ad finem, pag.* 159. Subnectere libet orationem in laudem Beatissimæ Virginis ab eodem Sixto compositam, vt in Horis antiquis Parisiensibus videtur quã deuotè recitantibus ipse Pontifex vndecim millium annorum indulgentiam cõcessit. Est autem huiusmodi.

Aue sanctissima MARIA Mater Dei, Regina cæli, porta Paradysi, Domina mundi: Tu es singularis Virgo purissima, tu concepta sine peccato originali, & ideò immaculatissima; tu sine macula concepisti Iesum Saluatorem; tu fuisti verissimè ante partum, in partu, & post partum inuiolata, & illibata: fac me tuis sanctis precibus purè, piè, & sanctè viuere, & ora pro nobis Iesum Filium tuum dilectum, & post mortem me suscipe, ab omnibus malis mentis, & corporis libera me, & alios fac me liberare, opera misericordiæ adquirere, & in gloria Paradysi in æternum tecum gaudere. Amen.

RELIGIO Monialium Immaculatæ Conceptionis auctoritate Apostolica regimini Fratrum Minorum à Iulio II. tradita fuit, Bulla, quæ incipit, *Ad statum prosperum*, supra colum. 124. cui inseritur ipsarum Monialium Regula, hanc subiectionem, & eius causam cap. 4. declarãs. *Volumus etiam, quòd ex quo Fratres Minores, tam indefesso studio, & vigilantia, puritatis, & innocentiæ Dei Genitricis defensores existunt, quòd Vicarij Generales in suis Vicarijs, & Prouinciales, & Custodes in suis Prouincijs, & Custodijs, sint Visitatores huius sanctæ Religionis, quibus firmiter teneantur obedire, &c.* Cœperat hæc Religio sub Cisterciensi regula, & Archiepiscopi Toletani obediẽtia: & nihilominus etiam tunc funis Fratrum Minorum proprius eisdem Monialibus ab Innocentio VIII. assignatus est, vt patet ex eius Bulla, *Inter innumera*, supra colum. 113. quo euidentissimo signo ostendit Sedes Apostolica speciale Immaculatæ Conceptionis cultum, speciali etiam titulo ad nostram Seraphicam familiam pertinere, & eandem Virginis puritatem annuente Christi Vicario ab illis Monialibus coli, quam Fratres Minores defendebant, vt *d. art.* 2. expendimus. Corpus quoque venerabilis Dominæ Beatricis de Silva eiusdem Religionis Fundatricis, lite oborta cum Patribus Dominicanis, sub quorum disciplina profecerat, Frãciscanis Patribus fortissimis Intemeratæ Conceptionis propugnatoribus à Toletano Præsule adiudicatum fuisse; testatur *Hippol. Marrac. in Fundat. Marianis, cap.* 29.

CONFRATERNITATIBVS Immaculatæ Conceptionis erigendis, propugnandis, & quibus posset modis fouendis, quantopere Religio Minorum incubuerit, præter statuta ab Illustris. D. D. Franc. Ximenio S. R. E. Cardinali approbata, *supra colum.* 153. testimonio sunt Litteræ R. P. F. Francisci ab Angelis, tunc Generalis Ministri, postea etiam Cardinalis: quæ archetypæ extant in archiuo confraternitatis Cõceptionis Toleta-

letanæ; authenticæ verò in Cœnobio S.P.N. Francisci Matritensi, tenoris sequentis.

Litteræ patentes Reuerendis. P. Francisci ab Angelis, quibus confratres Immaculatæ Conceptionis ad spiritualium bonorum communicationem admittit.

IN Christo sibi charissimis nobilibus viris Deo, & B. Francisco deuotis cõfratribus fraternitatis Immaculatæ Conceptionis Virginis Mariæ ciuitatis Toletanæ, necnon & alijs confratribus præfatę fraternitatis, vbicumque terrarum existentibus, F. Franciscus Angelorum totius sacri Ordinis Minorum Generalis Minister, & seruus, salutem in Domino sempiternam, &c.

Quia Virginis Conceptionis aduocatio nostri Ordinis est gloria, ob magnam, quam ad ipsam ducimus, reuerentiam, dignum est, vt illam honorantibus faueamus, & illam honorificantes honorificemus. Quapropter vos omnes ad cõfraternitatem nostram, & vniuersa, & singula nostri Ordinis suffragia in vita pariter, & in morte recipio, omnium spiritualium bonorum, videlicet Missarum, orationũ, &c. Datum Burgis die S. Paschæ Pentecostes, in expeditione nostri Capituli Generalis, anno M D.XXIII.

R. P. F. Ioannes à Venido Prouinciæ Conceptionis filius, & huius nostræ Cismontanæ Familiæ Comissarius Generalis, confraternitates Immaculatæ Conceptionis vbique à nostris fundari præcepit: cuius pietatis specimen ex instrumento Prouinciæ Burgensis nuper exhibito sumi potest; quod huiusmodi est.



Instrumentum Prouinciæ Burgensis Ord. Minor. in quo recensentur confraternitates de mandato R. P. Comissarij Generalis erectæ.

Anno M.DC.XX.

EN el conuento de san Francisco de la ciudad de Burgos en veinte dias del mes de Abril de mil y seiscientos y quarenta y ocho años, ante mi Fray Tomas Badaran, Predicador, y Secretario de la Prouincia de Burgos, su Paternidad muy Reuerenda N. Padre Fray Iuã Bautista de Loyola, Ministro Prouincial de la dicha Prouincia, presentò dos libros manuscriptos, los quales hizo su Paternidad sacar del archiuo de la Prouincia, que està en el conuento de san Francisco de la ciudad de Logroño; en los quales se contiene vna Cofadria, que de orden, y mandato de N. Reuerendissimo Padre Fray Iuan Benido, Comissario General que fue desta familia, y de los señores Obispos de Calahorra, Pamplona, Tarragona, y Arçobispado de Burgos, se fundo en todas las ciudades, villas, y lugares, del distrito de la dicha Prouincia, debaxo del titulo de la Immaculada Concepcion de la Virgen nuestra Señora, en la expedicion del Capitulo Prouincial, que se celebrò en el conuento de san Francisco de Naxera, en veinte y cinco de Iulio del año de 1620. En el qual el dicho Reuerendissimo Padre Comissario General, y el Difinitorio de dicha Prouincia, dieron su autoridad al R. P. Fr. Iuan de Torrecillas, Predicador, y Difinidor de la dicha Prouincia, para que fuesse, y discurriesse por todas las ciudades, villas y lugares de toda ella, y demas lugares comarcanos a dicha Prouincia, y publicasse la dicha Cofadria; y con su exemplo, y predicacion los mouiesse a la deuocion de la Immaculada Concepcion de la Virgen santissima, y los alentasse por Cofadres: y aqui las comunidades de Cabildos, y Regimientos, jurassen defen-

der el miſterio de la Immaculada Concepcion de la Virgen ſantiſsima, como efectiuamente lo hizo, y juraron en forma todas las ciudades, villas, y lugares, y ſe aſſentaron Cofadres, los quales ſon como ſe ſiguen.

En el Obiſpado de Calahorra, la ciudad de Santo Domingo, la ciudad de Logroño, la ciudad de Naxera, el lugar de Sotis, la villa de Nalda, la villa de Entrena, la villa de Yangues, San Pedro de Yangues, el lugar de Cigudoſſa, la villa de Aguilar, la villa de Neſtrillas, la villa de Cervera, la villa de Cornago, la villa de Quel, la villa de Aatol, la villa de Arnedo, la villa de Herce, el conuento de Monjas Bernardas de la dicha villa, lugar de Gravalos, villa de Magaña, villa de Alvelda, lugar de Eſtollo, villa de Grañon, villa de San Aſſenſio, lugar de Ventoſa, lugar de Medrano, villa de Biguera, lugar de Trebexano, villa de Soto, lugar de Torçana, lugar de Clavixo, lugar de Alberito, villa de Leza, villa de Ribafrecha, lugar de Nueua, villa de Torrecilla, lugar de Nectares, villa de Villoſlada, lugar de Ortigoſa, villa de Lumbreras, Villanueua de Cameros, villa de Muro, lugar de Caſtañares, lugar del Ardero, villa de Trecio, villa de Fuen-mayor, villa de Nauarrete, villa Alcſon, villa de Arençana de Abaxo, lugar de Ornos, Luezas, Tetroſſa, villa de Tarçoſſa, villa de Munilla, villa de Arnidillo, villa de Ocon, villa de Lagunilla, lugar de Aramil, lugar de Badillos, lugar de Mananeda, villa de Torre-muña, villa de Ornillos, lugar de Treuaxantes, villa de San Roman, villa de Santa Maria, villa de Torre, lugar de Cabezon, lugar de Gallinero, villa de Xalon, villa de Pinillos, villa de Almarça, villa de Canillas, villa de Briua, conuento de nueſtra Señora de Baluanera Menges Benitos, villa de Aro, villa de Briones, villa de Miranda, villa de la Guardia, villa de Alcanadre, villa de Sartagada, villa de Lodoſa, lugar de Zenicero, villa de Huercanos, villa de Rioleza, lugar de Villamediana, villa de Iubexa, Obiſpado de Tarazona, villa de Agreda, lugar de Maralebreles. Obiſpado de Hoſma, la ciudad de Soria, la villa de la Inojoſa, y la villa de Olvega. Obiſpado de Palencia, la villa de Carrion, la villa de Dueñas, la villa de Magaz, la villa de Torquemada. Obiſpado de Pamplona, la villa de Lodoſa. Y el miſmo juramento hizo todo el Reyno. Arçobiſpado de Burgos, villa de Virvieſca, lugar de Quintanilla, de S. Garcia, villa de Velorado, villa de Balluercanes, villa de Preſencio, lugar de Cameno, lugar de Villarmentero. Y yo el ſobredicho Secretario doy fee, y verdadero teſtimonio, a los que las preſentes vieren, he viſto por mis ojos dichos juramentos, autorizados de Eſcriuanos publicos, con todas las ſolemnidades acoſtumbradas, los quales eſtàn en dichos dos libros; los quales por ſer grandes, y no ſe poder remitir originalmente a manos de nueſtro Reuerendiſsimo Padre Fray Iuan de Palma, Comiſſario General deſta familia, como ſu Reuerendiſsima manda; y por euitar prolixidad, he ſacado en reſumpta, y epilogo, los quales bolui a manos de nueſtro muy Reuerend. Padre Prouincial, y ſu Paternidad muy Reuerenda mandò boluer al archiuo de dicha Prouincia. En teſtimonio de lo qual, ſu Paternidad muy Reuerenda puſo ſu firma, y autorizò con el ſello mayor de ſu oficio, de que doy fee, dicho dia, mes, y año, vt ſupra, &c. Fray Iuan Bautiſta de Loyola, Miniſtro Prouincial. Ante mi Fray Tomas Badaran, Secretario de la Prouincia.

LEGATIONEM ad Romanum Pontificem de Immaculata Conceptione Beatiſ. Virginis definienda Philipp. III. Rex Catholicus deſtinaturus, nihil antiquius habuit, quàm Sancti Patris Noſtri Franciſci filio rem tantam committere: quare primum Illuſtriſ. D. Franciſcum à Soſa, quondam noſtri Ordinis Generalem Miniſtrum, tunc verò Oxomenſem Epiſcopum huic legationi obeundę deſignauit, illoque, poſtquam Segouienſis Epiſcopus renunciatus erat, viuis

viuis erepto, ineunte anno millesimo sexcentesimo decimo octauo Reuerendiss. Patrem Fratrem Antoniũ de Trejo ex eodem Generalatus munere ad Pontificatum Carthaginensem euectum, cum Legati Extraordinarij honore ad fæl. recordat. Paulum Quintum misit: qui quãtum in hoc mysterio promouendo laborauerit, Reuerendus Pater Lucas Vuadingus nostri Ordinis Chronographus, & dictæ legationis comes, peculiari opere sæpius à nobis laudato docuit. Et quamuis, tam Pontificis, quàm Regis morte breui subsequuta, Legatus, re infecta, Vrbe discesserit: tamen Decretum Gregorij Decimiquinti Pauli successoris supra positum colum. 183. non sine Fratrum Minorum summis vigilijs, & laboribus impetratum, & expeditum esse, ex præcitatæ Legationis historiæ sect. 4. perspicuè apparet.

Forma iuramenti totius Cismontanæ familiæ Ordinis Fratrum Minorum, in Congregatione Generali Segouiæ celebrata.

Anno M.DC.XXI.

Reuerendissimus Pater Frater Benignus à Genua Minister Generalis totius Ordinis Seraphici Patris Nostri Francisci, vna cum Reuerendissimis Patribus Fratre Bernardino de Senis, huius Cismontanæ familiæ Commissario Generali, & Reuerendissimo Patre Fr. Ioanne Venido, Commissario Generali Indiarum, & alijs Patribus Diffinitoribus Generalibus, Prouincialibus, & Custodibus, Prouinciarum Cismontanæ familiæ, scilicet Prouinciæ Immaculatæ Conceptionis Dominæ nostræ Franciæ Parisiensis, Castellæ, Turoniæ, Pictauiensis, Aragoniæ, Argẽtinæ, Aquitaniæ Antiquioris, Sancti Iacobi, Coloniæ, Sancti Bonauenturæ, Sancti Ludouici, Lusitaniæ, Hyberniæ, Britaniæ, Beticæ, Burgensis, Algaruiorum, Pietatis, Sancti Gabrielis, Cartaginensis, Flandriæ, Germaniæ, Angelorum, Sancti Euangelij, Maioricarum, Aquitaniæ nouioris, Sancti Michaelis, Canariensis, Sancti Andreæ, Sardiniæ, Valentiæ, Cataloniæ; Arrauidorum, Sancti Ioseph, Granatensis, Sancti Antonij, Sancti Ioannis Baptistæ, Sancti Pauli, Sancti Bernardini, Sancti Dionisij, Immaculatæ Cõceptionis Aquitaniæ, Sancti Didaci in Betica; In hoc sancto templo congregati, nostro, & omnium Religiosorum dictarum Prouinciarum nomine, qui modo sunt, & postmodum fuerint, renouantes antiquum deuotionis affectum, quem erga Immaculatam Conceptionem Virginis MARIÆ iam pridem à nostris maioribus ad hæc vsquè tempora liquidò constat dimanasse, volentes insuper nouum obligationis debitum adijcere, iuramus, & vouemus Deo Domino nostro, eius sanctissimæ Matri, Seraphico Patri nostro Francisco, & omnibus sanctis, tenere, defendere, & docere publicè, & priuatim, quòd Virgo Domina nostra fuit sine peccato originali concepta, & ab illo præseruata ex meritis Christi Domini. Et curabimus, quantum in nobis fuerit, quòd hæc sancta deuotio populo doceatur Christiano, & ita promittimus, & iuramus per Deum Dominum nostrum Iesum Christum, & per hoc Crucis signum ✠ Hoc verò iuramentum, & votum sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Sanctissimo Patri Gregorio Decimoquinto Pontifici Maximo subijcimus, & sub eius protectione, & patrocinio ponimus, supplicantes, vt accipiat, & nobis suam sanctam benedictionem largiatur. Datum in sancti Francisci Cœnobio Segouiensi in expeditione nostræ Congregationis Generalis die trigesimo primo Mensis Maij, anno Domini Christi Redemptoris millesimo sexcentesimo vigesimo primo. Frater Benignus à Genoua, Minister Generalis. Frater Bernardinus à Sena, Commissarius Generalis. Frater Antonius Daza, Commissarius

Cu-

Curiæ Romanę. Fr. Ildephonsus de Vargas, Diffinitor Generalis. Fr. Iacobus Floygre, Diffinitor Generalis. Fr. Ioannes Cosdres, Diffinitor Generalis. Fr. Hugo Cauellus, Diffinitor Generalis. Fr. Ioannes Venido, Comissarius Generalis Indiarum. Fr. Didacus de Vera, Diffinitor Generalis, &c.

RECITAT nostra Seraphica Religio omnibus Sabbatis officium Immaculatæ Conceptionis, iuxta concessionem Pauli V. supra positam col. 174.

Statutum Ordinis Minorum de facienda bis in die commemoratione Immaculatæ Conceptionis, ex statutis Generalib. Segouiensibus cap. 2. tit. de oratione vocali.

ITem in honorem Immaculatæ Conceptionis eiusdem sacratissimæ Virginis decantabitur solemniter singulis diebus post horas Vespertinas, Antiphona illa, *Tota pulchra es Maria*. Post completorium verò recitabitur alia Antiphona, *Conceptio tua*, cum suis versibus, & orationibus.

Ex constitutionibus Capituli Generalis celebrati Toleti in Cœnobio S. Ioannis Regum.

Anno M. DC. XLV.

Religio Seraphica eligit sibi patronam Beatissimam Virginem MARIAM in sua Conceptione Immaculatam.

Constitutiones pro vtraque familia.

QVoniam Sanctissimus D. Vrbanus Octauus ad liberam deuotionem Vniuersitatum reliquit eligere inter sanctos specialem Patronum, & nostra Minorum Religio ab ipso exordio Religionis immunitatem sanctissimæ Dei Genitricis ab originali culpa, non tam pertinaci, quàm fælici, & in superabili labore propugnauerit, & eiusdem Religionis obsequia apud sacratissimam Virginem frequẽtissimis beneficijs experiãtur gratiosa: ideò tota Minorum Religio in Comitijs Generalibus congregata Toleti Beatam Virginem Dei Genitricẽ MARIAM, quatenus in ipsa Conceptione ab originali culpa confitemur, & concelebramus immunem vnanimi consensu, & fælici auspicio in singularem elegit Patronam totius Ordinis Fratrum Minorum. Quare omnibus Ministris Prouincialibus per obedientiam præcipitur, quòd festum sacratissimæ Conceptionis ea solemnitate, & Ecclesiastico ritu iubeant celebrare, quo insignes Patroni celebrantur in Ecclesia.

Ex cõstitutionibus Religionis Militiæ Christianæ sub titulo Conceptionis B. MARIÆ semper Virginis Immaculatæ impressis Romæ.

Anno M.DC.XXV.

Ex cap. 1. fol. 6.

EQuites militiæ Christianæ sub titulo Conceptionis B. MARIÆ semper Virginis Immaculatæ, & sub Regula S. Francisci per has constitutiones ad vsum militarem accommodata.

Huius autem militiæ Patroni speciales erunt ipsa Christi Domini Mater, & Virgo: Sanctus Michael Archangelus; S. Franciscus, & S. Basilius ille Occidentis, hic Orientis Ordinũ Apostolico feruore insigniũ præstantissimi institutores.

Cap. 2. De Vexillo, sigillo, & habitu Religionis.

VExillum generale ordinis sub quo terra, mariquè militãdum erit, semper

per

per apud magnum Magistrum habebitur; erit autem albi coloris, & ex vna parte geret imaginem Christi crucifixi subiecta specie montis caluarij: ad cuius dextrum latus erit imago B. MARIÆ pietatis, acerbissimis Iesu doloribus compatientis; ad sinistrum autem depingetur Archangelus Michael hastili cruce Draconem pedibus suis prostratum sinistra transfigens, dextera verò eriget gladium his insculptum verbis, *quis vt Deus?* Vt his augustissimis signis prouocêtur Equites ad reponendum in cordibus suis, atque etiam in sanctis locis Christi venerationem, socij passionum, & configurati morti eius, per quam gloria, & honore coronatus, supra omnem principatum, ac dominationem Crucis tropheum extulit, atque suæ Deitatis præcellentem in omnibus potentiam patefecit. Ex alia vexilli parte pingetur Crux ingens cerulæi coloris similis ei, quam magnus Magister gestat: in cuius medio erit imago MARIÆ Virginis, prout mysterium Conceptionis eius designans illam refert amictam Sole, habentem Lunam sub pedibus, & in capite coronam stellis duodecim insignitam: ad dextrum latus huiuscè Crucis effigies Diui Francisci stigmata gerentis, & ad sinistrum D. Basilij Græco induti ritu Patriarchæ effigies præferetur. Ex vtraque vexilli parte per oram vniuersam, S. Francisci cingulum circum ducitur. In ordinis sigillo eadem imago B. Virginis erit insculpta qualis geritur in pallio Equitum, vt in habitu sancto milites, & huius ordinis Religiosi accipiant armaturam Dei, vt possint resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare, gerens in pectore Crucem auream notis vermiculatam cerulæi coloris, quæ in medio habeat ex vna parte imaginem Conceptionis circumdatam cingulo S. Francisci; ex alia verò imaginem S. Michaelis Archangeli, qualis in vexillo depingitur. Tænia verò, seu fascia, cui ex collo Crux pendebit, serico cerulæo, atque albo intexta erit. Alia similis formæ Crux assuetur pallio, & circum imaginem Virginis ducetur, velut in circulum cingulum Sancti Francisci, atque inter quatuor Crucis angulos emicant, velut igneæ linguæ, in quarum medio, velut fulminis, aut sagittæ cuspis prominet, &c.

Votum, fol. 21.

EGo N. promitto in honorem Dei omnipotentis, Beatæ MARIÆ semper Virginis, Sancti Michaelis Archangeli, Sancti Francisci, & Sancti Basilij, me opem laturum magno Magistro militiæ Christianæ erectæ sub titulo Conceptionis Beatæ MARIÆ semper Virginis Immaculatæ, meque ei, & superioribus ab hac Religione mihi datis semper subiectum fore in omnibus, quæ spectant ad illius militiæ regimen, conseruationem, & augmentum bonorum spiritualium, ac temporalium, iuxta huius ordinis constitutiones; & pro viribus procurabo legitimis medijs fidei Catholicæ dilatationem, terræ sanctę recuperationem, pacem inter Principes, & populos Christianos, & eorum liberationem ab infidelium iugo, & semper tuebor Conceptionem Matris Dei Immaculatæ, ac in hac re, & in omnibus eius promouebo gloriam iuxta mētem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ.

Ordo militaris Sancti Iacobi.

HIc sacer, & nobilissimus ordo militaris à prima sui institutione, quæ fuit anno Domini 830. celebrat festum Immaculatæ Conceptionis cum octaua. *Ægidius de præsent. lib.* 3. *q.* 6. *art.* 3. §. 3. *fol.* 327. *Ojeda in sua informatione cap.* 6. *fol.* 15. Vide officium huius ordinis supra positum.



Bbbb *Ordo*

Ordo Militaris Immaculatæ Conceptionis.

Hippolytus Marraccius lib. de Pontificibus Marianis sub Vrbano Octauo, fol 252. hoc sacro Ordine Militari hæc habet.

VRbanus VIII. ad suum in Mariam Deiparam obsequium, affectumque declarandum, Pontificatus sui anno primo Religiosum Christianæ militiæ ordinem, Conceptionis Deiparæ titulo insignitum instituit, in Apostolica institutionis Bulla, pridie idus Februarij eiusdem anni apud S. Petrum expedita, sic inter cætera fatus. *Inæstimabili gaudio perfundimur, cum Principes viri, vel ad veteres ordines amplificandos, vel ad nouos Apostolica auctoritate instituendos, animos generosè cõuertunt. Verum præcipuè in Domino oblectamur, dum institutionem vnius militaris Religionis sub inuocatione Conceptionis Deiparæ Virginis Immaculatæ meditantur, quã Christi fideles omnes propitiam apud vnigenitum Filium suum nacti sunt aduocatam, vtpotè, quæ mater gratiæ, & pietatis pro humani generis salute sedula oratrix apud Regem, quem genuit, semper intercedat, sperantes huiusmodi institutionem, eiusdem Virginis cælorum Reginæ intercessione Christianæ Reipublicæ vberrimos fructus allaturam, &c.*

Huius militiæ habitum, Apostolica benedictione munitum, Catholicæ Hispaniarum Reginæ Isabellæ cum sequenti diplomate transmisit.



Charissimæ in Christo filiæ nostræ Isabellæ Hispaniarum Reginæ Catholicæ.

Vrbanus Papa VIII.

CHarissima in Christo filia nostra salutem, & Apostolicam benedictionem. Qua pietate Imperatrici Angelorũ Maiestas tua regalis Imperij fasces submittat, iam diu famæ tibi plaudentis vox testatur; nuper autem nobilis viri Ducis de Alcala declarauit oratio. Cum autem cupias, tuam erga Immaculatam Deiparam illustri aliquo documento Religionẽ significari, mittimus Maiestati tuæ, munitum Apostilica benedictione habitum militiæ Christianæ, quæ ab eiusdem Virginis Conceptione petijt sacrum Equestris familiæ nomen, & auspitiũ. Sic quod insigne, Catholica Regina, cordis in corde, idem in regali pectore gestabis: videmus, quàm fælix sumere possit in Austriacis Regnis incrementum noua hæc militia, cuius vota, & instituta saluberrimos triumphos quærunt Christianitatis. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorẽ die 20. Septembris 1625. Pontificatus nostri anno secundo.

Cui præterea habitui militiæ Christianæ, Conceptionis B. MARIÆ Virginis, eidem Reginæ transmisso, impertitus est indulgentias omnes S. Caroli Borromęi, item indulgentias omnes Canonizationis Sanctorum quinque. Item similiter omnes indulgentias Comitis de Monterey, & insuper, (vt ipse Sanctissimus dixit) post longam, & plenam dierum vitam, in articulo mortis indulgentiam plenissimam, & remissionem omnium suorum peccatorum. *Hucusque prædictus auctor.*

Reliquos militares ordines veritatem Immaculatæ Conceptionis colere, & amplecti, experientia, & omnium huius temporis scriptorum testimonio constat, vt optimè Ægidius de Præsentat. lib. 3. quæst. 6. art. 3. §. 3.

MI-

MIRACVLA VERItatem Immaculatæ Conceptionis comprobantia.

S. Ildephonsus sacra veste à B. Virgine donatur. I.

DE hac celeberrima apparitione ita scribit *Ioannes Alanus* Doctor Parisiensis *in prologo Defensorij de Concept.* quod habemus m. s. ex bibliotheca D. D. Alphonsi Mexiæ Asturic. Episc. & ex fine constat ab auctore editum an. 1392. Inducit autem Beatissimam Virginem loquentem. *Occidentalem olim Hesperiã amore prospiciens, Præsuli Toletano amico meo charissimo Alphonso, me sordes primi originis, mortisquè veteris minime contraxisse reseraui fideliter, casulam meæ gloriæ pignus donans in testimonium veritatis. Bernard. Bustius in officio Concept. lectione 4. secundi diei in hoc Reg. col. 80.* idem refert de B. Guidisalno Archiepiscopo Tholossano, quē etiam per totam Hispaniam Conceptionis festum instituisse affirmat. *Trithemius lib. de Script. & Arnold. de Vuion lib. 3. ligni vitæ, fol. 402.* cathedram à gloriosa Virgine donatam scribunt. Vide *Pelbart. l. 4. stellar. par. 1. art. 3. & Salazar cap. 35. & 67.*

S. P. N. Dominici liber in ignem missus non comburitur. II.

S. P. N. Dominicum contra Albigenses Immaculatam Beatiss. Virginis MARIÆ Conceptionem defendisse, & hanc veritatem libello, quo inter alias continebatur, in ignem proiecto, & illæso seruato, confirmasse habes supra *in officio Bernardini Bust. col. 83. & in tabula Barchin. col. 281.* Idem refertur *in Breuiario Monialium, de quo col. 142. lect. 1. & 2. Sabbati, fol. 65.* & à grauissimo teste suprадicto Doctore *Alano*, tam *in prol.* quàm sub titulo, *Ancilla 2. Cucaro fol. 96. Francisco de Torres fol. 397. Pelbarto l. 4. stellar. par. 1. art. vlt. Tartareto in 3. d. 3. q. 1. in fine, §. Quintò probatur, Canisio lib. 1. de Mar. Deip. cap. 7. Coctio lib. 3. Thesauri art. 1. Salmer. disput. 52. in cap. 5. ad Rom. Galatino lib. 7. cap. 5. Helin. (io ferm. de Concept. M. Ant. Palao in Defens. Dominic. cap. 2. fol. 17.* qui & allegat *Breuiarium antiquum Hispalense.* Miraculum ipsum commemorant *Lipomanus de Vit. SS. par. 2. die 4. Aug. Ferdinandus del Castillo lib. 1. hist. Prædicat. cap. 8. Petrus de Natal. lib. 7. cap. 22. Surius to. 4. l. 1. cap. 6. S. Antonius 3. p. tit. 19, cap. 1. §. 4.*

Mortui suscitatio. III.

SAcerdos adulterij reus, horas tamen canonicas B. Virginis decantare solitus, à Dæmonibus in pelago sequanæ demersus, & occisus, ad pęnas trahitur, sed à B. Virgine vitę restitutus, in gratiarum actionem festum Conceptionis die 8. Decembr. celebrare iubetur. *S. Anselm. sup. col. 9. Bustius col. 88. lect. 4. & plura Breuiaria Ecclesiarum, Raulinus serm. 3. de Concept. §. 6. Cornel. Schulting. tomo 2. Bibliot. Ecclesiast. in festo Concept. fol. 42. Gerson, & Paludan. apud Torres fol. 6.*

Imago Deiparæ Doct. Subt. Scoto caput inclinat. IV.

CVm Doctor Subtilis Parisijs ad defendendam publicè Immaculatam Virginis Conceptionem pergeret, ante Deiparę imaginem, illam orationem effudit, *Dignare me, laudare te, Virgo sacrata, da mihi virtutem contra hostes tuos*: sacra imago defensori suo caput inclinauit, quo gestu permanet etiam nunc. Scotus vsque ad stuporem in ea disputatione mirabilis, Subtilis cognomine insignitus est. *Illustris. Sosa, P. Lezana cap. 15. Vuadin. ad an. 1304. n. 35. Ferchius in vita Scoti, cap. 5. Miranda q. 22. fol. 572. Portel in Resp. Moral. casu 32. num. 4. Moren. de Purit. Virg.*

Virg. cap. 4. Pineda in aduertent. ad priuil. Regis Ioan.

Nauigantes à ſummo tempeſtatis periculo liberantur. V.

HElvinus Abbas cum ſocijs in mari Britannico ob tempeſtatis vim de vita periclitatus, & ad B. Virginem vota ſua dirigens, à quodam auguſta ſpecie, & Pontificali habitu ab ipſa Virgine miſſo, de eius Conceptione, & creatione ſexto idus Decembr. celebranda admonetur, & tranquillitate facta, inſtanti diſcrimini eripitur. *S. Anſelm. in epiſt. ſupra poſita col. 2. auctores, & Breuiaria in obſeruatione citata colum. 18.*

Idem. VI.

ROdericus Borgia Alexandri VI. copijs præfectus maris tempeſtatem, voto nuncupato de celebranda B. Virginis Conceptione, miraculosè euadit. *Moren. fol. 351. Torres fol. 94.*

Dæmones credunt, & contremiſcunt. VII.

LVdouicã Capeau Maſsiliēſem puellam obſidens Dæmō, B. Virginem à peccato originali fuiſſe prçſeruatam coactus confitetur, cumque audientes ad meliorem vitam conuertuntur. *Torres fol. 175. & Daza cap. 13. ex Sebaſtiano Michaele Priore Cœnobij S. Maximi regalis de Haix, & Franciſco Dompcio Doctore Theologo Dominicanis.*

Idem. VIII.

INterrogatus obſeſſus à quodam Doctore, *An B. Virgo fuiſſet concepta ſine peccato originali?* Ingeminauit clara voce, *ſine macula, ſine macula*: & iuſſus Dæmon in virtute Conceptionis B. Virginis ſine peccato originali à corpore exire, ſtatim obediuit. *Christoph. Moren. cap 6. Daza fol. 113. Torres fol. 173. Buſt. ſerm. 5. p. 2.*

Idem. IX.

CVidam Fratri Ordin. Prædicat. dæmonem adiuranti, & *an B. Virgo concepta eſſet in peccato originali*, quærēti, Dæmon magno clamore reſpondit: *Væ illis, qui feſtum Conceptionis non celebrant, ſed potius malum de Virgine dixerunt. Ant. Cucarus folio 92 Vngarus Frater Ord. Minor. in ſermonum libro, fol. 6. ſerm. de Concept. Torres fol. 174.*

Increduli execrantis repentina mors. X.

IN ducatu Sabaudienſi, quidam B. Virginis præſeruationem ſub iuramento execratorio negans, ſuſpenſus è pedibus, & mortuus inuenitur. *Supra in offic. Buſtij col. 83. lect. 6. Cucar. fol. 96. par. 2. Miranda cap. 97. fol. 724.*

Mortuum ſe ſimulans vera morte mulctatur. XI.

CIuis nobilis Pariſienſis pacto cum aduerſarijs Immaculatæ Cōceptionis inito, vt pro mortuo elatus, vocibus concionatoris eo ſigno ſuam opinionem confirmaturi reſurgeret, inuenitur in feretro mortuus ab vxore, quæ mimū omnem coram populo detegit. *Suprà col. 74. lect. 5. & 6. Morenus lib. de puritate Virginis cap. 5. fol. 292. Cucarus, Daza, & alij.*

Voti emiſsio, & ſanitatis recuperatio. XII.

CIuis quidam Mediolanenſis ob promiſsionem in honorem Conceptionis B. Virginis non adimpletam, in grauem languorem incidit, & voto emiſſo, priſtinæ ſanitati reſtitutus eſt. *Daza, Aiala §. 16 fol. 44. & alij ex Bernardino Buſtio.*

Increduli ſupplicium. XIII.

VIr nobilis præſeruationem B. Virginis contumacius negans, ab amico admo-

admonetur, vt sententiam mutet, aut meritò aduersum aliquem euentum timeat; cùm non resipisceret, immatura filiorum morte punitur. *Daza fol.* 119.

Increduli miraculosa mutatio. XIV.

MEdiolani, Petro Antonio de Bernardis notario, obstinatissimo contra præseruationem B. Virginis animo, ipsa B. Virgo, eiusque Filius, & Dominus noster Iesus Christus per visionem pietatem inspirant, & corde mutato, obsequentem erga Immaculatam Conceptionem affectum. *Moren. cap.* 6. *fol.* 381. *Bust. latè serm* 9. *p.* 3. *fol.* 46. *col.* 4. *ex instrumento ab ipso notario confecto die* 1. *Febr. an.* 1492.

Idem. XV.

IN Anglia Alexander Nequam volēs per solemnem disputationem prophanare festum Conceptionis B. Virginis, nocte præcedente disputationem, doloribus magnis correptus ad cognoscendam suam temeritatem, sermonem condidit, qui incipit, *Fiat lux*: in quo suam retractauit sententiam. *Bust. serm.* 7. *de Concep. p.* 2. *fol.* 31. *col.* 2. *Carthag. lib.* 1. *homil.* 19. *Torres fol.* 187. *Mayron. serm. de Concept.* Alanus in prologo.

Idem. XVI.

CIuitate Vallisoletana in omne laudum, & lætitiæ genus effusa erga Immaculatam Conceptionem, quidam ab huius mysterij pietate adeò auersus, vt nec concionibus, nec festorum celebritate, nec communi exemplo moueretur, graui morbo correptus, B. Virgine sibi apparente, miraculosè sanatur, & mutata sententia veritatem amplectitur. *Daza cap.* 15. *ex processu authentico.*

Religiosæ consuetudinis transgressio punitur. XVII.

BArchinonæ in conuentu Patrum Redemptorum S. Mariæ de Mercede, cùm in die festiuitatis de sancta Conceptione Virginis (contra laudabilem morē abstinendi eo die à seruilibus) pictor præparasset massam, velletquè ex ea panes formare, discooperiens reperit eam, quasi esset coagulatus sanguis respersa nigredine, aut lutum admodum cœni. Diuulgataquè prius ea notitia miraculi huius, publicè ordinatum est per ciuitatem suo municipali statuto, quod ea die Conceptionis non incendantur furni; & ita in eadem ciuitate obseruatur continuè vsque in hodiernam diem, ita Iacobus de Voragine Ord. Prædicat. in Lombardica histor. impressa Argentinæ 1496. apud Fr. Bernardinum de Vargas in Chron. sacri, & militaris Ord. B. Mariæ de Mercede to. 2. cap. 4. §. 8. fol. 113. Ex quo miraculo, (ibidem asserit) quòd Magister Maldonatus, postquam ad Generalatum eiusdem Religionis ascendit *pius, & deuotus, & Immaculatæ Conceptionis Virg. Mariæ studiosus, constitutione perpetua sanciuit, vt in toto ordine post orationem mentalem completorij sequens Aña. cum Versu, & oratione cantetur. Conceptio tua Dei Genitrix, &c. Oratio: Deus, qui Immaculatā Virginem Mariam, vt digna Filij tui mater existeret, ab omni labe peccati in conceptione sua præseruasti, tribue quæsumus, vt qui eius innocentiæ puritatem veraciter credimus, ipsam pro nobis apud te semper intercedere sentiamus. Per eūdem, &c. Quæ de Immaculata Virginis Mariæ Conceptione dignissima commemoratio vsque in præsentem diem ex quodam speciali nostro debito, tam à fratribus in choro, quàm extra, in fine completorij recitatur.*

Chartula papyracea in medio igne illæsa. XVIII.

ZVeræ in Aragonia puer matre obiurgante chartulam papyraceam, in qua scriptum erat, *Maria absque peccato originali*, in focum multo igne succēsum proiecit, eaquè inter flammas, dum puer matrem apprehendere conantem declinat, integra permansit. *Extat authenticum in archiuo Franciscani Cœnobij Matritensis, iuxta libellum in armament. art.* 1. *relatum,*

& informationem Archiepiscopi Cæsaraug. auctoritate factam.

Victoria naualis. XIX.

IN freto insularum Philippinarum circiter an. D. 1617. Catholicorum naues à Batauicis numero, & apparatu longè superioribus iam iam intercipiendæ, Immaculatæ Conceptionis B. Virginis auspicijs, quæ pugnantibus fuit pro tessera militari, illustrem victoriam obtinuere. *Refert latè noster Franciscus de Torres lib. de Concept. fol. 535.*

Angelorum festiuitas. XX.

BArchinone, in Cœnobio B. Mariæ de Mercede, fratribus ad Matutinum officium nocte Conceptionis B. Virginis ob hiemis asperitatem non surgentibus, qui ex eis vigilabant, Angelorum recitantium voces audierunt. *Ioannes Martin. in Chron. dicti ordinis, Torres fol. 524.*

A mortis discrimine liberatio. XXI.

BErgomi, cum puer in aceruum lapidũ præceps ex alto cecidisset, inuocata ab eius matre Immaculata Conceptione B. Virginis, incolumis, & illæsus inuenitur. *Moren. cap. 6. fol. 387. Bust. serm. 8. de Concept. in fine, fol. 38.*

Idem. XXII.

HIspali puer sexennis ab altissimo domus tecto cadens miraculosè liberatur, quia canebat Immaculatæ Conceptionis carmen: *Todo el mundo en general à vozes, Reyna escogida, diga, que sois concebida sin pecado original.* P. Lugones in Relat. impr. an. 1616. fol. 45. Torres fol. 142.

Idem. XXIII.

HIspali quidam Frater Min. ad festum Immaculatæ Conceptionis templũ exornans è supremo altissimæ scalæ gradu dilapsus, & iam pro mortuo creditus purissima Virginis Conceptione inuocata, incolumis est inuentus. *Lugon fol. 51. Torres fol. 144.*

Idem. XXIV.

IN ciuitate Aquilana, mulier, quæ R. P. Bernardinum Feltrium Ordinis Minorum pro concione adhortantem audierat, vt B. Virgo in omni tribulatione ad reuerentiam suæ Immaculatæ Conceptionis inuocaretur; domum reuersa, & paruulum filium gladium manu tenentem aspiciens, clamare cæpit: ad cuius voces puer fugiens gladium ad pectus casu posuit, & super eum cecidit; matre verò Beatiss. Virginem Mariam deprecante, vt ad reuerentiam suæ purissimæ Conceptionis opem ferret, inuentus est puer illæsus, gladius autem vestibus traiectis carnem tangens, & in se, ac si cereus esset, reflexus. *Bust. serm. 6. de Concept. p. 3. fol. 27. col. 4. Moren. cap. 6. fol. 390.*

Idem. XXV.

PAter cuiusdam fratris nostri, scilicet F. Clementis de Claris, ad festũ Cõceptionis celebrandum properabat equo vectus: quo in præcipitium molendini adeò violenter cadente, vt sella in duas partes scissa sit, incolumis cum filio ad culmen euasit. *Bust. serm. 6. de Concept. p. 3. fol. 28. col. 1. Moren. cap. 6 fol. 390. Miranda q. 22. fol. 580.*

Concionator peccatum B. Virgini tribuens punitur. XXVI.

FErmi quidam concione incæpta, in qua B. Virginem originale peccatum contraxisse affirmabat, sanguinem ab ore proijciens loqui destitit, nec vlteriùs prosequi potuit ob sanguinei fluxus copiam. *Moren. cap. 5. fol. 294.*

Idem. XXVII.

ALius contra B. Virginis immunitatem concionatus à cane horribili occiditur. *Moren. cap. 15. fol. 295.*

Idem. XXVIII.

ALius eandem B. Virginis puritatem impugnans cæcus factus est; & voto emisso de Immaculata Conceptione pro-

propugnanda, visum recepit. *Moren. cap. 5. fol. 296. Miranda cap. 97. fol. 725. Torres fol. 193.*

Idem. XXIX.

LEctor ordinis cuiusdam contra Cōceptionem B. Virginis prædicans, in medio sermonis cecidit, & mutus effectus est, nec amplius in tota vita vsum linguæ recuperauit. *Bust. ser. 7. p. 2. fol. 51. col. 2.*

Filiorum successio diuinitus concessa. XXX.

D. Ioanni Patieco Pueblæ Moltanvanicæ Comiti post longam orbitatē filiorum successionem desiderāti, infantis puellę species habitu Monialis Immaculatæ Conceptionis per visum obiecta est; qui cum nihil præterea verborum audiuisset, intellexit tamen, vt si filios à Deo sibi donari vellet, monasterium prædicti ordinis construeret, quod & fecit in memorato suæ ditionis oppido, & numerosam sobolem suscepit, præcipuè filiam Ludouicam Faxardo, quæ in eodem monasterio Monialis effecta est. *Gonzaga 3. p. fol. 656. Torres fol.* 101.

Sanitatis restitutio. XXXI.

FÆmina Turiasonensis grauiter ęgrotans, ob deuotionem ad Immaculatam Conceptionem B. Virginis sanitatem recuperat. Latè *Torres fol.* 108. *ex Memorialibus monasterij Concept. Turiasonensis.*

Idem. XXXII.

ADolescens graui morbo afflictus, voto emisso à parentibus in honorem Immaculatæ Conceptionis B. Virginis, sanatur. *Torres ibid. ex eisdem Memorialib.*

Idem. XXXIII.

R. P. Robertus Gaguinus Ord. Santiss. Trinit. Generalis Pręseruationem B. Virginis contra aduersarios defensurus sanitati miraculosè restituitur, vt ipsemet refert *tract. de Concept. fol.* 27.

Probatio veritatis per ignem. XXXIV.

IN Gallia, Minorita quidam laicus alterius Religionis prædicatorem contra puritatem B. Virginis disputantē pugno percussit, & aliquandiu nobilium eius consanguineorum metu latitans, mox se vltro illorum conspectui obtulit, & nemini iniuriā inferre voluisse, sed B. Virginis honorem zelari testatus, paratum se dixit mediū ignem ob Immaculatæ Cōceptionis defensionem intrare, si prædicator idem periculum pro sua opinione subire vellet. Cōditione ab omnibus approbata, ingenti rogo accēso; laicus prędicatorem manu apprehendens in ignem trahebat, & reluctantem dimittens, solus intrauit in nomine Virginis Immaculatę, ibique diu illæsus, & alacri voce prædicatorem vocans permansit: *Veni,* inquiēs, *& vide hic, si B. Virgo fuit concepta in originali peccato. Ad hoc autem tam grande miraculum vniuersi, qui aderant, ad credendum B. Virginis innocentiam sunt inducti.* Bust. ser. 8. de Concept. p. 3. initio, fol. 35. col. 1. ex testimonio fidedigno illius temporis. Torres fol. 122.

Reliquæ Ven. P. Ioannis à Cruce Immaculatæ Conceptionis testes. XXXV.

IN corpore Vener. P. Ioannis à Cruce primitiui Carmelitani instituti instauratoris mysterio Immaculatæ Conceptionis, dum vixit, deuotissimi, apparet post mortem imago B. Virginis, qualis ad puritatem eius significandam effigiari solet. *Hippolyt. Marrac. in Fundatorib. Marian. fol.* 301.

Cracouiensis Lector in suggesto moritur. XXXVI.

IN Cracouia quidam Lector nomine Paulus, cum prædicare contra Conceptionem Matris Dei incæpisset, nondum finito sermone cecidit, & expirauit: vt testatur Magister Henricus de Has-

Hassia: quod miraculum etiam legitur in chronica Summorum Pontificum, & Imperatorum. Sic *Bust. serm. 7. de Concept. p. 2. fol. 31. col. 3.* Videtur autem indicare *Fasciculum temporum ad an.* 1354. *Ioannes Alanus in prol. Defensor. de Concept. & Ancilla* 7. vbi Magistros Henricum de Hassia, Henricum de Helica, Ioannem de Polonia testes oculatos vocat. Miraculi veritatem defendit *Miranda cap.* 97.

Immaculatæ Conceptionis aduersarius concionator à lupo occiditur. XXXVII.

IN Germania quidam frater, contrà puritatem B. Virginis post prandium concionatus, se tali imprecatione deuouit, vt si affirmans Dei Genitricē in peccato originali conceptam verum non dixisset, eadem die mala morte periret. Cōcione absoluta, ad vespertinas horas chorum ingressus est: & statim lupus maximus in Ecclesiam intrans, ter totum chorum circuit, omnes fratres horribilibus, ac terribilibus oculis aspiciens: postea prædicatorem illum magno impetu inuadens, coram omnibus suffocauit, ac interfecit, & Ecclesiam exiens nunquam amplius comparuit. *Bust. serm. 7. p. 2. fol. 31. col. 3.* & idem, vel simile refert *Alanus dicto tit. Ancilla septima.* Vide *Miranda q. 22. fol. 579. & in tract. Hisp. cap. 97. fol. 724.*

Concionator, vt canis latrat. XXXVIII.

IN Castro-Baculi prædicator contra illibatæ Virginis Conceptionem, verba faciens, latrare cæpit: & imago eiusdem Beatis. Virginis supra fores Ecclesiæ posita cecidit, & in pulverem redacta est. Ob quod populus prædicatorem illum lapidare, & Cœnobium destruere voluit; nisi Castri dominus sæculari potestate obstitisset.
Bust. ibid.

Verba concionatoris B. Virgo mirabiliter inuertit. XXXIX.

MAntuæ quidam prædicator concione per modum disputationis indicta coram Marchione, & frequenti populo, contra Immaculatam Conceptionem, cum in suggesto libris stipatus consedisset, ita B. Virgine verba eius immutante, loqui cæpit: *Propono vobis istam veram conclusionem, quòd Beatis. Virgo concepta fuit sine originali peccato.* Et cùm à suis fratribus redargueretur, seque quod dixerat, correcturum sponderet, iterum eandem conclusionem pronunciauit, nec contrariam affirmare potuit, quamuis sæpius à fratribus incitatus tentauerit. *Bust. ibid.*

Alexander Hallensis ægritudine correptus sententiam mutat. XL.

PArisijs Alexander Hallensis Doctor irrefragabilis cognominatus Immaculatam Virginis Conceptionem, nec asserere, nec honorare sustinens, & ipso Conceptionis festo prælectioni incumbens, morbo grauissimo percussus, nec id semel, sed multis annis eadem die, à discipulis admonitus, votum emisit de Immaculata Conceptione scripto testanda: & sanitatem adeptus *egregium volumen mellifluæ Conceptionis inscripsit. Supra, col. 99. lect. 4. in officio Bustij à Sixto IV. approbato. Idem Bust. serm. 4. de Concept. p. 3. init. fol. 18. col. 1. & serm. 9. p. 3. fol. 48. col. 1. Carthag. to. 1. hom. 19. in fine, Portel. 2. p. Resp. Mor. casu 32. Salaz. cap. 42. sec. 13. pag. 432. Cucarus 2. p. Elucid. Torres fol. 180.*

Suæ puritatis aduersarium B. Virgo animo, & corpore sanat. XLI.

IN quadam Italiæ ciuitate, Magister Ioannes de Viterbio concionator celebris, & Immaculatæ Conceptionis impugnator in lethalem morbum incidit, & mira-

miraculi, quod Alexandro Hallensi euenerat, recordatus, B. Virginem rogauit, vt si verum esset, sine originali peccato conceptam fuisse, sanitatem ipsi tribueret in testimonium suæ puritatis; simulquè voto se obstrinxit festum Conceptionis celebrandi, & annuntiandi populis eius innocentiam. Cumque repentè magna omnium,& prçcipuè Medicorum admiratione,de incurabili ægritudine cõualuisset, populum ad concionem vocãs, miraculum narrauit, & de Immaculata Virginis Conceptione copiosissimè egit. Ob id factum fatribus suis inuisus,& carceri mancipatus, à B. Virgini deuotis liberatur: & multis deinde, tam precibus, quàm minis, & persequutionibus impetitus,adeò non mutauit sententiam,vt librum ediderit, in quo inter alia ostendit, *Quòd B. Thomæ, ac veri Ordinis Prædicatorum propria est opinio, pro nullo instanti temporis B. Virginem subiacuisse iræ Dei, ac caligini animæ*. Reliqua vide apud *Bust. ferm. 7. de Concept. p. 2. fol. 31. col. 4. & fol. 32. col. 1.* qui hoc insigne diuinitus mutati animi exemplum prophetica sententia claudit: *Venient ad te, qui detrahebant tibi, & adorabunt vestigia pedum tuorum. Isai. 18.* Vide *P. Portel 2. par. resp. Moral. casu 32. Torres fol. 184.*

Immaculatæ Conceptioni deuotus à perpetrando homicidio retrahitur. XLII.

IN vrbe Aquilana quidam venerationi Conceptionis Deiparæ deditus,inimicitias nihilominus capitales exercens,& ad occidendum inimicum progrediens, B. Virginem deprecatus est, se vti in hoc facto protegeret, ne quid mali sibi eueniret: quem pijssima misericordiæ mater miraculosè à sceleris exequutione retraxit: pugio enim, quem euaginare volebat, vt inimicum percuteret, totus simul cum ipsa vagina adeò fuit retortus, vt nec humana vi ita retorqueri, nec vllo modo extrahi potuerit. Quo viso miraculo, ille Virgineæ Conceptionis cultor de intentata cæde pœnitentiam egit; pugio autem ad rei memoriam seruabatur adhuc retortus, vt ab oculato teste se accepisse *Bustius testatur d. serm. 7. fol. 32. col. 2.*

Ethica febris à pio ad impugnatorem transfertur. XLIII.

PRopè Mediolanum vir nobis nomine Franciscus de Corijs B. Virginem sine originali peccato conceptam affirmans,à cuiusdam Ordinis Fratre molestiùs obloquente impugnatus, Deum orauit, vt iudicium inter vtrumque faceret. Cumque ipse Franciscus per multos menses febrem ethicam passus esset, statim ab ea liber extitit, quæ aduersarium Virgineæ puritatis inuasit,& per multos etiam menses afflixit. *Bust. ibid. miraculo 10. ex relatione eiusdem Francisci de Corijs.*

Fœminarum ignem ingredientiũ sors inæqualis. XLIV.

IN quadam Italiæ regione, Fratre Minore cum alterius religionis sodali de Conceptione B. Virginis contendente, altercatio ad mulieres quoque audientes peruasit. Duæ ergo illorum Ordinum habitum, vt moris est, pietatis causa gestantes in suarum opinionum defensionem ignem ingredi pepigerunt, quo ingentis magnitudinis accenso, illisquè ingressis: quæ habitum, opinionemquè Fratrum Minorum tenebat, illæsa permansit; alia verò concremata est. *Bust. ibid. mirac. 11.*

Insanabilis languoris curatio. XLV.

P. F. Thomas de Bormia tibiam, cum fœmore ita aridam,& vigore desti tutam habebat, vt omni remedio desperato, de abscissione inter Medicos ageretur. Accurrit ad B. Virginis patrocinium anxius, & sanitatem in honorem Immaculatæ Conceptionis efflagitans, Missam de hoc mysterio alteri tan-

tùm pedi inſiſtens, & altari innixus cum maximo cruciatu celebrauit. Qua expleta, ſtatim perfectè ſanatus eſt, & incolumis ambulare cœpit, Romamquè pedeſtri itinere profectus, *Buſtio* hæc ſcribenti inſigne adeò miraculum præſens narrauit. *Vbi ſupra, mirac*. 12.

Dæmon veritatem fateri cogitur. XLVI.

FErrariæ Dux hominem idiotam ſibi ſubditum energumenum de Conceptione B. Virginis interrogauit: qui ſermone non ſolùm Latino, ſed etiam eleganti, B. Virginis præſeruationem à peccato originali tenendam eſſe dixit, & rationibus ex Scoto ad litteram adductis comprobauit. Deo, & veritati gloriam inuitus dedit Dei, & veritatis inimicus, vt olim Chriſti Domini diuinitati *Mar*. 1. *&* 5. *& Luc*. 4. inexpugnabilis enim veritatis vis à Deo quidem teſtimonium accipit; ab hoſtibus verò triumphãdi materiam. *Buſt. loco cit. mirac*. 13.

Diſputatoris contra Immaculatam Conceptionem ſubita mors. XLVII.

CVm Theologus quidam Tholoſſanus in eiuſdem vrbis gymnaſio Deiparam ſanctiſsimam peccatum originalę contraxiſſe ſolemniter determinaſſet; placuit Martino V. Pont. Max. doctorum virorum cætum ad eum reuincendum congregare. Die ergo diſputationi præſtituta, Theologus ille ſanus, ac valens è lecto ſurrexit opinione firmata, & ad eam defendendam paratus; ſed ſubita morte, ſtupente Pontifice, & Romana Curia præuentus eſt. Hoc diuinæ vindictæ exemplum *Ioannes Americius in ſerm. de Concept. coram Synodo Tridentina habito* retulit, vt teſtantur *Lezana cap*. 15. *fol*. 69. *Carthag. to*. 2. *lib*. 1. *hom*. 10. *fol*. 121. *Americium* auctorem citat noſter *Torres tract. de Concept. lib*. 3. *cap*. 12. *fol*. 214. hiſtoriam ipſam referunt *Gononius in chron. B. Virg. ad an*. 1419. *Cucarus folio* 96. *Miranda cap*. 97. *Tamaius de Salazar ad dictum annum*. *Hippolyt. Marrac*. in Põtificibus Marianis *cap*. 70. *fol*. 142.

Immaculata Conceptio prædicantium virtus, infirmorum medicina. XLVIII.

R. P. Iacobus Lainius Soc. Ieſu Præpoſitus Generalis ad Patres Tridentini Concilij de Immaculata Virginis Conceptione concionem habiturus die ipſo, quo febris quartana conſueto curſu imminebat, cum dilationem obtinere poſſet, petere noluit B. Virginis patrocinio confiſus: quod præſentiſsimum expertus eſt, febri eum deſerente in ipſa cõcione, quam ad tres vſque horas magno totius Concilij plauſu protraxit. Tantam verò fiduciam in huius myſterij veneratione idem Venerabilis Pater collocabat, vt ægrotis, vel feſti Conceptionis celebrationem, vel vigiliæ ieiunium, aliudvè ſimile opus in eius honorem conſuleret: quo ſalutari remedio integram illi ſanitatem, aut magnum ægritudinis leuamẽ conſequebantur. Ex *P. Pineda eiuſd. Soc. ſer. de Concept. Salaz. cap*. 42. *ſec*. 16 *fol*. 441. *Lezana cap*. 15. *fol*. 69. *Porren. cap*. 27. *fol*. 50.

Granatæ vrbis expugnatio. XLIX.

FErdinandus, & Eliſabetha Catholici Reges, poſt longam, & ſucceſſu irritam Granatæ vrbis obſidionem, votum emiſerunt primum in ea templum dedicandi in honorem Immaculatæ Conceptionis B. Virginis: qua auxiliante, victores vrbem ingreſsi, Maurico ex Hiſpania imperio eradicato, grato & memori animo, quod ſacratiſsimæ Virgini promiſerant, fideliter reddiderunt. *Buſt. ſer*. 9. *p*. 3. *fol*. 48. *col*. 1. *Carthag. lib*. 1. *de ſac. Arcan. Deiparæ, hom*. 19. *col*. 122. *Miranda q*. 22. *fol*. 581. *Lezana Apologet. cap*. 15. *fol*. 70.

B. Vir-

B. Virgo concionatorem corrigit. L.

P.F. Giraldus de Piscaris Ord. Minor. in quadam concione aduersus Immaculatam Conceptionem B. Virginis loquutus, & postea Missam celebrans, cùm Eucharistiam sumere vellet, seuerissimis verbis à B. Virgine increpitus, veniam cum gemitibus petijt, & iterum suggestũ conscendens miraculo narrato, pro puritate eiusdem sanctissimæ Virginis egregiè concionatus est. *Ioannes Alanus in Defens. Concept. suprà citato, Ancilla 7.*

Laus ex ore lactentis. LI.

PVer Astigitanus Hispalensis Diœcesis menses quatuordecim natus, & adhuc lactens, clarè, & distinctè cecinit carmen Hispanum de Immaculata B. Virginis Conceptione: *Todo el mundo en general, &c. Ægid. de Præsent. l. 3. q. 6. art. 5. §. 2. fol. 337. Daza fol. 97. Miranda cap 97. fol. 728. & in tract. Lat. q. 22. fol. 582. Torres lib. 3. cap. 12. fol. 220.*

Pestilentiæ sedatio. LII.

OScæ in Aragonia desæuiens pestilentia cessauit, voto emisso de celebranda festiuitate Conceptionis B. Virginis, & non edendis carnibus in eius vigilia. *Daza fol. 94. Torres fol. 115. & habetur authenticũ in archiuo huius Cænobij S. P. N. Francisci Matritensis.*

Idem. LIII.

PEstis grauissima, quæ Basileensem ciuitatem vexauerat, cessauit eo ipso die, quo Decretũ de Immaculata B. Virginis Conceptione confectum est, scilicet 17. Septembr. an. 1439. *Iacob. de Vorag. & Claudius de Rota Dominicani in Hist. Lombard. Daza fol. 94.*

Idem. LIV.

SImilem gloriosissimæ Virginis opem sensit Mediolanẽsis Ciuitas: nam tempore Blanchorum acerbissimam pestis calamitatem perpessa ad tribulatorum refugium Domini Matrem spem suam cõuertens, emisit votum celebrandi festum eius Immaculatæ Conceptionis, quo nũcupato, à peste liberata est. *Bust. ser. 9. p. 3. fol. 47. col. 4. Moren. cap. 6. fol. 393. Daza fol. 95.*

Litterarum naufragio amissarũ inuentio. LV.

HOc insigne miraculum accidit Venerabili Dominæ Beatrici de Silva, vt supra *colum.* 117. in obseruatione summatim retulimus, adscriptis etiam auctoribus, vnde longior rei gestæ narratio peti potest.

A tempestatis simul, & partus periculo mulier liberatur. LVI.

MVlier Anglicana cum partui proxima nauigaret, viro suo comitante, & sæuiente tempestate, partuque imminente, in tabula extra nauem ne omnes submergerentur, deposita esset: B. Virgini promisit, si illud periculum euaderet, se eius Conceptionem deuotiùs, quàm alias vnquam, celebraturam. *Statim ergo affuit Virgo Beatissima, quæ eam ad littus perduxit, atque à periculo aborsus liberauit, natoquè puero, officium obstetricis adimpleuit. Bust. ser. 8. in fine, Daza cap. 11. fol. 93.*

Recti propositi immemor misericorditer admonetur. LVII.

MEdiolani prædicator quidam post concionem contra Immaculatam Conceptionem B. Virginis, collocari fecit in eodem, quo prædicauerat, loco tabulam auctoritatibus Virgineæ puritati aduersantibus conscriptam. Aderat quidam Immaculatæ Conceptioni deuotus: qui reputans quantum damni illius tabulæ lectio inferre posset, vt ei occurreret, proposuit apud se supra ostium propriæ domus depingere aliquorum Doctorũ imagines,

gines, cum eorum sententijs Immaculatam B. Virginis Conceptionem commẽdantibus, simulquè miraculum prædicatoris à lupo suffocati, quod ante recensuimus. Hoc ergo rectum propositum cum per aliquod tempus implere distulisset, in grauem morbum incidit, & nulla medicorum ope subleuatus, quod proposuerat, voto confirmauit, & executus est, & sine medicinarum remedijs sanitatem recuperauit. *Bust. ser. 9. p. 3. fol 46. col 1. ex testimonio ipsius, cui miraculum accidit, & aromatarij, qui illi in ægritudine ministrauit.*

Vlceris celerrima curatio. LVIII.

IN terra Modoetiæ tẽpore pestis, quidam morbo vlceris laborans, B. Virginem rogauit, vt ad gloriam suæ sanctissimæ Conceptionis eum liberaret: quam orationem cum quadam die ad vesperam fecisset, mane sequenti se liberum reperit. *Bust. ibid. col. 3.*

Festum Conceptionis delens sine lingua moritur. LIX.

QVidam Religiosus Mantuani Marchionis Confessarius instãter apud eundem Marchionem contendit, vt festum Conceptionis B. Virginis è libro festorum, quæ in illa Ciuitate obseruantur, expungeretur. Cumque nihil proficeret, respondente Marchione festum illud à suis maioribus institutum fuisse; rogare non destitit, vt festum prædictum saltem cancellatis lineis obducere sibi liceret: quod Marchione, vt molestiæ se eximeret, permittente: Confessarius, festo cancellato, ad suum monasterium reuersus, *mortuus est sine lingua; meruit enim illam linguam amittere, qua B. Virginis Conceptionem præsumpsit impugnare. Bust. ibid.*

(·.·)

Festum Conceptionis cum octaua celebrandum, vt Deo gratissimũ, rosa per integrum annum virente, & redolente comprobatur. LX.

DE hoc miraculo latè habes colum. 474. dum de sacra Celestinor. Religione egimus.

Aduersarij Immaculatæ Conceptionis illuminatio. LXI.

CVm Vigleuani disputatio de Conceptione B. Virginis habenda esset, Baccalaureus cuiusdam Ordinis, qui ad eam conuenerat, & vsque ad illud tempus opinionem Immaculatę Conceptioni contrariam tenuerat, *Meritis ipsius B. Virginis illuminatus à Deo, coram fratribus nostris renuntiauit opinioni suæ, promisitquè se de cætero crediturum ipsam benedictam Virginem sine originali peccato fuisse conceptam. Bust. ibid. fol. 47. col. 2.*

Mortuus quidam Immaculatæ Concept. aduersarius ad vitam reuocatur. LXII.

FRanciscus Mulet in Ecclesia Collegiata Vrbis Manresæ Canonicus, & Immaculatæ Conceptionis oppugnator, cum quadam die in choro diuinum persolueret officium, crudeliter ab inimico, cui nomen Planes, occisus, statim occubuit. Post verò tres amplius horas iam mortuus, ad vitam redit, & veritatem Conceptionis Immaculatæ, his verbis confirmat: *Vita ad hoc solũm mihi concessa, vt quam tenui contra piam opinionem, sententiam retractem: verum est Beatissimam Virginem MARIAM ab originali macula in sua Conceptione fuisse immunem, & diuinitus præseruatam.* His dictis ad feretrum rediens iterum demoritur. Miraculum hoc in Collegiata Ecclesia præfata pulchris tabel-

tabellis depictum perseuerat. De illo latè agunt *Torres lib. 2. cap. 4. fol. 881. Daza cap. 10. fol. 84. Doctor Tenas Episc. Dertus. in ser. habito die 25. Nouemb. an. 1618. ad solemne votum pro Immaculata Concept. à ciuit. Barchin. factum, & habetur authenticum in archiuo huius conuent. S. Franc. Matriti.*

Ante Immac. Conceptionis Imaginem orans nobilis fœmina à paralysi liberatur. LXIII.

COmpluti Virgo quædam nomine Maria de la Peñuela, tam horribili, & deformi paralysi vexabatur, vt nō tam mulier, quàm monstrum esse videretur, & Medici omnes nil se vnquam tale vidisse conclamarent. Quæ ante imaginem Conceptionis deuotissimè orans, misericordiam est consequuta, ac magna cum omnium adstātium admiratione ab acri, terribiliquè illa infirmitate mirabiliter est liberata. *Huius miraculi mentionem faciunt Vincentius Iustin. in tract. quem fecit annot. ad vitam B. Ludouici Beltran, consid. 5. Lezana cap. 15. fol. 70. Miranda q. 22. fol. 581. & Daza fol. 90.* Qui omnes asserunt, hoc vnum fuisse ex miraculis, quod maximè Sedem Apostolicam mouit ad canonizationem S. Didaci Complutēsis.

Idem. LXIV.

IN opido *Cañabate* aliud simile miraculum contigisse ante imaginem Immaculatæ Concept. narrant auctores pro antecedenti miraculo relati.

Prædicaturi contra Immaculatam Conceptionem admiranda mutatio. LXV.

R. P. Fr. Alphonsus Cabrera Ordin. Prædic. Magister, ac Regius concionator, Hispali in die Conceptionis proposuit non de præseruatione ab originali, sed de sanctificatione Virginis prædicare. Verum quamuis totus huic negotio deditus, nil potuit contra Virginis innocentiam, vel scribere, vel cogitare. Accedente iam die sermoni præfixo tristitia non modica afficiebatur: causam suæ ruditatis agnoscens sententiam mutat, Virginemquè inuocat Immaculatam, ac votis omnibus repromittit, si præsto adest copia dicendi, purissimam Conceptionē coram omnibus defensurum. Vix votum finierat, cùm sermonem facili negotio disposuit sacræ Script. aptissimis, & selectissimis testimonijs refertum. Cunctos hic casus stupore repleuit. *Torres lib. 3. c. 7. fol. 189. Doctor Tena in serm. Barchin. prædicato anno 1618.*

Impugnator Immaculatæ Conceptionis amens efficitur. LXVI.

IN ciuitate Condomij quidam sanctæ Theologiæ Magister Viernensis contra Immaculatam Conceptionem cum Magistro Odone Carmelitano coram magno populi congregato cœtu in Ecclesia Cathedrali conuenit disputaturus. Cumque iam propositionem suā in medium producere vellet, subitò mente captus, & cæcus effectus fuit, cunctis, qui adstabant, admirantibus. Ad domum suæ Religionis per fratres deductus, post dies octo, eadem amentia, & cæcitate perdurante, miserabiliter est mortuus. *Alanus sub Ancilla 7. qui ait, se hoc ab illis accepisse, qui præsentialiter affuerunt.*

Immaculatæ Conceptionis cultus Deo gratissimus. LXVII.

CVm excelentis. Pastranæ Dux Rodericus de Silva, B. Virginis imaginem in quodam subterraneo loco intra suam ditionem inuentam, in prædictum oppidum venerationis ergo deferret, ad locum, vbi primum inuenta est, Virgo ipsa miraculosè redibat. Quod cum semel,

mel, & iterum effecisset, tādem Illustrissimus Dux, vt erat purissimæ Conceptioni valde addictus; candido, & cæruleo ornatu (quo vtuntur Moniales Ord. Cōceptionis) iussit imaginem supervestiri, ac de erigendo Pastranæ, si ibi persisteret imago, monasterium virginum præfati ordinis, votum emisit. Quo facto Virgo sanctissima ampliùs non recessit, acceptans, vt locum sibi gratissimum, qui suæ incontaminatæ Cōceptionis augeret cultum. *Torres cap.13.fol.137. ex Archiepiscopi Cæsaraugust. relatione, & est constans oppidanorum traditio.*

Moribundi mirabilis sanatio. LXVIII.

CVm R.P. Magister Deza Cæsaraugustanæ Vniuersitatis in sacra Theologia Vesperarius moderator an. 1613. in grauissimum morbum incidisset, ita vt Medici de salute penitus desperarent, voto se obstrinxit, si sanitatem recuperaret, piam opinionem de Immaculata Conceptione firmiter asserturum. Quo facto statim vires recepit, languor abijt, omnemquè in breui valetudinem, non sine omnium stupore, est consequutus. *Torres cap.7.fol.194.*

Lethaliter vlcerati sanatio. LXIX.

TEmpore, quo ciuitas Mutinensis grauissima peste vexabatur, vir erat nobilis vlcere mortali ictus, qui, vt iam morti vicinus plorabatur. Verum ipse Virginis implorat opem, & rogat, vt sicut in sua Conceptione credit Immaculatam, sanitati restituat. Vix dixerat, cum suaui somno corripitur. Post breue spatium surgens è somno, nec minimum pristini ictus vestigium præsensit. *Daza cap. 11.fol.95. Torres cap.9. fol. 112.*

Monialis admirabilis sanatio. LXX.

IN Monasterio Immaculatæ Conceptionis ciuitatis Turiasonensis sanctimonialis erat Magdalena de Albiano, quæ ad vltimum vitæ discrimen continuis febribus languebat. Adueniente iam die Immaculatæ Conceptioni consecrata se ad chorum per sorores duci flagitauit. Ibi Beatissimam Virginem est precata, vt ad honorem suæ purissimæ Cōceptionis de tantis eriperet malis, & sanitatem concederet, quam optabat: & statim recepit non sine omnium admiratione maxima. *Torres lib. 3.cap. 14.fol. 229. & ex Memorialib. præfati Monast.*

Ab igne bellico liberatio LXXI.

CVm triremes Meliti Principis anno 1623. Romam traijcerent ex Hispania, occurrit quædam Turcarum nauis, quam Christiani milites subiecerunt, quibus iam ad nauim deuictam ascendere incipientibus, igne tormētario à Turcis admoto Catholici omnes in aëra leuati, ac in mari submersi sunt. Hos inter Hyacintus de Roca Immaculatam Conceptionem Virginis inuocauit deuotè, nec fuit à desiderio fraudatus, nam etiāsi in aëra, cæterorum instar, fuerit eleuatus, tamen ad vnam triremium asportatus, & omnino incolumis est inuentus patrocinio Virginis Immaculatæ. *Ioannes Serran. Episcop. Acernens. lib.2.cap.13.num.23.*

Miraculosa sanatio. LXXII.

ANno 1623. Salmanticæ in conuentu Corporis Christi Sanctimonialis quædam ex vehementi, & copiosissimo sanguinis fluxu in extremis iam vitæ laborabat. Ipsa ad Virginis auxilium recurrens petijt, vt imaginem Immaculatæ Conceptionis sibi deuotissimam afferrent, quam corde inuocauit, & affectu, nam vocem edere nequibat. Quo facto statim vires recipere visa est, & integram sanitatem consequuta. Rem, vt

prot-

prorsus mirabilem Episcopus Salmanticensis comprobauit, & sanitatem declarauit non sine miraculo restitutam. *Serranus Episcop. Acernens. lib.2.c.13.n.24.*

OBSERVATIO PRO MIRACVLIS.

EX supra allatis miraculis satis, superquè veritatem Immaculatæ Concept. manere comprobatam, nemo inficias ibit, nisi pietati, & æquitati censeatur contrarius. Fatemur nõ omnia fidem habere æqualem, sed maiorem, vel minorem iuxta referentium maiorem, vel minorem auctoritatem. Multa bonis testibus, grauissimisquè arbitris asserũtur. Multa apud nos habemus auctoritate publica, omnique instrumento ad fidem conciliandam necessario suffulta, & consignata. Et multa, quæ infirmis nitebantur narrationibus, & breuitati, & veritati consulentes scienter omittimus. Hoc maximè notandum, plura ex relatis esse miracula, quæ in officio Immaculatæ Conceptionis (vt à fidelibus publicè legerentur) à Sixto IV. Pont. Max. speciali diplomate stabilita probantur. Et quis erit, qui Sanctissimum Pontificem in negotio ad officia diuina spectãte, fallax aliquid, lusorium, aut in exploratione leue putet consensisse? Præsertim cum magna pars miraculorum ipso Pontifice superstite, vel circiter contigisse non sit dubium. Certè non habent maiorem auctoritatem ea, quæ admiranda referuntur in sacrarum Religionum, & illustrium virorum legendis. Nil contra illa editum hucusque, nil ab Immaculatæ Concep. impugnatoribus secus probatum; quod veridica fuisse miracula non leuiter consignat, & stabilit; præsertim si oppositæ partis defensores consulas, illi enim nullum (quod sciamus) pro illa miraculum ostendent. Nec credibile est profectò pro Deipara sanctissima peccati macula inficienda, miraculum aliquod eius Filiũ effecisse, vt rectè notauit P. Lezana cap.16. fol.70. colum.2.

De fide tribuenda viro eruditissimo, & morum honestate ornatissimo Fr. Bernardino Bustio in miraculorum enarratione, non est cur sit dubitandum, præsertim cum illa maiori ex parte ab alijs Doctoribus, ijsque probatissimis, vt à Ioanne Vitali, & Alano, transcripserit, vel oculari testimonio ipse probauerit, vt patet ex serm.9. de Concept. 3. p. sermonis circa finem, vbi ait: Sciant ergo omnes, quòd ea, quæ in hoc opere scripsi, aut ipse ex originalibus libris extraxi, aut ab alijs auctoribus sic allegata transcripsi. Miracula verò hic posita, aut ipse oculis proprijs vidi, aut à fide dignis narrata, vel descripta recitaui, &c. *Pro Bustio legendus est Gonzaga 2. p. fol. 342. & 352. Torres lib.1. cap.2. fol.8. & Daza cap. 14. folio 114. qui plures auctores pro Bustio recenset.*

Verum siquis contentiosus, vel neget, vel infirmet, satis nobis sit pro veritatis argumẽto omnium populorum sensus vnanimis, qui erga Immaculatam Conceptionem absque miraculorum editione augetur quotidie: hoc illis obiecit, qui in fide Catholica negant facta esse miracula, Augustinus lib.20 de ciuit. cap. 5. Si ista miracula facta esse non credunt, hoc nobis grande miraculum sufficit, quòd totus terrarum Orbis sine miraculis credit.

REVELATIONES DIVInitus factæ pro veritate Immaculatæ Conceptionis gloriosissimæ Virginis MARIÆ.

Helvino Abbati. I.

HAbetur *suprà col.1. & 4.* Eius certitudinem latè comprobant, & defendunt *Yepes in Chronic. Benedict. to.7. ad an. 1109 fol.99.* & *Torres fol.6.* Vide *Theatrum Vitæ Humanæ to 5. fol.244. Leonem à S. Thoma in Benedictina Lusitana, tract.1. par.5. fol.229.* & *Baptist. Mantuanum lib. 12. de sacris diebus.*

Diacono Regis Vngariæ fratri. II.

SVpra *col.8.* & proximè inter miracula. *Christoph. Moren. cap.6. fol.379. Leo à S. Thoma ibid. Bachonius in 4. d.2. q.4. art.2. Velluga in vita duorum, fol.173.*

Cano-

Canonico cuidam. III.

ET hanc miraculis coniunximus ex dictis *col* 9. huius Regesti. Videatur *Aponte in sapientiam cap.* 1. *num.* 4. *digress.* 2. §. 6 *& Serran. Episc. Acernēs. lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 4.

OBSERVATIO.

PRædictæ tres reuelationes à S. Anselmo relatæ, olim in multis Ecclesijs officio diuino insertæ recitabantur, vt videre licèt inter excerpta Breuiariorum colum. 198. & deinceps. Tantæ verò apud omnes semper fuerunt auctoritatis, vt originem festo Conceptionis B. Virginis in tota Gallia dederint, nec de illarum fide, nisi apud illos, qui eas incerto rumore acceperant, sit dubitatum. Id patet ex modestissimis Seraphici Doctoris S. Bonauent. verbis in 3 d. 3. quæst. 1. ad 4.* Vt quidam dicunt, hæc solemnitas celebrari non cœpit humana inuentione, sed diuina reuelatione: quod si verum est, sine dubio bonum est solemnizare eius Conceptionem.

Expressiùs autem, & latiùs harum reuelationum vim expendit Marsilius, cuius integrum locum verbo tenus adducemus valde probandum, hoc excepto, quòd trium reuelationum, quæ legebantur in officio Conceptionis, secundam putauit Gulielmo Duci Normannorum factam, vel quia fortè alios codices habuit, vel memoria lapsus; nam Gulielmus Abbatem Helsinum in Daciam misit, sed reuelationem ipse non habuit, iuxta ea, quæ modò legimus in Anselmi scriptis.

Marsilius in 2. sent. q. 20. artic. 1. folio 315. Sciendum est, quòd in Ecclesia Gallicana ex tribus reuelationibus, quæ etiam in lectionibus ibidem in festo Conceptionis publicè leguntur, festum Conceptionis inductum est. Quarum vna fuit facta in mari cuidam Abbati ad Angliam nauiganti, cui in extremo periculo constituto dictum legitur, quòd si vouerет, quòd deinceps festum Conceptionis Virginis MARIÆ celebraret, eius meritis liberaretur: vouit, & saluatus est cum omnibus suis sodalibus. Secunda facta fuit Duci Normannorum Guillelmo, qui transiens cum exercitu valido ad Angliam pro acquirendo sibi regno vsque ad extremū periculum suæ classis producto simili reuelatione, & promisso liberatus, & ad portum productus totius regni Anglorum victor factus est. Tertia facta dicitur cuidam Clerico B. MARIÆ valde deuoto, qui singulis diebus aliquid laudis ei consueuerat decantare: qui celebrato matrimonio, antequā vxori coniungeretur, recordans se illo die nihil speciale ad Virginis laudem cecinisse, dimissa solemnitate nuptiarum solus Ecclesiā introijt, cui cantanti coram imagine Matris Domini Antiphonam, Tota pulchra es: *Virgo Maria apparuit, & reprehensus ab eadem, quare si ipsa esset tota pulchra, ea prætermissa, duxisset vxorem? Et vt vxorem carnis dimitteret, & festum Conceptionis eius celebraret instructus, secretè recessit. Et ea postmodum disponente, Patriarcha Antiochenus effectus est. Has tres reuelationes, quæ primæ duæ coram multis factæ, & tertia eodem modo per Clericum reuelata, Gallicana recipit Ecclesia. Vnde consequenter actum est, vt non deceret, vt peccatrix, & rea mortis æternæ diuinis laudibus extollatur, quæ ferè ab omnibus Doctoribus sacræ Theologiæ Parisiensis studij, præter quam à Prædicatoribus, sine originali peccato concepta; sine assertione tamen Virgo MARIA publicè prædicetur, &c.* Hæc Marsilius.

Sancto Anselmo Cantuarien si Episcopo. IV.

NOn desunt auctores, qui reuelationem de hoc mysterio S. Anselmum habuisse putent, apparente sibi B. Nicolao Episcopo, & de festo Conceptionis instruente ex Virginis mandato. Ita *Petrus de Natalibus in legend. Sanctor. lib.* 1. *cap.* 42. *Arnaldus Vbion in ligno vitæ cap.* 103. *& alij.* Si res ita se habuit, reuelationem aliam à tribus prædictis necesse est consignare.

Monacho cuidam. V.

SAnctum Bernardum cuidam Monacho in Abbatia de Claraualle existenti apparuisse, & de veritate Immaculatæ Conceptionis, & de sua mente instruxisse, referunt *Bustius in officio à Sixto IV.* appro-

approbato lect. 5. diei secundi, & sexti, & serm. 8. de Concept. p. 3. art, B. Bernardus post mortem suam apparens, cuidā Monacho suo dixit, quòd in cælo fit festum Conceptionis. *Alanus de Concept. fol. 2. Cucar. 2. p. fol. 97. Robertus Litius ser. 1. Guilliel. Vorrilong in 3. dist. 3. art. 2. Aureol. in 3. dist. 3. art. 1. Petrus de Candia, & Petrus de Aquila apud Tartaret. q. 1. §. Nota, quòd dicit vnus Doctor; Aloysius Nouarinus lib. 4. sacrorum electorum ex cursu 17. in fine, Cartag. lib. 1. hom. 19. Miranda q. 23. fol. 587. Doctor Tena Episc. Dertus. in ser. Barchinone habito pro Immaculata Conceptione.*

Sanctæ Gertrudi. VI.

VIrgo hæc sanctissima Ordinis S. Benedicti filia inter alia diuinæ voluntatis arcana accepit purissimam Dei Genitricem à primi Parentis labe minimè infectam fuisse. Ita *R. P. Fr. Didacus Yepes tomo 7. Chron. S. Benedicti ad annum 1109. fol. 104. col. 4. Serranus Episcop. Acern. lib. 2. cap. 12. n. 21.*

Episcopo Fantino. VII.

EPiscopo Fantino demente S. Thomæ circa Immaculatam Conceptionem dubitanti, ipse Angelicus Doctor apparuit, & mentem suam explicans affirmauit Beatis. Virginem à peccati originalis macula preseruatam fuisse; qua facta reuelatione Episcopus ille festū Conceptionis in suo Episcopatu celebrari fecit. *Bustus 1. p. ser. 7. de Concept. qui refert Ioannem vitalem in tract. de Concept. asserentem se suis oculis vidisse librum huius reuelat. Ægidius lib. 3. q. 6. art. 4. § 2. nu. 19. Moreno de Concept. cap. 6. fol. 392. Ojeda in informat. cap. 4. fol. 57. pag. 2. Doctor Tena Episcopus Dertus. in ser. sæpius cit. Nouarin. lib. 4. sacror. electorum, ex cursu 17. fol. 65. Bernal de Concept. discursu 4. fol. 49. Cartag. lib. 1. hom. 19. Porren. fol. 9. Mirāda q. 23. fol. 588. Torres lib. 3. cap. 4. fol. 178.* Hanc reuelationem (inquit Ægid. supra) satis habere auctoritatis, vt tanquam vera recipiatur.

Beatæ Angelæ. VIII.

FIlia Regis Bohemiæ B. Angela, vitæ sanctitate valdè celebris, professione Carmeli filia, de Immaculata Virginis Conceptione cælestes reuelationes habuit, vt referunt *Guerrerus de Concept. concord. 15. fol. 206. & Castillus in 3. Scoti to. 1. disp. 11. de præseruat. Virginis num. 48.*

Sancto Norberto. IX.

HIc Sanctissimus Patriarcha Magdeburgensium Archiepiscopus, totius Germaniæ Primas, Præmonstratensis Ordinis fundator inclytus, ac sanctissime Virginis eximius amator, ab ea candidissimam vestem accepit in testimonium suæ Conceptionis Immaculatæ. *Hippolytus Marrac. in fundatoribus Marianis cap. 13. Serranus Episcop. Acern lib. 2. cap. 12. num. 20. & habes in Reg. col. 475.*

Sanctæ Brigittæ. X.

SAncta Brigitta Sueua Ord. Monialiū, & Monachorum Brigittensium fundatrix multis in locis suarum reuelationum edocetur à Spiritu S. Deiparam sine vlla aspersione originalis maculæ ab initio suæ Conceptionis extitisse. Habes in Reg. col. 24. &c. Vbi notandum, anno 1628. præfatas reuelationes typis excusas Romæ apud Ludouicum Grignanum cum Bulla Vrbani VIII. quæ incipit, *Cū sicut Venerabilis frater, &c.* & approbatione Magistri Sacri Palatij. Vide *Marsil. in 2. q. 20. art. 1. & Miran. q. 23. fol. 584.*

B. Petro Villariensi. XI.

VIrgo ipsa Deipara huic Venerabili Cisterciensis Ordinis Patri die octaua Decembris apparuit, & de celebranda eo ipso die sua Immaculata Conceptione plenius instruxit. *Habes in Reg. col. 473.*

S. Hildegardi. XII.

VEritas de Immaculata Conceptione Hildegardi sanctissimæ fœminæ, ac diuinis loquutionibus assuefactæ fuit demonstrata. *Didacus Yepes to. 7. cit.*

 B. Ama-

B. Amadeo. XIII.

AB Archangelo Gabriele sibi apparente didicit vir iste multis reuelationibus clarissimus, & Sixti IV. Pontif. Max. Confessarius Deum sua omnipotentia Beatissimam Virginem Matrem suam in Conceptione à peccati iugo exemisse. *Ægidius de præsent. lib. 3. q. 6 art. 4. §. 2. num. 16. Biuarius de Concept. 2. p. §. 12. Miranda q. 23. fol. 589. Perlinus apolog. pro Concep. dist. 4. cap 4. Daza cap. 16. fol. 128.* Porrò reuelationes huius clarissimi viri affert, & ab imposturis Bzovij vindicat. *R. P. Petrus de Alva in Bibliotheca Mariana to. 1. fol. 655.* De Amadeo illustrissima profert elogia *Hippolyt. Marrac. in præfatione ad lib. Apostoli Mariani.*

S. Mechthildi. XIV.

FLoruit hæc sanctissima Virgo in eodem Monasterio, & sæculo, quo sancta Gertrudes effulsit, reuelationibus fuit cælestibus illustrata, inter alias cognouit Immaculatæ Conceptionis veritatem. *Tepes tomo 7. cit.*

B. Iacobo de Marchia. XV.

BEatus Iacobus de Marchia Ordinis Minorum reuelatione à Deo sibi facta cognouit sanctissimam Dei Genitricem primi originis næuo nunquam fuisse infectam. *Episcopus Oxomensis in approbat. lib. Doctoris Luzeri ad Cardin. Tolet. Biuarius de Concept. 2. p. §. 12. fol. 68.*

S. Helisabethæ. XVI.

SAncta Helisabetha Vngariæ Regis filia, de purissima Conceptione cælitus per reuelationem edocta est. *Pelbart. lib. 4. stellar. p. 1. art. 3. Ioannes de Colonia in 1. sententiarum q. 237. Salazar de Concept. cap. 42. sæculo 14. in fine, Daza cap. 6. fol. 44. Castillo in 3. Scoti tomo 1. disputatione 11. de præseruat. B. Virginis nu. 48.*

Impugnatori Immaculatæ Conceptionis. XVII.

PArisijs cuidam Magistro prædicaturo contra Immaculatam Conceptionem Virgo sanctissima apparuit, dicens; *quid ego vnquam tibi feci Magister, quia hoc mane vis contra meum honorem prædicare?* Et iussit eum flagellari, ipse verò genuflexus veniam postulabat. Tunc B. Virgo dixit Angelo Gabrieli, vade, & doce hunc sermonem, quem mane faciat Vniuersitati Parisiensi. Cui Gabriel ait; aperi os tuũ, & adimplebo illud. Statim igitur sensit Magister in corde suo sermonẽ pulcherrimum, in quo demõstrabatur, quòd Regina Cæli concepta fuit sine peccato originali, & illum prædicauit populo Parisiensi. Ita *Franciscus de Mayronis Doctor Illuminatus serm. de Concept. Bust. serm. 6. de Concept. p. 3. Miranda q. 23. fol. 587.*

Cuidam deuotæ Moniali. XVIII.

TEmpore Bonifacij Octaui, anno 3. quędam Monialis virtutum splendore clarissima vidit Beatissimam Virginẽ sibi dicentem; *Scias filia, quòd meæ Immaculatæ Conceptioni, & sanctificationi interfuerunt tria millia Cherubin canentium, & dicentium, Mater Domini est Maria, & tabernaculum Trinitatis.* Bust. ser. 8. de Concept. p. 3. Moren. cap. 6. fol. 384. Daza cap. 18. fol. 140. Torres lib. 1. cap. 12. fol. 127.

S. Franciscæ Romanæ. XIX.

HVic sanctissimæ Matronæ ostensum fuit, Reginam Cæli gloriosam, Matrem Vnigeniti Dei absque originalis labe conceptam. *Hippolyt. Marrac. de fundatoribus Marianis cap. 28. §. à sensibus.*

Religiosæ fœminæ. XX.

DVm quadam nocte Religiosa quædam Deo valdè familiaris admiraretur, quòd Ecclesia Dei festum Conceptionis non celebraret, audiuit vocẽ Christi sibi dicentem, *Scias filia pro certo, quòd die*

die octaua Decembris festum Conceptionis Matris meæ in Curia cælesti solemniter celebratur. Bust. serm. 8. p. 3. Moren. cap. 6. fol. 385. Torres lib. 1. cap. 12. fol. 128.

Venerabili Beatrici de Silva. XXI.

FVit Virgo hæc generis nobilitate, & virtutum splendore celeberrima, cui Beatissima Regina Virginum apparuit candido, & cæruleo ornatu circumamicta, & de instituenda Religione Monialium sub inuocatione Immaculatæ Conceptionis admonuit. *Hippolyt. Marrac. de fundatoribus Marianis cap. 29. Chrysost. Henriquez in Menol. Cist. die octaua Decembris, Baling. in Kal. Mariæ 8. Decembris Chron. Minor. p. 3. lib. 8. cap. 11. & 12.*

Venerabili Ioannæ à Cruce. XXII.

ANno 1509. in ipso Conceptionis die Virgo hæc humilitate, & vitę puritate ornatissima in laudem Immaculatæ Conceptionis plura in ecstasi rapta pronuntiauit, quæ habentur in lib. ipsius reuelationum, Hispanicè *Conorte* nuncupato. *Carrillus de personis illustribus 3. Ordinis S. Francisci cap. 11. Daza cap. 16. fol. 129. Doctor Velluga de Deipara reuelat. 7. fol. 177. Serranus Episcop. Acern. de Concep. lib. 2. cap. 12. num. 21.*

Venerabili Francisco de Salès. XXIII.

HIc sanctitatis eximiæ vir Episcopus, & Princeps Gebenensis sodalitatem Anicij erexit, quam nomine Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ insigniri voluit, eo ipso die, quo in Episcopum consecratus est, qui fuit octauus Decembris Immaculatæ Conceptioni sacer, vidit Virginem sibi apparentem, & in suam singularem protectionem ipsum assumentem, eò quòd cultor suæ Conceptionis extitisset. *Hippolyt. Marrac. in fundator. Marianis cap. 43. fol. 325.*

Venerabili Hippolytæ de Torrixos. XXIV.

CÆsaraugustanæ ciuitatis decus inclyta hæc fœmina, vitæ, & morum honestate valdè celebris, in die Conceptionis Immaculatę de hoc piissimo mysterio multiformiter à Deo fuit instructa. *Torres cap. 13. fol. 133. Daza cap. 6. fol. 44.* Eius vitam latè scribit *Vincentius Blascus to. 2. Annal. Arag. lib. 3. cap. 38.*

Marianæ de Iesu Toletanæ. XXV.

VIxit hæc deuotissima fœmina Toleti, & pœnitentia, & humilitate conspicua, inter alia cælitus sibi communicata accepit Virginem in sua Conceptione nullis deturpatam piaculis. *Doctor Velluga de Deipara reuelat. 8. fol. 178.*

Venerabili Mariæ de la Antigua. XXVI.

VEnerabilis hæc, & vita, & conuersatione singularis Virgo erga Immaculatam Conceptionem studio ferebatur singulari, & meruit in oratione edoceri de veritate Immaculatæ Conceptionis B. Virginis. *Daza cap. 6. fol. 44. colum. 2.*

Virgini Annæ de Serna. XXVII.

FVit hæc Virgo vita, & conuersatione deuota, in oppido Orgaciensi nata reuelationibus à Deo factis accepit sanctã, & Immaculatã in sua Conceptione Deiparam extitisse. *Doctor Velluga eius confessarius lib. de Deipara reuelat. 8. fol. 178.*

Incredulo mysterium Conceptionis reuelatur. XXVIII.

VAllisoleti in Hispania anno 1618. Bartholomæus de Cardenas, Conceptionis Immaculatæ valdè incredulus, in grauem incidit infirmitatem, ita vt à Medicis pro mortuo iudicaretur. Hic cũ paululum inter infirmitatis angustias obdormisset, sensit se totum vndequaque ardẽtissimo igne comburi, & simul summo frigore algere, vocemque audiuit dicentem, *Cruciate fortiùs hunc incredulum meæ purissimæ Conceptionis.* Apertis tamen magna vi oculis, conspexit in medio cubiculi Beatissimam Virginem stantem, quæ ad infirmum conuersa interrogauit,

cre-

Credis Immaculatam meam Cõceptionem? Et respondente infirmo, *credo, Virgo sanctissima te absque originali fuisse peccato conceptam*: Angelorum Regina adiunxit: *Sic crede, sic dicito, sic omnibus prædica, ac manifesta.* Et replicanti infirmo, *obsecro Virgo purissima, vt pristini me sanitati restituas*; respondit Virgo: *fiat tibi, sicut petisti*; & his dictis in cælos remeauit. Exultans infirmus, ac sanus factus cœpit Immaculatam Virginis Conceptionem prædicare, & ad id credendum omnes adhortari. *Ioannes Serranus Episcopus Acernens. lib. 2. cap. 13. num. 22. & habetur authent. in archiuo huius conuentus Matrit.*

Apparitiones, & Angelorum Cantus. XXIX.

IN oppido Alcaçar de Consuegra nũcupato constructa est Ecclesia in honorem Immaculatæ Conceptionis, in qua sæpius cælestes Angelorum cantus à multis auditos esse constat ex informationibus super hoc factis, vt refert *Serranus Episcopus Acernens. lib. 2. cap. 13. n. 18.*

Venerabili P. Alphonso Rodericio. XXX.

HVic deuotissimo viro sanctissima Virgo reuelauit Societatem Iesu ad defensionem Immaculatæ Conceptionis inter alias causas institutam, vt *habes in hoc Regest. colum. 543.*

Venerabili P. Hieronymo Carmelo. XXXI.

VEnerabilis Pater Fr Hieronymus de Carmelo Ordinis Sanctæ Mariæ de Mercede, cum in Cantica Canticorum eruditos scriberet commentarios, tandẽ ad verba illa perueniens capitis 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*, anxius hærebat scire desiderans, quid his verbis intenderit Spiritus Sanctus: & raptus in ecstasim visionẽ habuit, in qua Beatissimam Virginem conspexit, & Angelos coram dulciter decantantes pulchram in sua Conceptione, & sine macula extitisse. Ipse verò postea firmauit: *Tota pulcha es Maria, & macula originalis non est in te, ego vidi, ego vidi, id ipsum Spiritus Angelicos decantare.* Et hæc cum gaudio sæpius repetens, ac totus in purissimæ Concept. mysterium absortus, ab eo loco, nec scribere deinceps aliquid potuit, nec commentari. *Torres cap. 12. fol. 526. ex lib. Agricultura animæ, per Fr. Melchiorem Roderic. Burgis impresso anno* 1603.

Ædiculæ, in qua Virgo sanctissima concipitur, veneratio. XXXII.

CVm Venerabilis Alexander Ecclesiæ S. Georgij Tarsacti in Dalmatia gubernator grauissima corriperetur infirmitate, apparuit Virgo sanctissima cælesti curia comitata, & monuit, vt si salutem consequi vellet, domum, in qua ipsa concepta fuit, & nata, ab Angelis ex Nazareth ibi deductam, deuotissimè coleret, & coli ab omnibus prædicaret. Spondet ita facturum ex animo. Disparuit visio, & ipse è lectulo statim surrexit sanus. Rem omnem populo patefecit, & ad cultum illi ædiculę (in qua Virginis Conceptio emicuit) exhibendum tum litteris, tũ sermonibus incitauit. Sacra hęc Ædes Lauretum postea ab Angelis est translata. *Horatius Turselinus in historia Lauret. lib. 1. cap. 3.*

Atque ex hoc loco facilè constare poterit, qua cogitatione ducti Franciscani per varias mundi plagas hanc Lauretanæ Virginis inuocationẽ multis Cœnobijs, & sacellis per ipsos fundatis accommodauerint. Eo vel maximè, quia sic Immaculatæ Conceptionis augerent cultum, ac venerationem palam dilatarent, vt rectè notauit Doctor Franciscus Padilla Malacitanæ Ecclesiæ Canonicus, & Thesaurarius in Hist. Lauret. lib. 1. cap. 30. fol. 187. dicens: *Quien mas ha dilatado, y estendido la noticia de aquel diuino santuario, y del nombre de nuestra Señora de Loreto, son los Frailes de la santissima Orden del Seraphico P. S. Francisco, la qual siempre se ha mostrado muy deuota de la gloriosa Virgẽ Maria, y de su limpia Concepcion; (misterio muy propio de aquella casa; pues nuestra Señora fue concebida, y engendrada en ella) y assi los dichos Frailes de San Francisco, han lleuado la noticia de ella hasta las Indias Occidentales,* donde

donde en la ciudad de Cartagena han edificado vn Conuento, è Iglesia de su Orden, con la apelacion, y nombre de Santa Maria de Loreto. Y los mismos han edificado capillas del mismo apellido, en los conuentos de la dicha Orden de San Francisco, en las ciudades de Barcelona, Valencia, Zaragoza, Moncon, y Zeruera, en la Corona de Aragon. Y en la de Portugal, en la Prouincia de santo Antonio, media legua de Tancos, ay vn Monasterio de Frailes Descalços, de la Orden sobredicha, que se llama nuestra Señora de Loreto. Y en el Algarve, en la ciudad de Cines ay otro Monasterio de Franciscos, del mismo apellido. Hæc ille, qui tamē plures alios poterat conuentus adijcere inuocationis præfatæ, quales sunt conuētus S. Mariæ Lauretanæ prope Hispalim in Prou. Bętica; Castilioni in Prouincia Brixiensi, Laureti in Prou. S. Bernardini. Conuentus S. Mariæ Lauretanæ Castricuri in Prouincia S. Angeli. Conuentus S. Mariæ Lauret. Monfortij in Prouincia S. Ioan. Bapt. & alij.

Obseruatio pro Reuelationibus.

PRæfatæ reuelationes pro commendanda Virginis Immaculata Conceptione communiter circumferuntur. Ex eis non leue, nec inefficax argumentum authores piæ sententiæ ad eam stabiliendam desumunt. Et quidem clarè constat nullum inueniri sæculum, in quo quibusdam notæ, vel obseruatæ sanctitatis viris, aut fœminis aliquid circa hoc mysterium Immaculatæ Conceptionis non fuerit reuelatum. Missas verò facimus reuelationes alias, vt quæ veritatis scrupulum ingerebant, vel firmiorem probationem desiderabant. At supra memoratæ non est cur vertantur in dubium: habent enim omnes conditiones, & regulas à Theologis statutas, vt tanquam veræ à Catholicis suscipiantur; & authores, qui eas recensent, tum pietate, tum eruditione spectabiles inconcussum eis fidei testimonium præbent. Videatur Vuading. in legat. pro Concep. oratione 8.

Porrò reuelationes S. Brigittæ factas, cum Ecclesiæ subierint examen, approbatæque existant, quis audeat contemnere? nisi de duritia cordis, & de temerario ausu veniat increpandus. Ex eis sufficienter videbitur, quàm iniustè agitur cum alijs pijs hominibus, qui his similes reuelationes habuerunt, dum quod in hac fœmina laudauit Ecclesia, in illis condemnant aduersarij.

Quia tamen plures ex reuelationibus non sunt authoritatis S. R. Ecclesiæ calculo firmatæ, non est nostræ intentionis præfatam auctoritatem adstruere, sed illam dumtaxat, quæ ab auctoribus illas recensentibus potest dimanare. Idem dictum volumus de miraculis iuxta decretum S. Romanæ, & vniuersalis Inquisitionis editum die 13. Iulij anno 1634.

INDVLGENTIÆ, ET alij fauores à Summis Pontificibus in honorem, & cultum Immaculatæ Conceptionis B. MARIÆ Virginis concessi.

PAtres Cōcilij Basileensis anno 1439. concesserunt cunctis fidelibus verè pœnitentibus, & confessis, qui in die Immaculatæ Conceptionis Missarum solēnijs assisterent, centum dies de iniunctis sibi pœnitentijs, qui verò primis, vel secundis vesperis totidem; sermoni verò Verbi diuini de ea festiuitate interessentibus centum quadraginta dies elargiti sunt. *Has indulgentias ab illis Patribus in festo Immaculatæ Conceptionis Christi fidelibus concessas recensemus ad rei gestæ memoriam, seclusa Concilij auctoritate, de qua agitur in Regest. col. 22.*

Sixtus IV.

SIxtus IV. anno 1472. in Bulla, quæ incipit à *Sede Apostolica*, concessit, vt in Ecclesia S. Mariæ de Populo absoluere possint fratres Augustiniani in die Conceptionis, non secus, ac faciunt Pœnitētiarij Minores deputati in Basilica sancti Petri de Vrbe. *Habetur in Bullario August. per Fr. Laurentium Empoli eiusdem Ordinis in Rom. Curia Procuratorem Generalem sub Sixto IV. const. 7.*

Idem Pont. eodem anno in Bulla, quę incipit *Inter præcipuas*, confirmat indul-

gentias in die Concept. B. M. Virginis conceſſas Eccleſiæ S. Mariæ de Populo, quas indulgentias extendit ad Congregationem ibi ſitam, & quòd teneatur Populus Rom. ad oblationem vnius calicis argentei in die Concept. eidem Virgini de Populo faciendam. *Habetur in Bull. Auguſt. ſub Sixto 4. conſt. 8. fol. 352.*

Idem Pont. anno 1476. in Bulla, quæ incipit *Cum præexcelſa*, ſtatuit, & ordinauit, quòd omnes, & ſinguli Chriſti fideles vtriuſque ſexus, qui Miſſam, & officium feſti Conceptionis B. Mariæ Virginis, cuius initium eſt: *Sicut lilium inter ſpinas*, &c. in feſto eiuſdem Conceptionis deuotè celebrauerint, & dixerint, aut illius horis canonicis interfuerint, quoties id fecerint, eandem prorſus indulgentiã, & peccatorum remiſsionem conſequantur, quam Vrbanus IV. & Martinus V. & alij Rom. Pontif. conceſſerunt illis, qui Miſſam, officium, & horas canonicas in feſto corporis Chriſti, à primis veſperis, & per illius octauam (iuxta Rom Eccleſiæ inſtitutionem) celebrant, & dicunt; aut Miſſæ, ac officio, & horis huiuſmodi interſunt. *Habes in Regeſt. col. 47.*

Idem Sixt. eodem anno 1476. in Bulla, quæ incipit *Ineffabilia*, conceſsit viſitantibus Eccleſiam Sanctę Marię de Populo Vrbis Romæ in feſtiuit. Conceptionis B. Mariæ, indulgentiam plenariam omnium peccatorum. *Habetur in Bullario Auguſtinianorum ſub Sixto 4. conſtit. 6. fol. 350.*

Idem Sixtus anno 1477. in Bulla, quę incipit *Dum attenta, &c.* omnes indulgẽtias à prædeceſſoribus ſuis conceſſas viſitantibus Eccleſias Fratrum Carmelitanum in feſtis B. Mariæ, ſcilicet Natiuitatis, Annuntiationis, Purificationis, & Aſſumptionis, extendit ad feſtum Conceptionis. *Habetur authent. apud Roderic. ſub Sixto 4. Bulla 38. & in Compend. Priuileg. Minor. verbo indulg. Primo quoad ſæculares num. 33.*

Idem Sixtus anno 1480. in Bulla, quæ incipit *Libenter ad ea*, cõceſsit Fratri Bernardino de Buſtis, quòd officium Immaculatæ Conceptionis ab eo compoſitum, à quibuſcumque fidelibus liberè, & licitè recitari poſsit. Item conceſsit viuæ vocis oraculo, quòd recitantes prædictum officium eandem conſequantur indulgentiam, ac conſequuntur officium Leonardi de Nogarolis recitantes. *Habes in Regeſt. col. 548.*

Idem Sixtus omnibus Chriſti fidelibus viſitantibus Eccleſias fratrum Congregationis S. Hieronymi Feſulani in feſtiuitate Conceptionis Virginis Mariæ tres annos indulgentiarum, & totidem quadragenas de iniunctis ſibi pœnitentijs miſericorditer relaxauit. *Hieron. à Sorbo in Compend. priuileg. Minor. verbo indulgent. quoad ſæculares Primo in addition.*

Idem Sixtus conceſsit vndecim millium annorum indulgentiam recitantibus in laudem Immaculatæ Conceptionis orationem, quæ incipit, *Aue ſanctiſsima Maria, &c. Habes in Regeſt. col. 548.*

Innocentius VIII.

INnocentius VIII anno 1489. in Bulla, quæ incipit, *inter innumera*, conceſsit Monialibus Ordinis Immaculatæ Conceptionis conuentus Toletani, vt in quadrageſima, & alijs diebus, quibus ſtationes in Eccleſijs Vrbis, & extra eam celebrantur, aliqua altaria in Eccleſia dicti Monaſterij viſitando, & ante illa genibus flexis ter orationem Dominicam, & toties ſalutationem Angelicam deuotè dicendo, eaſdem indulgentias conſequantur, quas conſequerentur, ſi Eccleſias prædictas viſitarent; ac omnibus, & ſingulis gratijs, priuilegijs, & exemptionibus alijs dicti ordinis, per Sedem prædictam in genere conceſsis, vti, potiri, & gaudere liberè, & licitè poſsint, & debeant, &c. *Habetur in Regeſt. col. 113.*

Iulius II.

IVlius Secundus anno 1510. in Bulla, quæ incipit *Dum præclara*, conceſsit omnibus, & ſingulis vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus in Regno Caſtellæ conſtitutis, verè pœnitentibus, & confeſsis, qui imaginem Beatæ Marię, & Vnigeniti eius Filij, quam Moniales Ordinis S. Cõcep-

ceptionis Toletanæ in ſcapulario, & homines in pectore deferre conſueuerunt, detulerint, & nouies ſalutationem Angelicam deuotè recitauerint, vt ſimiles, & prorſus eaſdem indulgentias conſequantur, quas conſequerentur, & conſequi poſſent, ſi decies ſalutationem Angelicã in honorem decem virtutum eiuſdem Beatæ Mariæ Virginis recitarent. *Habes in Regeſt. col.* 123.

Idem Pont. anno 1511. in Bulla, quæ incipit *Ad ſtatum proſperum*, in qua confirmat regulam Monialium Immaculatæ Conceptionis Monaſterij Toletani, conceſsit, quòd in eodem Monaſterio in tempore interdicti, Miſſæ, & alia diuina officia patefactis ianuis in feſto Conceptionis B. Mariæ Virginis alta voce poſſint à quocunque Sacerdote celebrari, &c. *Habes in Regeſt. col.* 127.

Idem Iulius anno 1510. Eccleſiam Sanctæ Mariæ Lauretanæ multis indulgentijs, & fauoribus locupletauit, eo, quòd ibi ſanctiſsima Virgo Concepta fuerit, &c. vt patet ex verbis cuiuſdam Bullæ in archiuo illius ſanctiſsimæ domus ſeruatæ, *Nos attendentes, quòd non ſolùm in prædicta Eccleſia de Laureto imago ipſius Virginis Mariæ, ſed etiam (vt piè creditur, & fama eſt) Camera, ſeu talamus, vbi ipſa Beatiſsima Virgo concepta eſt, &c. Gabriel de Talauera in hiſt. Virg. de Guadalupe in obſeruat. lib.* 1. §. 6. *fol.* 333.

Leo X.

LEo X. anno Domini 1515. in Bulla, quę incipit *Saluatoris noſtri*, conceſſit, vt, qui Eccleſiam S. Mariæ de Populo de Vrbe viſitauerit in feſtiuitate Cõceptionis Virginis Mariæ, à primis veſperis, vſque ad occaſum Solis, & pro pauperũ ſubſidio manus porrexerint adiutrices, quoties id fecerint, toties plenariam omnium ſuorum peccatorum indulgentiam conſequantur. *Cherubinus Laertius in Bullario to.* 1. *ſub Leone X. Bulla* 15.

Idem Pont. anno 1517. ad petitionẽ Archiepiſcopi Barenſis Gabrielis Merini conceſsit, quòd viri deferentes imaginem Conceptionis B. Virginis, & mulieres ſcapularium eiuſdem ordinis Cõceptionis cum prædicta imagine eaſdem gratias obtineant, & conſequantur, quas cõſequuntur, & conſequi poſſunt deferentes chordam fratrum Minorum, & corrigiam S. Auguſtini. *Habetur apud Roderic. in oraculis Leonis X. num.* 33. *& tomo* 1. *qq. Regul. q.* 57. *art.* 4. Quæ autem ſint præstatæ indulgentiæ, habes apud *eundem Roderic. qq. Regul. q.* 57. *art.* 4. *citatis, & in compend. Roderic. reſolut.* 30. *n.* 7.

Idem, anno 1517. in Bulla, quæ incipit *Supra gregem*, conceſsit omnibus perſonis Eccleſiaſticis Regnorum Hiſpaniæ recitantibus officium Immaculatæ Cõceptionis à Leonardo de Nogarolis cõpoſitum, vt tempore cuiuſcumque interdicti poſsint dictum feſtum cum octaua ſolemniter celebrare. *Habetur authent. apud Roderic. ſub Leone X. Bulla* 14. Quo indulto poſſunt optimè frui etiam Eccleſiæ, vbi non ſit officium Cõceptionis ordinatum per Leonardum de Nogarolis, nec dicitur Miſſa, quæ incipit *Egredimini, &c.* Videatur *Emanuel Roderic. q.* 57. *art.* 5.

Idem Pont. anno 1518. in Bulla, quæ incipit *Pia Chriſti fidelium*, conceſsit Rectoribus, & Beneficiatis Parochiarum Eccleſiarum oppidi Molinæ Seguntinæ Diœceſis, vt in nocte ante diem feſtum Immaculatę Cõceptionis B. Mariæ Virginis poſt laudes annis ſingulis vnam Miſſam in cantu cum Presbytero, Diacono, & Subdiacono ſolemniter celebrare, liberè, & licitè valeant. *Habes in Regeſt. col.* 141. *& in Hippolyt. Marrac. ſub Leone X.*

Idem Leo an. 1520. in Bulla, quę incipit, *Quia nuper*. cõceſsit Monialibus ordinis Immaculatæ Cõceptionis ſub obedientia fratrũ Minorũ degentibus, vt omnibus, & ſingulis priuilegijs, conceſsionibus, prærogatiuis, gratijs, & indultis ſpiritualibus, & tẽporalibus per ipſum Leonẽ, & Sedẽ Apoſtolicam fratribus Minoribus, ac Monialibus S. Claræ, & ſororibus tertij Ordinis ſancti Franciſci quomodolibet conceſsis, & concedendis, prædictæ Moniales vtantur, potiantur, & gaudeant. *Habes in Regeſt. col.* 165. *& in compend. priuilegiorum, verbo, communicatio priuileg. n.* 18 *& Roderic. tomo* 1. *qq. Regul. q.* 55. *art.* 15.

Idem,

Idem, anno 1521. in Bulla, quæ incipit, *Sanè Religionis synceritas*, concessit fratribus Benedictinis Vallisoletanis, vt tẽpore interdicti possint in die Conceptionis B. Mariæ, & per eius octauas, Missas, processiones, & alia diuina officia solemniter, & in cantu celebrare, quod priuilegium etiam extendit ad eiusdem Ordinis Moniales. *Habetur apud Roderic. sub Leone X. Bulla 39. & Hippolyt. Marrac. in Pontif. Marianis sub Leone X.*

Idem Leo iubileum concessit Ecclesijs S. Mariæ de Aracæli, sanctorũ Apostolorum, S. Francisci trans Tiberim, S. Laurentij in Damaso, &c. in ipso Conceptionis die consequendum. *Hippolyt. Marrac. in Pontific. Marianis sub Leone X. in fine.*

Idem Leo concessit, quòd quoties fratres Minor. de obseruantia dicunt Missam Conceptionis Virg. Mariæ, ac intẽdunt orare pro sua sanctitate, & vniuersali Ecclesia, indulgentiam plenariam cõsequantur. *Habetur in Compend. priuil. Fr. Minorum per Hieronym. à Sorbo reformatum verbo indu.g. plenariæ quoad fratres nu.* 17. *& in compend. priuileg. Ordinis S. Hieronymi verbo indulgentia*, §. 14. *& Roderic. tomo* 1. q. 57. *art.* 3.

Idem Leo ampliauit supra dictam indulgentiam pro fratribus eiusdem ordinis audientibus præfatam Missam Conceptionis, ac etiam pro Monialibus S. Claræ in congregatione viuentibus, similiter audientibus prædictam Missam. *Idẽ Sorbo, vbi supra num.* 18. *& Roderic. to.* 1. *q.* 57. *art.* 3.

Idem Pontifex plures indulgentias concessit eis, qui deuotè imaginem Immaculatę Conceptionis aspexerint, cum intentione, & proposito præfatas indulgentias consequendi. *Torres cap.* 11. *fol.* 361.

Idem Leo concessit deferentibus imaginẽ Conceptionis, & recitantibus quinquies *Pater noster*, & *Aue Maria* cum totidem *Gloria Patri* in fine, & postea vnum *Pater noster* cum *Aue Maria* pro sua Sanctitate, omnes, & singulas indulgentias, & peccatorum remisiones, quæ ipsis diebus (quibus id recitauerint) sanctissimis locis Ierusalem, Romæ, Compostellæ, ac S. Mariæ de Portiuncula sunt concessæ. *Salaz. in Prou. Castellæ lib.* 8. *cap.* 25. *folio* 509. *Andelmus fol.* 17.

Idem Leo concessit secum habentibus prædictam imaginem Conceptionis, eam venerando, & exosculando deuotè, quinque annos, & totidem quarentenas remissionis peccatorum. *Ijdem Auctores.*

Idem Pont. concessit habentibus præfatam imaginem Conceptionis, & flexis genibus recitantibus ter *Pater noster*, & *Aue Maria*, quindecim annos indulgentiarum. *Ijdem Auctores.*

Idem Pont. concessit habentibus secum prædictam imaginem Conceptionis indulgentiam plenariam omniũ peccatorum, si quinquies orationem Dominicam, & salutationem Angelicam recitauerint pro fælici statu Sanctæ Matris Ecclesiæ, pro hæresum extirpatione, & pro pace inter Principes Christianos. *Ijdem Auctores.*

Idem concessit habentibus eandem imaginem Conceptionis 33. annos, & totidem Quarentenas indulgentiarum recitando ter *Pater noster*, & *Aue Maria* pro ijs, qui in peccato mortali miserabiliter existunt. *Ijdem Auctores.*

Idem concessit habentibus prædictam imaginem Conceptionis, & recitantibus tertiam Rosarij partem, aut coronam B. Mariæ Virginis, vel Christi Domini coronam, toties, quoties id fecerint, omnium peccatorum indulgentiam plenariam, & remissionem consequantur. *Ijdem Auctores.*

Idem concessit habentibus prædictam imaginem, & post sacram communionẽ Deo gratias agentibus recitando Psalm. *Miserere mei Deus*, aut Canticum *Magnificat*, aut quinquies *Pater noster* cum *Aue Maria*, vnam è Purgatorij pœnis animam posse liberare. *Ijdem Auctores.*

Idem concessit, quòd qui in Dominico die, vel feria 4. per annum, vel in festiuitatibus B. Mariæ Virginis nouem *Pater noster*, & nouẽ *Aue Maria* in honorẽ Conceptionis eiusdem B. Mariæ recitauerint, vnam pro libito è Purgatorij pœnis animam extrahant. *Ijdem Auctores.*

Idem

Idem concessit indulgentiam plenariã, & omnium peccatorum remissionẽ eis, qui secum habentes prædictam imaginẽ in hora mortis, ore, vel corde dixerint ter Iesus, Maria. *Ijdem Auctores.*

Adrianus VI.

ADrianus Sextus anno 1522. vltimo die mensis Iulij in Bulla, quæ incipit *Romanus Pontifex*, approbauit confraternitatem Toletanã in obsequium, & laudem Immaculatæ Conceptionis fundatam. In qua œconomus, & primus cõfrater fuit Carolus V. Imperator, cuius deuotionem in Virginem imitati totius Regni proceres se eiusdem sodalitij legibus subiecerunt, in quibus multoties profitebantur expresse se omnia illa, & magna, quæ exhibebant obsequia, Deo obtulisse in honorem Immaculatæ Conceptionis suæ Genitricis. Et hãc sodalitatem concessit per omnes Hispaniæ ciuitates fundari, quam per cunctas propagari præcepit prædictus Imperator. Huius ergo confraternitatis sodalibus concessit Põtifex plenariam in mortis articulo indulgentiam, & remissionem omnium peccatorum. Item eis, qui in die Conceptionis B. Mariæ Ecclesias, siue loca, in quibus confraternitates huiusmodi institutæ fuerint, deuotè visitauerint, duos annos, & totidem quadragenas de iniunctis eis pœnitentijs relaxauit. *Habes in Regest. col.* 54.

Clemens VII.

CLemens VII. anno 1526. in Bulla, quæ incipit *Dum consideramus*, cõcessit, quòd Syndici, & Procuratores ordinis Monialium Immaculatæ Conceptionis gaudeant omnibus, & singulis indulgentijs, & peccatorum remissionibus, fauoribus, & gratijs, quibus fratres Minores de obseruantia gaudent, & potiuntur. *Cherubinus Laertius tomo 1. sub Clement. VII. Bulla 19. & Roderic. sub Clement. VII. Bulla 1.*

Idem Clemens ad instantiam Francisci Quignonij S. R. Ecclesiæ Cardinalis Sanctæ Crucis concessit, quòd quicumque Conceptionis habitu indutus voluerit sepeliri in Monasterio Monialium Immaculatæ Conceptionis ciuitatis Legionensis, omnes gratias, ac indulgentias obtineat, quæ in Minoritico habitu decedẽtibus sunt concessæ. *Gonzaga 3. p. Chron. in Prouincia S. Iacobi Monasterio 16.*

Idem Clemens officium Immaculatæ Conceptionis à Francisco Quignonio Cardinali ordinatum, & in Breuiario Romano positum approbauit, quod officium, vsque ad Pium V. recitabatur. *Hippolyt. Marrac. in Pontif. Marianis sub Clement. VII. cap. 83. & Serranus Episc. Acernens. lib. 2. cap. 8. nu. 21.* & sic asseritur *in præfat. Breuiarij Quignonij impres. Venet.* 1557.

Idem Clemens confirmauit Religioni Monialium Immaculatæ Conceptionis [redacted], quæ sui concesserant prædecessores. *Hippolyt. Marrac. sub Clemen. VII. fol. 183. &* [redacted] *.fol.* 221.

Paulus III.

PAulus III. die septima Ianuarij anno 1536. ad instantiã Cardinalis Sanctæ Crucis concessit cõfratribus cõfraternitatis Cõceptionis Dominę nostrę in Hispaniarũ partibus, quòd quicumque ex eis contritus, & confessus, seu confitẽdi propositũ habens in festo Cõceptionis eiusdẽ B. Virginis, seu aliqua inter eius octauam die, aliquã Ecclesiam sub inuocatione præfatæ Mariæ Virginis visitauerit, ac nouies salutationẽ Angelicã recitauerit, seu si legitimè impeditus fuerit, aut si Ecclesia sub huiusmodi inuocatione nõ existat, vbicũque moram traxerit, coram aliqua dictæ Mariæ Virginis imagine easdẽ nouem salutationes Angelicas recitauerit, lucrentur indulgentias, & remissiones peccatorum, quas consequuntur in Quadragesima, & per annum, in diebus stationum septem Ecclesiarum, & aliarum Vrbis, & extra muros, si personaliter easdem Ecclesias visitassent. Concessit etiã præfatæ confraternitati, & eius confratribus omnes gratias, & indulgentias ipsi, & ipsis concessas à se, & à suis prædecessoribus, & quòd in die Conceptionis, & quocũque eius octauæ possint eligere confessorem idoneum, qui eos possit absoluere ab omnibus excõmunicationibus, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sen-

ſententijs, cenſuris, & pœnis dummodo cauſam cenſuris, ſeu interdicto huiuſmodi non dederint. Necnon votorum quorumcumque, (vltramarino viſitationis liminum Apoſtolorum de Vrbe, ac ſancti Iacobi in Compoſtella, Religionis, & caſtitatis votis exceptis,) ac Eccleſiæ mãdatorum tranſgreſsionibus, præter quam contentis in Bulla Cœnæ Domini; & in mortis articulo in foro conſcientiæ plenariè abſoluere, &c. *Habetur in Regeſto ordinis fol. 222. & apud Roderic. in oraculis Pauli 3.*

Idem Pont. anno 1536. die tertia Iulij in Bulla, quæ incipit *Breuiarium diuini officij, quod dilectus filius noſter Franciſcus tituli ſanctæ Crucis in Hieruſalem Presbyter Card. recognouit, &c.* approbauit, & conceſſit Breuiarium à prædicto Cardinali recognitum à Clericis ſæcularib9 recitari, in quo officium Immaculatæ Conceptionis aſsignabatur: *Sicut lilium, &c. Orat. Deus, qui per Immaculatam Virginis Conceptionem, &c. Prædictum Breuiarium impreſſum fuit Venetijs apud hæredes Lucæ Antonij Iuntæ 1541. & alibi.*

Idem Paul. conceſsit, quòd ingredientes Monaſterium Monialium Immaculatæ Conceptionis ciuitatis Legionenſis in die Conceptionis, & ibi orantes pro pace inter Principes Chriſtianos, &c. plenariam omnium peccatorum indulgentiam percipiant. *Gonzaga 3. p. Chron. in Prouincia S. Iacobi Monaſt. 16.*

Idem Paul. anno 1537. die 26. Martij conceſsit Archiconfraternitati Immaculatæ Cõceptionis ſitæ in Eccleſia S. Laurentij in Damaſo omnes gratias, indulgẽtias, & peccatorum remiſsiones, &c. quæ tam per ſe, quàm per ſuos prædeceſſores quomodolibet conceſſæ ſint confraternitatibus Romæ fundatis, videlicet charitatis, S. Spiritus in Saxia, Sancti Iacobi in Auguſta, &c. *Habetur integra Bulla apud Torres lib. 4. cap. 9. fol. 341. & Moren. cap. 9. fol. 511.* adducit inſtrumento publico comprobatam.

Idem Paul. confirmauit omnia, & ſingula priuilegia, quæ ſui prædeceſſores cõceſſerant Monialibus Immaculatæ Conceptionis. *Hippolyt. Marrac. in Pont. Marian. ſub Paulo 3. capite 82. in fine.*

Iulius III.

IVlius III. confirmauit ea omnia, quæ circa Religionem Monialium Immaculatæ Conceptionis ſui ſtatuerant prædeceſſores. *Vuading. orat. 8. Marrac. in Põtificibus Marianis cap. 84. fol. 190.*

Paulus IV.

PAulus IV. varia edidit diplomata, quibus multas indulgentias, gratias, & fauores conceſsit Monialibus ordinis Immaculatæ Conceptionis. *Vuadingus orat. 8. fol 221. Hippolyt. Marrac. in Pontific. Marianis ſub Paulo 4. cap. 86. fol. 195.*

Pius IV.

PIus IV. plenariam omnium peccatorum indulgentiam pro ijs, qui Eccleſiam S. Franciſci Alcanicij in glorioſæ Conceptionis feſtiuitate viſitauerint, ſpeciali diplomate conceſsit. *Gonzaga 3. p. chron. in Prouincia S. Iacobi conuentu 32.*

Pius V.

PIus V. anno 1566. Pontif. ſui anno 1. ſpeciali mandato iniunxit S. Carolo Borromæo Card. S. Prax. viuæ vocis oraculo, vt confirmaret ſtatuta, & ordinationes confraternitatis Immaculatæ Conceptionis in Monaſterio Reginæ Angelorum Ordinis prædicatorum fundatæ. *Habes in Regeſt. col. 528.*

Idem Pontifex anno 1567. Pontificatus ſui anno ſecundo, die vigeſima tertia Decembris ad perpetuam rei memoriam conceſsit omnibus Monaſterijs ordinis S. Hieronymi, quòd tempore cuiuſcumque, tam generalis, quàm ſpecialis interdicti, quauis auctoritate etiam Apoſtolica appoſiti, & apponendi, officium diuinum, & Miſſa in Monaſterijs, domibus, Eccleſijs ordinis, per religioſos, & religioſas alta voce ianuis apertis in die Conceptionis B. Virginis, &c. publicè dici, celebrari, & cantari poſsit, omneſquè Chriſti fideles illic occurrentes illis intereſſe, & aſsiſtere liberè, & licitè poſſint, & valeant *Compend. Priuileg. Ordinis S. Hieronymi verbo interdict. §. 9.*

Idem

Idem Pius anno 1571. 14. Kalend. Decemb. Pontif. sui anno 6. concessit, vt qui Ecclesiam Fr. Minorum ciuitatis Accitanæ (vulgò Guadix) visitauerint deuotè à primis vesperis diei festi Virginis Conceptionis, vsque ad occasum Solis sequentis diei, plenariam omnium peccatorum indulgentiam perpetuò valituram consequantur. *Gonzaga 3. p. in Prouinc. Granat. conuent. 9.*

Gregorius XIII.

GRegorius Decimus tertius an. 1578. in Bulla, quę incipit *Ad augendum*, cõfraternitatem, & Capellam Immaculatæ Conceptionis sitam in conuentu Iesu ordinis Minorum in ciuitate Regum Regni Limensis in India, & alias, si quæ sunt in toto illo Regno confraternitates Conceptionis apud fratres Minores situatæ, decorauit multis indulgentijs, & præcipue in ipso die Conceptionis indulgentia plenaria, & remissione peccatorum. *Habes apud Vuading. orat. 8. fol. 303.*

Idem Pont. anno 1580. concessit cõfratribus confraternitatis Conceptionis B. Virginis, in conuentu fratrum Minorum ciuitatis Valentiæ fundatæ, vt qui in die Conceptionis prædictam Ecclesiam, vel Capellam, vbi existit præfata confraternitas, visitauerint, & ibi pro exaltatione S. Matris Ecclesiæ, hæresum extirpatione, & pro pace inter Principes Christianos orauerint, dicendo quinquies orationem Dominicam, & toties salutationem Angelicam, plenariam omniũ peccatorum suorum indulgentiã consequantur. *Habetur authent. apud Christophor. Morenum cap. 9. fol. 552.*

Idem Greg. Pontificatus sui anno 10. per suas litteras expeditas 21. Martij anno 1582. concessit venerabili confraternitati Cathecumenorũ de Vrbe, quòd singuli Christi fideles vtriusque sexus verè pœnitentes, & confessi, ac sanctissimo Eucharistiæ Sacramento refecti, qui in die Conceptionis B. Mariæ Virginis eorum Ecclesiam visitauerint, & inibi pias ad Deum preces effuderint pro pace inter Principes Christianos conseruanda, hæresum extirpatione, & S. Matris Ecclesiæ exaltatione, quoties id fecerint, plenariã omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem consequãtur. *Chrysostomus Henriquez in priuileg. Cisterciensis ordinis, Antuerp. impressis 1630. fol. 445.* Hanc eandem indulgentiam lucrantur fideles visitantes Ecclesias Congregationis B. Mariæ Fuliensis ordinis Cisterciens. in die Conceptionis B. Mariæ Virginis, ex concessione eiusdem Gregor. XIII. vt refert præfatus *Henriq. cit.*

Idem Pont. speciali diplomate concessit, quòd quicunque Sacerdos pro fideli defuncto sacrum celebrauerit in altari Immaculatæ Conceptioni sacro, quod existit in conuentu Sancti Spiritus Ferrariæ ordin. Minorum, eius animam ex Purgatorij pœnis eruat. *Gonzaga 3. p. in Prouincia Bononiæ conuentu 4.*

Idem Greg. speciali diplomate cõcessit fratribus conuentus S. Francisci Milionici in Prouincia Basilicatę, vt apud se erigere possint confraternitatem Immaculatæ Conceptionis cum altari, in quo fidelium animæ per Missarum solemnia ex Purgatorij pœnis liberentur. *Gonzaga 2. p. in Prouint. Basilicatæ conuentu 4.*

Sixtus V.

SIxtus V. anno 1576. in Bulla, quæ incipit *De salute gregis*, concessit, vt qui visitauerint in die Conceptionis Ecclesiam S. Annæ Hospitalis Indorum in noua Hispania à fratribus Minor. in Prouin. S. Ioseph fundatam, indulgentiam plenariam omnium suorum peccatorum consequantur, &c. *Habes apud Roderic. sub Sixto V. Bulla 12. & Gonzaga 4. p. in Prou. S. Greg. conuent. 6.*

Idem Sixtus anno 1586 in Bulla, quę incipit *Expositum nobis*, concessit omnibus, & singulis Monialibus Immaculatæ Conceptionis, & vtriusque sexus fidelibus visitantibus Ecclesias Monasteriorum prædictarum Monialium in festo Conceptionis B. Mariæ Virginis, indulgentiam plenariam, & omnium suorum peccatorum remissionem. *Habes apud Roderic. sub Sixto V. Bulla 2.*

Idem Sixtus anno 1588. in Bulla, quæ incipit *Ineffabilia*, concessit, quòd fratres Mi-

Minores, & Moniales ipsis subiectæ possint recitare officium Immaculatæ Conceptionis Leonardi de Nogarolis cum octaua. *Habes in Regest. col.* 172. *& Vuading in legat. sect.* 3. *fol.* 302.

Clemens VIII.

CLemens Octavus anno 1599. die 5. Nouembris Pontificatus sui anno 8. in Bulla, quæ incipit *Ad augendam fidelium*, concessit plenariam omnium peccatorum indulgentiam visitantibus Ecclesiam Parochialem B. Mariæ Virginis Hallensis in die Conceptionis eiusdem Virginis. *Habes in Iusto Lipsio lib. de D. Virg. Hallen. in fine.*

Paulus V.

PAulus V. anno 1609. ad instantiam Cardinalis Arigonij ordinis Minorũ Protectoris viuæ vocis oraculo concessit fratribus Minor. vt in omnibus sabbatis festo nouem lectionum non impeditis possint recitare officium Immaculatæ Conceptionis, quod incipit: *Sicut lilium, &c.* sub Ritu semiduplici. *Habes in Regest. colum* 174.

Idem Pontif. anno 1615. in Bulla, quæ incipit *Ad augendam*, concessit recitantibus Antiphonam Immaculatæ Cõceptionis: *Hæc est Virga, &c.* orationemque eiusdem: *Deus, qui per Immaculatam Virginis Conceptionem, &c.* centum dies indulgentiarum. *Habes in Regesto colum.* 175.

Idem Pontif. anno 1616. concessit, vt in vno cuiuslibet Prouinciæ conuentu ordinis Minorum, Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento patente in die Conceptionis indulgentiam plenariam consequantur fideles prædictum conuentum visitantes, & pro fælici statu sanctæ Matris Ecclesiæ ad Deum deuotè preces effundentes, &c. *P. Torres cap.* 8. *fol.* 337.

Idem Pontif. anno 1619. misit ad Regem Catholicum, & filios imagines quasdam cum omnibus indulgentijs, vsque ad suum tempus à Prædecessoribus suis concessis, quæ priori in facie figuratum habebat Sanctissimum Eucharistiæ Sacramẽtum, cum hac inscriptione *Laudetur*; in altera verò parte effigiata erat Immaculatæ Conceptionis imago, his verbis circumcirca insculptis, *Sine peccato originali Concepta. Vuading. in legat. sect.* 3. *fol.* 296. *Torres cap.* 8. *fol.* 338.

Vrbanus VIII.

VRbanus Octavus anno 1. sui Pontificatus instituit ordinem Militarem sub inuocatione Conceptionis Virginis Immaculatæ, cuius militiæ habitum ad Elisabetham Hispaniarum Reginã transmisit, & impertitus est indulgentias omnes S. Caroli Borromæi; Item indulgentias omnes canonizationis Sanctorum Quinque; Item similiter omnes indulgẽtias Comitis de Monterey, & in articulo mortis omnium suorum peccatorum remissionem, & indulgentiam. *Habes in Regest. col.* 560.

Idem Pontif. anno 1627. die 21. Maij per suam Bullam *Ad perpetuam rei memoriam*, concessit indulgentiam plenariam omnibus confratribus Immaculatæ Conceptionis visitantibus in eodem festo Ecclesiam S. Francisci Salmanticensis. *Habetur Bulla originalis in archiuo eiusdem conuentus, vt refert Frater Hieronymus Roderic. in Compend. Emanuelis Roderic. resol.* 30. *num.* 6.

Idem Vrbanus anno 1633. per suam specialem Bullam confirmauit piam memoriam pro Immaculata Virginis Conceptione à Philippo IV. fundatam in Monast. Immaculatæ Conceptionis Discalceatarum Matritensi, in quo seruatur prędicta Bulla. *Vide in Regest. col.* 319.

Obseruatio pro Indulgentijs.

QVod sententiam de Immaculata Concept. tutissimam reddit, & magno probabilitatis excessu contrariam superare facit, est Summor. Pontificum auctoritas, qui suis induitis, & fauoribus piam opinionem fouerunt, in quam ferè omnes continua successione inclinarunt. Quod non incongruè ex illorum per omnia sæcula iam recensitis concessionibus, & induitis persuadetur Certè nil gloriosius, nil præclarius, nil firmius alicui potest accedere doctrinæ, quàm vt à verò, & salutari

tari veritatis fonte propinetur. Etenim in Romanæ Sedis Pastoribus veritatis arcem fundauit Christus, atque in horum oraculis veram firmauit doctrinam. Quam verò, vel minimam aliquando præbuit Ecclesia aduersi opinioni auctoritatem, vel fauorem? Quando festum instituit, vt celebraretur sanctificatio non præseruans? Quando sanctificationis celebrauit festiuitatem? Vel quæ præmia spirituali proposuit? Vel quas obtulit, aut concessit indulgentias sanctificationis festum celebrantibus? Maneat ergo liquidò ratum Summor. Pontificum studia, dum tot fauoribus, & gratijs negatiuam sententiam cumularunt, eò tendere, vt suauiter, & leniter in hanc inducant sententiam, quam vt fideles amplectantur, pijssimum inducarunt, de quo latiùs in tractatu apologetico ad num. 28. libelli.

Insuper plures alios fauores omisimus, qui quamuis de hoc mysterio Conceptionis mentionem facerent, nil tamen de illo speciale referebant; huiusmodi sunt concessiones factæ Monialibus Conceptionis, vt possint recitare officium S. Didaci cum octaua, vt decimas Parochialibus non soluant, &c. Similiter eas omisimus, quæ quamuis concessæ sint omnibus festiuitatibus B. Mariæ; (inter quas Conceptionis festum numeratur) quia tamen nominatim non exprimitur, visum fuit silentio prætermittere.

Indulgentias etiam omisimus, quæ à particularium Ecclesiarum Prælatis in suis Diœcesibus sunt concessæ ad augendum cultum, & celebritatem Immaculatæ Conceptionis, contenti eas solùm retulisse, quæ ad commendandam B. Virginem, & à communi hominum sorde excipiendam à Summis S. R. Ecclesiæ Pontificibus emanarunt.

Ecclesiæ, Sacella, & alia loca Immaculatæ Conceptioni sacrata.

ROmæ anno 1403. tempore Bonifacij IX. in loco Campi Floræ, vbi hodie Ecclesia S. Martini consistit, erecta fuit Ecclesia in honorem Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ Virginis: constat ex membranula, quæ in concauo parietis adinuenta (dum reædificaretur maius sacellum) hanc inscriptionem continebat: ANNO MCCCCIII. IN D. II. DIE MARTIS, VIII. DECEMB. TEMP. BONIF. IX. CONSECRATVM ANNO SVO VI. HOC ALTARE CVM ECCLESIA IN HONOREM CONCEPTIONIS BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ. *Baling. in Kalend. Mariano fol. 673. Tamat. de Salaz. ad annum* 1403.

Cœnobium Fratrum Minorum in Olomuczo ciuitate Morauiæ extructũ extabat ante annum M.CCCCLIII. in honorem Immaculatę Conceptionis, sed post aliquot annos hæretica prauitate supra modum in Boemia grassante ab hæreticis dirutum fuit. *Gonzaga 2. p. in Prouincia Boemiæ conuentu 4.*

Monasterium Monialium ordinis S. Claræ, sed sub inuocatione Immaculatæ Conceptionis erectum in ciuitate Pacis Iuliæ à deuotissimo Ferdinando Regni Portugaliæ Infante circa annum 1471. *Gonz. 3 p. in Prou. Algarbiorum Monast.* 13.

Cœnobium Fratrum Minorum sub inuocatione Immaculatæ Conceptionis in oppido *Matozinhos* Lusitanicè nuncupato, erectum auctoritate Sixti IV. anno 1478. *Gonz. 3. p. in Prou. Portug. conu.* 13.

Cœnobium Fratrum Minorum sub inuocatione Immaculatæ Conceptionis erectum anno 1480. in oppido *Plaia* Regni Lusitaniæ in vna insularum, quæ vulgari sermone appellantur, *las Terceras. Gonz. 3. p. in Prouin. Algarbiorum conuen.* 27.

Romæ in Ecclesia S. Petri in Vaticano Sixtus IV. P. Max. circa annum Domini 1481. sacellum præinsigne ædificauit in honorem Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ Virginis. *Hippolytus Marrac. in Pontif. Marian. sub Sixto IV. cap. 76. Serran. Episc. Acernens. lib. 2. cap. 8. n. 10. Torres lib. 4. cap. 10.*

Monast. Monialium Tertij Ordinis S. Francisci sub inuocatione Immaculatæ Conceptionis erectum in oppido *del Viso* Toletanæ Diœcesis anno 1488. aucto-

ritate Innocentij Papæ VIII. & Petri Gonzalez de Mēdoza Cardinalis, & Archiep. Tolet. *Gonz.3.p.in Prou Cast. Monast.17. Petrus de Salaz. lib.7. Prou. Cast. cap.16.*

Monast. Monialium ordinis Immaculatę Conceptionis, quod est caput omniū Monasteriorum eiusdem ordinis in Vrbe Toletana erectū pro Monialibus Cisterciensem regulā obseruantibus, sed sub inuocatione Immaculatę Conceptionis facultatē præbente Innoc. VIII. an. 1489. vt habes in *Regest. colum.* 114. Deinde trāsijt ad Moniales ordinis S. Claræ, sed sub eadem inuocatione Immaculatæ Cōceptionis. Tandem specialem regulam Iulius II. approbauit, (quam habes in Regest. col. 128.) & vt dicerentur Moniales ordinis Immaculatæ Conceptionis, statuit, & ex tunc sub regula, & inuocatione prę fata permanserunt, subijciunturquè in omnibus regimini, & curæ Fratrum Minorum ex præfati Iulij II. decreto, vt habes in Regest. col. 130. De hoc Monasterio plura diximus varijs in locis. *Videatur Gonz 3.p.in Prou. Cast. Monast. 25. & Biuar de Concept. 1.p.§ 5.*

Cœnobium Fratrum ordinis S. Hieronymi sub inuocatione Immaculatæ Conceptionis in Vrbe Granatensi fundatum à Catholicis Regibus Ferdinādo, & Elisabetha anno 1492. vt votū adimplerent, quod fecerant, si caperent ciuitatem à Mauris, Cœnobium in laudem Immaculatæ Conceptionis erecturos. *Lezana cap.15. fol.70. Daza cap.11. fol. 96. Ojeda cap.8. fol.24. Cartagena lib.1. hom. 19.* & cōstat ex scriptura, quæ in archiuo eiusdē Cœnobij seruatur, quam ad literā adducit *Daza supra.* Vide *Mirac. 49. colum. 577.*

Cœnobium Fratrum Minorū sub inuocatione Immaculatę Cōceptionis erectum in ciuitate *Punta de gada* Regni Lusitani in prædictis insulis, quæ dicuntur *las Terceras*, circa annum Domini 1500. *Gonz 3.p.in Prou. Algarbiorum conu. 28.*

Monast. Monialium ordinis Immaculatæ Conceptionis, & sub eadem inuocatione, sed ad Ordinariorum iurisdictionem spectans, erectum anno 1502. in oppido Lerena Prioratus Legionensis. *Gonz.3.p.in Prou. S. Michaelis conu.7. & Monast.15.*

Monast. Monialium ordinis Immaculatę Conceptionis, & sub eadem inuocatione Matriti erectum anno 1504. sed sub obedientia Patrum ordinis S. Hieronymi, vulgariter *Conceptio Hieronymiana* nuncupatur. *Quintana historia Matrit. lib. 3. cap.76. Siguença 3. p. historia ordinis S. Hieronymi lib.1. cap. 20.*

Monast. Monialium ordinis S. Claræ in Vrbe Malacitana erectum sub inuocatione Immaculatæ Conceptionis anno 1505 maximè procurante, & adiuuante Fratre Ferdinando de Talauera Archiepiscopo Granatensi. *Gonzaga 3.p.in Prouincia Bætica Monast.13.*

Monast. Monialium ordinis Immaculatæ Conceptionis, & sub eadem inuocatione erectum in oppido *Torrijos* Diœcesis Toletanæ ex speciali Iulij II. facultate ano 1507. à D. Theresia Henriq. prædicti oppidi Domina. *Gonz.3.p. in Prouin. Castellæ Monast.26. Salazar in Prou. Castellæ lib. 8. cap.10.*

Monast. Monialium ordinis Immaculatæ Conceptionis, & sub eadem inuocatione erectum in oppido *Maqueda* Tolet. Diœcesis ex Iulij II. auctoritate anno 1507. à præfata D. Theresia Henriq. eiusdē oppidi Domina. *Gōz.3.p.in Prou. Castella Monast.27. Salaz. in Prou. Castella lib.8. cap.11.*

Monast. Monialium ordinis Immaculatæ Conceptionis, & sub eadem inuocatione erectum in ciuitate Conchensi an. 1508. *Gonz.3.p.in Prou. Cartag. Monast. 7. Martir Rizus in hist. Conchensi 1.p. cap. 17. fol.105. Ægid Gonz. Dauila in Theatro Ecclesiæ Conchensis.*

Cœnobium Fratrum Minorū sub inuocatione Immaculatæ Conceptionis à Serenissima Ioanna Hispaniæ Regina erectum in Insula Palmæ, vna ex Canarijs, anno Domini 1508. *Gonz.4. par. in Prouin. Canariæ conu.7.*

Monast. Monialium ordinis Immaculatæ Conceptionis, & sub eadem inuocatione ex Apostolica Iulij II. P. Max auctoritate erectum anno 1508 in oppido, quod

quod *Cabeça del Buey* Hispanicè nũcupatur, & subest sacræ Alcantarẽsi militiæ. *Gonz.3.p.in Prou.S.Michaelis Mon.13.*

Monast. Monialium ordinis Immaculatæ Conceptionis,& sub eadem inuocatione erectũ à pientissima Heroina Theresia Henriq.ex auctoritate Iulij II.Põt. Max. postulante Ferdinando Rege Catholico in oppido,quod *Vsagre* Hispanicè nuncupatur an. 1509.*Gonz.3.p.in Prou. S.Michaelis Monast.16.*

Monast. Monialium ordinis Immaculatæ Conceptionis,& sub eadem inuocatione Matriti erectum ex speciali facultate Iulij II.anno 1512. *Conceptio Franciscana* vulgariter nuncupatur. *Gonz.3.p. in Prou.Castellæ Monast.29. Salaz.in Prouin.Castellæ lib.8.cap.13.Quintana in hist. Matrit.lib.3.cap.77.*

Ecclesia præinsignis sub inuocatione Immaculatæ Cõceptionis Toleti erecta circa an.1509.in palatio Archiepiscopali eiusdem ciuitatis à Card. Ximenio,in qua nobilis extat confraternitas Immaculatæ Conceptionis à Regibus Catholicis Ferdinando,& Elisabetha fundata,à Carolo V.renouata, & à præfato Card. Ximenio in meliorem formam redacta, quam cõfirmauit Adrian.VI. an.1522. vt habes in Regest.colum. 154. *Aluarus Gom.in vita Card.Xim.lib.3. Robles in vita eiusdem Xim.c.16.Baling. in Kal. Marian. fol.673.Bibar de Concept.2.p. §. 12.folio 68.Ojeda cap.9.§.2.Vuading.in legat. orat. 8.fol.303.*

Monast. Immaculatæ Cõceptioni sacrũ, Assisij à deuota quadam sorore Benedictina de Perusia extructũ an.1512. sed à Tertiarijs sororibus Frãciscanis inhabitatur.*Gonz. 2.p.in Prou. S.Francisci Monast.18.*

Monast. Monialium ordinis Immaculatæ Conceptionis,& sub eadem inuocatione erectum in oppido *Carmona* anno 1513.ex facultate Leonis X. P. Max. *Gonz.3.p in Prou.Bætica Monast.9.*

Cœnobium Fratrum Minorum sub inuocatione Immaculatæ Conceptionis sacrum in oppido *Reinosa* an. 1514. *Gonz. 3.p.in Prou.Cantab.conu.12.*

Monast. Monialium ordinis Immaculatæ Conceptionis,& sub eadem inuocatione erectum in ciuitate Abdala, vulgò *Almeria*, auctoritate Iulij II Pont. Max. anno 1514.*Gonz.3.par.in Prou. Granat. Monast.20.*

Monast. Talabricæ Toletanę Diœcesis primũ pro Tertiarijs sororibus erectum, sed postea ad habitũ,& regulã ordinis Immaculatæ Cõceptionis transierunt anno 1515.*Gonz.3.p.in Prou.Cast.Monast.30. Petrus Salazar lib.8.cap.14.*

Monast. ordinis Immaculatæ Cõceptionis, & sub eadem inuocatione erectũ Vlmeti anno 1516. ex facultate Leonis X. Pont Max.*Gonz.3.p.in Prou.Concept. Monast.22.*

Cœnobium Fratrum Minorum sub inuocatione Immaculatæ Conceptionis prope Herreram Diœcesis Tolet. oppidum,erectum ab Illustrissimo Alphonso à Sotomaior Bellalcazarensium Comite,auctoritate Leonis X. Pont.M. anno 1517.*Gonz.3.p.in Prou. Angelorum conuen.13.*

Monast. Monialium Tertij ordinis S. Francisci, sed sub inuocatione Immaculatæ Conceptionis constructum in oppido *Illescas* Diœcesis Tolet. à Reuerendissimo Francisco Ximenio Cardinali, & Archiep.Tolet. anno 1517.*Gonz.3.p in Prou.Cast.Monast. 15. Salazar in Prouinc. Cast.lib.7.cap.14.*

Leo X. Pont. Max. reædificari fecit Ecclesiam à Leone IV. in Campo Sancto constructam,& Immaculatæ Cõceptioni consecrauit anno 1518 *Hyppolyt. Marrac.in Pontif.Marian.cap.80.sub Leone X.Tamai.de Salaz.ad ann.1518.*

Monast. Monialium ordinis Immaculatæ Conceptionis, & sub eadem inuocatione in ciuitate Legionensi erectum anno 1518. Huic monasterio multi Summi Põtifices,sed præcipuè Clemens VII. & Paul. III instante Cardinali Quinonio, prærogatiuas singulares, & fauores concesserunt.*Gonz.3.p.in Prou. S.Iacobi Monast.16.Ægid.Gonzal.Dauila in Theatro Eccles.Legion.*

Cœnobium Fratrum Minorum in honorem purissimæ Conceptionis B.Mariæ constructum in oppido *Fontiblna* ex Leo-

Leonis X. P. M. facultate anno 1520. *Gonz. 2. par. in Prouin. ſeptem Martyrum conu.* 10.

In Monaſterio S. Claræ Vrbis *Pontiſmonſionis* in Lotharingia circa an. 1520. Philippa de Geldre Siciliæ Regina duplex ſacellum Immaculatæ Conceptioni ſacrum magnificentiſsimè conſtrui curauit. *Gonz.* 3. *p. in Prou. Franciæ Monaſt* 7.

Monaſt. Monialium ordinis Immaculatæ Conceptionis, & ſub eadem inuocatione in Vrbe Valliſoletana erectum anno 1521. *Gonz.* 3. *p. in Prou. Concep. Monaſt.* 23. *Ægidius Gonzal. Dauila in Theatro Eccleſiæ Valliſol. fol.* 650.

Monaſt. Monialium ordinis Immaculatæ Conceptionis, & ſub eadem inuocatione in oppido *Puebla de Montalban* cõſtructum ex auctoritate Leonis X. anno 1522. ab Illuſtriſsimo Domino Ioanne Pachiecho eiuſdem oppidi Domino, qui reuelatione ſibi facta hoc monaſterium conſtrui curauit, *Vt habes in Regeſt. colum.* 570. *Mirac.* 30. *Videantur Gonz.* 3. *p. in Prou. Caſt. Monaſt.* 31. *& Salaz. in Prou. Caſt. lib.* 8. *cap.* 15.

Monaſt. Monialium ordinis Immaculatæ Conceptionis & ſub eadem inuocatione erectum in oppido *Oropeſa* anno 1523. ab Illuſtriſsimo Heroe Franciſco Aluarez à Toleto Oropeſano Comite. *Gonz.* 3. *p. in Prou. Caſt. Monaſt.* 32. *Salaz. in Prou. Caſt. lib.* 8. *cap.* 18.

Cœnobium Fratrum Minorum ſub inuocatione Immaculatæ Conceptionis in oppido *Niuela* Ducatus Brabantiæ ſumptibus Sereniſsimæ Margaritæ Caroli 5. amitæ, & Flandriæ Gubernatricis conſtructum anno 1524. *Gonz.* 3. *par. in Prou. Flandriæ conu.* 6. *Torres lib.* 4. *cap.* 6.

Monaſt. Monialium ordinis Immaculatæ Conceptionis, & ſub eadem inuocatione in oppido *Pontisferrati* erectum anno 1524. ſumptibus Aluari Perez Oſorij Militiæ S. Iacobi equitis aurati. *Gonz.* 3. *p. in Prou. S. Iacobi Monaſt* 17.

Monaſt. Monialium ordinis Immaculatæ Conceptionis dictum communiter *Sancta Maria libera nos à pœnis inferni*, Romæ erectum anno 1525. *Gonz.* 1. *par. folio* 21. *Biuar de Concept.* 1. *par.* §. 9. *Torres libro* 1. *cap. vltimo, folio* 70.

Monaſt. Monialium ordinis Immaculatæ Conceptionis, & ſub eadem inuocatione in oppido *Sancta Gadea* erectum anno 1526. ab Illuſtriſsimo Caſtellæ Præfecto, vulgo *Adelantado de Caſtilla*. *Gonz.* 3. *p. in Prouin. Burgenſi Monaſt.* 11.

Monaſt. Monialium ordinis Immaculatæ Conceptionis, & ſub eadem inuocatione conſtructum in oppido *Eſcalona* à Domino Didaco Pachieco Marchione Villenico circa annum 1527. *Gonz.* 3. *p. in Prou. Caſt. Monaſt.* 28. *Salaz. in eadem Prou. lib.* 8. *cap.* 12.

Monaſt. Monialium ordinis Immaculatę Conceptionis, & ſub eadem inuocatione conſtructum an. 1527. in *Ciuitate Regia* Diœceſis Tolet. *Gonz.* 3. *p. in Prou. Caſt. Monaſt.* 33. *Salaz. in eadem Prou lib.* 8. *cap.* 17.

Monaſt. Monialium ordinis S. Bernardi, ſub inuocatione Immaculatæ Cõceptionis conſtructum facultate Pauli III. anno 1529. in oppido *de Pinto*, ſed poſtea Matritum translatum. *Quintana in hiſt. Matrit. lib.* 3. *cap* 98.

Cœnobium Fratrum Minorum ſub inuocatione puriſsimæ Conceptionis cõſtructum in ciuitate Epiſcopali, quæ vocatur *Oppidum*, ex Clementis VIII. facultate anno 1530. *Gonz.* 2. *p. in Prouin. ſeptem Martyrum conu.* 5.

Monaſt. Monialium Tertij ordinis S. Franciſci, ſed ſub inuuocatione Immaculatæ Cõceptionis, in oppido *Sancti Martini de Valle Eccleſiarum* Diœceſis Tolet. erectum anno 1530. Paulus IV. anno 1545. ratam habuit ſpeciali diplomate dictam fundationem. *Gonz.* 3. *p. in Prou. Caſt. Monaſt.* 22.

Monaſt. Monialium ordinis Immaculatæ Conceptionis ſub inuocatione Matris Dei in ciuitate Iuliobriga (vulgo *Logroño)* erectum anno 1531. à deuotiſsimo Ioanne Encido Caroli V. Germanorum Imperatris primo Quæſtore. *Gonz.* 3. *p. in Prou. Burgenſi Monaſt.* 12.

Monaſt. Monialium ordinis Immaculatæ Conceptionis, & ſub eadem inuocatione conſtructum in oppido *Fuenteouejuna* Diœceſis Cordubẽſis, an. 1531.

Gonz.

Gonz. 3. p. in Prou. Angelorum Monast. 7.

Monast. Monialium ordinis Immaculatæ Conceptionis, sed sub eadem inuocatione sancti Acacij in ciuitate *Guadalfagiaræ* Diœcesis Tolet. constructum anno 1532. *Gonz. 3. p. in Prou. Cast. Mon. 34. Salaz. in eadem Prou. lib. 8. cap. 18.*

Monast. Monialium ordinis Immaculatę Conceptionis, & sub eadem inuocatione in ciuitate *Truxillo* Hispanicè nuncupata, constructum ano 1533. *Gonz. 3. p. in Prou. S. Michaelis Monast. 14.*

Sancta Ecclesia Cathedralis *de Honduras* in noua Hispania erecta an. 1539. ex facultate Pauli III. dicata fuit Immaculatæ Conceptioni Virginis Mariæ. *Ægidius Gonzalez Dauila to. 1. Theatro Ecclesiast. Indiarum in Ecclesia de Honduras.*

Monast. Monialium ordinis Immaculatæ Conceptionis, & sub eadem inuocatione erectum in ciuitate Abulensi, anno 1539. constructum. *Gonz. 3. p. in Prou. Concept. Monast. 26. Ægidius Gonz. Dauila in Theat. Eccles. Abul. fol. 217.*

Cœnobium Fratrum Minorũ sub inuocatione Immaculatę Cõceptionis, erectum in oppido *Izatlanis* in Regno Xalisci circa annum Domini 1540. *Gonz. 4. par. in Prouin. Sanctorum Petri, & Pauli conu. 24.*

Monast. Monialium ordinis Immaculatæ Conceptionis, & sub eadem inuocatione erectum in oppido *Castellonij à Planicie* Valentini Regni, quod cum per aliquot annos Episcopali curæ subiacuisset, & sub regula S. Claræ militasset, ex Apostolico Clementis Septimi P. Max. mandato anno 1540. ad Moniales ordinis Immaculatæ Cõceptionis sub cura Fratrum Minorum transijt. *Gonz 3. p. in Prouinc. Valent. Monast. 7.*

Monast. Monialium ordinis S. Claræ, sed sub inuocatione Immaculatę Cõceptionis erectũ in ciuitate *Velez Malaga* an. 1540. *Gonz. 3. p. in Prou. Gran. Mon. 15.*

Monast. Monialium ordinis Immaculatæ Conceptionis, & sub eadem inuocatione erectũ in oppido *Villafranca* Asturicensis Diœcesis an. 1543. ab Illustrissimo Heroe Petro à Toleto, eiusdẽ oppidi Marchione, & Prorege Neapolitano. *Gonz. 3. p. in Prouin S. Iacobi Monast. 18.*

Monast. Monialiũ Tertij ordinis S. Frãcisci, sed sub inuocatione Immaculatæ Conceptionis, erectum in oppido *Veas* anno 1544. *Gonz. 3. p. in Prou. Carthag. Monast. 10.*

Monast. Monialium ordinis Immaculatæ Conceptionis, & sub eadem inuocatione erectum an. 1546. in oppido *Aillonio* Seguntinæ Diœcesis ab Illustrissimo Heroe Didaco Lopez Patieco Marchione de Villena, & prædicti oppidi Aillonij Domino. *Gonz. 3. p. in Prou. Concept. Monast. 24. Ægid. Gonzal. Dauila in Theatro Ecclesiæ Segunt.*

Monast. Monialium ordinis Immaculatę Conceptionis, & sub eadem inuocatione erectum in oppido *Berlanga* anno 1547. ab Illustrissimis eiusdem oppidi Marchionibus, & Castellæ Comestabilibus. *Gonz. 3. p. in Prou. Concept. Mon. 25. Ægid. Gonzal. Dauila citat.*

Monast. Monialium ordinis Immaculatæ Conceptionis, & sub eadem inuocatione erectum in ciuitate Turiasonensi anno 1549. ex Iulij III. P. Max. facultate. *Gonz. 3. p. in Prou. Aragonia Monast. 8. Torres lib. 1. cap. vltimo.*

Cœnobium Fratrum Minorum sub inuocatione Immaculatæ Conceptionis erectum in oppido *Iniesta* Conchensis Diœcesis anno 1549. *Gonz. 3. p. in Prou. Carthag. conu. 25.*

R.P.M.F. EMANVEL de Vargas Ordinis Prædicatorum, in Conuentu Hiſpalenſi de Regina Angelorum eximius diuini verbi declamator, in ſerm. de Incarnatione, Hiſpali impreſſo ann. 1619. *per Franciſcum de Lyra, fol. 7. col. 1. explicans illa verba.* Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, *inquit.*

DOs coſas dize aqui el Angel, la primera, que el Spiritu Santo ſobreuendra: no dixo que vendria, ſino que ſobreuendria. *ſuperueniet*, porque el Eſpiritu ſanto auia ya venido ſobre la Virgen en ſu limpiſsima, y puriſsima Concepcion, donde le comunicò la gracia, y los dones celeſtiales, que (como dize el Angelico Doctor S. Tomas opuſc. 4. de

de Salutat. Angelica) en esta Señora se halló entóces mas gracia, que en el mas supremo de los Angeles. Pareceos mucho? pues esperad que me atreuo a dezir en sana, y segura Teologia, que si se juntasse la gracia de todos los Santos desde nuestro Padre Adan, hasta el vltimo que ha de nacer de los predestinados, y no solo esso, pero si se juntasse tãbien toda la gracia de los Angeles (siendo tantos en numero) y de la vna, y la otra se hiziesse vn monton, y vna pella: la primera gracia que tuuo la Virgen santissima en su purissima Concepcion, fue mayor con muchos excessos, y ventajas; sentencia es de S. Bernardino Senense: y vn Autor moderno disputò, y resoluio esto muy a la larga, alegando muchas, y muy fuertes razones. Pues si antes de concebir al Hijo de Dios, si tan a los principios, en su purissima Concepcion se auentajò a todos los Santos juntos, a que punto llegaria su gracia, mereciendo por todo el discurso de su vida? A que alteza llegarian sus merecimientos, y virtudes, yendo siempre en aumento con tanta pujança? Hæc ille.

R. P. M. F. HIERONYMUS Almonacirius sacri Ordin. Prædicat in Complutensi Academia sacrorum Bibliorum publicus interpres, in Commentarijs super Cantica Canticor. Compluti impressis anno 1588. (quo viuebat) apud Ioannem Iniguez à Lequenca, tomo 2. fol. 142. col. 1. explicans de Beata Virgine verba illa cap. 8. Quæ est ista, quæ ascedendit, &c. *hæc habet.*

PErcontantur ergo, quæ sit hæc fœmina virili robore, & fortitudine prædita, tanta prudentia insignis, quam neque serpentis astutia seducere potuit, nec pomi pulchritudo ad peccatum allicere, nec Dæmonis, mundi & carnis incitamenta, vlla ratione ab altissimo sanctitatis gradu depellere: quæ ab ipso statim suæ Conceptionis momento, omni culpa etiã leuissima carens, diuini amoris impulsu incitata, aquilis velocior ascendere semper conata est, nunquam, vel per leuissimã culpã descendens, &c.

Et fol. 144. *col.* 2. Hæc est illa virago, non muliebri, sed virili animo prædita, non ex veteris, sed ex cælestis Adæ latere sumpta, quæ caput serpentis contriuit, quæ de carne, mundo, & Dæmone victoriam semper obtinuit, &c.

Et fol. 146. *col.* 1. Admirantur in fœmineo sexu tantam animi celsitudinem, constantiam, & robur inuictum, quod nulli vnquam, vel leuissimæ culpæ succubuit. Sed iam huius miraculi causam reddit noster Theologus, quòd hæc mulier sit amicta sole, quòd illa Christi veri solis spiritum, sapientiam, puritatem, mores, & virtutes ita induerit, vt neque peccati næuus, nec vllum culpæ vestigiũ in illa vnquam extiterit.

R. P. F. ANTONIVS Nauarrus Lerenensis, sanctæ Theologiæ Magister Ord. Prædicat. tomo 1. sermonum de Sanctis, impresso Matriti apud Petrum de Madrigal, anno 1593. *sermone* 1. *de Conceptione, folio* 49. *hæc habet.*

HOdie Beata Virgo hoc bonum omnium aliorum bonum primum accepit, videlicet, esse. Deinde non solùm primũ fuisse naturę suscepit, sed insuper sanctificationem quandam, & prærogatiuam singularem hanc sortita est, vt infectionis communis originalis peccati expers conciperetur, &c.

Et fol. 51. *col.* 1 Ex hactenus dictis planè colligitur, quàm magnum fuerit, & meritò à Beatę Virginis deuotis festiuè hodie colendum beneficium diuinitus ipsi

ipſi datum: nam non ſolùm humanum eſſe naturale commune cæteris humanæ naturæ conſortibus recepit: ſed cùm eſſet filia Adæ, educta que à maſſa illa ſic infecta, præueniretur à Deo taliter, quòd abſque macula illa omnibus communi gigneretur eius caro, cõciperetq; eam Mater ſua ita purè, quòd quando anima Virginis iungeretur ſuo iam organizato corpori, nullam deformitatẽ, aut culpæ maculam ex cõmiſtione illa contraheret: ſed in ea puritate, in qua Deus eam creauit de manu ſua, permaneret, & ita tã in corpore, quã in anima à principio ſuo ſancta perſiſteret, quod pro nullo tempore dici poſsit fuiſſe filiam iræ, inimicam Dei, peccati ſeruam, ſed ſemper amicã, immaculatã, Deiq; filiã, dilectã, & electã. O ineffabile donũ! in quo ſanè ſingularisſima eſt iſta Regina mundi, non eſt ſimilis ei nata in mundo in hoc: in alijs virtutibus ſuper omnes puras creaturas eleuatur, nam ſunt multi obedientes, & humiles, & charitate pleni. Quibus omnibus Beatiſsima Virgo longè præſtat, & ita ſuper choros Angelorum ſedet exaltata, maioribus ornata meritis. Verum in multis non ſolùm ſupereminet vniuerſis, ſed vnica ipſa eſt, quia quænam altera dici poteſt Mater Dei? quæ vnquam altera mulier in prole Mater non eſt paſſa virginitatis detrimentum? Ita ipſa ſola eſt, cui ex filijs hominum donatum ſit ex virili ſemine procedere originalis labis immunem.

Et iuſtè quidem, nam ſi à lège communi quoſdam excipi iuſtis ex cauſis legimus: Aſſuerus enim inquit ſuæ coniungi Eſther, Non propter te lex hæc eſt poſita; & licet ſtatutũ ſit hominibus ſemel, & in breui mori, Helias, & Enoch adhuc viuunt præter taxatum communem annorum vitæ hominum numerũ, &c. & qui tempore iudicij vltimi in cõſummatione ſeculi inuẽti fuerint, ſi Hieronymi ſententiæ adhæremus, non morientur omnes, iuxta illud Pauli: Deinde nos qui viuimus, qui reſidui ſumus, rapiemur obuiam Chriſto in aera: cur ergo non Beatiſsima Virgo à lege tam dura peccati originalis excipienda erit?

Deinde quæ vnquam ſuperueniens deuaſtatio aliquem indemnem non reliquit? In ſubuerſione Sodomæ manſit Loth: & in diluuio vniuerſali octo illæ animæ in arca Noe: & in calamitatibus Iob à Sathan inductis ſemper ſupererat vnus veniens, & dicens: Relictus ſum ego ſolus: miraculo etenim magno tributum eſt, quòd in ſubuerſione exercitus Pharaonis in mari Rubro, nec vnus ex eis remanſerit. Cur igitur in hac ſpirituali vaſtitate tam ampla non erit aliqua exceptio, præſertim tam meritiſsimæ Virginis? Ipſi nimirũ ſeruabatur gloria hæc, quod cadentibus hinc mille, & decem millibus à dextris ſuis, ad eam non appropinquauerit flagellum hoc inundans. Porrò verius poterit B. Virgo dicere illud Phariſęi, Nõ ſum ſicut cæteri hominum, quàm Phariſæus ille mẽdax. Fallebatur ſanè Elias dicens, Relictus ſum ego, nam ſibiunxit ei Dominus; reliqui mihi ſeptem millia virorum, ſecus tamen B. Virgo, quando eadem verba dicat, nam in puritate hac non ſolùm benedicta inter mulieres, ſed inter homines ſola eſt, &c. *Hoc idem argumentum in fauorem Immaculatæ Concept. per duas integras contiones latè, & eruditè proſequitur.*

IVLIVS CARDINAlis, & Epiſcopus Hoſtienſis concedit Abbatiſſæ Monaſterij ſanctæ Claræ ciuitatis Valentinæ facultatem inſtituendi in Capella Beatæ Virginis de puritate confraternitatem cum multis fauoribus, & priuilegijs, idque de Alexandri VI. ſpeciali mandato. Anno MDII.

IVlius, miſeratione diuina, Epiſcopus Hoſtienſis dilectæ in Chriſto Damianæ

miatæ de Mompelau Abbatissæ Monasterij sanctæ Claræ, Ordinis eiusdem sanctæ Claræ, Valentiæ, salutem in Domino. Ex parte tua fuit propositum coram nobis, quod tu ob singularem deuotionis affectum, quem ad quãdam Capellam sub vocabulo Beatæ Mariæ Virginis de Puritate in dicto Monasterio sitam geris, in eadem quãdam confraternitatem vtriusque sexus hominũ in honorem eiusdem B. Virginis de Puritate erigere, & ordinare desideras, quod facere posse dubitas absque Sedis Apostolicæ dispensatione, seu licentia speciali, super quod supplicare fecisti humiliter, tibi per Sedem Apostolicam misericorditer prouideri. Nos igitur attendentes, quòd in his, quæ ad diuini cultus augmẽtum pertinet, fauorabiles debemus esse, tuisque in hac parte supplicãtibus inclinati, auctoritate Domini Papæ, cuius pœnitẽtiariæ curam gerimus, & de eius speciali, & expresso mandato super hoc viuæ vocis oraculo nobis facto, vt dictã confraternitatem, cuiusuis licẽtia super hoc minimè requisita instituere, erigere, & ordinare liberè posis, & vt in ea Christifideles conscribantur libentiùs, quò magis de spiritualis dono gratiæ senserint se refertos, tibi, ac in dicto Monasterio Abbatissæ pro tempore, ac omnibus, & singulis confratribus perpetuis temporibus dictam confraternitatem ingressuris, vt liceat aliquem idoneum, & discretum Presbyterum secularem, vel regularem in vestrum eligere confessorem, qui vita vobis comite in casibus Sedi Apostolicæ reseruatis, præterquã offensę Ecclesiasticæ libertatis, criminũ hæresis rebellionis, & cõspirationis in personam, vel statum Romani Põtificis, seu Sedem Apostolicam, falsitatis litterarum, supplicationum, & commissionum Apostolicarum, inuasionis, deprecationis, occupationis, aut deuastationis terrarum, & maris Romanæ Ecclesiæ mediatè, vel immediatè subiectarum, offensæ personalis in Episcopũ, vel alium Prælatum, prohibitionis, deuolutionis causarum ad dictam curiam, delationis armorum, & aliorum prohibitorum ad partes infidelium, semel dũtaxat in vita; in alijs verò quoties fuerit opportunum confessione vestra diligẽter audita, pro commissis vobis debitã absolutionẽ impendat, & iniungat pœnitentiam salutarem, nec non vota quęcumque vltra marina, liminum Apostolorum, ac beati Iacobi in compostella, & castitatis, & Religionis, votis dumtaxat exceptis, in alia pietatis opera commutare valeat; quòdquè cõfessor, quem tu, & Abbatissa pro tempore, ac confratres huiusmodi duxeritis, & quilibet ipsorum duxerit, eligendũ omnium peccatorum vestrorum, de quibus corde contriti, & ore confessi fueritis semel dumtaxat in vita, & in mortis articulo, plenam remissionẽ vobis in synceritate fidei, vnitate sanctæ Romanæ Ecclesiæ, obedientia & deuotione Domini Papæ, & successorum eius canonicè intrantium persistentibus concedere valeat. Sic tamen quòd idem confessor de his, de quibus fuerit alteri satisfactio impendẽda, eam vobis per vos si superuixeritis vel per alios, si tunc fortè trãsieritis, faciẽdam iniungant, quàm vos, vel illi facere teneamini, vt præfertur. Et ne, quod absit, propter huiusmodi gratiam, vel concessionem reddamini procliuiores ad illicita in posterum cõmittẽda, volumus, quòd si à synceritate fidei, vnitate Romanæ Ecclesiæ, obediẽtia & deuotione Domini Papæ, vel successorum eius canonicè intrantium desisteretis, aut ex confidentia eiusdem cõcessionis, vel remissionis aliqua forsam committeretis, concessio, remissio, ac præsentes litteræ vobis nullatenus suffragentur deuotioni vestræ. Et cuilibet confratrum, & Abbatissæ pro tempore, vt præfertur, auctoritate, & mandato prædictis, tenore præsentium in perpetuum indulgemus; in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub sigillo officij pœnitentiariæ, 2. Kal. Maij Pontificatus Domini Alexandri Papæ VI. Anno decimo. Loco sigilli impendentis. Refrendata in xxvij manu Mandatorum, & Emparatum Curiæ

ciuilis Valētiæ de ann. MDCXLVIII. fol. 38.

IESVS. In quorum fidem, & teſtimonium ego Petrus Ioannes Auellaneda Notarius publicus ciuitatis, & Regni Valentiæ loco ſcribæ Curiæ Iuſtitiæ cauſarum ciuilium dictæ ciuitatis Valentiæ, hic meum pono, quo vtor, artis noſtræ ſignum.

Nos Iuan Vicente Marti Cauallero, Iuſticia de cauſas ciuiles, y Iuez ordinario deſta ciudad de Valencia, certificamos, como el dicho Pedro Iuan Auellaneda es Notario, y Secretario publico deſta dicha ciudad, y ſu Reino, fiel, legal, y de confiança, y a los autos, y eſcrituras que ante èl han paſſado, y paſſan, ſe les ha dado, y dà entera fee, y credito, aſsi en juizio, como fuera del. En teſtimonio de lo qual dimos las preſentes ſelladas cō el ſello ordinario de nueſtro oficio, y refrendadas por el Eſcriuano de nueſtra Audiencia, y Corte. Dadas en Valencia en 20. dias del mes de Abril de MDCXLVIII. años. Iuſepe Auellaneda Notario en lugar del Eſcriuano de la Corte de dicho Iuſticia.

OBSERVATIO.

Extat hæc inſtitutio cōfraternitatis præfata authentica in Archiuo huius Cœnobij S. P. N. Franc. Matritenſis, & de eâ agunt Eſcolanus tomo 1 *. Hiſt. Valentinæ lib.* 5 *. cap* 9 *. Gonzaga* 3 *. p. Chron. in Prouintia Valentiæ Monaſterio* 1 *. & Morenus de puritate Virginis. Eſt autem præfatum inſtrumentum in paucis pro aſſerendo titulo* Immaculatæ Conceptionis *memoria digniſsimum: cùm enim confraternitas in ſacello* B. Virginis de puritate *erecta fuerit, eo nomine fideles* Conceptionem *venerabantur, nihil inter* Puritatem, & Conceptionem *diſcernentes: quod ex ſubiecta Regis Catholici Epiſtola egregiè ſtabilitur.*

EPISTOLA FERDINANDI Regis Catholici declarantis ſub aduocatione B. Virginis de Puritate, *coli eiuſdem glorioſæ Virginis, & Dominæ noſtræ Conceptionem. Anno MDII.*

Sereniſsima Reina, nueſtra muy cara, y muy amada hermana, como hija, è Lugarteniente General. Dende Toledo vos eſcriuimos, cometiendovos, que ſi vos parecia que ſe deuia facer el Monaſterio de Monjas del Carmen, que algunas perſonas tenian deuocion de facerlo, que dieſſedes licencia para ello, è ſegun q aora vos à ſeido eſcrito, dizque a vos à parecido, que el dicho Monaſterio ſe deue facer, è que no es en perjuizio de nadie: pero dizque quieren tomar el nombre de la Concepcion de nueſtra Señora, lo qual ſi aſsi fueſſe, ſabemos que ſeria perjudicial al Monaſterio de ſanta Clara de eſſa ciudad, que la principal coſa que el tiene, es vna capilla ſo la inuocacion de la Puridad de nueſtra Señora, en la qual por nueſtro muy ſanto Padre, è por nos ha ſeido dias ha otorgada licencia para facer Cofradia con Indulgencias, è muchas gracias, è prerogatiuas. E auiendoſe el dicho Maſterio reformado por ſeruicio de Dios, è nueſtro, no es razon ſe dè lugar que ſea desfauorecido, ni perjudicado, que ſeria mal exemplo para los otros; y como quiera que nos aya pedido bien nueſtra deliberacion, à ſaber es, que el dicho Monaſterio de Monjas ſe faga de la dicha Orden del Carmen, no es deuida coſa, que tome el apellido, è inuocaciō de la Concepcion de nueſtra Señora, pues que la Concepcion, y la Puridad todo es vna miſma coſa; pero parecenos que podia tomar inuocacion, que ſe dixeſſe el Monaſterio de la Madre de Dios, ò otro apellido qualquiera de nueſtra Señora, que no ſea de la Concepcion, è Puridad. E aſsi vos rogamos afectuoſamente

mente lo proueias, è a otra cosa no deis por nuestra comtemplacion, è amor, porque seria totalmente destruir el dicho Monasterio de santa Clara, en quiē nos tenemos tanta deuocion. E sea Serenissima Reina muy cara, è muy amada hermana, como hija, è Lugartenięte General, la santissima Trinidad vuestra cōtinua proteccion. De la ciudad de Zaragoza a cinco dias del mes de Octubre del año MDII. YO EL REY. Calcena Secretario.

OBSERVATIO.

EXemplar authenticum huius regij rescripti habemus in hoc prædicto Cœnobio S. P. N. Francisci Matritensi, & eius meminit P. Morenus de Puritate Virginis. Adscriptus est autem Rex ipse dictæ confraternitati, sacellumquè Puritatis Virginis *donarijs auxit, & etiam nunc depictus visitur in prægrandi cereo genibus flexis ante Virginis aram.*

CADINALIS MORONUS ex concessione Leonis X. & Gregorij XIII. aggregat confraternitatem purissimæ Conceptionis, sitam in Cœnobio sancti Francisci Valentino, Archiconfraternitati charitatis de vrbe.

Anno 1579.

IOannes Episcopus Hostiensis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Moronus, ac venerabilis Archiconfraternitatis charitatis vrbis Protector, Alexander Simoneta Prælatus, Iulius Monachus, Iacobus Iumatus, Augustinus Lazarinus, Cæsar Bussius, Ioannes Antonius de sancto Petro, & Ascanius Sachinus Deputati, vniuersis, & singulis charissimis in Christo Confratribus Societatis purissimæ Conceptionis sanctissimæ Virginis Mariæ, constructæ in Ecclesia Monasterij S. Francisci ciuitatis Valentiæ Aragonum in Hispania. Singularia charitatis, & misericordiæ opera, in quibus vos continuo exercitio estis, merito nos inducunt, vt priuilegia nobis à Sede Apostolica concessa vobis gratiosè cōmunicemus, quò libentiùs in pijs, salutiferisquè operibus perseuerare valeatis. Dudū siquidem à fælicis recordationis Leone Papa X. emanarunt litteræ tenoris subsequentis, videlicet. Leo Episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriā, &c. *Habetur apud Cherub. Laertium tomo 1. Bullarij sub Leone X Bulla 37. in ea concedit Pontifex Archiconfraternitati charitatis de vrbe, plures gratias, & indulgentias cum facultate eas communicandi alijs Confraternitatibus.* Cuius quidem facultatis, & indulti vigore fuimus pro parte Æconomorū, & Cōfratrum Confraternitatis Conceptionis B. Mariæ Virginis huiusmodi, & per Reuerendum D. Petrum Ioannem Andreu iuris vtriusq; Doctorem, dictę Cōfraternitatis procuratorem similiter requisiti, quatenus ipsam Confraternitatē cum dicta nostra Confraternitate charitatis, & illorum consortio fauorabiliter aggregare, dictasq; indulgentias eidē communicare iuxta Apostolicarum litterarum continentiam, & tenorem, dignaremur.

Nos igitur prædictæ Archiconfraternitatis Protector, prælatus, & Deputati attendentes requisitionē huiusmodi fore iustā, & rationi consonam, & præmissa petita ad animarum salutem tendere, habita etiam à Summo Pontifice nostro Gregorio XIII. communicationis huiusmodi confirmatione, & licentia viuæ vocis oraculo, nobis concessa, & qua fungimur in hac parte modernos, & pro tempore existentes eiusdem Cōfraternitatis Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Gubernatores, & Deputatos, ac Confratres cum Confratribus Archiconfraternitatis nostræ huiusmodi, & illorum consortio fauorabiliter aggregamus, ipsasquè indulgentias eis communicamus iuxta præinsertarū litterarum tenorem; reseruata nihilominus

nus eidem noſtræ Archiconfraternitati annua perpetua penſione librarum duarum ceræ albæ laboratæ in ſignum recognitionis ſingulo anno Romæ in Eccleſia S. Hieronymi noſtræ Archiconfraternitatis, & in quolibet feſto ſancti Hieronymi per dictos Gubernatores, & Deputatos perſoluendi. In quorum omnium, & ſingulorum fidẽ, & teſtimoniũ præmiſſorũ, præſentes inde fieri, & per Secretarium eiuſdem noſtræ Archiconfraternitatis in forma tranſumpti ſcribi; & publicari mandauimus, ſigilliquè noſtri appenſione muniri iuſsimus. Datũ, & actum Romæ in Congregatione noſtra ſub anno à Natiuitate Domini milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo nono, indictione ſeptima, die verò vndecima menſis Auguſti, Pontificatus prælibati ſanctiſsimi D. N. Gregorij, diuina prouidentia Papæ XIII. anno eius octauo. Alexander Simonetus Prelatus. Ioannes Antonius de ſancto Petro Deputatus. Cæſar Buſsius Deputatus. Aſcanius Sachinus Deputatus.

Ego Sebaſtianus Morius Ro iuris vtriuſque Doctor, & Apoſtolica auctoritate Notarius, & ſupra ſcriptę venerabilis Archiconfraternitatis charitatis vrbis Secretarius, de mandato prædictum tranſumptum, & exemplum, ac de verbo ad verbum cum dicta Bulla auſcultatum, & collationatum per manus alterius, ſic ſcriptum alijs occupatus negotijs ſubſcripſi, & publicaui, ſignumq; meum appoſui ſolitum in rei teſtimonium. Loco ſigilli impendentis. Refrendata in xxvij. manu mandatorum, & comparatum Curiæ ciuitatis Valentiæ de anno MDCXLIII. fol. 41.

IESVS. In quorum fidem ego Petrus Ioannes Auellaneda Notarius publicus ciuitatis, & Regni Valentiæ, qui loco ſcribæ Curiæ Iuſtitiæ cauſarum ciuilium dictæ ciuitatis, hic meum pono ſignum.

Nos Iuan Vicente Marti Cauallero, Iuſticia de cauſas ciuiles, y Iuez ordinario deſta ciudad de Valencia, certificamos, como el dicho Pedro Iuan Auellaneda es Notario, y Secretario publico deſta dicha ciudad, y ſu Reino, fiel, legal, y de confiança, y a los autos, y eſcrituras que ante èl han paſſado, y paſſan, ſe les ha dado, y dà entera fee, y credito, aſsi en juizio, como fuera del. En teſtimonio de lo qual dimos las preſentes ſelladas cõ el ſello ordinario de nueſtro oficio, y refrendadas por el Eſcriuano de nueſtra Audiencia, y Corte. Dadas en Valencia en 20. dias del mes de Abril de MDCXLVIII. años. Iuſepe Auellaneda Notario en lugar del Eſcriuano de la Corte de dicho Iuſticia.

OBSERVATIO.

Celebris hæc Confraternitas Immaculatæ Conceptioni ſacra primũ erecta fuit fuit anno 1574. authoritate D. Ioannis de Ribera Archiepiſcopi Valentini, vt habes in hac appendice col. 671. Poſtea anno 1579. à Ioanne Morono Cardinali Hoſtienſi de licentia ſanctiſsimi D. Gregorij XIII. approbata, & multis fauoribus locupletata. Et tandem præfatus Pontifex anno 1580. eam approbauit, eiquè multa priuilegia conceſsit, vt ſequenti diplomate conſtabit.

GREGORIVS XIII. approbat, & confirmat Confraternitatem Conceptionis in Cœnobio ſancti Franciſci Valentino fundatam, & multa ei concedit priuilegia.

Anno M.D.LXXX.

Gregorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, vniuerſis Chriſti fidelibus præſentes litteras inſpecturis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Vnigeniti Filij Dei Redemptoris noſtri Ieſu Chriſti, qui pro reconcilianda ſuo auctori humana natura de ſummo cœlorum ſolio ad huiuſmodi infima deſcendere, & noſtræ mortalitatis

tis carnem ex vtero virgineo aſſumere, & tandem in ara crucis errata noſtra diluere ineffabili charitate dignatus eſt, licet immeriti gerentes in terris, gregẽ Dominicum curæ noſtræ diuinitus cõmiſſum ad viam lucis æternæ perducere ſatagimus;& vt id certius ſuccedat, ſingulos quarumlibet Confraternitatum ad Dei, Beatæquè Virginis laudem,gloriam,& honorem vitæ inſtitutarũ Confratres vtriuſque ſexus, nec non vniuerſos Chriſti fideles, quorum merita pro demeritis penitus ſunt imparia ad pia, & meritoria opera exercenda ſpiritualibus muneribus,indulgentijs, & peccatorum remiſsionibus frequenter inuitamus, vt per illa fælicitatis æternæ præmia faciliùs conſequi mereantur. Cùm itaquè ſicut accepimus, vna pia, & deuota vtriuſque ſexus Chriſti fidelium Confraternitas Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis in Eccleſia domus Ordinis fratrum Minorum de Obſeruantia nuncupati Valẽtinę canonicè inſtituta exiſtit, cuius dilectorũ filiorũ illius Cõfraternitatis pręcipua cura eſt virgines honeſtas, paupertate opreſſas, ac parentũ ſolatio, atq; pręſidio deſtitutas dotare,& in matrimonio collocare. Nos cupiẽtes,vt dicta Cõfraternitas maiori Confratrũ numero in dies augeatur,ibiq; Confratres ad alia pia opera magis excitentur, quò exinde maiora ſpiritualia dona ſe adipiſci poſſe cognouerint: de omnipotentis Dei,ac beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſsi, omnibus,& ſingulis vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus verè pœnitẽtibus,& confeſsis, qui dictam Confraternitatem ingredientur,die illorũ primi ingreſſus, ſi ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramẽtum ſumpſerint;attamẽ ibique nunc ingreſsis Cõfratribus verè pœnitentibus, & confeſſis in eorum mortis articulo nomen Ieſu ore,vel corde inuocantibus plenariã; nec non tamen ipſis Chriſti fidelibus ſimiliter verè pœnitentibus,& confeſsis, qui dictam Eccleſiam,& ipſius Confraternitatis Capellam in feſtiuitate eiuſdẽ Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis à primis veſperis vſque ad Occaſum Solis die eiuſdem feſtiuitatis deuotè viſitauerint,& ibi pro exaltatione ſancta matris Eccleſię,hęreſumq; extirpatione,ac inter Principes Chriſtianos faciẽda pace quinquies orationẽ Dominicã, & toties ſalutationẽ Angelicam recitauerint,quo die feſtiuitatis dictæ id fecerint, ſi dictũ ſantiſsimum Sacramentum ſumpſerint, etiam plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſsionem auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium miſericorditer in Domino concedimus,& elargimur. Inſuper ipſis Confratribus quoties diuinum officium in dicta Eccleſia,ſeu Confratrenitatis, vel in omni oratorio celebrando, aut congregationibus publicis, vel ſecretis, aut proceſsionibus ordinarijs, vel extraordinarijs per Confratres Confraternitatis ſolitis interfuerint, vel alio caſu præſtiterint auxilium, conſilium, vel fauorem, aut defunctorum cadauera ad ſepulturam,vel dictum ſanctiſsimum Sacramentum,dum ad aliquem infirmum defertur, aſſociauerint, vel qui hoc facere infirmitate impediti, campanæ ad id ſigno dato genuflexi, ſi commodè potuerint,ter orationem predictam pro eodem infirmo recitauerint, aut pauperes puellas adiuuauerint, vel conſolari fuerint in eorum aduerſitatibus, aut pacem cum inimicis compoſuerint, vel aliud pium opus exercuerint, ſexaginta dies de eis iniunctis, aut alijs quolibet debitis pœnitẽtijs auctoritate, & tenore præmiſsis miſericorditer in Domino relaxamus præſentibus; quoad viſitantes non Confratres ad decenium tantũ, in reliquis verò præmiſsis perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem,quòd ſi Confratribus,& alijs Chriſti fidelibus vti ratione præmiſſorum, vel aliter aliqua alia indulgentia perpetuò,vel ad certum tempus nondum lapſum duratura per nos conceſſa fuerit, præſentes litteræ nullius ſint roboris, vel momenti. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingẽteſimo octuageſimo. Non.Ianuarij Pontificatus noſtri anno nono. Franciſcus Bellotus pro

Yyyy magi-

magiſtris. Marcus Antonius Iorlupius. Marcus Ceulus. Loco ſigilli impendentis. Refrendata in xxviij. manu Mandatorum, & Empararũ Curiæ ciuilis Valentiæ de anno MDCXLVIII. fol. 40.

IESVS. In quorum fidem, & teſtimonium ego Petrus Ioannes Auellaneda Notarius publicus ciuitatis, & Regni Valentiæ loco ſcribæ Curiæ Iuſtitiæ cauſarum ciuilium dictæ ciuitatis Valentiæ, hìc meum, quo vtor, artis noſtræ pono ſignum.

Nos Iuan Vicente Marti Cauallero, Iuſticia de cauſas ciuiles, y Iuez ordinario deſta ciudad de Valencia, certificamos, como el dicho Pedro Iuan Auellaneda es Notario, y Secretario publico deſta dicha ciudad, y ſu Reino, fiel, legal, y de confiança, y a los autos, y eſcrituras que ante èl han paſſado, y paſſan, ſe les ha dado, y dà entera fee, y credito, aſsi en juizio, como fuera del. En teſtimonio de lo qual dimos las preſentes ſelladas cõ el ſello ordinario de nueſtro oficio, y refrendadas por el Eſcriuano de nueſtra Audiencia, y Corte. Dadas en Valencia en 20. dias del mes de Abril de MDCXLVIII. años. Iuſepe Auellaneda Notario en lugar del Eſcriuano de la Corte de dicho Iuſticia.

OBSERVATIO.

HÆC Bulla (quam in Archiuo huius Conuentus ſancti Franciſci Matrit. ſeruamus teſtimonio authentico conſignatam) Hſpano ſermone habetur in hac Appẽdice, col. 649. quia tunc originale, vel ex eo authenticum tranſumptum Latinum ad manus habere non potuimus; ſed iam ex ciuitate Valentina ad nos tranſmiſſum hic apponendum duximus ad Lectoris maiorem commoditatem, ac fidelis exhibitionis veridicum teſtimonium.

(.?.)

CONCILIVM OXOniense decernit festum Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis liberè poſſe in Anglia celebrari.

Anno MCCXXII.

STatuimus, quòd feſta ſubſcripta, ſub omni veneratione ſeruentur, videlicet omnes dies Dominici, quinque dies natalicij, Circũciſio, Epiphania Domini, omnia feſta B. Mariæ, præter feſtum CONCEPTIONIS, cuius celebrationi non imponitur neceſsitas, &c.

OBSERVATIO.

COnciliũ hoc celebratũ fuit anno 1222. ſub Honorio III. per Stephanum Archiepiſcopum Cantuarienſem, & habetur in tomo 3. Concilior. à Laurentio Surio editorum Coloniæ Aggripinæ anno 1567. & in editione Seuerini Binij ibidem fol. 1618. to. 3. part. 2. fol. 700. Ex eo conſtat, iam tunc temporis in Anglia Conceptionis feſtiuitatẽ à multis haberi celebrem. Vide Matthæum Paris in Hiſtor. Anglicana, Serranum Epiſcop. Acernen. lib. 2. cap. 7. num. 8. Suar. to. 1. de Religione lib. 2. cap. 8. num. 3. & Lezanam de Concept. cap. 13. fol. 58.

NARRATIO DE filio Soldani Armeniæ grauiſsimè ferente Conceptionem B. Virginis prædicari maculatam.

Anno MCCCXXII.

ANno Domini MCCCXXII. præſidẽte Ioanne XXII. in Sede Apoſtolica, venit quidam filius Soldani, Armeniç, Grçca, & Latina lingua eruditus ad

ad nostras partes latinas, cum saluo conductu ad videndū mores, & ritus Christianorum, & fuit receptus Auinnione in Curia Papæ cum magno honore, qui quotidie intererat in solemnitatibus diuinorum officiorum, in quibus maximè delectabatur, & accidit in die Conceptionis Virginis Mariæ, quòd quidam ascendit ad prædicandum, in qua prædicatione voluit probare per quasdam auctoritates sacræ Scripturæ, Virginem Mariam contraxisse culpam originale: Quibus verbis auditis, in tantū fuit scandalizatus ille filius Regis Armeniȩ, quòd surrexit à loco, & cū magno furore dixit Papæ, & Cardinalibus, quòd mirabatur de ipsis, qui erant capita Christianæ Religionis, vt talia tolerarēt audire de Virgine Maria. Vnde etiam dixit, quòd si quis talia dixisset in conspectu Califæ, aut Soldani Ægypti, aut in conspectu aliorum Sarracenorū, nullo pacto posset euadere, quin ab omnibus lapidaretur, quantumcumque ille esset magnus; imò si quis talia dixisset de matre Mahometi, nullo pacto euaderet mortem. Et sic ille taliter scandalizatus reuersus est in regionem suam, qui ante deliberauerat Baptismum suscipere.

OBSERVATIO.

PRæfatam narrationem ad litteram deprompsimus ex Iacobo de Valentia, Episcopo Chrystopolitano in exposit. Cantici Magnificat *ad illa verba,* Quia fecit mihi magna, *& eius meminit Ambros. Catherin. lib. 2. de Concept persuas. 19.*

ALPHONSVS DE Aragonia Cæsaraugustani Archiepiscopatus Administrator decernit officium Conceptionis à Sixto IIII. editum in tota sua Diœcesi recitari.

Anno MCCCCLXXXVII.

OFficium editum de Conceptione Virginis Mariæ per sanctissimum Dominum nostrum Sixtum Papam IV. præcipimus per totam nostram Diœcesim celebrari,

OBSERVATIO.

HOC Decretum factum fuit in secunda Prouinciali Synodo, Cæsaraugustæ celebrata à Domino Alphonso de Aragonia anno 1487. & habetur in lib. Constitutionū Synodalium Archiepiscopatus Cæsaraugustani, sub titulo de reliq. & venerat. Sanctorum. fol. 56. col. 2. impressionis Cæsaraugustanæ, anno 1500.

PATRES SYNODI Compostellanæ iurant semper defendere, & tenere Virginis à peccato originali præseruationem.

Anno MDCXIX.

DOy fee, y verdadero testimonio yo Iuan Fernandez de Castro, Presbytero Canonigo en la Apostolica Iglesia de Santiago, Maestro de ceremonias en ella, y Notario Apostolico, a todos los que las presentes letras vieren, oyeren, ò leyeren, como en diez y seis dias del mes de Mayo del año passado de mil seisciētos y diez y nueue, celebrando Synodo Diocesana el Ilustrissimo señor D. Iuan Beltran de Gueuara Arçobispo desta santa Apostolica Iglesia del Señor Santiago junto todo el Clero, el dicho señor Arçobispo juntamente con los señores venerables Dean, y Cabildo Cōpostellano; y los Arciprestes de todo este Arçobispado por si, y en nombre de todo el dicho Clero, assi presente, como ausente, juraron de defender la limpissima Concepcion de la Virgen santissima Madre de Dios, y Señora nuestra sin pecado original aora, y para siempre jamas, si su Santidad nuestro muy santo Padre, ò sus sucessores no ordenaren, ò mandaren otra cosa; presentes a todo esto sus Excelencias los señores D. Pedro Fernandez de Castro y Andrade, y Doña Catalina de la Cerda Condes de Lemos,

Lemos, que juntamente hizieron el dicho juramento por si, y sus successores; y para que dello conste, yo el sobredicho Notario doy esta fee autentica, firmada de mi nombre, y signada segun es costũbre. En Santiago a veinte y dos dias del mes de Agosto de mil y seiscientos y veinte años. Iuan Fernandez de Castro, Notario Apostolico.

OBSERVATIO.

Decretum hoc instrũmento authentico obfirmatum seruamus in hoc Conuentu S. Francisci Matritensis. Promotor principalis fuit prædictus Archiepiscopus Gueuara, cuius sæpius in hoc Regesto pro Immaculata Conceptione memoria celebris habetur. *Vide col. 654.*

FORMA IVRAmenti emissi à Communitate, & territorio Medinæ del Campo nuncupatæ.

Anno MDCXVIII.

NOs el Concejo, Iusticia, y Regimiẽto desta villa de Medina del Campo, respondiendo a ardientes deseos, y vozes diuinas, que inspiradas por fauor santo, en nuestras almas secretamente clamauan, reconocidos de vuestro amparo, O Virgen santisima Madre de Dios, verdadera Reina, y Señora nuestra, y de todos los Angeles del cielo, obligados de experiencias de vuestro patrocinio; por nosotros mismos, y en nombre de los presentes, y futuros en esta villa, su tierra, y partido, enseñados por sagrada autoridad de Scripturas diuinas de Concilios santos; juntos en esta santa Iglesia Colegial Mayor, hazemos general confession, en que protestamos, que el primer instãte de vuestra vida os hallò pura, limpia, preseruada de toda culpa, y mancha original; y a esta purissima, y Inmaculada Concepcion vuestra, serenissima Reina, consagramos juramento, y voto publico, en que ajustados al sentimiẽto, y censura de nuestro beatissimo Padre Paulo Papa V. prometemos, y juramos a Iesu Christo Rey, y Señor nuestro, Hijo de Dios Eterno, y de vuestra Magestad, de sentirla, defenderla, y guardarla publica, y secretamente, y quanto en nos fuere de obligar a que se sienta, defienda, y guarde generalmente; y para sustentar este nuestro particular, y comun voto celebrado sobre los Euãgelios santos, suplicamos humilmente a Dios nuestro Señor nos comunique su aliento, y socorro, y a vuestra Real clemencia reciba, y acepte estos piadosos efectos, y afectos de amor.

OBSERVATIO.

Præfati iuramenti emissio (cuius trãsumptum apud nos in hoc Archiuo Conuent. S. P. N. Franc. Matrit. seruamus) facta fuit in Ecclesia Collegiata S. Antonio sacrata. Eius meminit P. Daza lib. de Concept. cap. 2. folio 11.

Iuramentum ciuitatis Placentinæ.

EN la ciudad de Plasencia a veinte dias del mes de Enero de mil y seiscientos y treinta y seis años, Iueues dia ordinario de Regimiento se juntaron a Regimiento ordinario los señores Iusticia, y Regidores siguientes. Don Pedro de Ayala Manrique Corregidor de la dicha ciudad, y su partido por su Magestad, don Christoual de Oliueros, don Fernando de Oropesa, don Iuan de Villalua, Baltasar Braceros, Alõso de Vargas, el Licenciado Francisco Rodriguez de Melo, Francisco del Campo, don Francisco de Vergas, don Francisco Nuñez de Vargas, don Alonso de Oueso, don Francisco de Pinas Buezo; y en dicho Ayuntamiento, y libro del ay vna proposicion, y acuerdo del tenor siguiente.

Este dia su merced don Pedro de Aya-

Ayala Corregidor de la dicha ciudad, dijo que es muy notorio en todas las ciudades de España, y no menos en esta de Plasencia la deuocion que todos tienē, y han professado en lleuar la opinion tā piadosa, de que la Reina de los Angeles Madre de Dios fue concebida, y limpia sin mācha de pecado original; y aunque es assi, que esta ciudad tiene ya jurado esta opinion en el Synodo que se celebrò en el tiempo del señor don Sancho de Auila, Obispo que fue desta ciudad, a que assistio esta Ciudad: pero el tiempo ha oluidado esto de manera, que ni los Caualleros Capitulares, assi Eclesiasticos, como seglares se acordaron dello; y assi es bien se resucite esta accion, y para ello suplica a la ciudad, se sirua de assistir en la santa Iglesia Catedral, ò en la parte que les pareciesse con el discurso de tiempo mas aproposito a Visperas, y à Missa mayor el mismo dia de la Concepciō de nuestra Señora, que es a ocho de Diziembre primero venidero, y de cada año; y porque este ha de ser el primero deste voto, es justo se haga alguna demostracion, lo qual remite al acuerdo que la ciudad tomare, a la qual suplica nombre sus Comissarios, para disponer lo que mas conuenga, y assimismo para dar la embaxada a los señores Obispo, y Cabildo.

La ciudad auiendo visto la proposicion hecha por el señor Corregidor della, y que es cosa tan justa, y que le toca por muchas razones celebrarla, acordò, que los señores Francisco Rodriguez de Melo, don Iuan Antonio de Villalua, y don Francisco de Oropesa, y Alōso de Vargas a quien la ciudad nombra por Comissarios, juntamente con el señor don Pedro de Ayala, dispongan la fiesta como les pareciere, y den la embaxada a los señores Obispo, y Cabildo, que a todo lo que hizieren les dà comission en bastante forma, y libren, y gastē lo necessario en propios; y los Porteros desta ciudad guarden la orden que los señores Corregidor, y Comissarios les dieren; y que la ciudad assista todos los años perpetuamente para siempre jamas a Visperas, y Missa de la fiesta en cada vn año, quedandolo assentado con los señores Obispo, y Cabildo de la santa Iglesia de Plasencia, y se saque vn tanto deste acuerdo, y se ponga en el Archiuo. Y al fin del Ayuntamiento ay vna firmas que dizen, don Pedro de Ayala Manrique, el Licēciado Francisco Rodriguez de Melo, don Christoual de Oliueros Contreras, passò ante Luis Gil. E yo Luis Gil Escriuano del Rey nuestro señor, y del Ayuntamiento de la ciudad de Plasencia, fui presente a lo q̄ dichoes, y lo signe. En testimonio de verdad Luis Gil.

Nos los Escriuanos del Rey nuestro señor, y del Numero de la ciudad de Plasencia, y su tierra por su Magestad, que aqui signamos, y firmamos, certificamos, y damos fee, como Luis Gil, cuya es la firma, y signo de arriba, Escriuano del Rey nuestro señor, y del Ayuntamiē to desta ciudad, y como a tal a los autos, y escrituras que ante èl passan, siempre se les ha dado, y dà entera fee, y credito, como hechas ante tal Escriuano, el qual vsa, y exerce al presente el dicho oficio, y para que dello conste, dimos el presente. En Plasencia a treinta de Mayo de mil y seiscietos y quarenta y ocho años. En testimonio de verdad Frācisco Merino y Vargas. En testimonio de verdad Iuan Gonçalez de Leon. En testimonio de verdad Mateo Martinez.

OBSERVATIO.

Extat authenticum hoc iuramentum in Archiuo Cœnobij Matritensis S. P. N. Francisci.

Iuramentum factum à tota Ecclesia vrbis Baeæ in Capitulo congregata.

Anno MDCXXXI.

YO el Licenciado Bernaue Correal, Presbytero Beneficiado de la Parroquial de Señor Santiago de la ciudad

de Baza, y Secretario del Cabildo de la ſanta Igleſia della; doy fee, y verdadero teſtimonio a los que el preſente vieren, como en vn acto Capitular que dicho Cabildo tuuo en diez de Mayo del año paſſado de mil y ſeiſcientos y treinta y vno, al qual aſsiſtio ſu Señoria Reuerendiſsima del ſeñor D. fray Iuan de Arauz y Figueroa, Obiſpo de Guadix, y Baza, eſtando juntos capitularmente en las ſalas de ſu Cabildo, como lo ha de vſo, y coſtumbre, ay vn capitulo que es del tenor ſiguiente.

Primeramente auiendo ſu Señoria Reuerendiſsima propueſto ſu eficaz deſeo de la deuocion que tenia al miſterio de la Concepcion puriſsima de nueſtra Señora, era de que no ſe dilataſſe mas el voto, y juramento de Igleſia, y ciudad, y la ſolemne Octaua de dicha fieſta, acordaron, nemine diſcrepāte, ſe hizieſſe como ſu ſeñoria Reuerendiſsima lo acordaua; remitiendole la diſpoſicion de todo con oferta de puntal obediencia a ſus ordenes, y mandatos, y ſiendolo de que la fieſta començaſſe el Domingo quinto poſt Paſcha, y ſe fueſſe proſiguiendo haſta el octauo dia, quedò aſſentado por todos ſe executaſſe aſsi. Ante mi Bernaue Correal Secretario.

Aſsimiſmo doy fee, que en vn auto Capitular que dicho Cabildo tuuo en treze dias del dicho mes, y año dicho, ay vn capitulo del tenor ſiguiente.

Primeramente auiendo entrado en dicho Cabildo el ſeñor don Pedro Manrique de Ayala Corregidor de Guadix, y Baza, y propueſto algunos inconuenientes que en la ciudad ſe auian conſiderado, de que la fieſta de la Concepcion de la Virgen puriſsima ſe començaſſe dicho quinto Domingo poſt Paſcha, y que con acuerdo de ſu Señoria Reuerendiſsima del ſeñor Obiſpo, pedia ſe dilataſſe para dar lugar a mayor ſolemnidad, haſta el Domingo intraoctauo de la Aſcenſion, ſe confirio el caſo, y aduirtiendo que ſu Señoria Reuerendiſsima guſtaua dello, y que ſolo por hazer merced, y fauor a eſte Cabildo lo auia remitido a ſu parecer, acordaron, nemine diſcrepante, ſe dilataſſe haſta el dicho dia por razones muy conſiderables. Ante mi Bernabe Correal. Todo lo qual conſta, y parece mas largamente de dichos autos capitulares, que eſtan eſcritos en vn libro donde ay otros muchos decretos, y autos que dicho Cabildo tuuo, a que me remito, y queda en ſu Archiuo.

Aſsimiſmo doy fee, que quando algũ Prebendado toma poſſeſsion en dicha ſanta Igleſia de dicha ciudad de Baza de alguna prebenda, qualquiera que ſea, haze juramento en forma ſacerdotal, pueſta la mano ſobre los ſantos Euangelios, de guardar, y defender la limpia, è inmaculada Concepcion de nueſtra Señora. Conſta lo dicho de muchos autos capitulares, donde eſtan eſcritas, y por mi el dicho Secretario firmadas las dichas poſſeſsiones que quedan en los libros donde ſe eſcriuen, y en el Archiuo de dicho Cabildo, a que me refiero: en teſtimonio de lo qual di el preſente por mandado, y decreto del dicho Cabildo, que ſe hizo en veinte y vn dias deſte preſente mes, y año, y lo firmè en dicha ciudad de Baza a treinta y vn dias del mes de Março de mil y ſeiſcientos y quarenta y ocho años. En teſtimonio de verdad. El Licenciado Bernabe Correal Secretario.

Los Eſcriuanos publicos del Numero, y Iuzgado de la ciudad de Baza, y ſu tierra por ſu Mageſtad, que aqui firmamos, y ſignamos, certificamos, y damos fee, y teſtimonio de verdad, que el Beneficiado Bernabe Correal, de quien và firmado el teſtimonio de ſuſo, es Secretario del Cabildo Eclesiaſtico de la ſanta Igleſia Colegial deſta ciudad, y a los teſtimonios, y certificaciones que el ſuſodicho dà, ſiempre ſe les ha dado, y dà entera fee, y credito, como a certificaciones, y teſtimonios dados por Secretario fiel, legal, y de confiança; y para que conſte, de pedimento del Padre frai Manuel de la Caba, Predicador del Orden de nueſtro Padre ſan Frãciſco, damos el preſente en la ciudad de Baza a primero dia del mes de Abril de mil y ſeiſcientos y quarenta y ocho años. En teſti-

testimonio de verdad Iuan Delmansa. En testimonio de verdad Diego Marques de Soto. En testimonio de verdad Matias Ruuio. En testimonio de verdad Iuan de Terani. En testimonio de verdad Alonso de Soria. En testimonio de verdad Diego Esquenedo.

OBSERVATIO.

Extat authenticum in monumentis Minor. apud sanctum Patrem nostrum Franciscum Matritensem.

Statutum iuramento confirmatum a Senatu urbis Baca.

Anno MDCXXIX.

YO Alonso Carrillo de Albornoz Escriuano mayor del Cabildo, y Ayuntamiento de la ciudad de Baza, en cumplimiento del auto del Ayuntamiēto doy fee, y testimonio de verdad, que por vn libro de acuerdos del dicho Ayũtamiento consta, que en primero dia del mes de Iunio de mil y seiscientos y veinte y nueue años; Viernes por la mañana se juntaron a Cabildo, don Pedro de Ayala Mantique, Corregidor, Christoual de Cabos Aybar, don Iuan de Mēdoça, don Francisco Santolalla, don Pedro Pizarro, don Lorenço de Santolalla, don Diego de Segura, don Pedro de Tortosa, y don Diego Cepero Regidores, y Diego de Mora Iurado, Iusticia, y Regimiento desta dicha ciudad; y assimismo parece entraron en el dicho Cabildo Diego de Arredondo, Garci Brauo de Lagunas y don Francisco de Bustos, assimismo Regidores; y entre otras cosas que se trataron en el dicho Cabildo, ay vn capitulo del tenor siguiente.

Acuerdo En este Cabildo se propuso, que se deue acudir a la fiesta de la limpia Concepcion, auiendolo propuesto su merced el señor Corregidor, diziendo, que en las mayores ciudades de Castilla tienen grandissima deuocion con la limpia Concepcion de nuestra Señora, y en los Ayuntamientos perpetuamente que se hazen, es tener, y guardar esta opinion de que fue concebida sin pecado original, y assimismo assistir a la celebracion de su fiesta por ciudad, accion tan deuota, y tan bien vista a los ojos de todos fieles, pide, y suplica a la ciudad, se sirua de mandar, que en el juramento que se haze en este Ayuntamiento, assi por el señor Corregidor, como por los Capitulares, y demas Ministros della se añada, quando fueren recibidos defenderan, y defendera la opinion, que nuestra Señora fue concebida sin pecado original. Y assimismo el dia de su festiuidad se assista por Ciudad en la Iglesia mayor, donde se celebra.

La ciudad auiendo visto la proposiciō fecha por su merced del señor Corregidor, y ser tan justa y deuota, y deseādo acudir a ella, como cosa tan santa, y verdadera: vnanimes, y conformes, nemine discrepante, acuerdan, que dia de la festiuidad de nuestra Señora de la Cōcepciō, y en sus Visperas assista por Ciudad en la Iglesia mayor della a la solemnidad, y fiesta que alli de ordinario se haze, y para ello se dè parte al señor Abad, y Cabildo de la santa Iglesia, porque con la mayor autoridad, y decencia que sea possible se celebre la dicha fiesta: y assimismo, que los Corregidores que fueren de aqui adelante, y sus Alcaldes mayores, y los Caualleros, Regidores, y Iurados, y Escriuanos de Cabildo que fueren recibidos en este Ayuntamiēto, juren que defenderan, tendran, ampararan la opinion, que nuestra Señora fue concebida sin pecado original, y no seā admitidos sin hazer primero el dicho juramento, y protesta. Y el señor Christoual de Zeuallos dè cuenta al Cabildo Eclesiastico deste acuerdo, el qual parece estar firmado de los dichos don Pedro de Ayala Corregidor, y Garci Brabo de Lagunas Regidor, y que se acordo ante Christoual Martinez de Salcedo Escriuano del dicho Ayuntamiento.

Y por el dicho libro consta, que en esta dicha ciudad a siete dias del mes de Diziembre del dicho año de seiscientos y veinte *Acuerdo*

y veinte

y veinte y nueue, Viernes por la mañana se juntaron a Cabildo en la sala del Ayũtamiento don Pedro de Fonseca Alcalde mayor, Christoual de Zeuallos, Gracian de Ayala, don Pedro Pizarro, Gonçalo Brauo, don Iuan de Robres, don Diego de Segura, don Iuan de Cordoua, don Pedro de Tortosa, Sebastian de la Plaça, don Pedro Bidera, Antonio de Miranda, don Diego Cepero, Alonso de Villarreal, Francisco de Murga Serrano Regidores, y Iuan de la Torre Iurado, Iusticia, y Regimiento desta ciudad, y entre otras cosas que en el dicho Cabildo se trataron, ay vn capitulo que dize assi.

